www.e-rara.ch

Chronologiae reformatae et ad certas conclusiones redactae tomus primus [- quartus]

Riccioli, Giovanni Battista

Bononiae [Bologna], 1669

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-2140

Tomus primus.

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

CHRONOLOGIÆ
REFORMATÆ
ET AD CERTAS CONCLVSIONES
REDACTÆ
TOMVS PRIMVS
CONTINENS DOCTRINAM TEMPORVM
AVCTORE
R. P. IO. BAPTISTA RICCIOLIO
FERRARIENSI
SOCIETATIS IESV
ILLVSTRISSIMI COLLEGII PARMENSIS
NOBILIVM CONVICTORIBVS
DEDICATVS.



BONONIÆ, M. DC. LXIX.

Ex Typographia Hæredis Dominici Barberij. Superiorum permissu.

DEDICAVIT

NOBILEM CONVICTORIBVS

ILLVSTRISSIMI COLLEGII PARMENSIS

SOCIETATIS IESV

FERRARIENSI

PATRO BAPTISTA RICCIOLIO

AVCTORE

CONTINENS DOCTRINAM TEMPORVM

TOMVS PRIMVS

REDACTE

AD CERTAS CONCLVSIONES

REFORMATE

CHRONOLOGIAE



NOBILISSIMO COLLEGIO NOBILIVM PARMENSI.

A. Seleniss. Duce RANVTIO I. FARNESIO electo

et sub Protectione Seleniss. Ducis RANVTY II. FARNESII

Nunc Maximè Numero, et Disciplina Efflorescenti.

BIBLIOTHECA

ILLVSTRISSIMIS
COLLEGII NOBILIVM
PARMENSIS
CONVICTORIBVS

IO. BAPTISTA RICCIOLIVS SOC. IESV
S. S. F. PL.

INter Lilia, *quibus teſte Plinio delectantur Apes, Iris flos eminet, de quo idem auctor ſcribit*: Floret diuerſi coloris ſpecie, ſicut Arcus cœleſtis, vnde & nomen: *& de quo ante dixerat:* Quædam locum ipſum odoratiorem faciunt, vt Iris; quin & arborem totam, cuius radices attingunt: *Vt non immeritò quod de his potiſſimum Sapientia Diuina ad litteram pronunciauit*: Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt &c. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua cooperтus eſt, ſicut vnum ex iſtis, *FARNESIANIS Lilÿs accommodari queat: Tricolorem enim illam amœnitatem ſimul, maieſtatemque, quam actis in perantiquæ Nobilitatis profundum radicibus, erectoque ſurſum altiſſimo Stemmate; Sereniſſima iſta Heroum proſapia, cæleſtis Iridis æmula expreſsit, conſeruauitq; ad hanc diem, videlicet PIETATEM, SAPIENTIAM, FORTITVDINEM. QVE Bellicam: Salomon totam demum, aut peràidit, aut ea quaſi expoliatus apparuit; quando alienigenarum amoribus infatuatus, in Idololatriam, inſipientiam, ſocordemque ignauiam degenerauit. Conſiderauit ergo Conſideratiſſimus, ac Prudentiſſimus Dux Parmæ, ac Placentiæ RANVTIVS, non ſuæ tantum familiæ ex conſeruato trium prædictarum Virtutum colore incrementum; ſed vt aliarum quoque familiarum arbores, ſuæ Iridis attactu, ſi fas eſt ita cum Plinio loqui, odoratiores efficeret, Collegium iſtud Parmenſe CONVICTORVM NOBILIVM, iam inde ab Anno MDCI. fundauit, & Anno MDCIV. Societatis Noſtræ Patribus, acceptante hoc munus Reu. Præpoſito Generali CLAVDIO AQVAVIVA, gubernandum tradidit, vt in eo Nobiles vndecunque inuitati adoleſcentes in Chriſtiana pietate, Litteris ingenuo homine dignis, Armorumque præludÿs educati, triplici hoc argumento, velut cæleſtis Iridis coloramento, Nobilitatem Patriæ, Maiorumque ſuorum adeò comprobatam teſtatamque repræſentarent, vt eiuſdem noui fundatores, & prima gentilitiæ claritatis capita, ſi aliundè illam non traxißent, quam reuera traxerant, cenſeri mererentur. Sic enim C. Marius apud Saluſtium poſt enumerata militaria ſua inſtrumenta, & ſpolia, adiunxit*: Præterea cicatrices aduerſo pectore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc mea Nobilitas: *Sanè vt aduertit Ennodius*: Nullo teſte Nobilitas vtitur, cuius ſanguinem non probet inſtitutio. *Nobilitatem enim comparat cum auro, nullum pretium à naturali fodina conſecuto, niſi artificis manu pretioſum cuadat: verba Ennodÿ ſunt hæc:* Aurum nihil eſt, ni manu componatur artificis, & fuluo pretium metallo, lima fabricante iungatur. Ceſſante induſtria, exigua eſt claritas generis.

Lib. 7. cap. 12. & 7.

Matth. 6

De bello Iugurt. dict. 9.

generis, quæ venerit à natura. Fabrilibus debet ſtudijs, quod in partu ſuo terra laudatur. *Et cap. 33. idem dixit.* Non eſt cum vitijs ſociata Nobilitas, & malè ingenuus probatur, qui vitiorum ſeruitute deprimitur. *Ante illum quoque S. Hieronymus*: Ille clarus, ille ſit nobilis, ille tunc integram Nobilitatem ſuam ſeruare, ſe putet, ſi dedignetur ſeruire vitijs. *Et ante hunc S. Cyprianus de Celerino agnoſcente neceſsitatem imitandi Maiorum ſuorum virtutes dixit:* Nec degener ergo eſse, nec minor poterat, quem ſic domeſticis exemplis virtutum, ac fidei prouocabat familiæ dignitas, & generoſa Nobilitas. *Ergo vt veræ Nobilitas Illuſtrium Italiæ, & vltrà familiarum in adoleſcentium poſteritate propagaretur ijſdem coloribus, quibus ab initio claruerat, videlicet pia morum probitate, litteraturæ cultu, & armorum exercitamento; Collegium iſtud ſapientiſsima inſtituit prouidentia* RANVTIVS I. *Dux prudentiſsimus.*

Ad Demetriadem.

Proinde ad Farneſianæ Iridis, non tàm vmbram, quàm colores, vndique Nobilitatis Italicæ flos ad cæleſtem florem connolauit; imò ingenioſa metamorphoſi, de floribus in Apes tranſmutati; lectiſsima quæque virtutum exempla, tanquam cæli nectar ex alijs floribus ſeligentes, vt ex tanta fragrantia, flagrantiſsimum ſuum ſtudium emblemate aliquo profiterentur, Apiarijs mellificij ædiculis, Virgilianum illud adſcripſere. Tantus amor florum. *Poſteà tamen, ne aut ſibi ſolis, aut ſolius patriæ, ac familiæ commodo, & ornamento mellificare viderentur, ſed ita ſibi laborare, vt alys quoque, ac bono publico prodeſse poſſent, vice illius hemiſtichij Virgiliani.* Sic vos non vobis, *cui ſubintelligendum erat*: Mellificatis apes; *placuit hoc hemiſtichium ſubſtituere:* Vobis atque alijs. *Creuit autem Nobiliſsimarum harum Apum numerus adeo, vt cum antea rariſsimè ſeptuagenarium numerum excederent; poſt Sereniſs.* RANVTII II. *Ducis protectionem, directionem, ac vigilantiam, duplo, & amplius maior numerus earum fuerit. Neque numerus ſolùm creuit, ſed diſciplinæ quoque tenor, & creſcentibus tanti Principis, ac Sereniſs. ipſius Matris* MARGARITAE *fauoribus, creuit ſub iſta odoratiſsima, & ornatiſsima Iride triplex ille color Pietatis, Litteraturæ, & Armiludij, vt totam ipſam Europam celebritate ſua impleuerit.*

4. Georg.

Hæc mihi cogitanti, placuit meam hanc CHRONOLOGIAM REFORMATAM *non vni Principum, aut Nobilium Perſonarum dedicando exhibere, ſed* VOBIS *iſtius Collegij Nobiliſsimis Conuictoribus, & in vobis alys quoque, totique veſtrarum Familiarum Patrtarumq; Nobilitati; vt veſtrum emblematicum illud hypogramma vſurpando* VOBIS ATQVE ALIIS, *ſi qua poſſem ope, ac opella pro mea tenuitate vtcunque prodeſſem. Spero equidem quemadmodum ex iſto Collegio prodiere, ita prodituros in poſterum non paucos, qui vel ad Sacras Purpuras, & Infulas euecti, Catholicam Eccleſiam vitæ exemplaris ſplendore doctrinaq: illuſtrent; vel ad Præfecturas ciuiles, aut militares ducatus terra mariue promoti, prudentia illinc, & iuſtitia, hinc autem fortitudine bellica, & diſciplinæ militaris, vel in ipſis victorijs temperantia, Patriæ Gentiſque ſuæ gloriam amplificent. Omnibus ergo Vobis, pro diuerſitate genij, ingenij, & vitæ inſtituendæ, Chronologiæ meæ diuerſos Tomos deſeruire poſſe non deſpero; tum ad documentum temporum rerumque geſtarum, tum ad incitamentum, ardoremque æmulandi, ſeu maiorum veſtrorum, ſeu aliarum Illuſtrium perſonarum acta, & præclara facinora. Otioſa enim, & ſterilis eſſet præteritorum temporum, rerumque inſignium lectio, niſi, & ipſi digna lectu ſuo tempore perpetretis, & quæ laudata in alijs admiramini, laudanda in vobis quoque imitemini, veſtriſque geſtis egregijs, nedum ſpecioſis cognominibus, Catalogos Rerum inſignium, Perſonarumq; Illuſtrium magno gloriæ incremento augeatis in poſterum. Id enim à Vobis, & expetit, & expectat in Operis huius Frontiſpicio* CHRONOLOGIAE, & HISTORIAE *propoſita effigies, vt illius quidem Annorum Catena Veſtris aureis annulis prolixior euadat, & eadem nomina veſtra in Tabulis æternitatis potiùs quàm in marmoribus, adamantino celte inſculpta lætetur: Hæc verò Magiſtra vitæ, ſpeculumque prudentiæ ſua vobis face ad virtutem veramq; Gloriam prælucens, Tubam quoque Famæ omnibus locis, ac temporibus perſonantem, polliceatur, & præſtet.*

Verum enim verò, licet aliunde Vobis, Nobiliſsimi Adoleſcentes ac Iuuenes, ex Chronicis Annalibus, & Hiſtorijs exempla Pietatis, Sapientiæ, & Fortitudinis *multa, & magna ſuppetere non inficier: Ternos tamen virtutum harum colores, propiùs intueri, & imitari promptius datur ab illa Iride, quæ* FARNESIANAE *Gloriæ ſymbolum eſt; vt vnde radicem, ac fundamentum agnoſcit iſtud Collegium, indidem colligat luculentiſsima exempla ad imitamentum; & cuius foliorum protectione fruitur, ac patrocinio gloriatur; eiuſdem inuitetur odorum lenocinio, & ornamento colorum, quibus vera Nobilitas illuſtratur. Liceat enim mihi Veronenſis Chronologi ſuperiore æuo celeberrimi, in Vita* PAVLI III. *Summi Pont. exordium huc tranſcribere.* Gens FARNESIA, quorum Summi honores, & res præclarè geſtæ memorantur, magnum decus, atque ornamentum accepit, tum ætate noſtra ijs rebus, quibus

Onuphr. Pannuin.

morta-

mortalium vita honeſtatur, ita omnibus excellit, vt Italicarum Gentium pauciſſimas cum ea, vel opibus, vel dignitate conferri; virtute quidem, & ſtudio maximarum rerum, vnde vera Nobilitas petitur, præferri nullam poſſe exiſtimem. Arma certe huius Gentis, Pietati, ac Religioni militaſſe ferè ſemper compertum eſt. *Hæc Onuphrius nihilo magnificentiùs, quàm veriùs.*

PETRVS enim Farneſius Paſchali II. Pontificatum gerente, Equitum Eccleſiaſticorum Magiſter, inſigni victoria de Pontificis hoſtibus Colontam olim Coſsam *dictam, & deinde* Vrbitellum *reſtituit: eius verò nepos PRVDENTIVS, ſub Lucio II. Pontifice, & huius deſcendentes POPO, & RANVTIVS ſub Innocentio III. egregiam pro libertate Eccleſiaſtica operam nauarunt; eorumq; poſteri contra ipſos Imperatores, Romanæ Eccleſiæ partes, ac iura, ingenti fortitudine, felicique ſucceſſu ſuſtinuerunt. At PETRVS Iunior Poponis filius, Anno MCCCXIII. Vrbis Veteris Princeps factus, Ciuitatem illam à Guelphorum, Gibellinorumque ſeditionibus vindicauit: Ex qua etiam familia Petrus Ancharanus Iuris vtriuſq; Principatum fermè obtinuit. Petri porrò Iunioris filius RANVTIVS, Eccleſiaſtici exercitus imperator, adeò ſtrenuè contra perduelles Eccleſiæ militauit, vt propterea Summ. Pontifex Eugenius IV. aurea illum roſa cohoneſtarit. Ex hoc natus eſt Petrus Aloyſius, qui ex Ioannella Caietana Bonifacij VIII. gentile genuit ALEXANDRVM Farneſium Carini in Etruria natum 29. Februarij Anno MCDLXVIII. Paulo II. Eccleſiam gubernante, quæ fuit cauſa, vt ALEXANDER hic, creatus deinde Summus Pontifex PAVLI III. nomen aſſumpſerit, quo nomine illum deinceps per anticipationem deſignabimus.*

PAVLVS itaque III. cùm Romæ ſub Pomponio Læto, & Florentiæ ſub alijs præceptoribus Latinas, Græcaſque litteras, Philoſophiam inſuper, ac Matheſim, mira ingenij felicitate didiciſſet, Anno demum MCDXCIII. 12. Kal. Octobris ab Alexandro VI. Sacra Purpura ornatus, Legatuſque Viterbij, ac deinde Piceni, Parmæq; Epiſcopatu auctus ſub Iulio II. in Lateranenſi Concilio, doctrinæ, ac prudentiæ ſuæ theſauros palàm fecit, Legatuſque in Hiſpaniam miſſus, Parmæ Lotrechium Gallorum ductorem ſollicitauit, vt in auxilium Clementis VII. magnis itineribus properaret. Bononiamque reuerſus Carolo V. Imper. ſatagenti, vt Clemens idem Quindecim factionis ſuæ Cardinales crearet, perſuaſit, ne id poſceret à Clemente: quo ex hac vita ſublato, cum PAVLVS in Purpurato Senatu vnum ſupra quadraginta annos vixiſſet, Galliſque æquè, ac Hiſpanis æquilibrium ſui pectoris conſeruaßet, nequaquam quærendus fuit, qui ad Summum Eccleſiæ Triregnum eligeretur, ſed eligendus ſtatim, qui cæteris integritate, ſapientia, prudentia, & rerum vſu eminebat: Hinc factum, vt ante nouendiales exequias Clementi VII. perſolutas, Purpurati Patres ad eum tanquam Pontificem certum adoraturi properarint. Sed ille id conſtantiſsimè recuſauit, nec niſi poſt iuſta prædeceſſori ſuo peracta, in comitijs electus eſt III. *Idus Octobris Anno MDXXXIV. &* III. *Nonas Nouembris coronatus PAVLI* III. *ex iam dicta cauſa nomen aſſumpſit.*

Pontificatum adeptus, & memor dicti Senecæ: Ex quo Cæſar ſe orbi terrarum dedicauit, ſe ſibi eripuit: *Statim ſe totum Reipublicæ Chriſtianæ commodo impendit. Et quoniam Sex. Aurelio Victore monente:* Ab egregijs Principibus expectatur Sanctitas domi, foris fortitudo, vtrobique prudentia: *Ex XX. lectiſsimis Cardinalibus à ſe creatis, nouem reformandis Eccleſiaſticis præfecit. Nemo autem Romanorum Pontificum ad eam diem plures Sacra Purpura digniores toto orbe Chriſtiano conquiſitos, in Patrum Senatum euexit. Fuere ſiquidem vnus, & ſeptuaginta, ex quibus vnus poſt alium ipſi in Summo Sacerdotio ſubrogati ſunt videlicet. Iulius* III. *Marcellus* II. *Paulus IV. & Pius IV. De illorum conſilio frequentibus conſiſtorijs diuque conctatus, tandem Henricum* VIII. *Britaniæ Regem, qui ſe Anglicanæ Eccleſiæ primarium ſub CHRISTO caput, Pontifice contempto edixerat, & inter alia ſcelera, Io. Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem ab hoc Pontifice Cardinalem creatum, decollari publicè iuſſerat, anathematis fulmine perculit, Regijſque titulis priuatum, in ordinem redegit. Anno* 1535. *iterumque Anno* 1538. *poſt fruſtra expectatam toto triennio reſipiſcentiam. Mox Carolo V. ad Tunetanam expeditionem incitato* XIII. *Triremes, Virginio Vrſino ductore, miſit cum facultate in bellicos vſus conuertendi decimas Sacerdotiorum totius Hiſpaniæ, nec vllis legationibus, aut itineribus proprijs Niceam vſque pepercit, quo Carolum V. & Franciſcum Gallorum Regem à priuatis hoſtilitatibus aucrteret, eorumq; arma contra Turcas conuerteret: Nouennes tamen inducias ab ipſis obtinuit. Lucæ deinde eidem Cæſari obuiam factus, eum adduxit ad emendanda, quæ in Comitijs Ratiſponenſibus, Caroli ipſius permiſſu malè contra regulas Patrum acta fuerant. Et de Concilio Oecumenico indicendo, conuocandoque ibidem cum Carolo tranſegit; Quod licet indictum in Annum MDXLII. poſtea tamen pace ſecuta inter Cæſarem, & Regem Gallum, poſt pugnam ad Ceraſulam, iterum reſumptum conuocatumque Tridentum eſt anno MDXLV. & poſt Seſsionem Octauam translatum Bononiam à PAVLO.*

Apud Rhodígia l. 8. c. 1. in Traiano.

PAVLO. Sed non est huius loci Pontificis huius immensa præconia intra huius paginæ angustias coarctare.

Ne tamen ingrati, aut immemores videamur reticendo quantum FARNESIANAE Domui minima nostra Societas IESV, & per eam Ecclesia Catholica debeat, ipseque nouus in Orientę Orbis recolendum est, S. FRANCISCVM XAVERIVM à S. IGNATIO LOYOLA electum Anno MDXL. à Paulo III. Nuncij Apostolici auctoritate munitum, cum Lusitani Regis Legato in Indiam Orientalem missum esse sub ipsum 16. Martij diem, eodemq; Anno die SS. Martyribus Cosmo, ac Damiano Sacra, oblatam sibi à S. IGNATIO Instituti nostri formam eundem PAVLVM III. approbasse cum restrictione ad sexaginta Sociorum numerum, præmisso illo insigni Oraculo DIGITVS DEI EST HIC. Anno autem MDXLIII. pridie idus Martij, sine restrictione numeri, eandem Soc. confirmauit cum facultate condendi Constitutiones. Deinde tribus alijs Bullis, seu Breuibus Annis MDXLV. NDXLVI. & MDXLIX. eam plurimis, & ampliſsimis Priuilegijs locupletauit pro sua erga Institutum nostrum benignitate, & præconcepta existimatione, cuius manifestisima quoque signa fuere, quando non semel ad mensam suam disputantes de maximis Theologiæ controuersijs aliquos, ex decem primis patribus audire voluit, & ad Concilium Tridentinum pro Theologis Pontificijs delectos ex hac Societate misit Iacobum Lainium, & Alphonsum Salmeronem. Itaque quidquid boni in Ecclesia Dei ab hac Societate per omnes Mundi regiones deriuatum est, post IESVM (cuius nomini gloria non nobis est danda) ex FARNESIANAE per PAVLVM III. Munificentiæ fontibus emanauit; impleuitq; Romæ Dominus ipse IESVS, quod S. Ignatio nostro ad Vrbem accedenti Anno 1538. pollicitus erat dicens: Ego vobis Romæ propitius ero. Quod multis alijs in rebus confirmatum est: Sed potissimum ex Domo Professa, quam ALEXANDER FARNESIVS Cardinalis eiusdem PAVLI nepos, & ex pulcherrimo Templo, quod ODOARDVS FARNESIVS, item Cardinalis nobis à fundamentis in eadem Vrbe, Regia magnificentia suis sumptibus tanquam suæ religionis in Deum, suique in Religionem nostram amoris perenne monumentum erexerunt.

OCTAVIVS porrò Magni Aui Pauli III. Magnus Nepos, inter æui sui Principes clarissimus fuit, siue in bellis fortitudinem spectes, siue in pace artem prudentissimè regnandi, cum tanta comitate, vt priuatum quenque tanquam priuatus resalutaret, tantaque affabilitate, vt paupertum causas, nedum aliorum, facillimè admitteret, tanta denique liberalitate, ac beneficentia, vt vota se adeuntium præueniret non rarò. Eius maturum in immatura, & duodenni ætate iudicium agnoscens PAVLVS in locum Franciſci Mariæ Feltrij Anno MDXXVII. illum Vrbis Præfectum, & Camertum, vulgo Camerini Ducem iure beneficiario creauit. Carolus autem V. Imperator tanti OCTAVIVM, & Farnesianam affinitatem fecit, vt quod in colloquio ad Nicæam Prouintiæ PAVLO III. pollicitus fuerat, in collocanda MARGARITA sua Primogenita, post Alexandrum Mediceum eius primum maritum, à Laurentio fratre necatum; multis alijs principibus, ipsiq; Cosmo prætulerit OCTAVIVM annos natum 13. qua vxore merito se obstrictum Cæsari agnouit. MARGARITA enim Anno MDXXII. nata, & liberalibus artibus educata; virilibus tum fortitudinis in venationibus, tum prudentiæ insubsecutis gubernationibus, tum præcipuè pietatis apparuit, ex quo electo ad Sacras Confessiones S. IGNATIO Loyola singularem erga Sacratiſs. Eucharistiam Religionem, Austriaca prole dignam sic hausit, vt quotannis in Cœna Domini duodennis puellis pauperibus pedes ablueret, epulas sua manu vestes, aurumque porrigeret: in Festo autem CORPORIS CHRISTI multas Virgines egentiores, dote adiuncta honestè collocaret. OCTAVIVS autem Anno MDXLI. prima militiæ rudimenta sub Carolo V. Socero posuit, quando illum cum Margarita PAVLVS Pontifex Lucæ obuiam factus, Cæsari traiecturo in Algerianam expeditionem, tanquam contubernalem tradidit, neque verò Gener ab armati Soceri latere vnquam discesſit. Ille verò Annus nempe MDXLV. felicisimus, ac fauſtiſsimus isti Domui fuit, quo prima Tridentinæ Synodi Sessio celebrata fuit, & MARGARITA enixa est gemellam, & masculam prolem ALEXANDRVM, & CAROLVM, & OCTAVIVS Parmæ, ac Placentiæ Ducatu supra Camerinensem auctus est: Licet autem ob tam insignem partum tota Roma lætitijs, ludisque ad multas hebdomadas incesserit, OCTAVIVS tamen, qua erat moderatione animi, & erga Deum Religione, non prius gratulantium admisit officia, quàm properans ad Diui Marcelli Templum, & prouolutus ad pedes Imaginis Saluatoris ex Cruce pendentis, grates persoluerit, seque suosq; liberos ipsi seruandos obtulerit. Sequenti Anno Philippus Hassiæ Lantgrauius, & Io. Fridericus Dux Saxonum in Cæsarem Deumque rebelles, & Lutheriana peste infecti, vnà cum alijs liberis Ciuitatibus Smalcaldicum fœdus, in oppido scilicet Smalcaldo Saxoniæ percussum, sub specioso Euangelicorum, ac Protestantium nomine pro libertate Germaniæ vsque adeo promouerunt, vt eorum exercitus octoginta millibus peditum, vt duodeuiginti

ginti millibus equitum constaret. Caroli autem V. copiæ triginta quinque mille pedites, & quindecim mille non excedebant equites. Sed missis à PAVLO III. *tribus Italicorum lectissimis legionibus, milleque galeatis equitibus Duce OCTAVIO, vnà cum eius fratre Cardinali Legato, confirmatus Cæsar, bellum conuertit in hostes, demumq; post octo menses totam, quæ intra Danubium, Albin, & Rhenum continetur, Germaniam subegit, vtroq; duce rebellium capto; Quoniam verò Cæsar Italicis legionibus Ductorique OCTAVIO magnam eius victoriæ partem acceptam retulit, eum magno amoris incremento, & aurei Velleris ornamento complexus est. Eadem fortitudine postea Parmam Anno MDLI. toto anno à Pontificio, & Cæsareo exercitu obsessam propugnauit, & restitutione Placentiæ accepta, pro Philippo* II. *Regę Hispaniæ in bello Italico contra Herculem* II. *Estensem, Gallicarum copiarum præfectum, non semel rem Hispanam promouit. Nec minori virtute Anno MDLVII. in Belgio pro eodem Philippo ibi commorante, supremis contra Gallos prælijs, tanquam honorarius interfuit. Ad eum tunc Margarita misit Alexandrum filium duodennem, quem OCTAVIVS Philippo tanquam pignus vnicum fidei, ac fiduciæ tradidit educandum, cum spe arcis quoque Placentiæ restituendæ: Ipsamque MARGARITAM. Anno MDLIX. consensu, & consilio mariti delectam, ad Belgij Gubernationem ipsemet deduxit. Sexennio nondum elapso Philippus Rex ALEXANDRO Parmensi Principi Anno MDLXV. coniungem procurauit, obtinuitq; MARIAM Lusitanam Eduardi Regis filiam literatissimam pariter, ac pijssimam virginem, quas ob dotes mirum in modum lætatus OCTAVIVS, felicitatis in filio suæ cumulum agnouit, donec Margaritæ ex Belgio redeunti occurrit Anno MDLXVIII. Quid verò in Societatem nostram contulerit non abs re fuerit hoc loco commemorare. Alexandro Cardinali Farnesio sæpius agenti de constituendo Parmæ Collegio nostrorum OCTAVIVS Dux eius frater diu obstitit, falsis rumoribus de huius Societatis hominibus præoccupatus. Sed Anno MDLXIV. Iubertus de Sancto Vitali Comes Salæ Duci huic charissimus, ægrotansque absque spe viuendi, Ioannem Gurream Mutinensis Collegij Rectorem accersiuit Parmam. Ille statim adfuit, adstititq; diu noctuq; moribundo tanta charitate, vt Comes magnam Summam argenti per Codicillum legarit Collegio Mutinensi. Quo cognito Gurrea ægrè, sed tandem persuasit Comiti, ne quidquam legaret Societati, ne huius Legati auctor haberetur Confessarius. Comes Duci nunciari iubet, manifestandum esse nescio quid, antequam moreretur. Accurrit Dux eumque Comes sic allocutus est*, Sinceritatem meam Excellentia tua optimè nouit, & ego in eo sum articulo, vt mentiri Deo, Tibique perhorrescam. De Societate Iesu, quæ vel maleuoli, vel imperiti iactant, præsertim de auiditate opum, & de insinuatione in testamenta, ego falsa esse noram; sed recenti facto certissimus euasi. *Narrauitque illi Gurreæ modestam, sed obstinatam recusationem Legati tum alijs in laudem Societatis nostræ adiunctis, rogauit, vt Collegium illi Parmæ fundaret, aut fundandum procuraret. Dux illicò Gurream in secretum cubiculum accersitum, detecto capite veniam precatus, quòd hactenus Societatis Collegio Parmæ statuendo restitisset, agnoscere inquit se dignum repulsa, qui tamdiu repulisset illam; sperare tamen P. Lainium Præpositum Generalem, habita ratione boni animarum, & Gloriæ Dei, acceptaturum Parmæ Collegium. Quam spem confirmauit Gurrea, & Dux statim præparauit necessaria ad habitationem, & victum, facileque obtinuit à Sodalitate fratrum Societatis Iesu, olim à PP. Fabro, & Lainio instituta, vt Oratorium S. Rochi concederent, pro fundando Collegio, cuius primus Rector fuit idem Io. Gurrera.*

ALEXANDER Farnesius, ex OCTAVIO, & MARGARITA Caroli V. primogenita primogenitus Gemellorum Romæ natus Anno MDXLV. quantus futurus esset militum Imperator, præuidit ingens eius Proauus PAVLVS III. *quando infantis huius capiti manum superponens pronunciauit:* Hic magnus exercituum ductor euadet: *Et ipsemet ALEXANDER, agnouit se à Deo, & à natura factum ad excellentissimum bellicæ virtutis, & gloriæ gradum conoscendendum. Siquidem in Belgio dum anno MDLXXVIII. ageretur de Inducijs inter Io. Austriacum, & Ordines fœderatos; improbauit ipse tales inducias scripsitq; ad OCTAVIVM Patrem inter alias rationes hanc.* Id esset in horum hominum manus, tanquam in vincula conijci me vitamque mihi præscribi otiosam, desidem, ingloriam, genio certè meo infelicissimam, quippe qui ad immortalitatem nominis, armorum gloria comparandam, me trahi naturæ vi sentiam, in eorumq; tractatione perficiendum me supra communem modum, Diuina ope confidam. *Reipsa enim non solum excesit communem modum, sed maximos quosque, ac celeberrimos Bellorum Duces, & Imperatores, aut æquauit, aut plurimos superauit, si omnes prærogatiuas simul complectamur animo, quas in eum Diuina liberalitas contulit. In vno enim hoc ALEXANDRO rediuiua eluxit Alexandri Magni fortuna, sed sobria, iræque potens; & intrepidum Camilli Romani pectus; & audax Curtij generositas, & Scipionum fulmineus in prælijs ardor, & Demetrij Polyorcetis in machinis bellicis industria, & in secundis militi-*

bus, incruentisq; victoriis Fabij Cunctatorij prudentia, & in militaris disciplinæ rigore Torquati, sed inculpata seueritas, & in victoriis Iulij Cæsaris felix celeritas, sed longè maior iustitia in causa belli, quippe qui non solùm contra rebelles in Philippum Regem Auunculum suum militauit, sed etiam, & potissimùm contra Diuinæ Maiestatis Perduelles, Religionisq; Catholicæ ex Lutheri, & Caluini hausto veneno infensissimos hostes; qua de causa tantam in Deum, Deique Matrem fiduciam conceperat, vt plerunque certus victoriæ, aut præliando congrederetur cum hostibus, aut obsidendo, vel oppugnando Ciuitates, & Arces aggrederetur, & inimicos Dei debellando Iosuem, Dauidem, Iudamque Machabæum in se vno repræsentaret. In Confesso est apud Historicos æui superioris, Belgium sub ALEXANDRO Parmensi cuasisse omnium celeberrimam Martis scholam, ad quam vndique ex Europa concursus fiebat procerum, quot quot bellicæ gloriæ stimulus vrgebat: neque inde descendebant, quin ALEXANDRI Farnesij genuinam imaginem aureo, vel argenteo mumismate insculptam, & torque de collo pendentem gestantes, animo quoque imaginem fortissimi Herois, & Magisterij militaris documenta seruarent. Desiperem profectò, si Dedicatoriæ huius breuitate tanquam modulo pedis, Herculis huius staturam, seu ALEXANDRI huius (qui mihi & plurimis Macedone Alexandro Magno maior fuit) magnitudinem, quantumuis arcto compendio conarer adstruere. Sufficit ad eius Fortitudinem, Prudentiam, ac Pietatem perpauca indicare, vt inde de alijs, quæ apud Historicos innumerabilia extant, coniectura qualiscunque percipi possit.

Anno MDLVII. Missus est ALEXANDER à Margarita Matre ad OCTAVIVM in Belgio cum Philippo II. Rege Hisp. commorantem, vt eidem Regi pignoris instar charissimi educandus traderetur annum duodecimum ingressus. Inde ductus in Hispaniam, Matriti, & Compluti per annos fermè octo cum Carolo Principe, & Ioanne Austriaco, in equestribus, & gladiatorijs prolusionibus, cum grauitate morum, & liberalitate in alios præcellebat. Annos natus 20. procurante Philippo Rege, duxit MARIAM Eduardi Regis Lusitaniæ filiam virginem litteratissimam, & pijssimam, celebratæque sunt Bruxellis nuptiæ præsente OCTAVIO Anno MDLXV. Inde Parmam digressus, genuit inter alios ex MARIA Margaritam, Ranutium postea Ducem, & Odoardum postea Cardinalem; sæpissimèque exercuit se ad arma ludis equestribus, & gladiatoriæ artis peritissimos quosque, etiam per noctem incognitus prouocans. Sexennio post indicto opera Pij V. bello Sacro contra Turcas, cum numerosissima Parmæ, & Placentiæ Nobilium cohorte alijsque Prætorianis militibus adiuit Ioannem Austriacum, obtulitque se illi voluntarium militem: exortamque intereum, & Venerium Venetæ classis præfectum discordiam, de suprema Classis Catholicæ præfectura; prudentia, & auctoritate apud Auunculum sedauit, qua de causa Pius V. testatus, est postea, se & Christianam Rempublicam ipsi plurimum debere. Præfectus mox ALEXANDER tribus Genuensium triremibus, ex prætoria in Mustaphæ Quæstoriam triremem, arrepto prælongo gladio transiliens, vtraque manu rotans vibratilem ensem, tanta strage Turcarum viam suis aperuit, vt Mustapha vulnerato, Scanderiæque præfecto capto, duabus triremibus, & binis nauibus cum magna præda, & Turcicæ monetæ captu potitus sit: monitusq; ab Austriaco de periculo, in quod temerè propemodum se coniecisset, respondit, se fiducia in Deum, & Sanctitate coniugis satis munitum, ideoque securum id periculi aggressum esse. Anno porrò MDLXXVII. die 11. Septembris, obijt Sanctissimè MARIA eius coniux: & tunc Philippus Rex ALEXANDRVM, ad expeditionem Belgicam inuitauit, asserenteque Gregorio XIII. Expeditionem eam Deo cordi futuram *paruit vtrique, dieque 12. postquam Parma discesserat, adfuit Austriaco Lucenburgi, à quo iussu Regis declaratus particeps omnium belli pacisque negotiorum, oblatum in singulos menses millenum aureorum censum recusauit, nondum se emeritum dicens; meriturus tamen quamprimum hæc, & maiora: Anno quippe sequenti nempe MDLXXVIII. die 20. Ianuarij fœderatorum ordinum exercitum prope Gemblacum 18. millibus bellatorum constantem eminus conspicatus, eorumque, ex intricatis ac vacillantibus hastis, confusionem agnoscens, armigero propiori dixit:* Curre ad Ioannem Austriacum Ducem; refer, Alexandrum veteris Romani memorem, se in fossam immittere, ne opportunitatem amittat reportandi de hoste certam Dei ope, & Austriacis auspicijs, magnamq; victoriam. *Illico equum conscendens, arreptaq; laneea totus vultu, & oculis Martem spirans, inuitansq; vicinos proceres, insiluit, inlutulentam, quæ interiacebat, fossam, tantoque impetu cum 600. equitibus primum, ac deinde cum alijs 1200. ab Austriaco submissis, latus hostilis exercitus inuasit, vt sesquihoræ spatio, totus prostigatus sit, cæsis captisue octomillibus, reliquisque fugatis Gemblacum, quod mox obsessum deditumque. Hanc nihilominus victoriam ipsemet in litteris ad Regem, & Octauium patrem tribuit Io. Austriaco, qui tamen suppetias tantummodo contulerat: ab eodem verò iterum monitus, ne imposterum talibus se periculis tanquam priuatus miles exponeret, sed Ducis potius partes gereret, respondit.* Et quonammodo Ducem me Regi nostro præstare potero,

nisi

nisi prius egregium me militem probem ? *Quo audito illum Austriacus complexus est, & reliqua exercitus capita conclamarunt* : Viuat ALEXANDER, Viuat Parmensis Princeps. *Gemblacensi deditioni succesere ALEXANDRI ope, ac virtute intra tres ferè menses multarum arcium deditiones præcipuè Sichemij, Diestemij, Leuiæ, Niuellæ, & Philippopolis : & die 16. Iunij Limburgi alioquin munitissimi deditio, ad quam intra vnius horæ spatium deliberando, sed minaciter concessum, solo terrore, ac nominis fama Limburgenses adegit ; ob idque gratulationes hinc recipiens ab Episcopo Leodiensi, Duceq; Iuliacensi, quibus Limburgum infestum erat ; hinc demum à Rege Hispano accipiens duodennum millium aureorum censum. Quando autem fortitudini frena potius, quàm calcaria censuit adhibenda, maluit cautior haberi, quàm promptus ad dimicandum: sic eodem anno censuit non præliandum cum triplici hostium exercitu ad Nouiomagum congregato, ob nimiam disparitatem numeri militum, & situm dolis, ac insidijs hostium accommodatum. Nihilominus præualentibus aliorum suffragijs, ne cautela timiditati adscriberetur, poposcit sibi primum locum in fronte peditum: at quando simulata fuga hostes, ex syluis erupere in Austriacos, patuit quanti præualere debuerat ALEXANDRI consilium, & ipse summa dexteritate retracto seruatoq; milite, non minorem laudem meruit, quàm alias hoste deuicto.*

Labebatur Annus MDLXXVIII. quando Ioannes Austriacus die 21. Septembris desperata corporis salute, ius omne pacis, ac belli in ALEXANDRVM Parmensem Principem transtulit, & Kalendis Octobris ex hac vita migrauit. Illico Parmensis acceptandum censuit generalis in Belgio, & Burgundia præfecturæ munus, ne Regis confirmatorias expectando, interim Religio, & Regis causa detrimentum aliquod caperet: quas non nisi die 29. Nouembris accepit, quando scilicet de 17. Prouincijs Belgicis vix tres Regi parebant Hispano, & exercitus Catholicus ibi vix pedites 24000. equitesque 7000. numerabat. Fœderatorum autem Ordinum Copiæ peditum 42000. equitum 17. Qua imparitate, ac fissorum paucitate non obstante, Anno sequenti, post captum Burgerhoutum, Valloneſq; ad obedientiam Regis adactos, Traiectum obsidere cœpit, ligone ipsemet fossor, & fascium comportator alijs exemplo præluens, potiùs quàm verbis, tandemque quarto ab obsidio mense Traiectum expugnauit ; in quo post triduanam depopulationem præda militum ad decies centena millia aureorum ascendit ; ipse autem victor, vbi ab ægritudine conualuit, Triumphantis more Traiectum ingressus est die 21. Iulij : & hæc expugnatio peperit Regi Buscoduci, & Machliniæ deditionem. Multa alia reliqua, & sequenti anno Regi proficua per ALEXANDRVM gesta pertransco, & ex Anno MDLXXXI. Seligo Tornaci deditionem, ad quam Tornacenses compulit ; triumphanti enim ingressoq; vrbem die S. Andreæ festo non solum à Farnesianis, sed etiam à Tornacensibus acclamatum est : Serenissimo Principi Vitam, & Victoriam ; *& ab alijs* Fortissimo Imperatori Vitam, & Victoriam. *Aldenardæ verò obsidio cœpta Kalendis Maij Anni 1582. duplici euentu inclytum reddidit ALEXANDRVM, Germanæ enim legioni in seditionem versæ, ipse solus eorum hastis immistus, eorumque vexillifero arrepto, minatus decimationem, reliquos omnes compescuit*, meruitq; timeri nil metuens, *vt de Iulio Cæsare canit Poeta. Imò Alphonsus Vasquez scripsit, Nullum ex omni retro antiquitate facilè dari, qui militarem seditionem, audaciori aggressione, maiorique sui periculo compresserit. Paulo post inter prandendum cum primoribus exercitus sub Aldenardæ munitionibus, cum bombardæ globus ex hostili muro explosus quosdam commensalium necasset, rogatus ALEXANDER vt inde statim abscederet, negauit velle se Aldenartibus hanc gloriæ ansam concedere, iussitque amoueri lintea sanguine aspersa, & super tympana, alia extendi nouasq; inferri epulas, intrepidè prandium continuans. Capta est Aldenarda quinta Iulij, vnde Lanua scripsit ad Orangium :* Quoniam Princeps Parmensis in potestatem redegit Aldenardam, ad quascunque arces ille admouerit exercitum, portas illicò pandendas &c. neque enim munitionem vllam virtuti fortunæque Alexandri inexpugnabilem forc, post expugnatam tam celeriter Aldenardam. *Nec fefellit Lanuam multiplex euentus; si quidem anno 1583. Dunquerca ab ALEXANDRO, die 10. Iulij obsessa, dedita est die 16. & Neoportum 23. Iulij, & paucis diebus in Flandria, Rupelmunda, Axella, Vlstium, Midelburgum, Alostum, & Anno 1584. ad deditionem compulit Ipras, Brugas, Teneramundam, soloque terrore nominis Gandauum. Quodque mirabilius est, dum totus Antuerpiæ obsidendæ incumberet Anno 1585. Bruxellas tamen Neomagum, & Mechliniam interim ad deditionem coegit, mensibus Iunio, & Iulio; iamque 21. Iunij Placentia restituta fuerat Parmensi, reuocato illinc præsidio Hispano.*

Antuerpiensis autem obsidio, & ad deditionem compulsio, supra omnes memorabilis ALEXANDRVM Macedoni Magno Tyrum expugnanti æqualem, sed Iulio Cæsari Rheuum æstiuo tempore ponte domanti superiorem reddidit: Pons enim supra Scaldim fluuium Oceano immixtum pedes 2400. longus, tam ingeniosa nauium colligatarum structura iniectus, & 24. Februarij

absolutus est eodem Anno 1585. vt hostes ipsi confessi sint: supra humanam fidem fuisse, amnem huiusmodi mortalium manu intercludi potuisse. Ipsemet ALEXANDER in DEVM O. M. retulit acceptam tum mentem pontis huius construendi, tum felicitatem operis: quandoquidem nusquam Vulcanus Neptuno iunctus incendiarijs ingentium nauium molibus, vllam Ciuitatem, vel arcem propugnarunt, sicut Antuerpiam, ad infrigendum deturbandumq; pontem; tanta constantia tamen à Parmensi defensum, refectumq; vt exploratoribus ipsis ad illum contemplandum admissis contestatus sit, aut sibi Antuerpiæ captæ triumphandum, aut se sub illo ponte tumulandum: Itaque die 17. Augusti dedita est ALEXANDRO Antuerpia centenis millibus ciuium numerosa, & die 27. triumphali pompa illam ingressus est: Antea tamen inter legatos pro deditione Philippus Marnixius Aldegundius Antuerpiæ Consul, prolixa panegyri Parmensem allocutus inter alia dixerat. Quod fieri potuisse solùm credidimus, quia factum esse conspeximus, cum flumine Maris auxilium trahente congressus es, atque aduersùs æstuantis Oceani furias, aduersùs glacies, & certamina classium Scaldim, aut verius Marsub pontem misisti. At nos pontem non sine tuorum clade perfregimus: Tu à clade animosior, molem extemplo reposuisti; Nos Scaldim in campos auertimus, & nauigationem alibi quæsiuimus: Tu hic quoq; Scaldim insecutus, nouo illum ponte secuisti, & transuersarium aggerem nauigaturis obiectasti. Nos aggerem inuasimus, perfodimus, viamq; nauibus aperuimus: Tu victoribus pulsis, fissa occlusisti, spem nostris nauibus intercluisisti. Quid vsquam machinarum est, quod non admouimus? quas vires classium, quæ miracula ignium, quas natantium moles arcium non exprompsimus? Quantum ab ingenio, quantum ab arte peti possit, cælum, mare, ac tantum non tartara in societatem, auxiliumq; conuocauimus. Et his tamen omnibus, non modò à mœnibus nostris Te non abstraximus, non absterruimus; sed etiam in aliarum clades vrbium circumferentem arma, & victorias, irritauimus. Rem perfecisti Princeps, qua veterum, recentiumq; temporum annales, maiorem vtique non habent. Tu, dum, Antuerpiam toto belli conatu obsides, ceu nostri securus, simul in Flandria Teneramundam expugnas, & Gandauum fame subigis, simul in Geldria nobis Neomagum eripis, simul in Brabantia Bruxellas, & Mechliniam ad deditionem cogis: sicq; ad tres simul prouincias, dum vni insistis Vrbi, victorias ex victorijs tibi nascentes extendis: Adeo committi vno cum hoste, magnitudini mentis tuæ parum est &c. Gloriam deuictæ Antuerpiæ, superi, & virtus Tua Tibi dedere ALEXANDER: & nobis aliquid gloriæ posteri dabunt; quod à te non citò victi sumus. *Hæc Aldegundius. Tum demum torquem aurei velleris à Philippo Rege missum in triumpho adhibuit, & postea à Sixto V. accepit Galerum, & Gladium gemmis ornatos consecratosque. Pons Scaldis conuiuio proceribus exhibito quasi gloria ebrius, & suprema felicitate satur, triduo post destructus est, donata materia architectis Baroccio, & Plato. Sed in memoria posterorum, ac monumentis remansit, velut arcus triumphalis quo ad immortalem gloriam conscendit ALEXANDER, manebitque perpetuò in Templo Aeternitatis. Proinde non est opus reliqua huius Herois gesta commemorare, puta Slusam Anno 1587. captam 9. Augusti, de qua Henricus Rex Galliæ super mensa diserens affirmarat, Non dubitare se, quin si Sluſa ab ALEXANDRO Farnesio oppugnaretur, expugnaretur; Nec partem Classis contra Angliam paratæ Anno 1588. cautè seruatam; Nec Lutetiam ab Henrico IV. die 12. Maij Anno 1590. arctè obsessam, sed ab Alexandro die 22. Augusti solutam, illato Parisiensibus commeatu, & Henricum persequentem spe prælij elusum incolumemque exercitum reductum in Belgium; Non denique eundem Henricum anno 1591. auxilijs Angliæ, & Germaniæ obsidentem Rotomagum infeliciter, vtpote superuentu ALEXANDRI, exturbatum. Nec mirum si Henricus admonitus de Humenæ Duce, nescio quid molienti, dixerit Nil timendum sibi ab eo viro, qui se pinguior esset, & vna plus hora somno indulgeret; metuendum potius Parmensem Ducem, qui se gracilior esset, & vna minus hora dormiret. Quin potius noctium partem non exiguam vigilabat, quando in Chartis Belgij Geographicis, quas ego Parmæ vidi, compendia itinerum, & opportunitates locorum studiosè discebat.*

FORTEM, PRVDENTEMQ; ALEXANDRVM agnouistis, ni fallor, Nobilissimi Adolescentes; agnoscite nunc eundem PIVM, vtpote à Matre pijssima pietatis Austriacæ lacte nutritum, & coniugis pientissimæ exemplis roboratum: Summa illi in Deum, pro cuius religione contra Turcas, & Hæreticos militauit, fiducia, & ante prælia vel obsidiones adorati prius Numinis inuocatio: post victorias autem, ac triumphos publica, & præsentanea gratiarum actio in Basilicis tum DEO, tum DEIPARAE, cuius fuit studiosimus cultor: potissimùm autem Antuerpiæ deditæ cum in Basilica Virginis Beatiss. iussu ipsius vidisset restitutam suo loco Imaginem Dei Genitricis, ipso triumphali die palam gaudium suum testatus est hisce verbis; Quod eius instinctu suscepta, eius ductu absoluta feliciter expeditione, Dominam

suam

suam in sedem ex qua sacrilegè deiecta pridem fuerat, pijs ac fortibus armis Catholici Regis, aliquando restitutam videret, atque adoraret. *In ingressu locorum expugnatorum inter primarias curas fuit consulere fœminarum pudori, & Sacris Virginum Gynæceis. Nouesio autem expugnato, Gubernatoris vxorem, & sororem speciosissimas ad ipsum adductas, ne aspicere quidem voluit, ratus Christianum Principem non minus decere modestiam, & castimoniam, quàm decuisset olim Alexandros Macedones, ac Scipiones, & hanc esse maximam victoriam, seipsum in hoc pugnæ genere vincere. Traiecto expugnato iusserat Rex Philippus Arcem vrbi imponi; at ALEXANDER, eius loco Collegium Societatis Iesu fundandum duxit, vt Patrum nostrorum opera Traiectenses melius, ac stabilius, quàm quauis arce in vera Religione, ac Regis fide continerentur: In quem pariter finem, delecto in sui Confessarium ex eadem Societate Thoma Saillio, communicatoque cum eo consilio Missiones castrenses instituit, in quibus multi Societatis Nostræ operarij, milites in vera fide, & moribus instruerent, Sacramenta ministrarent, discordes conciliarent, moribundis adessent. Ipse verò si quando æger decumbebat, statim accito confessario, animum expiabat, ac cælesti pane se muniebat. Tandem post auxilium Rotomagensibus allatum, ex vulnere ictu sclopi accepto, & inde sanguinis effluuio in hydropem lapsus, Anno MDXCN. Atrebati in Cœnobio S. Vedasti grandis illa anima ad CHRISTVM abijt, cum ipso, vt par est credere æternum triumphatura in cœlis, quæ tam piè pro Regum Rege militando, toties triumpharat in Terris.*

RANVTIVS, *Alexandri prædicti, & Mariæ Lusitanæ filius à parente ipso in equestri arte instructus, & si bellandi occasio non defuisset dignissimus hac quoq; in parte tanti Patris futurus imitator; ita se ad pacem, iustitiamque tuendam contulit; vt totus oculus, totus auris, imò totus cor, & totus mens, quid rerum in Europæ aulis tractaretur inuestigaret, eo fine, vt non sui tantum Ducatus securitati, sed aliorum quoque commodo inuigilaret monitisque saluberrimis, opportunisque consilijs amicos Principes adiuuaret: Certarunt in eo industria in opibus amplificandis, & liberalitas in illis impendendis. Vias publicas præcipuè Aemiliam intra suam ditionem lapidibus strauit Arcem Parmensem à fundamentis extruxit, & regia munificentia Clementem VIII. Ferrariæ Anno 1598. diuersantem sibi demeruit conciliauitque. Tanta verò fuit in eo comitas, quamuis ad grauitatem maiestatemque composito, vt priuatis quoque viris illum reuerentibus, identidem detecto capite salutis vicem redderet, Ad Lauretanam Virginis Aedem non semel pedes peregrinatus est, amplissimis muneribus suæ monumenta pietatis ibi relinquens; & postrema vice in reditu, vidi egomet illum in templo Regensi coràm Sacratissima Deiparæ imagine humi prostratum cum lacrymis diu precantem. Denique hic est ille RANVTIVS, qui & Vobis Collegium istud Nobilium fundauit, & Nobis Vniuersitatem istam Collegiumque S. Rochi annuis redditibus, effusa liberalitate, dotauit: Vt nobile problema sit vtri tanto Duci plus debeamus: Profectò prudentissimus ille Dux Societatis nostræ homines, impensè amauit, æstimauit, sustentauitq; Parmæ, ac Placentiæ, agnouitque se redamari ex corde, obsequioque non ficto coli, quando Congregationis Prouincialis occasione in Parmensi Collegio vna cum Eminentiss. Cardinali ODOARDO fratre conuiuio, & eruditis apparatibus, atq; encomijs exceptus, confessus est, Nullam in vita sua diem iucundiorem expertum esse, qua, inquit, inter meos Patres agnosco quanta synceritate suum erga me meamq; Domum affectum demonstrariut.*

ODOARDVS *Dux Anno MDCXII. 28. Aprilis natus, & in humanioribus, ac ciuilibus litteris educatus, tantam indolem ad virtutem præse tulit, eamque sic excoluit, vt quandiu vixit, vitiorum osor scelerum vindex, & recti honestique assertor eximius fuerit. Sollicitatus à Nobili aulæ viro ad venereæ voluptatis, ex nescioqua non ignobili fœmina specimen capiendum; verecundia simul, & iracundia erubescens, illum asperrimè increpuit, affirmans; sibi certum fixumque esse, virginitatem suam illibatam ad primam suam Sponsam asserre; nec ita multo post illam facem libidinum ab aula eiectam, priuauit munere quo fungebatur. Erga prudentissimam sui parentem, defuncto RANVTIO Patre semper obsequentissimum se præstitit. Porrò sicut in alijs, & pro alijs iustitiam incolumem, & vnicuique ius suum illæsum restitutumue volebat: ita sui iuris tenax, suarumq; ditionum, ac priuilegiorum, vt putabat conseruator, aut recuperator esse totis viribus conatus est, nec se vel tantillum in existimatione, aut principatus portione lædi quantum in ipso fuit, passus est. Itaque preferuida, & generosa eius magnanimitas, contra potentiores se principes illum armauit: sed ordinatè adeo & tanta cum exercitus disciplina, per eorum ditionem copias suas perduxit, vt visus sit ille transitus amicorum potiùs, quam hostium, eademq; moderatione oblatas sibi Imolæ claues à Gubernatore, recusauit, contentus portas custodire, donec omnes ipsius milites ingrederentur hinc, illinc egrederentur, absq; vlla molestia ciuibus illata. Non enim contra Summum Pontificem, statumue Romanæ Ecclesiæ, cuius Vexillifer erat; sed contra alios à quibus se læsum reputabat,*

arma

arma circumferre profitebatur. Certè gemina illi occasio belli capescendi oblata, palam fecit, quantus maiori, ac meliori opportunitate armorum futurus fuerit ALEXANDRI Aui sui nobilis emulator: nisi eum præmutura mors die 10. Septembris Anno MDCXLVI. pace iam cum omnibus peracta, ad pacis æternæ requiem transtulisset.

RANVTIVS II. ODOARDI filius, natus Anno MDCXXX. Septembris die 17. Sacris D. Franciſci Stigmatibus inſigni, eruditusq; diſciplinis Chriſtiano Principe dignis; quia viuit adhuc, admirandus potiùs amanduſque eſt, quàm prolixiori elogio pangendus pingenduſue; ne dum viuens laudatur, inuitus lædatur, & qui virtutes cæteras in eo commendat, illarum cuſtodem offendat, nempe modeſtiam. Vtinam ergo diutiſsimè viuat differanturq; (ſi tamen differri poſſunt) tanti Principis encomia in illud vſque tempus, quo longiore fructu virtutum eius, nulla illarum violari ab encomiaſte poſsit. Tunc enim verò ſecurius ad cælum vſq; extolletur ipſius rara, & ſingularis caſtimonia, effuſa in merentes, aut indigos liberalitas; tranquilla benigni vultus maieſtas, ſyncera in ſubditos charitas, oculatiſsima pro bono publico prouidentia; religioſiſsima in DEVM pietas, eiuſq; Sanctiſsimam Genetricem, tripli ci iam peregrinatione, cum Sereniſsimis ſuis coniugibus ad Lauretanam Aedem celeberrima: Prudentia denique tanta quanta opus fuit in peſte à ſuæ ditionis finibus auertenda, & difficilimis temporibus inter diſcordias Regum Principumue, tanta dexteritate vtendo, vt ijs inoffenſis, inoffenſus, & ipſe, ſibi ſuiſque ſubditis otium honeſtum, omni negotio vtilius fruendum ſeruauerit. Nouerat enim FARNESIANVM Lilium ſobolem eſſe, aut ſpecimen ætheriæ Iridis, & niſi aliunde neceſitas, ad arma compellat, Arcum ſagittis vacuum, in ſignum pacis, ac fœderis eligendum palamq; erigendum eſſe.

Veſtrum iam eſt NOBILISSIMI Parmenſis iſtius Collegij CONVICTORES, ex Iride FARNESIANA, tricolorem Pietatis, Sapientiæ, *ac* Fortitudinis *ſpeciem ſtudioſa æmulatione in vobis exprimere; neque vnquam obliuiſci, quin etiam perpetuis ingenui gratique animi monumentis, coràm veſtris conſanguineis Ciuibus conteſtari, quanto Collegium iſtud à RANVTIO I. fundatum, RANVTIVS alter accitæ gloriæ æmulator, incremento celebrius, frequentiuſq; reddiderit, & quam ſingulari erga vnumquemquam veſtrum Benignitate, Munificentia, Protectione, Vigilantia, & Charitate, non tanquam alienigenas, ſed perinde ac ſuos proprios liberos, & chariſsima ſibi pignora, ſatagat, vt qui ex diuerſis Europæ locis iſtuc conuenitis NOBILES; ex iſto conuictu in patriam quiſque ſuam reuertamini*

NOBILISSIMI,

* * *

Facultas R. P. Ludouici Bomplani Soc. Iesu Visitatoris in Prouincia Veneta.

CVm Chronologiam Reformatam P. Ioannis Baptistæ Riccioli Societatis Nostræ Sacerdotis, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; Nos quoque habita facultate à R. P. N. Ioanne Paulo Oliua, Societatis IESV Præposito Generali concedimus, vt typis mandari possit, si ita iudicauerint illi ad quos pertinet. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, nostroq; Sigillo munitas dedimus. Bononiæ die 14. Aprilis 1667.

Ludouicus Bomplanus.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Reuerendissimi D. mei P. Inquisitoris, Vidi, degustaui, & permultum didici Ego Matthæus Griffonius S. P. I. V. Artium, & Philosophiæ Doctor, vbiq, Collegiatus, ac S. Inquisitionis Consultor, nec non in Patrio celebri Archigymnasio Professor Iuristarum de mane Primarius &c. ac proinde posse, imò debere imprimi censeo.

Pro Eminentiss. ac Reuerendiss. D. D. Hieronymo Card. Boncompagno Bononiæ Archiepiscopo, & Principe, Perlustraui, Ego infrascriptus Rector hunc primum Tomum Chronologiæ Reformatæ, simul & luculenter efformatæ, Sapientissimi Adm R. Patris Io. Baptistæ Ricciolij Soc. Iesu è Ciuitate quidem Ferrariensi, sed Adamantinis fermè elucubrationibus; Ingentibus æquè, ac ingeniosis industrijs: Quibus reconditas, siue antiquatas, vel antiquitate confusas temporum series, seriò ità reuocat ad recentem iucundissimam lucem, vt conspectu Solis perpetuo emeritæ nunc, eruditlone redundantes, vtilitate, & pietate prodeant.

D. Ioseph Cribellus Clericus Regul. Congreg. S. Pauli, & Rector Sacræ Pœnitentiariæ Bonon. Metropolitanæ.

Imprimatur

F. Ioannes Vincentius de Paulinis Mag. Inquisit. Gener. Bonon.

D
CA
I.
II.
III
IV
V.
VI
VII
VII
IX.
X.
XI.
XII
I
I
XII
K
XIV
XV
XV
XV
XV
XIX
XX
M
M
XX
M
XX

INDEX LIBRORVM CAPITVM,

Et Tabularum totius Operis.

LIBER PRIMVS.

De Mensibus, Annis, & Kalendarijs præcipuarum Nationum.

CAP.

I. De Horis Æqualibus, & Inæqualibus. pag. 1
II. De quatuor Diei, Noctisq; partibus. 1
III. De Horis Planetarijs, ac Feriarum Nominibus. 2
IV. De Quatuor Diei Cardinibus. 2
V. De Annorum Antiquissimorum quantitate. 3
VI. De Longæuitate Hominum post Diluuium Noeticum. 3
Appendix de Longæuis ab Anno 60. & vltra. 3. & 4
VII. De Annis Magnis. 8
VIII. De Vera quantitate Mensis Synodici, Annorumq; Lunaris, Solaris, ac Siderei. 8
IX. De diuersis Annorum Cyclis. 8
X. De Antiquo Hebræorum Anno. 10
XI. A quo Aequinoctio Hebræi Anni exordium iniuerint. 11
XII. De Initio Mensium Hebraicorum à prima Lunæ Phasi, & de Luna Paschali, ordineq; ac nomine Mensium apud eosdem. 13
De Neomenia Paschali. 13
De Ordine, & Nominibus Mensium Hebraicorum. 15
XIII. De Kalendario Hebraico ordinando ex Sacra Scriptura. 15
Kalendarium Hebraicum Antiquum, pagina 15. & 16
XIV. An Kalendarium Hebraicum Neotericum seruiat pro antiquis temporibus. 17
Appendix de fundamentis Kalendarij Iudaici recentioris. 18
Tabulæ X. pro vsu Kalendarij Hebraici à tempore Constantini Magni. 21
Et Canones XIII. 25
XV. De Sabbati nomine, ac diuersa eius significatione. 28
XVI. De Anno Sabbatico, & Iubilæo. 28
XVII. De Anno Aegyptiaco. 31
Menses Aegyptij, & Aethiopici. 33
XVIII. De Anno Persico. 33
Menses Persarum. 34
XIX. De Anno Græcorum. 34
Mensis Attici cum Iulianis comparati. pagina 39
XX. De Anno, & Mensibus Macedonum. pagina 40
Mensium Macedonicorum ordo Antiquus, & situs. 40
Menses in forma Anni Macedonici, tandem Solaris, & Fixi. 41
XXI. De Romanorum Anno antiquo à Romulo, & Numa constituto. 42
Menses Numæ, vel Tarquinij. 43
XXII. De Anno Iuliano. 44
CAP.
Menses Romani. 46
Triplex Canon Annorum Bissextilium. pagina 48
Kalendarium Romanum Contractum. pagina 49
Kalendarium Romanum, cum Festis, & Ludis Ethnicorum, alijsque notabilibus. 49
XXIII. De diuersarum Gentium Annis, & Mensibus, videlicet Aethiopum, Coptitarum, Syrorum, Armenorum, Gallorum, Celtarum, Danorum, Saxonum, Germanorum, Ruthenorum, Moscouitarum, Tartarorum, Sinensium, Iaponum, Indorum Orientalium, & Occidentalium, Mexici, Peruuij, Chilensisq; Regni. pagina 51
Alexandrini Menses recentiores; Aethiopum Abissinorum, & Elkupti Christianor. Initia Mensium in Iuliano Anno. 51
XXIV. De Anno Arabum, & Mahometanorum. 53
Tabulæ VI. pro Annis Arabum. 54
Vsus Tabularum, & Canones VIII. 58
XXV. De Anno Veteri Christianorum, eorumq; Paschate. 61
XXVI. De Cyclo, & Kalendario Alexandrino. 63
Vsus Kalendarij Alexandrini, & Canones VI. 67
XXVII. De Kalendario Romano Christianorum vetere, vsque ad Gregorianam Refotmationem, à plerisque vsitato. 69
Kalendarium Ecclesiasticum ab Anno 327. ad Annum Domini 1582. 69
Vsus Kalendarij Ecclesiastici Romani Antiqui. 71
XXVIII. De Kalendario Gregoriano. 71
Kalendarium Gregorianum, cum Tabula Paschali ab Anno 1. ad 1700. 73
XXIX. De Periodis, & Epochis ob commoditatem inuestigandi, quouis Anno proposito Solis, Lunæque Cyclos ad Nouilunia, Feriasque, & alios characteres Annorum inueniendos. pagina 79
XXX. In quo Tabulæ quædam vniuersales, & necessariæ, aut perutiles ad Characteres Chronologicos. 80
Post quas sequuntur Canones, seu Regulæ pro vsu Tabularum harum. 91

LIBER SECVNDVS.

De Connexione insigniorum Epocharum temporis, cum Epocha CHRISTI Vsitata,

Cum Tabulis pro Annis OLYMPIADVM, VRBIS, NABONASSARI, ALEXANDRI M. & IEZDAGIRDAE, cum Epocha CHRISTI, nectendis.

CAP.

I. Synopsis Epocharum. pag. 96
II. Index Canonum, & Tabularum. pagina 97
Canones pro vsu Tabularum, & conuersione Epocharum insigniorum in Epocham CHRISTI Vsitatam ante, vel post. 98
CANON.
I. Mundi Annos Eusebianos conuertere in Annos ante, vel post Epocham Christi, Eusebio autem adhæsit Martyrologium Romanum. 98
II. Mundi Annos iuxta Ecclesiam Constantinopolitanam conuertere in Annos ante, vel post Epocham Christi. Idemq; præstare de annis Mundi, ex nostra opinione. 98
III. Mundi Annos, iuxta Ecclesiam Alexandrinam conuertere in Annos ante, vel post Christum. 98
IV. Mundi Annos Iudaicos conuertere in Annos ante, vel post Epocham Christi. 98
V. Annos ante, vel post Troiæ excidium datos, conuertere in Annos ante Epocham Christi. 98
VI. Olympiadum Annos datos conuertere in Annos ante, aut post Epocham Christi. 99
VII. Vrbis Romæ Annis datis secundùm Varronem, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi. 99
VIII. Vrbis Annos Varronianos conuertere in Vrbis Annos Capitolinos, aut Dionysianos, idest suppositos à Dionysio Halicarnasseo. 99
IX. Annos ante Epocham Christi non excedentes Annum 735. & quotcunq; Annos Epochæ Christi conuertere in Annos Vrbis Varronianos. 99
X. Datis Annis Nabonassari inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, & diem Mensis in forma Iuliana, in quo incœpit ille Annus Nabonassari. pagina 99
XI. Dato Anno Nabonassari, eiusque Mense Aegyptio, ac die inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, & diem mensis Iuliani respondentem diei Mensis. 100

CANON.
XII. Dato Anno Periodi primæ, aut secundæ, aut tertiæ Calippi, inuenire Annum ante Epocham Christi, in quo à Neomenia Hecatombæonis, seu propiore Solstitio æstiuo, incœpit datus Annus Calippicus. 100
XIII. Dato Anno Philippico, seu ab obitu Alexandri Magni, & die Mensis Aegyptij, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, diemq; Mensis Iuliani congruentem. 100
XIV. Dato Anno Aeræ Seleucidarum Syro-Græcorum, seu Dhilkarnaim, & Aeræ Chaldaicæ inuenire Annum ante Epocham Christi, à cuius Idibus Octobris, vel circiter incœpit datus Annus Syro-Græcorũ, vel Chaldæorum. 100
XV. Datis Græcorum Annis in libris Machabæorum recensitis, inuenire Annum ante Epocham Christi, in quo incœpit datus Annus Græcorum. pagina 101
XVI. Anno dato secundùm Dionysium Astrologum, seu à Philadelphi primo initio inuenire Annum ante Epocam Christi, in quo incœpit ille annus, vbi de Epocha Laodicena Tyria, Edessena, & Ascalonica. 101
XVII. Dato Anno Aeræ Antiochenæ, inuenire Annum ante, vel post Epocham CHRISTI, à cuius Octobri incœpit datus Annus. 101
XVIII. Datis Annis Iulianis, inuenire Annos ante, vel post Epocham Christi, ineuntes cum illis à Kalendis Ianuarij. 101
XIX. Datis Annis Imperij Augusti, vel ab Actiaca Victoria, vel à Morte M. Antonij, & Cleopatræ computatis, inuenire annum ante, vel post Epocham Christi, in quo dati Anni incœperunt. 101
XX. Datis Annis Aeræ Hispanæ Augusti, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, quo a kal. Ianuarij incœpit Annus datus dictæ Aeræ. pagina 102
XXI. Datis Consulibus Romanis, inuenire Annum ante, vel post Epocham CHRISTI, quo iniuerunt Consulatum. 102
XXII. Datis Annis Imperatorum Romanorum, vel in toto Orbe Romano, vel in Occidente, aut in Oriente post Augustum, inuenire Annum Epochæ CHRISTI eis congruentem. pagina 102
XXIII. Datis Annis Diocletiani, vel à SS. Martyribus sub eo passis inuenire Annum Epochæ Christi, quo datus annus incœpit. 102
XXIV. Dato Anno Encæniorum, seu Dedicationis Vrbis Constantinopolis factæ à Constantino Magno inuenire Annum Epoch. Christi, quo incœpit datus Annus à die 11. Maij. 102
XXV. Annos, Menses, ac dies Arabum, seu Hegiræ conuertere in Annos Christi, menses, ac dies Iulianos. pagina 102
XXVI. Dato Anno Persico à Iezdagirda computato, inuenire Annum Epochæ Christi ei congruentem, & diem, quo incœpit Annus Persicus. 102
XXVII. Dato Anno, mense, ac die Persico Iezdagirdæ inuenire Annum Christi, Mensemq. ac diem Iulianum ei congruentem. 103
XXVIII. Dato Anno Persarum, Gelalæo, inuenire Annum Epochæ Christi, in quo a die Aequinoctij Verni incipit datus Annus Gelalæus. 103
XXIX. Datis Annis Indorum præcipuè Calecutensium, inuenire Annum, ante, vel post Epocham Christi eis congruentem. 103
XXX. Annos Christi à Diuersis Chronologis, aut Historicis numeratos discernere ab Annis Christi; vulgo vsitatis, seu Dionysianæ Christi Aeræ. pag. 103

TABVLA
I. OLYMPIADVM. Et Vrbis Romæ iuxta Varronis Romanorumque sententiam incipientium Anno Epochę vulgaris Christi ante, vel post assignato. à pag. 105
II. Annorum Nabonassari, & deinde ab Alexandri Magni obitu Philippicorum. 114
III. Mensium Aegyptiorum, & Iulianorum, cum diebus collectis. 121
IV. Annorum Iezdagirdæ CDXLVIII. vsque ad Gelalæam anni Persici Reformationem; vna cum diebus collectis per decadas Mensium Persicorum. pag. 123

LIBER TERTIVS.

De Græcorum in Europa, Asia, & Aegypto Epochis, & Annis cum Epocha CHRISTI connectendis.

CAP.
I. DE Græcorum Temporibus ante Olympiadas. 123
II. De Olympiadibus & Lustris, earumq; nexu cum Epocha Christi. 126
III. De alijs Græcorum Annis insignioribus, partim ante, partim post initium Olympiadum, vsque ad Alexandrum Magnum cum Epocha Christi connectendis. 129
IV. De Alexandri Magni Annis, & Epocha Philippica, cum Epocha Christi connectendis. 134
V. De Græcorum Regum in Aegypto Annis, cum Christi Epocha connectendis, & Catalogus Ptolomæorum Regum. 137
VI. De Anno Translationis LXX. Interpretum. 139
VII. De Seleucidarum Aera Dhylkarnain, ac duplici Syro-Græcorum Epocha in libris Machabæorum cum Epocha Christi connectenda. 142
VIII. De Macedonum Regum Annis cum Epocha Christi connectendis, & Catalogus Regum Macedonum. 144
IX. De Seleucidarum seu Syriæ Regum Annis cum Epocha Christi connectendis, & Catalogus Regum Syriæ, pag. 145
X. De Periodo Calippica eiusq; Epocha Astronomica cum Epocha Christi connectenda. 145
XI. De Epocha Antiochena, & Constantinopolitana Græcorum, cum Epocha Christi connectendis. 146

LIBER QVARTVS.

De Latinorum, & Romanorum Epochis Annorum cum Epocha Vulgari Christi, seu Dionysiana connectendis.

CAP.
I. DE Troiæ excidio, & Latinis Regibus vsque ad Romulum exclusiuè eaq; occasione de Troiæ conditu, & Regibus. 148
II. De Anno, & die Romæ Vrbis conditæ. cum Anno ante Epocham Christi, dieq; Anni Iuliani connectendo. 150
III. De Anno primo Iuliano, seu quarto C. Iulij Cæsaris Consulatu, alijsque certioribus Consulum Annis. 156
IV. De Consulibus Romanis in Communi, Fastis Consularibus, eorumque Auctoribus, ac præcipuis erroribus, vel controuersijs de quibusdam annis Consulum. 164
V. Tabula Fastorum Consularium. 169
VI. De Annis Punicorum Bellorum, & aliorum. 184
VII. De Annis Imperatorum Romanorum cum Vsitata Christi Epocha connectendis. Et primò de Annis Iulij Cæsaris, & Octauiani Augusti. 185
VIII. De Annis Imperatorum, ab Augusti obitu vsque ab obitum Traiani, & eorum Catalogus. 189
IX. De Annis Imperatorum ab obitu Traiani, ad Necem Macrini & eorum Catalogus. 195
X. De Annis Imperatorum à Nece Macrini vsque ad finem Diocletiani, & de duplici Epocha Diocletiani, & eorum Catalogus: 197
XI. De Annis Imperatorum à fine Diocletiani, vsq; ad mortem Theodosij Senioris, & eorum Catalogus. 203
XII. De Annis Imperatorum Occidentalium, vsque ad initium Regum Italiæ sub Gothis, & eorum Catalogus. pag. 207
XIII. De Annis Imperatorum Orientalium à secunda diuisione Imperij, seu à morte Theodosij Magni vsque ad vltimum Imperatorem, & Constantinopolim à Turcis captam, & eorum Catalogus. pag. 208. & 214
XIV. De Regibus Italiæ ab Odouacre vsque ad Henricum V. deque Exarchis Rauennæ, & eorum Catalogus. pag. 213
XV. De Imperatoribus Occidentis à Carolo Magno, vsq; ad Ferdinandum III. & eorum Catalogus. 215
XVI. De Indictionibus. 218

LIBER QVINTVS.

De Annis Regum Asiæ Antiquorum, cum Epocha Christi nectendis.

CAP.
I. DE Annis Sinensium, seu Serum, cum Epocha CHRISTI connectendis. pag. 221
II. De Chaldæorum, Babyloniorum, & Assyriorum Annis cum Epocha Christi connectendis. 223
Catalogus Regum Assyriorum, & Chaldæorum. 224
Catalogus Assyrio-Babylonicorum Regum. 224
III. De Annis Regum Aegypti antiquorum ante Ptolemæos, cum Epocha Christi connectendis, & eorum Catalogus. 225. & 227
IV. De Medorum Regum, & Assyriorum Sardanapali successorum annis, cum Epocha Christi nectendis, & eorum Catalogus. 228
V. De Nabonassari Epocha celeberrima, & eius Annis cum Epocha Christi connectendis. 229
VI. De Regibus Babyloniæ Nabonassari posteris, eorumq; annis, cum Epocha Christi nectendis. 231

Canon

CAP.
Canon Regum Babyloniorum, Assyriorum, & Iudæorum, cum illis connexorum à Nabonassaro, vsque ad captam à Cyro Babylonem, & solutam ab eo Captiuitatem Iudæorum. 235
Canon Ptolemaicus ex Scaligero, Petauio olim, & Langio.
Canon idem ex Theone, & M. S. Reg. ac Petauio Par. 2. Rationarij lib. 4. pagina 236
VII. De Annis Regum Persarum à Cyro, vsque ad Darium Arsamis, cum Epocha Christi connectendis. 237
Canon Regum Persarum. 237
VIII. De Tyrijs Regibus, & Carthaginis conditu, aliarumq; quarundam Vrbium Africæ, Catalogus Regum Tyri, Pergami, & Cappadociæ. 238
IX. De Regibus Lydorum, Parthorum, Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, Armeniæ, Pergami. 240
X. De Tartaris, Moscouitis, Iaponensibus, & Mexicanis, eorumque annis cum Epocha Christi nectendis. 242
XI. De Annis Persarum Recentiorum Iezdagirdæ, ac Helaleæ Epochæ cum annis Christi connectendis ab anno 632. dieq; 16. Iunij, & rursus ab Anno 1079. 243
XII. De Annis Arabum, & Turcarum, cum annis Epochæ Christi connectendis, & Catalogus Turcarum Imperatorum. 244

LIBER SEXTVS.

De Annis, & Epochis Hebræorum inter se prius, & deinde cum Epocha Christi connectendis.

CAP.
I. DE Annis à Creatione Mundi, vsq; ad Diluuij Noetici finem. p. 245
II. De Annis à Diluuij Noetici fine, ad ortum Abrahæ. 251
III. Colliguntur ex Conclusis cap. 1. & 11. Anni Patriarcharum ab Adamo ad Abrahæ mortem, tum iuxta Hebraicam, & Latino-Vulgatam editionem, tum iuxta LXX. Interpretes, correctis, quæ corrigenda docuimus ijsdem Capitibus. 24
Chronicon annorum, quibus à mundi initio, nati, vel mortui sunt Patriarchæ ab Adamo ad Abrahamum. pagina 255
IV. De Tempore Turris Babel, Diuisionis Linguarum, & Dispersionis Posterorum Noe super faciem Terræ. pagina 256
V. De Annis ab ortu Abrahæ, vsque ad mortem Ioseph, & eorũ Chronicon. pagina 257
Appendix de S. Iobi tempore. 259
VI. De Annis ab ortu Abrahæ ad Exodũ, seu exitum Israelitarum ex Aegypto. pagina 259
VII. De Annis ab ortu Mariæ, Aaronis, & Moysis, vsque ad mortem Iosue. 263
VIII. De Annis ab Exodo, ad Fundamenta Templi Salomonis, & Iudicum Catalogus. 265. ad 270
IX. De Annis à Templi Salomonici fundatione, ad eius excidium à Nabuchodonosore factum, & de his, ac reliquis Annis à Templi fundatione ad initium Mundi, de quibus in hoc libro hactenus disputatum est, cum Epocha Christi connectendis. 271
Catalogus Regum Iuda, & Israel. pagina 272
CAP.
Syntaxis texporis Regum Hebræorum. pagina 274
Chronicon Regum Iudæ, & Israel. pagina 275
X. De Temporibus SS. Prophetarum cum Epocha Christi connectendis. Chronicon SS. Prophetarum. 276
XI. De Annis Captiuitatum Iudaicarum, initio, & fine Captiuitatis Babylonicæ, eaque occasione de Annis Tobiæ, Iudith, & Esther, cum Epocha Christi connectendis. 278
XII. De initio, fine, & quantitate Hebdomadum Danielis. 281
XIII. De Annis Pontificum Hebræorum. pagina 283
Catalogus Pontificum Hebræorum. pagina 283
XIV. De Herodis Annis. 285

LIBER SEPTIMVS.

De Annis Mundi conditi, eiusque Aetatibus, vsque ad Epocham CHRISTI.

CAP.
I. DE opinionibus circa Mundi annos ipsius creatione vsque ad ortum Christi. 290
Prima Tabula Aetatum Mundi. 290
II. Tabula Opinionum de Annis Mundi, &c. 292
II. De Probabiliore numero Annorum Mundi vsque ad Christum iuxta Hebraicam, & Vulgatam editionem, & de terminis, intra quos certo consistunt. 293
III. De Probabiliore numero Annorum Mundi vsque ad Christum iuxta editionem LXX. Interpretum, & de terminis, intra quos certò consistendum est in hac hypothesi. 293
Anni Mundi ad Natiuitatem Christi. pagina 293
IV. An verum Mundi initium definiri possit, certò per vllos Characteres Cælestes, Astrologicos, aut Astronomicos. 294
V. De probabiliore Anno Mundi conditi ante Epocham Christi. 296

LIBER OCTAVVS.

De Anno, & Die Natiuitatis, & mortis Christi, ac Deiparæ Virginis Mariæ, Ordine Gestorum Quæ ab Euangelistis narrantur, & Genealogia, & consanguineis Saluatoris, & Matris eius.

CAP.
I. QVisnam fuerit Auctor numerandi Annos à Natiuitate, vel ab Incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI. 299
II. De Mense, ac die Natiuitatis D. N. Iesu Christi. 300
III. In quo recensentur opiniones de Anno vero Natiuitatis Christi, atque adeo de Anno Incarnationis. 301
IV. De Veriore, seu Probabilissimo Anno Incarnationis, & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi. 304
V. In quo soluuntur fundamenta opinionum aduersantium, & earum minor
CAP.
probabilitas ostenditur, & primum: De prima, & secunda opinione cap. 3. exposita, vbi de Annis Herodis, & Censu Cyrini. 306
VI. De Anno quo Christus Dominus baptizatus est à S. Ioanne Præcursore. 307
VII. De numero Paschatum, & Annorum Prædicationis Christi, à Baptismate ipsius ad eiusdem Resurrectionem. pag. 310
VIII. De Paschate in quo Christus passus est, & controuersijs circa illud hactenus excitatis. 312
IX. De feria, qua Christus mortuus est, & resurrexit, & qua ratione fuerit in corde Terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 315
X. De die in forma Anni Iuliani, qua Christus mortuus est, & an, & quibus regulis possit id certo determinari. 318
XI. Opiniones de Anno Passionis, & mortis Christi. 322
XII. De vero Anno Passionis, & mortis Christi. 325
XIII. In quo dissoluuntur obiecta maioris momenti contra Annum 33. Epochæ Christi assertum pro Anno mortis eius. 327
XIV. De Anno, Mense, ac die Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis in Cœlum Deiparæ Virginis Mariæ. 327
Chronicon breue à Conceptione Deiparæ ad eius Assumptionem. 331
XV. De Chronotaxi Gestorum à Christo Prædicationis tempore. 332
Chronologica Syntaxis historiæ Euangelicæ. 332
Primum Pascha Anno Christi 30. Aprilis 6. Feria 5. 332
Secundum Pascha, cui Ierosolymis interfuit Christus Anno 31. Martij. pagina 333
Tertium Pascha Anno 32. Aprilis 14. feria 2. cui tamen Christus Ierosolymis non interfuit, nolens tunc in Iudæa ambulare, immo paulo post secessit in partes Tyri, & Sidonis. 333
Quartum, & vltimum Pascha Anni 33. die 3. Aprilis feria 6. 334
XVI. De concursu Epocharum Insignium com Anno Natiuitatis, & Mortis IESV CHRISTI Domini Nostri. pagina 337
XVII. De Genealogia CHRISTI, MARIÆ, & IOSEPH in communi. pagina 337
Quæstio 1. De Tabulis Genealogicis, ac Genealogijs apud Hebræos. 338
Quæstio 2. De Vsu Genealogiarum apud Hebræos respectu virorum, ac mulierum, & an verum sit Genealogias Mulierum, vel per mulieres non consueuisse texi. 338
Quæstio 3. Quinam comprehenderentur in lege Connubiali Iata Numerorum 36. de nubeado intra eandem Tribum, & cognationem 339
Quæstio 4. An filiæ hæreditariæ tenerentur nubere viris de cognatione, & familia sua, & quidem propinquioribus. 340
Quæstio 5. Quot modis nomina Patris, & Filij in Sacra Scriptura vsurpentur, vbi de lege suscitandi semen fratri mortuo sine liberis. 340
Quæstio 6. Vnde censeretur quis esse de tali tribu à Matre ne, an à Patre, & à quo Patre? 341
Quæstio 7. An discrimen Tribus, & Familiæ, de qua fuit Christus vnicè aut præcipuè ex S. Iosepho, an ex Maria Virgine sumendum sit. 341

Quæstio 8.

CAP.
Quæstio 8. Quare ab Euangelistis Genealogia S. Ioſephi texta ſit non Mariæ, ſi quidem hæc principalius intenta fuit? 342
Quæstio 9. An Christus fuerit de Tribu Iuda, an de Tribu Leui, an de vtraque, vbi confutantur Hæretici, & explicantut Patrum dicta in hac controuerſia. 343
Quæstio 10. Quomodo Maria Virgo cognata fuerit Elizabethæ, & filiabus Aaron. 344
Quæstio 11. An alio quoque modo præter cognationem Mariæ cum Eliſabeth, Chriſtus fuerit de ſtirpe Sacerdotali? 344
Quæstio 12. De differentijs generalibus inter Genealogiam Chriſti deſcriptam à S. Matthæo, & deſcriptam à S. Luca. 345
XVIII. De Perſonis in particulari, quæ recenſentur in Genealogia Chriſti vſque ad Patrem S. Ioſephi: 347
XIX. De reliquis Conſanguineis S. Ioſephi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Ieſu Chriſti D. N. & de Virginitate perpetua S. Ioſephi. 354
I. Tabula Genealogiæ Chriſti ab Adamo per Salomonem, adiectis Annis natiuitatum ante Chriſtum, iuxta LXX. Interpretum numeros. 363
II. Tabula ab Adamo per Nathan vſque ad Chriſtum iuxta opinionem de qua cap. 18. nu. 23. ex Luca, & Matthæo. pag. 364
III. Tabula ab Adamo per Nathan, pag. 364
IV. Tabula. 364
CAP.
V. Tabula. 364
VI. Tabula. Alphabetum Genealogicum conſanguineorum Chriſti, Mariæ Ioſephi vſque ad gradum ſextum. pag. 364
XX. Quando, & quomodo impleta ſit Prophetia Iacobi Patriarchæ de Meſſia venturo Geneſis 49. & An Machabæi fuerint de Tribu Iuda, & Chriſtus ex Machabæorum ſanguine. 365

LIBER NONVS,

De Annis poſt Paſſionem Domini Inſignioribus, & apud Chronologos præſertim Eccleſiaſticos, Controuerſis.

CAP.
PRæmonitio ad Lectorem. 371
I. De Apoſtolorum temporibus inſignioribus, 371
Synopſis Chronologica Actorum Apoſtolicorum. 371
II. De Annis in præcedenti Synopſi controuerſis. 374
De Apoſtolorum diuiſione ac profectione in diuerſas Prouincias. 374
De Antiochena Sede à S. Petro fundata. 375
De Anno S. Iacobi Maioris decollati, & S. Petri in Vincula coniecti ab Herode Agrippa. 376
De S. Petri Romam aduentu primo, & Cathedra Romana ibi fundata. 376
De Tempore primi Concilij Apoſtolorum Ieroſolymitani. 376
De Anno S. Pauli Romam deducti. 377
De Anno Martyrij SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. 377
De Anno Epiſcopatus, & Martyrii S. Iacobi Minoris, ac S. Marci.
De Anno S. Ioannis Apoſtoli.
De Anno Martyrij S. Dionyſij Areopagitæ.
III. De primis ſucceſſoribus S. Pet Pontificatu alijſq; Pontificibus manis.
Catalogus Pontificum Romanorum. pag. 381
De Auctoribus, qui Romanorum Pontificum tempora ſuppeditant. 386
IV. De Concilij Niceni I. Tempore. 385
V. De S. Martini Epiſcopi Turonenſis obitu. 386
VI. De Anno S. Ioannis Chryſoſtomi in exilium pulſi, & mortis eiuſdem, ac Eudoxiæ Imperatricis. 387
VII. De S. Benedicti obitu. 389
VIII. De Regibus Franciæ. 389
Catalogus Regum Franciæ. 392
IX. De Regibus Hiſpaniæ. 393
eorum Catalogus antiquus.
Catalogus Regum Hiſpaniæ poſt natum CHRISTVM. 395
X. Appendix de Quorundam Sanctorum Temporibus. 400
ARTIC.
I. De S. Auguſtino. 400
II. De S. Hieronymo. 403
III. De S. Epiphanio. 403
IV. De S. Damaſceno. 404

LIBER PRIMVS
DE MENSIBVS, ANNIS, ET KALENDARIIS Præcipuarum Nationum.

CAPVT I.
De Horis Aequalibus, & Inæqualibus.

CONCLVSIO I.
Horarum Aequalium vſus melior eſt abſolutè, quàm Inæqualium.

INæqualium enim horarum, quas Græci καιρικὰς, Latini *Temporarias* dixere, & ſecundùm quas quælibet dies in 12. & quælibet nox in totidem partes diuidebatur à Romanis, Hæbreis, multiſque Orientalibus vſus hoc ſolùm commodus erat, quòd eadem toto anno hora, eadem ſpecies actionum ciuilium exercebatur; & exempli gratia Romani ſemper hora diei nona cœnabant; ſed cũ extra Æquinoctia eſſent dies quotidie breuiores per ſex menſes, & per totidem longiores ſeipſis pro diuerſitate Climatum, nec eiuſdem diei ciuilis horæ diurnæ nocturnis eſſent æquales, multiplici inconſtantia ſua, non ſolum Aſtronomis, & Coſmographis, ſed Horologiorum quoq; Artificibus, & menſoribus temporum perincommodæ euadebant. Merito proinde obſoleuerunt, & in earum locum à multis ſeculis toto orbe ſucceſſerunt 24. Horæ Aequales Græcè, ἰσημερινὰι, Latinè *Aequidiales*, ſeu Aequinoctiales, quæ perpetuò, & vbique ſunt eiuſdem menſuræ, continentq; ſingulæ ſexagena minuta, ſeu ſcrupula, qualium tota Æquatoris reuolutio habet 1440. Nam, & Horologijs automaticis, Clepſydriſq; arenarijs ſua vniformitate percommodæ ſunt, & tempori phænomenorum cæleſtium determinando, pro diuerſa Meridianorum diſtantia, ſtabiliq; actionum plurimarum menſuræ; Nec deniq; carent vtilitate Inæqualium, ſi horæ 12. à media nocte ad meridiem, totidemq; à meridie ad mediam noctem numerẽtur, vt fit in maxima Europæ parte. Toto enim anno eadem hora in eadem Ciuitate tempus eſt ſurgendi, prandendi, cœnandi &c. Hebræi porrò quamuis horam æqualem partiuntur in 1080. *Helaʒim* ita vt quolibet *Helak* æquale ſit ſcrupulis Aſtronomicis *Secundis* 3. & *Tertijs* 20.

CAPVT II.
De Quatuor Diei, Noctiſq; partibus.

CONCLVSIO II.
Quatuor Diei partes, ternis horis temporarijs conſtantes, non ſecùs ac quatuor Vigiliæ noctis ita diſtribuebantur, vt Prima *primum trihorium complecteretur;* Tertia *ſecundum trihorium vſque ad meridiem;* Sexta *tertium à meridie iniens;* Nona *quartum trihorium Veſpertinum.*

SIc ſentio cum plurimis, ſiue diuiſionem hanc docuerint galli gallinacei, vt indicat Plinius l. 10. c. 21. ſiue alij. Nam ex Cenſorino C. 10. *Diem quadripartito, ſed & noctem ſimiliter diuidebant: id ſimilitudo teſtatur militaris, vbi dicitur Vigilia prima, item ſecunda &c.* de quibus vigilijs Vegetius l. 3. c. 8. & S. Hieronymus in pſ. 89. Certum eſt autem primam vigiliam occupaſſe tres priores horas noctis, & dato ſigno Horæ tertiæ completæ, incœpiſſe ſecundam vigiliam duraturam vſq; ad mediam noctem, iuxta Lucani l. 5. Carmen. *Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos: ergo ſimiliter*, trihoriũ illud, quod in horis quoq; canonicis dicitur *Prima* occupabat tres priores horas ab ortu Solis numerandas; datoq; ſigno horæ tertiæ incipiebat ſecundum illud trihorium, quod ab initij ipſius ſigno dictum fuit *Tertia*, duraturum vſque ad meridiem &c. Sic S. Ioanni c. 19. dicenti Pilatum pro tribunali addixiſſe CHRISTVM crucifixioni *hora quaſi ſexta*, minimè repugnat S. Marcus c. 15. dicens: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, id enim factum eſt prope finem ſecundi trihorij, & circa initium tertij putà ſemihora circiter ante meridiem, in quo ſextæ horæ ab ortu ſolis numeratæ ſignum, erat principium trihorij, quod vocabatur *Sexta*, ita vt à Concilio manè facto, vſq; ad condemnationem Saluatoris interceſſerint horæ pluſquam quinque, quot requirunt tot geſta ab Euangeliſtis narrata, & à condemnatione ad crucifixionem paulo ante ſextam horã peractam, ſuperfuerit tempus ſufficiens itineri à prætorio ad Caluarium. Miror igitur Baronium, & Spondanum ad annum 34. paucoſq; à Toleto, & Ribera in c. 19. indicatos affirmaſſe, *Tertiam* diei ſtationem occupaſſe tres priores horas ab ortu Solis numeratas; ſic enim ne hilum quidem temporis ſuperfuiſſet pro *Prima*, nec dies in quatuor partes *ſimiliter* ac nox in 4 vigilias contra quàm Cenſorinus, & antiqui Scriptores tradiderunt, diſtributa fuiſſet, & geſta de quibus ſupra à Concilio matutino contra Chriſtum vſque ad Crucifixionem, computato etiam itu ad Herodem ac reditu, & itinere à prætorio ad Caluarium minùs, quàm tres horas occupaſſent, ſi quidem crucifixus eſt durante adhuc hora *Tertia*, & nondum inita ſexta; quod attento lectori Euangeliſtarum, & prudenti æſtimatori ægrè perſuaſeris. Nec obſtat

ſtat Baronij vnicum fundamentum illud Petri Actor. 2. *Non enim hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia*; quaſi non ſatis diſcipulos à ſuſcipione ebrietatis purgaſſet, ſi hora *Tertia* fuiſſet illud trihorium, quod extenditur vſq; ad meridiem: potuiſſent enim pranſi eſſe. Neque enim ibi *Tertia* ſumitur pro toto trihorio, ſed pro vnica hora ex tribus ab ortu Solis numeratis, nondumq; completa: ſatiſq; notorium erat audientibus, quo ſenſu tunc temporis intelligendum eſſet nomen tertiæ: eodemq; ſenſu Martialis lib. 4. Ep. 7. cecinit

Prima ſalutantes, atq; altera continet hora
Exercet raucos tertia cauſidicos

Nobiſcum verò ſtant Ianſenius in Concord. c. 142. Mazzonius in Defenſ. Dantis l. 1. c. 17. Sà in notis ad Euang. Maldonatus in c. 27. Matt. Barrad. c. 4. l. 7. c. 13. & 20. Suarez in 3. p. d. 40. ſec. 7. Corn. à Lap. in Acta c. 2. Salianus ad An. CHR. 34. n. 51. Tirinus tom. 1. c. 2. Nicolaus Abram in 2. Philip. Ciceronis n. 56. vbi contra Petauium docet ex S. Gregorio homil. 19. in Euang. quatuor dictas diei ſtationes dictas fuiſſe *Horas*.

CAPVT III.

De Horis Planetarijs, ac Feriarum Nominibus.

CONCLVSIO III.

Horæ Planetariæ ex quarum ordine Aegyptij ſeptem ferijs hebdomadis nomina Planetarum indiderunt, falſo ordini innituntur, adeoq; falſum Planetarum in eas prædominium imperitis obtruſere.

QVas S. Syluester Sum. Pont. confirmante Conſtantino Imperat. appellauit *Ferias*, eo quòd Chriſtianis quotidie per aliquot tempus, multoq; plus ſacris hominibus feriandum ſit, & vacandum cultui Diuino; eas Ægyptij à ſeptem Planetis denominarant, nimirum teſte Philaſtrio de hæreſibus: *Hermes fallaciſſimus primus hæc apud Aegyptios excogitauit*. Et antea idem refert Dio l. 37. Sabbatho enim, quæ vt apud Hebræos erat potiſſima hebdomadis Dies, Saturnum altiſſimum Planetarum, & tarditate ſua motus quieſcenti ſimillimum finxerunt prædominari prima hora; inde autem numerando reliquas horas attribuerunt 2. Ioui, 3. Marti, 4. Soli, 5. Veneri, 6. Mercurio, 7. Lunæ; & ſic redordiendo 8. Saturno, 9. Ioui, &c. ſequebatur primam horam ſequentis diei obuenire Soli, & primam feriæ ſecundæ Lunæ &c. ſed ex Aſtronomia veriſſima, etian. apud quoſdam antiquos, nedum ex recenti poſt Copernicum ac Tychonem, conſtat Mercurium propiorem eſſe Soli, quàm Venerem; & quando hi Apogei ſunt, quartum à Saturno locum deberi Veneri, 5. Mercurio, 6. Soli; quando autem ſunt perigei; 4. Soli, 5. Mercurio, 6. Veneri. Vanitatis ergo plena eſt illa denominatio, & prædominatio.

CAPVT IV.

De Quatuor Diei Cardinibus.

CONCLVSIO IV.

Inter quatuor modos Diem Ciuilem inchoandi; antiquitate præſtat qui ab Occaſu; naturali autem nouitate, qui ab Ortu Solis; Ciuili autem diſtributione, qui à Media nocte; Aſtronomica verò euidentia, & ſubtilitate, qui à Meridie diem exorditur.

1 CIuilem diem qui noctem quoq; includit appello cum Plinio l. 2. c. 77. & Cenſorino c. 10. & *naturalem*, quem Deus, & natura diuiſit à tenebris, eſto Coſmographi aliqui illum *naturalem*; hunc *artificialem* vocitent, qui etiam in tract. de Sphæra elementiſue Aſtronomicis, aut Geographicis agunt de diuerſis modis ineundæ Diei compoſitæ ex luce tenebriſque, de quibus Plinius, ac Cenſorinus ſupra; Gellius l. 3. c. 3. Macrobius l. 1. in ſomnium Scip. c. 3. Antiquiſſima omnium natio iam inde ab exordio Mundi diem ab occaſu Solis iniuit videlicet Hebræi, qui etiam ex Leuitici c. 23. *à veſpera vſque ad alteram veſperam celebrant Sabbatha ſua*, & Iudæi ex perpetua traditione Neomenias inibant à prima, & veſpertina phaſi Lunæ: Eſto ex indulto Auguſti apud Ioſephum l. 16. c. 10. immunes eſſent à præſtandis vadimonijs non ſolũ Sabbatho ab occaſu Solis inito, ſed etiam tribus horis Paraſceues à Nonæ initio vſq; ad occaſum Solis. Nec ſolus Thales pronunciauit in Mundi principio noctem priorẽ die fuiſſe, ſed & S. Hieronymus in c. 2. Ionæ, & cum eo Abulenſis, Molina, Fernandius, Salianus, Spondanus, Tirinus, Langius; eò quòd planus, & obuius ſenſus verbor. illor. Geneſ. 1. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi &c. & diuiſit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem, factumq; eſt veſpere, & mane dies vnus*, Sit nomine noctis illas quoq; primas tenebras fuiſſe comprehenſas, & veſpere nomine (vtpote initio noctis) totam noctem per ſynecdochem; matutini autem nomine, vtpote initio diei, totam diem fuiſſe ſignificatam. Eſto non pauci Patrum vt retuli l. 9. Almageſti noui ſect. 1. q. 9. Dubitarint, an meruerint nomen noctis, vel an in primo illo Æquinoctio fuerit illa prima nox horarum 12. Nihil enim moramur Heruartum abutentem quibuſdam Scripturæ locis, conantemque ſuadere nomine Veſpere intelligendum tempus à meridie, & manè à media nocte. Hebræos porrò imitati ſunt Arabes, Syri, & Athenienſes; Galli ex Cæſare l. 6. com. Britanni, ex Cambdeno, Dani ex Iangio l. 1. de Annis Chr. c. 3. Germani, ex Tacito de morib. Germ. Cluuerioq; l. 1. Germanieæ C. 33. Nomadeſq; ex Nicolao Damaſceno de moribus gentium, ita vt Galli, Germani, & Nomades dicerent vixiſſe 30. Noctes, quos nos 30. Dies diceremus: Denique ab occaſu Solis horas numerarunt olim Poloni, Sileſij, Bohemi, & nunc aliquot Indi, Sinenſes, Italique omnes, vnde horæ ſic numeratæ appellantur *Italicæ*.

Ab Ortu Solis diem non modò Baleares, & Norimbergenſes iniuerunt, ſed & Babylonij, Perſæ ac pleriq; Orientalium, quibus ipſa orientis Solis nouitas naturalem tranſitum à nocte ad diem, adeoque ad initium nouæ diei viſa eſt ſuggerere. Quoad ciuilem tamen dierum computationem, & ad lites ſuper hoc decidendas, ſicut Eccleſiæ in obligatione ieiuniorum, officij Diuini &c. ita Ægyptijs Myſis, ac Romanis viſum eſt Diem ciuilem computare à media nocte ad alteram mediam noctem, vt expreſsè apud Gellium Varro, Cenſorinus, Plinius, & Macrobius teſtantur, & præterea Plutarchus in quæſt. Romanis addentes eodem Die natos cenſeri, qui intrà tale tempus nati eſſent, nec abfuiſſe Tribunos vno die Roma (quod ipſis non licebat) ſi poſt mediam noctem regreſſi eſſent: eſto hora diei ſexta cauſæ, & negotia abſolui ſolerent, quam ob cauſam, vel potius ob ſummam Solis meridianamq; altitudinem, Æquinoctialem Plinius dixit: *Confecto die, hora ſexta, Romæ obeliſco par vmbra fit*: Addit Plutarchus congruentiam diei hora ſexta Romæ à media nocte ineundi: Quòd in ortu, & occaſu Solis, initium diei vi comprehendi poteſt &c. ob refractiones ſcilicet vaporeſque, aut obſtacula montium; à meridie autem ad occaſum Sol nos deſerat, ſed à media nocte ad nos accedat. Itaque Hipparchus quoq; Copernicus, Reinoldus in Prutenicis Tabb, & Petauius in Pariſinis à media nocte tempora computant. Maior tamen pars Europæ nunc, vt Galli, Germani, Hiſpani, Angli &c. horas 12. à media nocte ad meridiem, & rurſus alteras 12. à meridie ad mediam noctem numerant, ideoq; huiuſmodi horæ appellatæ ſunt *Europeæ* quod certè percommodum eſt, vt eadem toto anno hora iiſdem actionibus vitæ ciuilis deputata maneat. Aſtronomorum tamen

tamen maxima pars cum Ptolemæo, ſicut olim Vmbri, & Olympiadum putatores, maluere horas 24. à meridie numerare, eo quod meridiei momentum euidentiori ſubtilitate ſit obſeruabile, vnde horæ *Aſtronomicæ* ſunt nuncupatæ. Modum conuertendi Horas vnius, in horas alterius ſpeciei habes in Almag. noſtro l. 1. c. 28. Iudæi eruditiores ab Horizonte Paradiſi, ſeu Edem, cuius meridianus Hieroſolyma orientalior eſt Minutis 47. ſec. 10. horas computant; alij à ſuo quiſque Meridiano, de cuius principatu diſputauimus lib. 9. Geographiæ Reformatæ c. 2.

CAPVT V.

De Annorum Antiquiſsimorum Quantitate.

CONCLVSIO V.

Licet olim apud aliquos Anni menſtrui, vel non mamaiores quadrimeſtri fuerint, Anni tamen Patriarcharum ante diluuium, tales non fuere, ſed duodecumeſtres noſtriſque a quilongi.

DEmus enim quod refert Diodorus Siculus l. 1. Plinius l. 7. c. 44. & Plutarchus in Numa, Aegyptiorum annos fuiſſe olim menſtruos, poſteà trimeſtres, aut quadrimeſtres, vt & Arcadum; Acarnanibus ſenum; Romanis denum menſium; & ideo Ægyptios quoſdam Reges perhiberi vixiſſe annos mille, ac ducentos, quia totidem menſes ideſt centum noſtros annos vixerint, nec inter fabulas numeroſitatem illam cenſendam eſſe, vt apud Euſebium l. 1. cenſuit Africanus; non ideo tamen idem dicendum fuit de omnibus antiquis hominibus, vt dixit Varro, quem reprehendit Lactantius l. 2. Inſt. c. 12. nec incredibilis putanda eſt multitudo illa annorum, quà Sacra Geneſis vitam patriarcharum definit, vt putarunt quidam Scripturæ huius ſtudioſi, ſed imperita timiditate decepti, adeo, vt dixerint vnum ex noſtris annis æqualem eſſe decem annis Patriarchalibus, contra quos inuehitur S. Auguſtinus l. 15. de Ciuit. c. 12. Nam ſi tales fuiſſent ergo Malaleël, qui dicitur genuiſſe quando erat 70. annorum noſtrorum genuiſſet ſeptennio, & cum nullus Patriarcharum peruenerit ad mille annos, poſtea verò multi exceſſerint centum ex noſtris annis, imò aliqui ad 150. peruenerint etiam hoc noſtro (vt infrà narrabimus) ſeculo, vixiſſent hi multo plus, quam Patriarchæ illi nam ductis per 10. aunis 100. vel 150. vixiſſent patriarchales annos 1000. aut 1500. Poſtremò annus ille, in quem diluuium incidit, quique ab anno ſexcenteſimo vitæ Noè, ad eiuſdem ſexcenteſimum primum interfluxit, fuit minimùm dierum 54. ſupra decem menſes, tantum enim tempus ſacer codex exprimit; ergo fuit duodecumeſtris.

CAPVT VI.

De Longæuitate Hominum poſt Diluuium Noëticum.

CONCLVSIO VI.

Vita verò Hominum poſt Diluuium non fuit à Deo reſtricta ad centum viginti annos, nedum ad centum.

DEus enim dicendo de homine: *Eruntque dies illius centum viginti annorum*: loquutus eſt de ſpatio temporis concedendo hominibus, ſi audiendo Noemum, & videndo arcæ fabricationem, crederent fore diluuium, & eo ſpatio vterentur ad pœnitendum, vel deſiſtendum à peccatis, quod cum nulli aut perpauci præſtiterint abbreuiauit, & conditionatam illam promiſſionem antcuertens, immiſit diluuium anno ſexcenteſimo vitæ Noè, cum illius interminationem, & mandatum de arca fabricanda edidiſſet anno quingenteſimo vitæ Noè. Alioquin conſtat ex eadem ſacra Scriptura, poſt diluuium multos vixiſſe plures, quàm centum viginti annos; ipſe ſiquidem Noè vixit poſt diluuium annos 350. & omnino 950. & Sem. 502. & Thare 205. & Sara 127. & Abraham 175. & Aaron 123. Conimbricentes ſcribunt Luſitanum quendam vixiſſe 335. annos, & Pandulphus tract. de fine Mundi diſp. 1. q. 2. c. 4. cognitum ſibi Codegori viram, qui pluresquam 120. natus adhuc viuebat. Vidi, & ego Anglicani cuiuſdam imaginem ære inciſam, qui annis 150. ſuperatis adhuc ſuperetes erat, eumq; Iacobo Britanniæ regi oſtenſum ait Salmaſius de annis climatericis pag. 658. Phlegon libro de admirandis, & longæuis narrat in cenſu ſub Adriano repertum L. Tertium Bononiæ qui 135. & Fauſtum Sabinum qui 136. annos viuebant. Opiniones aliorum de vitæ humanæ termino, & aliquot longæuorum exempla referunt Plinius l. 7. c. 2. 48. 49. & 50. & Cenſorinus de Die Natali c. 5. ait verò Plinius in India quoſdam abſque ſenectutis moleſtijs viuere annos 130. Arganthonium Regem Tarteſſiacorum annos 150. totidemque M. Aponium Arimini, & L. Terentium Bononiæ ex Censù ſub Veſpaſiano; at M. Mutium Velleiaci in agro Placentino, treſq; alios in octaua regione Italiæ annos 140. & quatuor ibidem annorum 135. Tertullamque Arimini 137. reliquos vide apud Plinium: Quod igitur refert apud Cenſorinum Dioſcorides experimento facto in corporibus ſine tabe mortuis Alexandriæ, *cor hominis anniculi pendere duas drachmas, bimi quatuor, & ſic in annos ſingulos vſq; ad L. accedere binas; ab his C. drachmis ab anno L. item decedere in vnoquoq; binas: ex quo perſpicuum eſſe centeſimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam produci poſſe.* Non eſt vniuerſaliter verum, ſicut nec illud Sibyllæ apud Phlegontem, quæ ideo Romanis mandauit ludos ſeculares fieri centeſimo quoq; anno, quia circulus longiſſimæ hominum vitæ ſit centum annorum: eſto inde Romani ſeculum, & ſeculares ludos centenum annorum definiuerint, vt expreſsè tradunt ex Varrone, & Liuio Feſtus Pompeius, Cenſorinus c. 5. Claudianus de 6. conſulatu Honorij, S. Auguſtinus de ciuit. l. 3. c. 18. doceteq; pluribus noſter Petrus Taffinus l. 1. de Anno ſeculari, oſtendens, Quindecemuiros, ad quos ſpectabat eorum ludorum intimatio, vt ſuam incuriam vel obliuionem palliarent, corrupiſſe verſus Sibyllæ, & Auguſto perſuaſiſſe, ludos non celebrandos niſi anno quoque centeſimo decimo; vnde illud Horatij in Carm. Seculari:

Certus vndenos decies per annos &c.

APPENDIX.

De quibuſdam Longæuis ab Anno 60. & vltra.

De Longæuis hominibus attigerunt aliqua Phlegon Libertus Adriani Imp. lib. de Longæuis, Valerius Maximus lib. 8. c. 14. Plinius lib. 7. c. 2. 48. 49. 50. Cenſorinus de die natali c. 5. Lucianus in libello ad Quintillum: Io. Bapt. Fulgoſus lib. 8. & 12. Conimbrienſes, alijq; interpretes Ariſtolis de Longit. & breuitate vitæ; Quidam Geneſis interpretes ad cap. 6. verſic. *Erunq; dies illius centumuiginti annorum.* Thomas Rauennas libro de Vita hominis vltra 120. annos. Claudius Deodatus lib. 1. Panthei Hygiaſtici c. 6. Simon Maiolus Colloquio 4. Theatrum Vitæ humanæ verbi *Longæui*, & verbo: *Vita humana.* Claudius Salmaſius volumine de Annis Climactericis; Alphonſus Pandulphus in tra-

ctatu de fine Mundi, disput. 1. q. 2. c. 4. Theophilus Raynaudus Tomo 13. Opusc. 3. ex quibus, & ex Vitis illustrium virorum, nostrisq; Chronologicis operibus infra notatos selegimus, incipiendo à Mathusala vsq; ad eos, qua vixere annos non minus 60.

	Vixit Annos
Ante Diluuium.	
MAthusala, seu Mathusalem	966
Iared Patriarcha	962
Noe Patriarcha	950
ADAM Protoplasticus	930
Seth filius Adami	912
Cainan prior, Patriarcha	910
Enos Patriarcha	905
Malaleel Patriarcha	895
Lamech Patriarcha	777
vel	753
Post Diluuium.	
SEm filius Noe Patriarcha	600
Dando quidam, de quo Valerius Max. & Plinius	500
Cainan posterior Patriarcha	460
Heber Patriarcha 464. vel	460
Sala Patriarcha 460. vel	433
Richardus Miles Caroli Magni	400
Phaleg Patriarcha 239. vel	339
Rheu Patriarcha 239. vel	339
Arphaxad Patriarcha	338
Indus ille, de quo Maffeus l. 11.	335
Sarug Patriarcha	330
Pictoreus Ætolus	300
Thare pater Abrahæ	205
Mardochæus Estheris custos, teste Philone	197
S. Kenigernus, de quo Bollandus ad diem 15. Ianuarij.	185
ISAAC Patriarcha filius Abrahæ	180
ABRAHAM Patriarcha	175
Tuiscus I. Rex Germanorum	173
Cyniras Rex Cypriorum	160
Ioannes à Stampis miles Gallicus, qui obijt anno Chr. 1146.	160
Epimenides Gnossius in Creta	157
Marc. Fullonius Bononiensis in Censu Claudij Imper.	151
Arganthonius Rex Tartessiorum	150
Luc. Terentius Marci filius Bononiæ in Censu Vespesiani	150
Anglicus quidam Senex monstratus Iacobo Regi Scotiæ, cuius imaginem vidimus & nos, viuebat adhuc natus annos 150.	150
Nachor auus Abrahæ Patriarchæ	148
IACOB Patriarcha, qui & Israel	147
IOB, post calamitates suas vixit	140
Tres viri in regione 8. Italiæ sub Censu Vespasiani	140
Quidam alius Velleiaci, quod est oppidum agri Placentini in Italia, sub Censu Vespasiani	140
Ismael filius Abrahæ, & Agaris	137
Leui filius Iacobi caput Tribus Leuiticæ	137
Amram pater Moysis, & Aaronis	137
Luc. Tertullus, & Marc. Aponius Arimini, in Censu Vespasiani	137
Luc. Tertius Bononiensis, & Aulus Sabinus, in Censu Hadriani	136
Quidam Brixelli in Censu Vespasiani	135
Quatuor alij in regione 8. Italiæ in Censu Vesp.	135
Gad, & Nephthali filij Iacob. Patr.	132
Quidam Placentiæ, in Censu Vespasiani	131
Ioiada Pontifex Iudæorum	130
Apollonij Tyanæi auus, de quo Philostratus	130
Parmenses duo in Censu Vespasiani	130
Quatnor alij in regione 8. Italiæ sub Censu Vespasiani	130

	Vixit Annos
ABEL Patriarcha occisus à Caino	128
Sara vxor Abraæ Patriarchæ	127
Dan caput Tribus Dan, Iacobi filius	127
Maria soror Moysis, & Aaronis	127
Aser caput Tribus, filius Iacobi Patr.	125
Duo in regione 8. Italiæ sub Censu Vespasiani	125
Ruben, & Zabulon filij Iacobi Patriarchæ	124
Ctesibus Historiographns	124
Attila Rex Hunnorum, vt contendit Nicolaus Olaus in eius vita reprehendens Sabellicum alioquè, qui scripsere Attilam non excessisse annos 56.	124
Isachar filius Iacobi Patriarchæ	122
Aaron frater Moysis	123
S. Patritius Hiberniæ Apostolus	121
Simeon filius Iacobi Patriarchæ	120
MOYSES Propheta	120
S. Simeon Cleophæ Episcopus Hierosolym. & Martyr	120
S. Arsenius Diaconus, & Eremita, qui obijt Anno Christi 445.	120
S. Romualdus Abbas Instit. Camald.	120
S. Ioannes Abbas in Gallia, de quo Bollandus ad 28. Ianuarij	120
S. Vincentius Confessor, de quo Bollandus ad 15. Ianuarij.	120
Iulia Modestina liberta, de qua Lucianus	120
Tres viri Parmæ, & Quatuor Velleiaci reperti in Censu Vespasiani	120
Quidam Codegori visus ab Alphonso Pandulpho Episcopo Comaclij	120
S. Alferius Abbas Cauæ obijt anno 1098.	120
Iudas filius Iacobi Patriarchæ	119
S. Epiphanius Episcopus Constantiæ in Cypro	118
B. Ioannicius Anachoreta, qui obijt 3. Octob. ann. 846.	115
Claudia vxor Ofilij Senatoris Romani	115
Rebecca vxor Isaaci Patriarchæ	114
Homerus Poeta Græcus	114
S. Paulus primus Eremita	113
S. Dionysius Areopagita	112
Gratia Valentina professa Tertij Ordinis S. Francisci de Paula	112
IOSEPH filius Iacobi Patriarchæ	110
Iosue filius Nun	110
Daniel Propheta	110
S. Pachomius Abbas	110
Samulla, & sex alij Velleiaci reperti sub Censu Vespasiani	110
Quinquaginta septem alij in Regione 8. Italiæ reperti in Censu Vespasiani	110
Gorgias Leontinus Sophista Siculus	108
Isocrates Orator insignis 99. vel	106
Iuditha vixit vidua annos	105
Xenophilus Musicus	105
Hippocrates Cous Medicor. Princeps	105
S. Antonius Abbas in Ægypto	105
Gerardus Florentinus Minoris Obseruantiæ Laicus insignis sanctimoniæ, qui obijt 15. Iulij Anno 1506.	105
Cæsar Anfarellus Coadiutor temporalis Soc. Iesu magnæ probitatis	105
Democritus Abderita voluntaria inedia extinctus	104
Terentia vxor M. Tulij Ciceronis	103
Tobias Senior, de quo C. vlt. Tob.	102
Albertus II. Dux Saxoniæ	101
Sexaginta Centenarij.	
Metellus Pontifex Romanorum	100
Cyrus maior Rex Persarum	100
Marcus Valerius Coruinus	100
Demonax Philosophus sub Domitiano	100
S. Simon Stoch Anglus Carmelitarum Generalis	100
Gullielmus Postellus memoriæ portentosæ	100

Qua-

	Vixit Annos
Quinquaginta quatuor homines in 8. Regione reperti ſub Cenſu Veſpaſiani	100
Tobias Iunior ex Cap. vlt. Tob.	99
Cleanthes diſcipulus Zenonis	99
Statilia nobilis mulier ſub Claudio Imp.	99
Zeno Philoſophus Stoicus	98
Marcus Perpenna Senator Romanus	98
Plautilla mater S. Flauiæ Domitillæ	98
Heli Sacerdos, & Iudex Iſraelis	97
Epicarmus Poeta Comicus Siculus	97
Cratinus Poeta Comœdiographus	97
Philemon, qui ex riſu obijt	97
Liuia vxor Rutilij Senatoris	97
S. IOANNES Euangeliſta 92. vel potius	97
Timaeus Hiſtoricus	96
S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis	96
Nicolaus Leonicenus Medicus inſignis	96
Titianus Pictor celeberrimus	96
Thales Mileſius Philoſophus	96
Sophocles Tragicor. Princeps acino ſuffocatus	95
Agathocles Siciliæ Tyrannus	95
Artaxerſes Memnon Rex Perſarum	95
S. Sabbas Abbas	94
Martinus Azpilcueta Nauarrus inſignis Theologus, & Canoniſta	94
Andreas Auria Genuenſis victorijs illuſtris, qui obijt anno 1560.	94
P. Propertius Paltonus Soc. Ieſu meus olim Confeſſarius	94
Franciſcus Baiardus Coaditor temporalis Societatis Ieſu	94
Xenophanes Colophonius	94
Hypſicrates Amiſenus Hiſtoricus	92
Hiero Rex Syracuſanus	92
Neſtor Tiberij præceptor	92
Thomas à Kempis vir pijſſimus	92
Tarquinius vltimus Rex Romanorum	92
Ariſtobulus Caſſandrenſis Hiſtoricus	91
Simonides Ceus Poeta Lyricus	91
S. Franciſcus de Paula	91
Diogenes Cynicus 88. vel	91
Pyrrhon Philoſophus	90
Pythagoras Samius	90
M. Pacuuius Tragicus	90
M. Terentius Varro doctiſs.	90
Potamon Orator	90
Maſiniſſa Rex Mauruſiorum	90
S. Irenæus Epiſc. Lugdun. & Martyr	90
S. Gregorius Nazianzenus	90
Berengarius Hæreſiarcha	90
Gildas Sapiens Anglus	90
Georgius Trapezuntius	90
Iacobus Sirmondus Soc. Ieſu	90
Ioannes Mariana Soc. Ieſu, Hiſtoricus nobilis	90
Alphonſus Rodriguez Soc. Ieſu, qui ſcripſit egregiè de Perfectione Religioſa	90
Andreas Ianus Laſcaris	90
S. Odilo Abbas Cluniac.	89
Michael Angelus Bonarota	89
P. Bernardinus Caſtorius Soc. Ieſu	89
P. Alexander Næuola Soc. Ieſu	89
Anaſtaſius Imperator fulmine ictus, & alioqnin victurus alios annos 14.	88
B. Andreas Auellinus Cleric. Regularis	88
Franciſcus Coſterus Soc. Ieſu	88
Carolus de Sangro Soc. Ieſu	88
Albertus Magnus	87
Alphonſus Rodriguez Coadiutor temporalis Soc. Ieſu ſanctimoniæ inſignis	87
Petrus Victorius vir eruditiſſimus	87
Ludouicus Richeomus Soc. Ieſu	87
Valentinus Mangionus Soc. Ieſu	87
Volumnius Thomaſus Soc. Ieſu	87
Ptolemæus Lagides Rex Ægypti	86
S. Proſper Aquitanus	86
S. Anſelmus Archiep. Cantuar.	86
Bernardinus Realinus Soc. Ieſu, ſanctimoniæ celebris	86
Saluator Farinata Coadiutor temporalis Soc. Ieſu	86
Anacreon Teius Poeta Lyricus	85
Steſichorus Poeta	85
Carneades Philoſophus	85
Hellanicus Lesbius Hiſtoricus	85
Pherecydes Hiſtoricus	85
Lycurgus Legislator Lacedæmonior.	85
Tigranes Rex Armeniæ	85
Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum	84
Poſidonius Philoſophus, & Hiſtoricus	84
Mithridates Creſtes Rex Ponti	84
S. Lucas Euangeliſta, & Martyr	84
Aſconius Pedianus Iunior	84
P. Petrus Ribadenera Scriptor Soc. Ieſu	84
P. Iacobus Pontanus Scriptor Soc. Ieſu	84
Critolaus Philoſophus Peripateticus	83
Tauriſcus Philoſophus	83
Ioannes II. Rex Aragoniæ	83
Gerardus Mercator Geographus	83
Theodorus Beza Caluiniſta	83
P. Richardus Heſius Scriptor Soc. Ieſu	83
P. Iacobus Paſinetus Soc. Ieſu	83
Lyſias Orator natus ante Chriſtum anno 449.	83
Xenocrates Philoſophus	82
Polybius Hiſtoricus inſignis	82
Apollodorus Pergamenus Rhetor	82
Attalus Philadelphus Rex Pergami	82
Ariſarathes Rex Cappadociæ	82
S. Hilarion Abbas	82
Robertus III. Comes Flandriæ	82
Franciſcus Philelphus	82
Paulus III. Summus Pontifex vixit annos 81. menſes 8. dies 16.	82
Numa Pompilius Rex Romanorum	81
Plato Philoſophus Academ. Princeps	81
Seruius Tullius Rex Romanorum	81
Antigonus Monoculus Rex Macedon.	81
Antipater Rex Macedonum	81
S. Martinus Epiſcopus Turonenſis	81
S. Vbaldus Epiſcopus Eugubinus	81
Pierius Valerianus Bellunenſis	81
Geneſius Sepulueda	81
Ioannes Auratus Poeta Gallicus	81
P. Iulius Mancinellus Soc. Ieſu	81
P. Terentius Alciatus Soc. Ieſu	81
P. Stephanus Menochius Soc. Ieſu	81
Innocentius X. Summus Pontifex annos 80. menſeſque 7.	81
P. Mutius Vitelleſchius Soc. Ieſu, Præpoſitus Generalis	81
P. Goſuinus Nikel Soc. Ieſu Generalis	81
Periander Corinthius	80
Solon Athenienſis	80
Eratoſthenes ex inedia 82. vel	80
Lyſimachus Rex Macedonum	80
Antigonus Demetrij Rex Macedon.	80
S. IOACHIM Pater Deiparæ	80
Gordianus Senior Imperator	80
Raymundus Lullus	80
S. Dominicus Abbas Soræ	80
B. Sibylla Papienſis Dominicana	80
Franciſcus Ximenez Cardinalis	80
Io. Bapt. Egnatius Hiſtoricus	80
Petrus Nonius Mathematicus	80

	Vixit Annos
Vbbo Emmius plusquam 80.	80
S. Philippus Nerius	80
P. Nicolaus Bobadilla Soc. Iesu	80
P. Valerius Reginaldus Soc. Iesu	80
P. Ioannes de Pineda Soc. Iesu	80
P. Pasqualis Vitalis Soc. Iesu	80
P. Ascanius Maraccius Soc. Iesu	80
S. Hieronymus Doctor Eccl. 78. vel	79
Solimannus Imper. Turcarum	79
Aelius Antonius Nebrissensis	79
P. Franciscus Turrianus Soc. Iesu	79
P. Vrgantinus Soc. Iesu	79
Robertus Bellarminus Soc. Iesu S.R.E. Card.	79
P. Franciscus Ribera Soc. Iesu	79
P. Nicolaus Lancicius Soc. Iesu	79
P. Florentius Momorantius Soc. Iesu	79
S. ANNA Mater Deiparæ	78
M. Valerius Martialis Poeta	78
Claudius Ptolemæus Astrologus	78
Vsuncassanus Rex Persarum	78
Accursius Iurisconsultus insignis	78
Hippolytus Marsilius Bonon. I. V. C.	78
Stanislaus Hosius Cardinalis	78
S. Thomas à Villanoua Archiepisc. Valentiæ	78
Galilæus de Galilæis Mathematicus	78
P. Antonius Possevinus Soc. Iesu	78
P. Iulius Mazarinus Soc. Iesu	78
P. Theophilus Raynaudus Soc. Iesu	78
Samuel Propheta	77
Archimedes Syracusanus	77
Petrus Bembus Histor. Cardinalis	77
Io. Iouianus Pontanus	77
Bartholomæus Salicetus I. V. C.	77
P. Petrus Canisius Soc. Iesu	77
P. Andreas Scottus Soc. Iesu	77
P. Iosephus Scamacca Soc. Iesu	77
P. Iacobus Gordonus Soc. Iesu	77
P. Albertus de Comitibus Soc. Iesu	77
Octauianus Augustus Imperator annos 76. mensemque 1.	76
Titus Liuius Historicus	76
S. AVGVSTINVS Doctor Ecclesiæ, ideſt annos 75. menses 9. dies 16.	76
Mathildis Comitissa obijt 24. Iulij 1115.	76
Ioannes Rex Lusitaniæ obijt an. 1433.	76
Georgius Buchananus	76
P. Hieronymus Torres Soc. Iesu	76
P. Marius Bettinus Soc. Iesu	76
Vrbanus VIII. Sum. Pontifex	76
Tiberius Imperator annos 74. menses 4.	75
M. Antoninus Pius Imper. 74. mens. 5. dies 8.	75
M. Claudius Tacitus Imper. an. 74. m. 5.	75
Marianus Socinus I. V. C.	75
Hieronymus Cardanus Med. Astrol.	75
Io. Baptista Guarinus Ferrariensis Poeta	75
Petrus Antonius Cataldus Bononiensis Mathematicus	75
P. Sebastianus Barradius Soc. Iesu	75
P. Emmanuel Sà Soc. Iesu	75
P. Christophorus Clauius Soc. Iesu	75
P. Benedictus Pererius Soc. Iesu	75
P. Gaspar Sanctius Soc. Iesu	75
P. Georgius Iustinianus Soc. Iesu	75
S. Basilius Magnus Doctor Eccl.	74
B. Laurentius Iustinianus	74
Leonardus Aretinus Poeta	74
Lilius Gregorius Gyraldus Ferrariensis	74
Baiazethes II. Imperator Turcar.	74
Io. Palæonidorus Carmelita	74
Henricus Ranzouius Astrologus	74
Matthæus Raderus Soc. Iesu	74
P. Thomas Reina Soc. Iesu	74
P. Vincentius Maria Bargellinus Soc. Iesu	74
P. Io. Baptista Campomorus Soc. Iesu	74
Chrysippus Philosophus Stoicus	73
Menedemus Eretricus Philosophus	73
Rodulphus Comes Habspurgi, & deinde Imper.	73
Orlandus de Lasso Musicus insignis	73
Gulielmus Budæus Cancellarius Paris.	73
Alexander VI. Summus Pontifex veneno extinctus annor. 72. m. 10. d. 12.	73
Io. Cochlæus Theologus	73
P. Benedictus Palmius Soc. Iesu	73
P. Alexander Bosellus Soc. Iesu	73
P. Ioannes Rhò Soc. Iesu	73
Anaxagoras Clazomenius Philosoph.	72
Agathocles II. Rex Siciliæ	72
Epicurus Philosophus	72
Aristarchus Samothrax Grammaticus	72
Menander Comicorum princeps	72
Sulpitius Galba Imperator annorum 72. d. 22.	72
Carolus Magnus Imperator	72
Actius Syncerius Sannazarius Poeta	72
Baptista Spagnolus Mantuanus Carmelita Poeta Nobilis	72
Ioannes Boccacius	72
Philippus II. Rex Hispaniarum	72
P. Claudius Aquauiua Soc. Iesu, Præpositus Generalis	72
P. Franciscus Arias Scriptor Soc. Iesu	72
P. Hieronymus Fasolus Soc. Iesu	72
MARIA Virgo Deipara probabiliùs vixit annos 70. menses 11. & dies 3. ex dictis Tomo 1. Chronologiæ Reformatæ lib. 8. cap. 14.	71
Socrates Philosophus	71
Cocceius Nerua Imperator, licet alij dicant vixisse an. 68.	71
Alexius Comnenus Imperator Orientis	71
Andronicus Palæologus Imperator Orientis	71
Hieronymus Fracastorius Med. & Poeta	71
Raphael Volaterranus Histor.	71
Nicolaus Copernicus Astronomus	71
Paulus Iouius Historicus	71
Ruardus Taper	71
Abraham Ortelius Geographus	71
I æuinus Torrentius	71
P. Alphonsus Pisanus Soc. Iesu	71
P. Petrus Fonseca Soc. Iesu	71
P. Iulius Nigronus Soc. Iesu	71
P. Stephanus Binettus Soc. Iesu	71
P. Cornelius à Lapide Soc. Iesu	71
DAVID Rex Iudæorum	70
Ennius Poeta Calaber	70
Euripides Poeta Tragicus	70
Philopœmen Dux necatus	70
Flauius Vespasianus Imperator annor. 69. mens. 7. dier. 7.	70
Cl. Galenus Medicus apud Suidam	70
Origenes Adamantius	70
S. Dunstanus Archiep. Cantuar.	70
S. Brigida Sueua	70
Franciscus Petrarcha Poeta Laureatus	70
C. Cornelius Sylla	70
Ludouicus Cælius Rhodiginus	70
M. Antonius Sabellicus Histor.	70
Basilius Imperator Orientis	70
Sigismundus Imperator	70
Bramantes Architectus insignis	70
Alexander Piccolomineus Philosophus	70
Iacobus Sadoletus Mutinensis S.R.E. Card. vel 69.	70
Gulielmus Alanus Cardinalis	70
Gabriel Paleottus Archiep. Bonon.	70

	Vixit Annos
Io. Baptista Porta Neapolitanus	70
Erasmus Roterodamus, licet alij dent solũ an. 64.	70
Elizabetha Angliæ Regina Hæretica	70
Benedictus Arias Montanus	70
Ioannes Auila Concionator insignis	70
P. Alphonsus Salmeron Soc. Iesu annor. 69. mens. 5. dier. 8.	70
P. Achilles Galiardus Soc. Iesu	70
P. Henricus Samerius Soc. Iesu	70
P. Nicolaus Causinus Soc. Iesu	70
P. Ludouicus de Ponte Soc. Iesu	70
P. Io. Baptista Andreasius Soc. Iesu	70
P. Dionysius Petauius Soc. Iesu	70
P. Franciscus Suarez Soc. Iesu	70
Mithridates Rex Ponti	69
S. Antoninus Archiep. Florentiæ	69
Dionysius Rijckel Carthusianus	69
Lucas Paetus Iurisconsultus	69
Ludouicus Areostus Ferrariensis Poeta	69
Iosephus Scaliger	69
Antonius Augustinns Antiquarius	69
Cæsar Baronius S. R. E. Card.	69
P. Leonardus Lessius Soc. Iesu	69
P. Carolus Scribanius Soc. Iesu	69
P. Alphonsus de Castro Soc. Iesu, Collega Gabrielis Vasquij	69
Gregorius XV. Sum. Pontifex	69
P. Franciscus Piccolomineus Soc. Iesu Præpositus Generalis	69
Azarias qui, & Ozias Rex Iuda	68
Diocletianus Imperator impijssimus	68
Iulius II. Summus Pontifex	68
Iacobus Cuiacius Iurisconsultus	68
Ioannes Bodinus Historicus	68
Hieronymus Surita Historicus	68
Manasses Rex Iuda	67
Constantinus X. Imperator Orientis	67
Alphonsus IV. Rex Aragoniæ	67
Aelius Pertinax Imperator an. 66. mens. 11. d. 27.	67
Henricus infans Lusitaniæ	67
P. Io. Petrus Maffeius Soc. Iesu Hist.	67
P. Antonius Ruuius Soc. Iesu Philos.	67
Anaximander Milesius Philosophus	66
Heraclius Imperator Orientis	66
S. Bernardinus Senensis	66
Marsilius Ficinus Philos. Platonicus	66
Franciscus Sfortia Dux Mediolani	66
Sigismundus Rex Sueciæ, & Poloniæ	66
Ioannes I. Rex Lusitaniæ	66
Baldus Iurisconsultus Perusinus	66
Petrus de Apono	66
Paulus II. Summus Pontifex	66
Thomas de Vio Caietanus Card.	66
Federicus Commandinus Mathematicus	66
P. Hieronymus Natalis Soc. Iesu	66
P. Bernardus Colnagus Soc. Iesu	66
P. Alexander Caprara Soc. Iesu	66
Æschylus Poeta Tragicus	65
Annibal Dux Carthaginensium	65
Iulius Maximinus Imperator	65
S. Fulgentius Episcopus Ruspensis	65
Septimius Seuerus Imperator annorum 64. mens. 9. d. 25.	65
Alphonsus V. Magnanimus Rex Aragoniæ	65
Dominicus Grimanus Cardinalis	65
S. IGNATIVS Loyola Soc. Iesu Fundator	65
Didacus Couarruuias	65
P. Ludouicus Molina Soc. Iesu	65
P. Christophorus à Castro Soc. Iesu	65
Ioannes de Lugo Soc. Iesu S. R. E. Card.	65

	Vixit Annos
Pindarus Poeta Lyricus	64
M. Tullius Cicero 1. Decemb. occisus	64
Hortensius Orator disruptus	64
Claudius Imperator annor. 63. mens. 2. d. 13.	64
Vlpius Traianus Imper. an. 63. mens. 9. d. 4.	64
Constantinus Magnus Imperator	64
S. Ambrosius Archiep. Mediolan.	64
Ludouicus Pius Rex Franciæ.	64
S. Lutgardis	64
Philippus Cominæus Historicus	64
P. Iosephus Anchieta Soc. Iesu	64
P. Robertus Personius Soc. Iesu	64
P. Iosephus Raguſa Soc. Iesu	64
P. Octauius Caietanus Soc. Iesu	64
P. Nicolaus Cabæus Ferrariensis Soc. Iesu annor. 63. mens. 9.	64
P. Æmilius Corbanus Soc. Iesu	64
Aristoteles Peripateticorum Princeps	63
Ælius Hadrianus Imperator ann. 62. mens. 5. d. 19.	63
Pius II. Summus Pontifex	63
Carolus Sigonius Historicus	63
Nicolaus Cusanus Cardinalis	63
Maximilianus Imperator	63
Martinus Lutherus Hæresiarcha	63
Consaluus Fernandius Magnus Dux ob. 1515.	63
Petrus Pomponatius	63
Georgius Agricola Medicus	63
Georgius Castriotta princeps Epiri	63
Sebastianus Munsterus	63
Benedictus Varchius	63
Hadrianus Iunius	63
Hubertus Folietta Histor. Genuæ	63
Hieronymus Alexander Cardinalis	63
P. Iacobus Gretserus Soc. Iesu	63
P. Martinus Becanus Soc. Iesu	65
P. Ioannes Præpositus Soc. Iesu	63
P. Georgius Hemelman Soc. Iesu	63
P. Vincentius Fassarus Soc. Iesu	63
Io. Antonius Roffenus Astrologus	63
Petrus Gassendus Phil. & Mathematicus	63
Aratus Sicyonius	62
Matthias Imperator	62
B. Franciscus Borgia Soc. Iesu Præpositus Gener.	62
Io. Antonius Maginus Mathematicus insignis	62
Thucydides Historicus	61
Didius Iulianus Imp. annor. 60. mens. 4.	61
Ludouicus XI. Rex Franciæ	61
Ferdinandus I. Imperator	61
P. Petrus Gambacurta Soc. Iesu	61
P. Vincentius Caraffa Soc. Iesu Præpositus Gener.	61
P. Franciscus Bellomus Soc. Iesu	61
P. Franciscus Prandinus Soc. Iesu	61
Salomon Rex Iudæorum	60
Iosaphat Rex Iuda	60
L. Cornelius Sulla Dictator	60
P. Ouidius Naso Poeta	60
Maximianus Herculeus Imperat.	60
M. Aurelius Licinius Imperator	60
Ludouicus VI. Rex Franciæ	60
Rodulphus II. Imperator annor. 59. mens. 6. d. 3.	60
Io. Bapt. Benedictus Mathemat.	60
Gulielmus Philander Vitruuij interpres	60
Gilbertus Genebrardus Chronogr.	60
Antonius Corrigiensis Pictor	60
Henricus Auceps Imperator	60
Philippus IV. Rex Hispaniar.	60
P. Ioseph Acosta Soc. Iesu	60
P. Thomas Sanchez Soc. Iesu	60
P. Iacobus Granado Soc. Iesu	60
P. Bernardinus Stephanius	60
P. Eribertus Rosuetus Soc. Iesu	60
P. Hippolytus Grassetus Soc. Iesu	60

CAPVT VII.

De Annis Magnis.

CONCLVSIO VII.

Annorum Magnorum multæ sunt species; sed aliquorum mensura certa est, aliquorum incerta, & nondum demonstrata; vel etiam falsò suppositæ.

Magnus Annus Platonicus, ideſt à Platone in Timæo memoratus, quem Cicero de Somnio Scipionis *Vertentem*; & Macrobius ibi l. 2. *Mundanum* appellat, eſt reuolutio omnium ſtellarum tam errantium, quã non errantium ad idem ſyſtema, in quo ſemel, ac ſimul fuerũt ab initio. Quod falsò Phyſici quidam penes Macrobiũ fieri poſſe putant annis quindecim millibus. Annus .n. *Magnum Fixarum* ſeorſim ſumptarũ, earumq; reuolutio integra requirit annos Solares mea quidem ſententia 25579. aliorum vero plures vt docui l. 4. Aſtronomiæ Reformatæ C. 19. & l. 6. Almageſti noui c. 16. vbi de magno Iubilæo Fixarum annorum 49000. ab Iſaac Hazan Synagogæ Toletanæ cantore confecto. Sed an omnium ſiderum motus ſint inter ſe commenſurabiles, quod negauit Dydimus, Keplerus in fine Prodomi Anton. Delphin. lib. de globis cæl. Martinengus in Gloſſa Magna p. 145. diſputat Pererius l. 2. in Geneſ. c. 1. q. 9. idemq; dubitari poteſt de anno, quem Ariſtoteles apud Cenſorinum c. 6. appellat *maximum* eſtque reuolutio Planetarum omnium ad idem ſyſtema cuius ſumma hyems cum in Capricornum conuenerint, cataclyſmum, ſeu diluuium incurrat; ſumma verò æſtas, cum in Cancrum & tunc ἐκπύρωσις, ſeu conflagratio Mundi futura ſit; de quib. vide Senecam l. 3. qq. nat. c. 29. Ipſium l. 2. Phyſiologiæ Stoicor. c. 21. & 22. & Virgilij interpretes ad illud Eclogæ, 4. *Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo*. Hactenus de incertis. Certus enim eſt magnus Annus Canicularis Aegyptiorum Annorum Aegyptiorum 1440. nempè productus ex diebus 365. multiplicatis per 4. quia prima dies Thoth quarto quoq; anno vnum diem anticipat, ita vt ſi prima dies primi menſis Thoth in diem Solſtitij Aeſtiui cadat, eadem poſt annos 360. in Aequinoctium autumnale, & poſt alios 360. in Solſtitium Æſtiuum reuertatur. Hæc periodus dicta eſt σωθιακὴ à cane, quem σώτην Ægyptij vocant, eo quod inita ſit ab exortu heliaco Caniculæ, Anno ante Chriſti Epocham 1322. & abſoluta ſit anno Chriſti 138. ſeu Iuliano 183. vt colligitur ex Cenſorino C. 7. & 8. addente hunc *Annum Dei*, & *Canicularem dici*.

CAPVT VIII.

De Vera quantitate Menſis Synodici, Annorumq; Lunaris, Solaris, ac Siderei.

CONCLVSIO VIII.

Verior quantitas Menſis Synodici, Annique Lunaris, Solaris, & Siderei eſt illa, quam hic ſub aſpectum damus in infraſcripto laterculo ſecundùm motus Medios Luminarium.

PLacita inſigniorum Aſtronomorum retuli in Almageſto Nouo de Anno Solari Æquinoctiali ac ſidereo, quo Sol eandẽ Fixam ſtellã aſſequitur l. 3. c. 15. & 16. de Lunari autem menſe, annoq; l. 4. c. 19. & 20. ſed opinionem quam ibi interim elegeram, coactus ſum mutare in Aſtronomia Reformata l. 1. c. 2. vbi de Solari Anno & l. 2. c. 12. vbi de Lunari & l. 4. c. 19. ac 20. vbi de Fixarum motu annoq; ſidereo; quo Lectorem ablegamus. Adieci hic partem duodecimam Solaris Anni Tropici, ſi quis putet, aut velit Menſes, quos aliquæ nationes tricenum dierum vſurparunt, à Sole potius, quàm à Luna deſumptos eſſe; Alioquin ſi à mora Solis in ſignis Zodiaci ſumerentur, cenſuit Cenſorinus l. 9. ex quorundam opinione Solem verſari in *Ariete* dies 31. in Geminis prope 32. in *Aquario* circiter 29. in *Piſce* fere 30. & ſic in reliquis, inæqualiter; additq; *Ciuiles menſes ſunt numeri quidam dierum, quos vnaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat, vt nunc Romani à Kalendis in Kalendas*. Cæleſtes enim ſeu Aſtronomicos appellat *Naturales*. Porrò ſicut Annus Solaris Ciuilis, ſeu Politicus Aegyptijs fuit Dierum 365. ex tricenarijs duodecim menſibus, & appendice dierum 5. quas Græcè ἐπαγομένας Latinè *Adiectiuas* dicunt; Romanis verò Iulianus annus Communis dierum 365. & Biſſextilis d. 366. Ita Lunaris Annus Ciuilis, & Communis eſt apud computiſtas Kalendarij Hebraici, Græci, & Romani dierum 354. cuius reſidui dies ad Annum Solarem vocantur *Epactæ ciuiles*, & ſunt dierum 11. & aliquando 12. Quando autem poſt triumfere annorum Epactas intercalatur menſis dierum 30. Euadit Annus Lunaris dierum 384. Menſes deniq; Lunares, & Ciuiles ſunt alternis πλήρεις, ideſt *pleni* dierum 30. & κοῖλοι, ideſt *Cani* dierum 29.

ASTRONOMICVS	Dier.	Hor.	Min.	Sec.	Tert.	Quar.
Menſis Lunaris Sydonicus	29.	12.	44.	3.	10.	0.
Menſis Solaris anni pars 12.	30.	10.	29.	4.	0.	0.
Annus ſidereus Solis	365.	6.	9.	21.	42.	0.
Annus Solis Tropicus, ſeu Æquinoctialis	365.	5.	48.	48.	0.	0.
Annus Lunaris ordinarius Embolimeus	354.	8.	48.	38.	10.	6.
	383.	21.	32.	41.	20.	57.
Epacta Anni 1	10.	15.	11.	21.	49.	54.
Annor. 2	21.	6.	22.	43.	39.	48.
Annor. 3	2.	8.	50.	2.	18.	50.
Annorum 4. quorum quartus Biſſextilis	14.	0.	1.	24.	8.	43.

Nihil hic dixi de *Menſe Periodico*, quo Luna Zodiacum percurrit, ſed nondũ Solem interim progreſſum aſſequitur, nec de *Menſe Illuminationis*, qui eſt à prima Lunæ nouæ Phaſi, ad vltimam ſeneſcentis Lunæ Phaſim, tantoq; minor eſt ſynodico, quantum eſt ſpatium *Interlunij*, ſeu Lunæ ſilentis, quo Luna circa coniunctionem cum Sole inconſpicua nobis verſatur; quia non ſpectant ad Chronologiam aut Kalendarij ordinationem.

CAPVT IX.

De Diuerſis Annorum Cyclis.

CONCLVSIO IX.

Inter Cyclos Luniſolares, ſeu Periodos ex Lunæ ſoliſq; annis compoſitas; nullus Ciuili vſui aptior, & Kalendarij politici computiq; Eccleſiaſtici ſtudioſis ſcitu dignior, quàm Metonis Cyclus decennoualis, aut ex Metonicis Cyclis meris, vel cum Cyclis Solaribus, ſeu Ferialibus conſtans.

1 DE huiuſmodi Cyclis non pauca diximus l. 4. Almageſti noui à cap. 19. videriq; poſſunt quædam apud Ptolemæum l. 4. magnæ Syntaxeos c. 9. Geminum in elementis Aſtronom.

nom. C. 6. Censorinum de die Natali, c. 6. & 7. Plutarchum de Placitis Philosophorum l. 2. c. 23. Aelianum de varia historia l. 10. Macrobium l. 1. Saturnal. c. 13. præter recentiores Scaligerum, Petauium, Langium, Bullialdum &c. Prisci enim Græci cum vidissent Lunam interdiu post duos annos Solares, seu reditus ad Solstitium Aestiuum absoluere 25. fere Menses, Biennio elapso, quod ab inclusis terminis τριετηρίδα nominarũt intercalabant mensem vnum, vt Lunaris anni initium propius esset Anni Solaris initio seu Solstitio Aestiuo, & tunc celebrabant ludos Baccho, quos *Trieterida*, dixere. Sed agnito errore ex tali intercalatione orto, Endymion Quadriennium introduxit, quod ab vtroque termino dixere πενταετηρίδα placuitque pro Ludis Olympicis Ioui, in Elide celebrandis; sed quia Solares anni quatuor, redeunte Sole ad Solstitium, continebant ciuiliter dies 1461. Lunares autem cum vnico intercalari mense, dies 1446. cum duobus autem 1476. Cleostratus, Tenedius approbante postea Eudoxo Harpalo, & alijs, introduxit Octennium, à terminis inclusis dictum ἐννεαετηρίδα quo recurrente celebrabant Pythia ludosque Apollinis Delphis. In qua periodo sicut annus Solaris dierum 365 ¼ octies multiplicatus dat dies 2922. ità Lunaris annus dierum 354. adiectis octo Epactis dierũ 11 ¼ efficit dies 2922. videlicet menses ordinarios 96, & cum tribus intercalaribus 99. Intercalabant ergo in eo Octennio ter, nempe ex Gemino anno 3. 5. 8. Interim certum erat apud omnes, Olympicos Ludos celebrari bis mensibus 99. nempe alternatim quouis 49. & 50. mense in Plenilunio, quod primum occurrebat post Solstitium Aestiuum. Verùm quia tandem agnitum fuit octo Solares annos Lunaresq; ciuiles, deficere à cælestibus annis octo Lunaribus per sesquidiem, & post duas Octaeteridas per dies 3. ac 1. circiter horam, Meton Athenienſis, persuasit Græcis Cyclum decennouale m, seu ἐννεαδεκαετηρίδα (cuius tamen adumbratio multo antea in Magna Græcia Numæ comperta fuit, Liuio asserente) approbatumq; id ab Euctemone, & Philippo, cum quibus Meton Solstitia obseruabat. In hac periodo erant dies 6940. Menses Lunares 235. inter quos pleni 125. cauii 110. & intercalares 7. intercalabatur autem anno 3. 6. 8. 11. 14. 16. 19. vt placet Petauio l. 2. c. 13. vel anno 1. 3. 7. 9. 12. 14. 17. vt Langio. Sed potuit intercalari anno 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. aut Hebræorum more, anno 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Nihil horum ego temere affirmarim: Certum est Metonem putasse post 19. annos, Lunæ Solisq; Syzygias ad eandem eiusdem diei horam reuerti. Placuitq; adeò periodus hæc, vt dicta sit *Magnus Metonis Annus*, & à Computistis numerus decennnoualis, *Aureus Numerus* dictus sit, & *Cyclus Lunæ*, nec ab eius vsu ciuitates in Græcia, Italiaq; destiterint; esto Calippus, Democritus, Hipparchus, & alij alios Cyclos maiores introduxerint, qui tamen penes Astronomos, magisquam ciuilis Kalendarij ordinatores inualuerunt.

2. Calippus enim Cyzicenus aduertens Metonicum annum Solarem iusto longiorem esse, vtpote quatuor Cyclis Metonicis seu annis 76. continentem dies 27760. ideoq; Nouilunia vno die anteuertere periodum annorum 76. assumpsit dierum 27759. quibus diuisis per 76. nactus est annum dierum 365 ¼. quod postea Archimdi, Gemino, & Sosigeni arrisit. In ea periodo sunt Lunationes 940. per quas diuisis 27759. prodijt illi Mensis Synodicus dier. 29. h. 12. m. 44. s. 12. T. ferè 48. & intercalationes 28. esto ad totidem intercalationes, Democritus requireret annos 82. Gamaliel autem apud Paulum Episcopum Forosemproniensem, putauit Nouilunia exactius ad idem reuerti post 13. Cyclos Metonicos, hoc est post annos 247. Hipparchus autem post 16. Metonicos, nempe post annos 304. si vnus dies detraheretur; obseruarat enim per Eclipses, Nouilunia anteuertere vnum diem post 4. Calippicas periodos. Ideoq; ad vnum diem eximendum annis 304. detraxit Solari anno Calippico dierum 365. ¼ assumpto, partem diei trecentesimam, videlicet minuta horaria 4. totidemq; secunda, vnde illi annus emerfit Dier. 365. H. 5. M. 55. Se. 12. quod Ptolemæus quoq; recepit. Igitur quatuor Calippicis periodis, idest diebus 111036. vno die dempto, in diebus 111035. Lunationes 3760. fieri dixit. Tandem Franciscus Vieta prop. 31. Kalendarij proposuit periodum Annorum Iulianorum 3400. seu dierum 1241850. in quibus sunt Lunationes 42053. exatèq; restituuntur Nouilunia ad idem ex opinione Vietæ, quod verum putat Clauius c. 24. Kalendarij, si demonstretur Mensem Lunarem esse D. 29. H. 12. M. 44. S. 3. Quart. 10. Quint 43. At nec dum demonstratum est, ait Bullialdus l. 2. c. 3. Solis, ac Lunæ motus esse inter se commensurabiles. Tandem Kepleus præcept. 135. Rodulphinar. ait requiri annos 200000, ad hoc vt periodus Vietæ ab exacta restitutione Nouiluniorũ deficiat vnico Minuto horario, & sec. 19. sed hæ periodi nimis longæ sunt pro Kalendario Ciuili ordinando. Hactenus de Cyclis ex mero anno Lunari, ac Solari compositis, qui potuerunt vtcumque satisfacere Græcis, ac Romanis non adhibentibus 7. ferias hebdomadarias, cum Græci per decades Mensem; Romani per Nonas, Idus, & Kalendas distinguerent. Verùm Hebræis, & Christianis, quibus opus est inuestigare ferias hebdomadis necesse fuit cum Cyclo Lunæ, seu Metonis periodo coniungere Cyclum Solis, seu periodum annorum 28. ad Feriarum inuentionem.

3. Cyclus itaque Solis oritur ex 7. ferijs per 4. ductis, eo quod quarto quoq; anno propter Bissextum duabus litteris Dominicalibus opus sit, vna vsq; ad priorem diem 24. Februarij, altera à posteriore 24. Februarij ad finem anni. Septem porrò litteræ priores Alphabeti A. B. C. &c. sunt dispositæ in Kalendario ordine naturali, itaut A. primæ diei Ianuarij, & B. secundæ &c. adscribatur, quo ordine seruato, ac repetito vsq; ad finem anni Iuliani, cadit eadem littera A. in diem 31. Decembris. Igitur si anno aliquo communi Littera Dominicalis sit A. dies prima Ianuarij, & 31. Decembris cadet in feriam 1. seu diem Dominicam, & anni subsequentis prima dies in feriam secundam, & prima Dominica in diem Ianuarij 7. cui adscripta est littera G. quæ est causa, ob quam in Cyclo Solis Litteræ Dominicales procedunt ordine retrogrado, vt videre est in sequenti tabula edita primum ab incomperto Auctore Anno Christi 328. paulò post Concilium Nicænum, quo anno currebant Dominicales litteræ G. F. ideo in hoc Cyclo primum locum occupant.

Anni	1. 2. 3. 4.	5. 6. 7. 8.	9. 10. 11. 12.	13. 14. 15. 16.	17. 18. 19. 20.	21. 22. 23. 24.	25. 26. 27. 28.
Litt.	g. f. e. d. c.	b. A. g. f. e.	d. c. b. A. g.	f. e. d. c. b.	A. g. F. e. d.	g. b. A. g. f.	e. d. c. b. A.

4. His præmissis, dimissoq; Cyclo Hippolyti annorum 16. & Anatolij, ac Dionysij Alexandrini haud satis compertis; Theophilus Episcopus Alex. edidit Cyclum annorum 437. ex 23. Cyclis Metonicis constantem, illum exordiens ab Anno Christi 380. quo currebat Aureus I. sed quia visus est nimis longus Cyrillo Alexandrino, contractus fuit ad annos 95. ductis 19. per 5. præsertim cum Theophilus in suo Cyclo 100. tantummodo Paschata designasset, eumq; exorsus est ab Anno Christi 437. Sed his Cyclis non restitui Nouilunia ad sedem pristinam, docuit Petauius l. 2. c. 67. Idcircò Victorius, seu vt alij scribunt, Victorinus Aquitanus suasu Hilarij Vrbis Archidiaconi, ac posteà Summi Pont. anno 463. excogitauit Cyclum annorum 532. nempe factum ex Cyclo Metonico 19. ducto per Cyclum Solis 28. annorum; qua Periodo absoluta, redibat anno 533. Pascha ad eandem eiusdem Mensis diem, eamq; exorsus est ab anno Passionis Dominicæ; sed hunc Cyclum Dionysius Exiguus Abbas anno 535. retrotraxit ad Annum Dominicæ Incarnationis, quem confudit cum anno à Circumcisione inito; ideoq; illi anno adscripsit Aureum numerum II. & Solis Cyclum X. cum deberet anno Incarnationis adscribere Aureum I. & Solis Cyclum 9. Bedas verò eundem Cyclum inijt ab anno Circumcisionis, sed à die 23. Martij; at Campanus ab initio Ianuarij. Vide Petauium

tauium l.2. de doctriua tempor. c. 67. & 68. & l.6. c. 10. Vsa est autem Ecclesia his Cyclis, vsq; ad correctionem Kalendarij sub Gregorio XIII. qua loco Numerorum Aureorum substitutæ sunt 30. Epactæ ad inuenienda securius Nouilunia Ciuilia, & Ecclesiastica.

CAPVT X.

De Anno Antiquo Hebræorum.

CONCLVSIO X.

Annus Hebraicus antiquitùs, & ab exordio Mundi probabiliùs fuit Lunisolaris, ideſt constans ex mensibus alternatim dierum 30. & 29. congruaq; intercalatione ad Solarem Annum reductus; quàm Solaris ex mensibus tricenarijs, & appendice quinquediali compositus.

1 SOlares fuisse illos annos, ex Lunaribus quidem Mensibus, sed tricenarijs, & appendice dicta conflatos censuit S. Augustinus l.15. de Ciuit. c.14. vbi loquens de sexcentesimo primo anno vitæ Noe, annisq; Patriarchalibus ait: *Prorsùs tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc est, quem viginti & quattuor horæ diurno curriculo, nocturnoq; determinant; Tantus Mensis, quantus & nunc est, quem Luna cœpta, & finita concludit; Tantus Annus, quantus & nunc est, quem duodecim Menses Lunares, additis propter cursum Solarem quinque diebus, & quadrante consumant.* Assuetus enim erat S. Augustinus, vtpote Africanus Anno Aegyptio non tamen tunc vago, sed intercalatione congrua ob diei quadrantem correcto. Idem censent Arias Montanus lib. de Seculis, Scaliger l.3. Em. temp. tit.7. Io. Lucidus l.3. de emend. temp. c.3. Keplerus in Eccl. Chron. Vbbo Emmius l.1. Chronol. Kristmanus in Kalendario Hebraico, Caietanus, & Fernandius in c. 7. Genes. Keplerus in Eclogis, Petauius l.9. c.10. & 11. Plerique autem dicunt centesimo vigesimo quoq; anno, intercalari solitum mensem 30. dierum ex 120. quadrantibus diei collectum, vt annus dierum 360. cum appendice annua dierum 5. congrueret cum Solari anno cælesti; Solus Caietanus putat annum fuisse dierum 360. absq; appendice, sed sexto quoq; anno intercalatum esse mensem tricenarium. Addit Kristmannus Hebræos prædicto anno vsos à Mundi conditu per annos 3449. vsq; ad Aeram Alexandri, seu vsq; ad annum ante Christianã Epocham 312. inde autem vsos annis Lunaribus per Emboliſmos tamen ad Solares reductis, & mensibus alternatim plenis cauisq; ita tamen, vt anno Domini 469. quo Thalmud Hierosolymitanum, & 505. quo Babylonicum obsignarunt, cauerint, ne vnquam Neomenias Nisan, & Tisri celebrarent feria 6. in odium Christi tunc Crucifixi. Berosus autem qui l.3. antiquit. ait *Hebræos direxisse ex antiqua traditione annum ad cursum Solis*, non repugnat anno Lunisolari.

2. Lunisolares itaq; fuisse antiquos Hebræorum annos, hoc est ex Lunaribus mensibus dierum alternatim 30. & 29. constantes, adeoq; dierum 354. sed cum Solari anno conciliatos, siue per Epactas dierum 11. & aliquando 12. siue per intercalares menses ex Epactis duum triumue annorum consurgentes sentiunt cum doctissimis quibusq; Rabbinis, Liranus, & Abulensis in cap. 8. Genes. Sigonius de Rep. Hebr. lib.3. Hieron. Vecchiettus de primitiuo Mundi anno c.13. Nicol. Mulerus de Iudæorum Anno Lunæsolari c. 8. Torniellus ad Annum Mundi 1656. nu. 20. & 24. Spondanus ibid. nu.13. & 14. & ad Annum 2544. nu. 3. Pandulphus de fine Mundi d.1. c.7. Langius de Annis Christi l.1. c.6.9. & 10. & ex nostra Soc. Pererius l. 13. in Genes. d.6. Io. Mariana opusc. de die mortis Christi, Henricus Philippi in Manuali Chronol. ad c. 5. Geneſis, Salianus ad Mundi annum 1656 nu.6. & 40. Tirinus Tomo 1. in Chronico sacro c.4.5. & 10. sed omnes hi nituntur sola Hebræorum traditione, inter quos Rabbi Maimon apud Langium dixit: *Menses anni, sunt menses Lunæ; Anni verò quibus computamus, Solis sunt.* Sed mihi idem significasse videtur Ecclesiasticus, qui creditur vnus de 70. Interpretibus, dum c. 33. dixit: *Quare dies diem superat, & annus annum à Sole? à Domini scientia separati sunt facto Sole, & præceptum custodiente, & c.43. A Luna signum dici festi, Luminare quod minuitur in consummatione, Mensis secundùm nomen eius est.* Nempe Hebraicè *Iareah*, & Græcè μὴν, quod tam Lunæ, quàm mensi commune est: indicat ergo iam inde à Sole facto, Annum ita per Solem distiugui, vt tamen Mensis à Luna sit ea ratione, qua Hebræi Neomenias inde deducere soliti sunt. Præterea quidquid sit de Græcis, & Aegyptijs, alijsque nationibus, quæ serò veram Lunaris Mensis, Anniq; Aequinoctialis quantitatem didicerunt, id mihi persuadere nequeo, de Antiquis Hebræis ab Adamo, & Seth sapientissimis instructis, non de Patriarchis illis, quibus ob vitam plurium seculorum facilè erat obseruare tum Lunæ phases in Nouilunio, ac Plenilunio; tum æqualitatem dierum in Aequinoctijs; non deniq; de Abrahamo, & Moyse, in omni scientia Caldæorum instructis, vt ex Philone Iosephoq; constat; igitur non menses tricenarios, vt vulgo rudiores Græci, & Aegyptij, sed potius alternis 30. & 29. dierum ciuilitèr vsurparunt. Denique Annus ipse, qui intercurrit ab anno sexcentesimo vitæ Noe, vsque ad sexcentesimum primum eiusdem, iuxta obium, ac planiorem sensum Sacræ Scripturæ, colligatur fuisse dierum 365. vel 366. & tamen hic numerus, qui certè non casu ex datis à Moyse consurgit, non potest colligi, si adhibeantur Menses tricenarij, colligitur autem exactè, si menses alternis 30, & 29. dierum, vt ex sequenti epilogismo apparebit.

3. Constat enim ex Genesis c. 7. & 8. Noe non ingressum esse cum suis cœterisq; animantibus stabiliter in arcam, ibiq; inclusum foris à Deo, nisi *in articulo diei illius, quo facta est pluuia, & quando diluuij aquæ inundauerunt super terram*; quando scilicet Noe *sexcentorum erat annorum*; per mensem iam, & dies 17. currentium; Nempe *sexcentesimo anno vitæ Noe, mense secundo septimo decimo die mensis*, vt habet Vulgata, & Hebraica lectio, Codex Samaritanus, & Paraph. Chald. deinde pluuia super terram totis *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus* facta est, post quos *obtinuerunt aquæ super terram centum quinquaginta diebus*, seu, *roborauerunt se*, manseruntue in suo robore, vt habet Hebraica; seu *exaltatæ sleterunt*, vt habent 70. seu manserunt in eadem altitudine dies 150. vt quater inculcat S. Chrysostomus Homil. 25. & 26. in Genesim, & Rupertus ibidem; nec enim rectè dicitur obtinuisse quis arcem, dum eam obsidet, & oppugnat, sed postquam eam expugnauit: non igitur dies 40. pluuiæ includendi sunt in diebus 150. consistentiæ in eadem altitudine, sed distinguendi, vt ex antiqua traditione Rabbi Salomon, & cum eo Abulensis, Caietanus, Del Rio, Lipomanus, Pererius, Fernandius, Torniellius, Salianus, Spondanus. Si sic est, ergo ab initio pluuiæ ad initium decremẽti aquarum fluxere dies 190. *Requieuit* autem *arca mense septimo, vigesimo septimo die super montes Armeniæ*, Menses autem sex tricenarij cum diebus 27. efficiunt dies 207. sed menses alterni dierum 30. & 29. cum diebus 27. faciunt dies 204. Si hos numeros ab initio anni, ergo detractis mense primo, & diebus 16. diluuium præcedentibus, ideſt diebus 46. remanerent ab ibitio diluuij ad requiem arcæ dies 161. vel 158. cum debuerint esse plures quam 190. at si dies 207. vel 204. numeres ab initio diluuij nihil illis detrahendum erit, sed habebis dies 190. pro pluuia, & consistentia aquarum, & pro decremento vsque ad requiem arcæ dies 17. aut 14. Hinc igitur colligimus similiter apparitionem cacuminum, quæ dicuntur apparuisse: *decimo mense prima die mensis* numerandam similiter ab initio diluuij: Menses autem nouem tricenarij efficunt dies 270. adde his dies 46. præcedentes diluuio; & dies 40, & bis 7. quos expresè Moyses numerat ab apparitione Cacuminum ad primum diem primi mensis Anni sexcentesimi vitæ Noe, & fient omnino dies 370. At si menses illos 9. completos facias alternis dierum 30, & 29. facient dies 266. quibus addendo præcedentes 46. & subsequentes 40. & bis 7. fiunt dies 366. Anno Solari bissextili debiti, quorum 354. Lunari anno debentur, reliqui Epactis ad Solarem annum implendum. Si quis tamen deuorare velit illam dierum 40. pluuiæ inclusionem, in diebus 150. vt omnes menses vniformiter numeret

ret ab initio eodem anni eiusdem; cum Noe ingressus sit arcam die 17. Mensis 2. & egressus, die 27. item mensis 2. sed anni subsequentis, dicendum erit mansisse in arca duodecim mensibus Lunaribus, hoc est diebus 354. & reliquos dies 11. vt in arca maneret anno Solari complendo.

Porrò cum Sacra Scriptura dicat Genesis 9. *Vixit autem Noe post diluuium, trecentis quinquaginta annis, & impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est*, miror quomodo Pererius hinc inferat annum sexcentesimum vitæ Noe, quo diluuium cœpit, fuisse completum, nam si annis 600. completis addas vnum annum quo mansit in arca, & 350. quos vixit post diluuium, vixisset in totum annos 951. (violentum enim est illud *post diluuium* trahere ad initium diluuij) At Scriptura dicit vixisse 950. ergo sexcentesimus non erat completus, sed initus, & habens dies 46. quando incœpit diluuium.

CAPVT XI.

A quo Aequinoctio Hebræi Anni exordium iniuerint.

CONCLVSIO XI.

Tam Mundi, quàm Anni Hebraici Ciuilis initium fuit Aequinoctium Vernum; Esto post Exodum Hebræi, qui Anni initio Aegyptiaco in Aegypto assueuerant, cœperint iussu Dei annos Sabbathicos, Iubilæosq; ab Autumno computare; retento tamen Anni tam ciuilis, quàm sacri exordio à Neomenia proxima Verno Aequinoctio.

1 VEre non autem æstate, autumnoue conditum Mundum, illudq; fuisse naturale anni primitiui principium affirmant Philo. l. 3. de vita Moysis, multiq; Hebræi cum Rabbi Iosue, & Salomone, Chaldæi, Assyrij, & Arabes apud Berosum, & Simplicium 5. Phys. Rabanus, Strabus, & Glossa asserentes, hanc esse veterum Hebræorum opinionem; Ascanius Martinengus in Glossa magna adducens duodeuiginti Patres, in primisq; Basilium, Athanatium, Nazianzenum, Cyrillum, Irenæum, Ambrosium, Augustinum, Damascenum, Theodoretum. Item Bedas adducens Patres Synodi Palæstinæ, Vgo, Caietanus, Petrus Aliacensis, Genebrardus, Adricomius, Paulus Forosemproniensis Episcopus, Ado Viennensis, Ioannes author Summæ Anglicanæ, Io. Lucidus, Marianus Scotus, Petrus Opmeerus, Spondanus, Langius, Gerard. Vossius, Historici apud Diodorum Siculum l. 2. Poetæ insignes Virgil. 2. Georg. Ouid. 1. Fast. Astronomi à verno Aequinoctio motus cælestes ineuntes, vt notat Sacroboscо in sph. c. 2. & ex nostris Molina, Valentia, Sà, Delrius, Clauius, Henricus Philippi, Salianus, ac Tirinus, adeo vt verissime dixerit Iul. Cæs. Scaliger exerc. 247. in Cardanum: *Mundum vere ortum primo, & autumant sapientes, & credere par est*. Considerant enim Patres verba illa Geneseos 1. *Germinet terra herbam virentem &c.* quæ veri magis, quàm autumno congruunt, & ipse accessus Solis ad Boreales plagas, in quibus Adamus fuit conditus, atq; incrementum diei ad hilaritatem prouocans, & ad fruendum diutius commodiusq; cœli conspectu terræq; amœnitate, ipsa volucrum, omniumq; animantium lætitia, & instinctus ad prolem, ipsa deniq; nouitas, & temperies multiplicem insinuant prærogatiuam Veris supra Autumnum senescenti potius anno, vel ob foliorum casum, dierumque decrementum, & frigoris propinquitatem in senium vergenti accommodatum. Morales verò congruentiæ pro Autumno vix vllæ, pro Vere multæ, & magnæ, quàm enim congruum est ea tempestate Mundum, & Adamum veterem creatum esse, qua & populus Dei liberatus est ab Aegyptiaca seruitute, & Tabernaculũ Dei erectum, & nouus Adam mundum reparaturus est incarnatus, eundemq; sacratissima sua passione reparauit, Paschatis antiqui figuram, vero noui Paschatis gaudio adimplens, quas congruentias exprimunt S. Cyrillus Hieros. Catech. 14. & Theodoretus q. 72. in Exodum; Quàm pariter conueniens est Deum eo anni tempore Mundũ de tenebrosa illa aquarum abysso indistinctas partes formasse, quo illum purgaturus erat aquis diluuij ex omnibus fontibus abyssi magnæ cataractisq; cœli erumpentibus, eundemq; vertente anno instauraturus: Verno autem tempore homines diluuio obrutos S. Ambrosius alijq; putant, vt acerbius ferrent priuari se vita tunc, quando erat opportunum ea frui, & quo lasciuiendo Deum contra se prouocarant, & ne aquarum copiam in causas naturales autumnalemq; & hybernam tempestatem quis referre posset; absoluto autem diluuio conuenientissimum fuit terram nouis herbis, ac frugibus scatere ad animalium pascua, hominumq; victum, & vt subsequente æstate melius excoqueretur à præcedenti vliginosi humoris copia.

2. Fuit tamen Ver illud primum in multis Autumno æquiualens, quia sicut Deus fecit hominem non infantem, sed virum perfectum, cœteraq; animalia iam ad generationem idonea, ita & plantas cum suo semine, & si non omnes, multas saltem arbores grauidas fructibus, pomis etiã, & vuis, nedum ficubus, cerasis prunis &c. cum in regionibus aliquibus temperatis toto anno arbores fructificent: quanto magis potuit Deus tunc suo extraordinario concursu coniungere cum viridi amœnitate Veris, Aestiuorum, & Subautumnalium fructuum suauitatem? saltem in Paradiso terrestri, cuius peculiarem curam sibi Deum reseruasse indicant verba illa: *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat: Produxitq; Dominus Deus de limo*, scilicet *Paradisi, omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue*; cum de alijs dictum sit. *Germinet terra; Producat terra.* Igitur ex eo, quod terra produxerit *lignum pomiferum*, quod tamen intelligi posset respectiuè ad tempus opportunum, vt scilicet fructus vernos vere, æstiuos æstate &c. produceret; vel ex eo quod Eua dixerit: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur;* nõ sequitur autumno Mundum cunditum, quo poma solent matuescere: Et ita corruit primum fundamentum Autumno patrocinantium. Duo reliqua fundamenta ex capite anni ciuilis, & ex noua institutione anni sacri post Exodum, mox subruemus.

3. Illa enim verba Dei ad Moysem, & Aaronem Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium; primus erit in mensibus anni*, tantum abest, vt significat nouam institutionem quoad principium mensium, & anni ciuilis exordium, vt potius supponant antiquam; duabus enim congruentijs Deus voluit stabilire primarum Mensis huius, qui *Mensis nouorum, & nouarum frugum, & veri primus temporis* appellatur Exodi 13. 23. & 34. & Deuteron. 16. Prima fuit, quòd portentoso beneficio liberasset Israelitas à seruitute Aegyptiaca, vt exprimitur Exodi 12. & 34. & Deuter. 16. altera fuit; quia idem mensis fuerat iam Hebræis caput anni Ciuilis, esto Aegyptijs, quibus se in Aegypto conformarunt alijsq; Nationibus Orientalibus, vt docet S. Hieronymus in c. 1. Ezechiel, initium anni esset ab autumno; idcirco enim vt obseruant Rupertus, & Lipomanus, Pronomen *Lachen*, ideſt *vobis* iteratur bis in Hebraica lectione, & apud LXX. vbi dicitur. Ο μὴν οὗτος ὑμῖν ἀρχὴ μηνῶν, πρῶτος ἔστιν ὑμῖν ἐν τοῖς μησὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Mensis hic vobis principium mensium, primus erit vobis in mensibus anni*, quod est dicere: Mensis hic, qui apud vos (quidquid sit de alijs nationibus) est principium mensium; primus quoq; vobis deinceps erit in mensibus anni, ideſt præcipuus, non modo numerali ordine, vt antea, sed dignitate quoq; ac nobilitate celeberrimi festi Paschatis in memoriam præclarissimi beneficij &c. Quorsum enim iteratio pronominis *Vobis*, aut vocabulorum *principium*, & *primus*? nonne fuisset inanis tautologia? si enim antea non erat mensis ille principium sufficiebat dicere semel: *Mensis iste vobis erit principium mensium*, vel *primus erit* &c. Scitè igitur Rupertus: *Principium videlicet mensium pro verni temporis naturali ordine; primus in mensibus anni pro Paschali diuinæ auctoritatis festiuitate: primus enim, ideſt præcipuus, & cæterorum mensium festiuum decus vobis, inquit, habebitur*. Et Lipomanus: *Quasi dicat, erit vobis præcipuus mensis inter omnes menses*. Ad idem cap. 12. Exodi Glossa ordinaria de Mense Nisan ait. *Hunc Hebræi primum*

habent, quia eius prima dies seculi fuit. Ibidemq; Rabanus: *Mensem primũ vocat Nisan secundũ Hebræos, in quo creatum est cœlum, & terra, & Mundi extitit exordium.* Et Strabus ibi: *Hic est Nisan secundùm Hebræos, in quo factus est Mundus, cuius plenilunium post Aequinoctium vernale semper est attendendum.* Sed multo ante S. Ambrosius 1. Hex. c.4. locum illum Exodi exponens dixerat. *Inde Mundi capi oportebat exordiũ, vbi erat opportuna omnibus verna temperies: vt ergo ostenderet scriptura Veris tempora in constitutione Mundi ait: Mensis hic vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni.* Sed & Nicetas in 42. Orationem Nazianzeni ex arcana traditione Hebræorum dixit; *Apud Hebræos Nisan primus in mensibus introducitur, ac principum mensium anni, fortaße quia iam inde à principio primus ordine erat: Arcanus enim hic apud Hebræos sermo est, hoc tempus eße, quo Deus vniuersam rerum molem condidit.* Idemq; ex Hebræorum vetustiorum authoritate Bedas lib. de ratione temporum c. 34. *Annum autem ciuilem, ideſt Solarem Hebræi ab Aequinoctio verno incipiunt.* Ergo non post Exodum tantum initium anni sacri in Nisan, ad discrimen anni ciuilis à Thisri, seu autumno, ineundi noua institutione collocatum est, neque id significat Iosephus lib. 1. Antiq. c.4. illis verbis: *Moyses Nisam, qui est Xanticus, mensem primum in festis ordinauit, quod per hunc Hebræos ex Aegypto eduxisset, eundem etiam omnium, quæ ad rem diuinam pertinent exordium fecit, alioquin quod ad nundinas rerum venalium, reliquamq; dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innouauit, sed primum ordinem conseruauit.* Non enim de pristino in Mundi exordio, & ante descensum Patrum in Ægyptum loquitur, sed de consuetudine in Ægypto recepta, dixerat enim, Mensem Marchesuam, qui nostro Octobri respondet, & quo Iosephus putauit diluuium incœpisse appellari secundum quare? audi: Οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες, ideſt: *Sic enim Aegyptij annum ordinauerunt*, eodemque sensu capiendus Paraphrastes Chaldæus 1. Reg. c.8. vbi de mense *Ezau*, seu *Ethanim*, qui est idem, ac *Thisri*, ait: *Quem antiqui vocabant primum, nunc autem vocatur septimus*; antiqui scilicet Hebræi in Aegypto Aegyptiorum, & Orientalium more. Manet igitur subrutum alterum aduersariorum fundamentum iactum in illis verbis Exodi 12. *Mensis iste &c.*

4. Tertium porrò fundamentum aduersariorum, & apud quosdam vel vnicum, vt Petauio, vel præcipuum, sunt verba illa Exodi 23. v. 16. vbi de solemnitate Tabernaculorum seruanda mense septimo dicitur. *Solemnitatem quoq; in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro*, & Exodi 34. v. 22. *& solemnitatem, quando reduente anni tempore cuncta conduntur*: & Leuitici 25. v. 9. *& clanges buccina mense septimo, decima die mensis &c. sanctificabisq; annum qinquagesimum*; Ergo mense septimo, nempe Autumnali tempore anno vetere exunte, redibat annus nouus, & inibatur annus quinquagesimus. Verùm, vt in conclusione indicaui valent hæc, non de initio anni ciuilis, & vulgo communiter in mensium numeratione vsurpati; sed de anni Sabbathici initio, de quo Exodi 23. nu. 16. & toto fere cap. 25. Leuitici, quod conuenientissime inibatur ab eo tempore, quo iam collectæ, & congregatæ erant fruges omnes annis sequentibus seruituræ, & quo seminandum fuisset, nisi Deus agriculturam toto anno sequenti vetuisset, vt terra requiesceret; sicut absoluto septimo anno Sabbathico, conuenientissimè incipiebat annus Iubilæus, & tunc reuertebantur agri ad pristinum Dominium, quando erat tempus seminandi in suo agro, eaq; colligenda erant ab eodem anno sequenti; alioquin vnus seminasset, alius collegisset. Tunc igitur erat exitus, seu finis anni non absolutè, sed quoad agriculturam, & redemptionem agrorum, ac nundinas, seu finis anni mercimonialis. Sic Venetijs, Florentiæ, & alibi mercatores numerant annos à Festo Incarnationis, seu Annuntiationis, etiam si in reliquis actibus anni computentur à prima die Ianuarij. Alioquin si à mundi exordio annus ciuilis ab Autumno initium sumptisset, & postea indidem iussu Dei auspicands fuisset, oportebat hunc mensem in negotijs ciuilibus appellare *primum*, & reliquos iuxta ordinem ab autumnali Mense inchoatum; At hunc Sacra Scriptura semper vocat *septimum*; Mensem autem Nisan, seu Verni Aequinoctij, *Primum* reliquosq; iuxta successionem à primo mense Verni temporis, idq; etiam in rebus merè ciuilibus, in quibus, vt obseruauit Gerardus Vossius in Isagoge Chronol. diss. 2. c. 6. mensis *Primi* fit in Sacra Scriptura mentio quaterdecies; *Secundi* octies; *Tertij* quinquies; *Quarti* bis; *Quinti* septies; *Sexti* bis; *Septimi* quinquies; *Octaui* ter; *Noni* septies; *Decimi* octies; *Vndecimi* ter; *Duodecimi* decies. Illa ipsa Lectio legis Moysi, quæ instauratur ab Hebræis initio mensis septimi, & continuatur septem diebus Scenopegiæ, non est argumentum pro anni capite; eam enim introduxit Esdras hoc mense data tunc primum opportunitate, vt liquet ex l. 2. Esdræ c.8. vbi dicitur; *Et venerat mensis septimus* &c. & paulò post: *Attulit ergo Esdras Sacerdos legem &c. in die prima mensis septimi.*

5. Contra ordinem itaque Sacræ Scripturæ, & contra traditionem vetustissimorum Hebræorum, Tulmudistæ, & Rabbi Eliezer sectatores, nulla de causa, nisi in odium mensis Paschalis, quo Christum Crucifixerunt, vel ob amorem ad nundinas, & contractus rerumq; temporalium commercia, *Rosch. Haschana*, ideſt caput Anni in nouo Kalendario collocarunt ad Neomeniam Mensis Thisri, quæ sit proxima Aequinoctio autumnali, fabulantes in libro *Gemara Abeda Zara* cap. 1. Adamum, & Euam statim à sui creatione vidisse dies decrescentes; Finxere præterea Mundum conditum anno ante Christianam Epocham 3761. concurrente Neomenia Tisri cum Aequinoctio Autumnali die Octobris 7. feria 2. vt habet Mulerus in Kalendario Hebraico, vel vt vult Petauius l. 9. c. 6. anno ante Christi Epocham 3983. Octobris 26. feria 1. in Plenilunio Ciuili. Mirandum sanè, quomodo Recutiti illi in suam de Mundo, & Anno ciuili ab Autumno inito sententiam traxerint Lyranum, Abulensem, Ariam Montanum, Iosephum Scaligerum, Mulerum, Origanum, Longomontanum, Vecchiettum, Vbbonem Emmium, Tormiellum, Picum Mirandulanum, Serrarium, ac propemodum Pererium, & vt dixi, Petauium. Spondano enim condonandum μνημονικὸν ἀμάρτημα, qui ad diem Mundi 6. nu. 31. concluserat Mundum probabilius conditum, in Aequinoctio Verno, & tamen ad annum Mundi 2544. nu. 11. & 12. antiquum Hebræorum annum ad Autumnali Aequinoctio initium tuetur. Sunt tamen qui putant multo ante Talmud obsignatum, Iudæos Kalendarij sui ordinem immutasse, quando scilicet Aeram Alexandrinam receperunt, quæ initium sumpsit anno ante Christum 312. à Kalendis Octobris feria 2. vt habet Kristmannus in Calend. Hebraico, quæ dicta est quoq; *Aera contractuum*, vnde libri Machabæorum annos computant. Nihilominus ille Auctor Machab. Hebraicam Mensium computationem retinens l. 1. c. 4. nu. 52. dixit, *Vigesima die Mensis noni, hic est Mensis Casleu:* est enim nonus à Nisan, sed tertius à Thisri, & c. 16. v. 14. *Mense vndecimo hic est Mensis sabbath.* qui non est vndecimus nisi à *Nisan*, cum sit à Thisri quintus.

Quoad Mundi tamen initium Gerardus Mercator in sua Chronologia, & Keplerus in Rodulphinis probabile putant æstate conditum; Keplerus quia anno 3993. ante CHRISTVM. Apogeum Solis, & Planetarum aspectus in Solstitio æstiuo erat valde congruens; Sed infra ostendetur Mundum multo antiquiorem esse. Audiamus Petrum Comestorem in Hist. Schol. ad c. 5. Geneſis. *Quidam dicunt Mundum vere factum, quia viror illius temporis est, alij quia legunt Lignum faciens fructum, & herbam habentem semen factum dicunt in Augusto sub Leone, sed in Martio factum dogmatizat Ecclesia*; Esto Aegyptij aliqui in exortu Caniculæ.

CA-

CAPVT XII.

De initio Mensium Hebraicorum à prima Lunæ Phasi, & de Luna Paschali, ordineq; ac nomine Mensium apud eosdem.

CONCLVSIO XII.

Mensium initia, seu Neomenias Hebræi olim non ex Cyclis Lunisolaribus, aut Tabulis mediorum motuum, quibus tamen non carebant, sed ex prima Phasi Lunæ, quotiescumq; poterant, determinabant; ita tamen vt Neomenia Mensis Nisan, seu Paschalis illa esset, cuius dies decima quarta in aut post Aequinoctium Vernum caderet, intercalatione (si opus esset) præmissa; reliquos verò Menses communiter ordine numerali à Nisan inito nominarent: adiunctis aliquando nominibus Chaldaicis, aut Syriacis.

1 PRima dies Mensis Hebraicè *Rosladες*, ideſt Caput Mensis, Latinè in vulgata lectione aliquando *Kalendarum* nomine indigetatur, vt Numeror. 28. V. 11. Ezechielis 46. & Esaiæ 1. v. 13. frequentiùs tamen nominatur *Neomenia*, quæ, non secus ac Sabbathum quoduis, erat dies festus, iuxta illud Esaiæ 1. *Neomeniam, & Sabbathum, & festiuitates alias non feram &c. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea.* & Ezechielis 46. *Porta atrij* &c. *die Sabbathi*, & in die *Kalendarum aperietur.* & Ps. 80. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ*; deniq; Ecclesiastici 43. à *Luna signum diei festi*. Sed vtrum Neomeniam Iudæi determinarint à Synodo, veraq; aut media coniunctione Lunæ cum Sole ex Tabulis prægnita, & in vulgus anteeedenter edita, an potius à prima post Synodum Phasi controuersum est. Scaliger enim negat à Phasi, & Paulus Forosempronienſis Episcopus parte 2. Summæ l. 8. laudans Cyclos Gamalielis. Ratio Scaligeri est, quod ob vetitam obseruationem stellarum, eorum cursum ignorarent, quasi verò Deus, qui de stellis, & præcipuè de Luminaribus dixerat: *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos* vetuerit obseruari Aequinoctia, Solstitia, & Nouilunia, & non potiùs superstitiosam Syderum obseruationem, & cultum, seu Astrologiæ iudiciariæ vanitatem, vt constat ex Deuteronomij 4. Addit Scaliger eos vsq; ad Alexandri Epocham vsos esse periodo Hipparchæa, deinde Calippica, nullo idoneo auctore id confirmans, sed eo potissimum argumento, quod ob nubilum cœlum, vel ob distantiam nimiam à Hierosolyma sæpe multa millia Iudæorum ignorassent diem Neomeniæ, Obseruationem autem primæ Phasis deseruisse Iudicibus Synedrij, vt priuatim suos Cyclos examinarent, non vt ex ea statim Neomenias populo promulgarent, sed quomodo id ipsum erat illis concessum, si vetita omnis obseruatio siderum?

2. At alij ex Phasi Lunæ solitas determinari Neomenias censent cum eruditissimo Clemente Alex. l. 6. strom. Panuuino in Fastis ad Vrbis annum 786. Salmerone tom. 1. prolog. 38. Heruarto c. 171. Petauio l. 2. de doctrina temporum à c. 24. ad 30. & à cap. 43. ad 46. Vuilelmoque Langio L. 1. de Annis Christi cap. 6. & 9. Non quod Hebræi antiquitus, ab Adamo, Abrahamo, & Moyse non acceperint quasi per manus traditam sufficientem cælestium, motuum doctrinam, aut siue Hipparchi postea, siue aliorum Cyclos neglexerint, sed quia didicerant à maioribus, ad euidentiorem vulgoque persuasibiliorem normam veris potius quàm medijs motibus, & ipsa Lunaris Phaseos inspectione Neomenias populo indicere, & calculo motuum vti ad præuidendum diem, quo mittere debebant speculatores ad Lunæ primam Phasim explorandam qua de re conuenit inter *Karreos*, seu *Scripturarios* Rabbinos, qui scilicet scripturas traditionibus præferunt, & *Talmudistas*, seu *Traditionarios* qui Traditiones scripturis. Sic Elias scripturarius apud Langium dixit. *Præceptum hoc sanctificandi Lunam secundùm phasin, extabat seculis antiquissimis, temporibus Noachi, & Abrahami Patris nostri, quibus pax.* Addunt Rabbi Moses, & Rabbi Maiemon Deum Moysi ostendisse *speciem Lunæ, prout apparet, quando sanctificatur*. Iehuda quoq; author Misnæ Talmudicæ anno fere 100. post Christi Ascensionem, & Gemaræ sapientes, vt patet ex codice *Roshaschana* nullam ciuilem, aut sacram Neomeniam agnoscunt, nisi quæ ex visu nouæ Lunæ certificata fuerit, adducitq; Iehuda pro hoc epistolam Gamalielis Synedrij principis ad cuius pedes eruditus fuit Paulus Apostolus, & c. 2. Paragr. 8. addit: *Imagines Phasium Lunarium erant ipsi Rabbi Gamalieli in mensa, & in pariete in cœnaculo ipsius, quas ostendens idiotis rogabat, vtrum hanc speciem vidisti, an illam?* Clemens quoq; Alexandrinus l. 6. Strom. refert Epistolam Petro Apostolo attributam, in qua dicitur: *Nisi Luna appareat neque neomeniam agunt &c.* Et Philo dum dicit, *Neomeniam esse, quæ Synodo Lunari, seù Nouilunio succedit*, satis indicat eam non à iugo, sed à Phasi quæ coniunctioni succedit, determinari solitam etiam suo tempore hoc est Christi.

3. Praxis ex Elia Scripturario, R. Mose, Gemara Babylonica, & Misna Talmudita talis erat. Præuiso ex tabulis die sperandæ phaseos, vel penultima die mensis, seueriſſimo scrutinio delectos duos saltem viros perspectæ integritatis destinabant in loca edita ad speculandam Lunæ primam phasim. Si Lunam conspexissent *in sua vespera*, ideſt nocte subsequenti diem 29. Mensis præteriti, mensem præteritum cauum fuisse autumabant, si vero nocte *intercalationis suæ*, ideſt subsequente diem trigesimam, plenum; in vtroq; autem casu post examinatos speculatores pronunciabant: *Sanctificata est, sanctificata est*, & buccina Neomeniam promulgabant. Quod si toto die 30. Confessus iudicũ expectasset, nec testis vllus de phasi Lunæ aduenisset, dies sequens ideſt 31. statuebatur pro Neomenia iuxta Talmudicos: Nã iuxta Karræos si Luna die 31. visa esset duab. tribusue horis ante Occasum Solis, dies antecedens habebatur pro Neomenia. Iã si post aliquot dies superuenissent testes afferentes visam à se Lunam tempore suo, ideſt nocte ante diem 30. retinebant Neomeniam, dieſq; numerabant ab ea phasi. Mittebantur autem nuncij, & cursores ad loca non plus distantia Ierosolymis, quàm itinere dierum 10. sed quibus cito non fiebat notum decretum Synedrij, celebrabant biduo Neomeniam. Eadem tamen determinatio spectabat ad alia Synedria, quæ Gabinius Pompeij legatus constituit in quinque Ciuitatibus Palæstinæ teste Iosepho l. 14. c. 10. Mihi autem verosimilius est in vnaquaq; ciuitate fuisse suos iudices ad id deputatos, nec ex Synedrio remotarum Vrbium missos nuncios, vt sciretur quid faciendum esset, sed quid alibi factum esset, ad eruditionem, aut solatium, si diem in eandem conspirassent. De regulis determinandi tempus inter verum Nouilunium, & primam phasim plura nos l. 4. Almagesti noui C. 3. & Langius supra, sed hic ex Rabbinis, concluditq; si Nouilunij veri momento addantur horæ 27. ½. haberi tempus, circa quod Luna necessario visibilis sit; Ita obseruatum esse ab antiquo tempore Mosis, vsq; ad tempus, quo desijt Sanhedrin in terra Israel, nempe vsq; ad dispersionem Iudæorum; Posteà enim non ex Phasi, sed ex calculo neomenias computari solitas affirmat R. Maiemon C. 5. Kidus Hachodes. Posse tamen Lunæ primam phasim non contingere nisi 3. aut 4. die post verum Nouilunium ostendimus lib. 4. Almagesti cap. 3.

De Neomenia Paschali.

4 DVas conditiones pro celebrando Paschate expressit Deus in S. Scriptura, nempè diem decimamquartam primi mensis, & vernum tempus nouasq; fruges pro charactere primi mensis. De priori est illud exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni &c. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas &c. & seruabitis eum vsq; ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitq;*

eum

cum vniuersa multitudo filiorum Israel ad Vesperam &c. & comedetis festinanter: est enim Phase, idest transitus Domini; & iterum: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsq; ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*: Et Leuitici 23. *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est*. Quod repetitur Numerorum 9. & 28. sed c. 9. additur. *Homo, qui fuerit immundus super anima, siue in via procul ingente vestra faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam*; alias enim non poterant, opportunè peruenire Hierosolymam, vel ad locum à Deo id destinatum, ad quem conuenire debebant in tribus solemnitatibus anni omnes masculi, nempe Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, seu Scenopegiæ, & reipsa quia Sacerdotes aliquando non potuerunt sanctificari tempore suo, fecerunt Phase in Mense secundo, vt narratur 2. Paralip. c. 30. —— Altera conditio exprimitur Exodi 13. n. 4. *Hodie egredimini mense nouarum frugum*. Hebraicè est *Abib*, ideſt *calami, & spicæ*. & c. 23. n. 15. *Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum*, & c. 34. n. 18. *In tempore mensis nouorum: Mense enim verni temporis egressus es de Aegypto*. Denique Deuteronomij 16. *Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte*.

5. Cum autem ex vna parte vernum tempus non incipiat nisi ab Aequinoctio, nec nisi post illud nouæ fruges etiam in Palestina spicas producant, quarum *omer*, ideſt manipulum afferre debebunt die 2. Azymorum ex Leuit. 23. n. 10. ex altera verò parte Lunaris mensis non sit dierum 30. sed 29 ½. ciuiliter, & dies mensium, computarentur non à vero Nouilunio, sed à prima Lunæ Phasi, vt diximus num. 2. & 3. si dies decima quarta ad vesperam completa, incidat ante Vernum Aequinoctium, seu diem Aequinoctio Verno ciuiliter deputatum, etiam si vnico tantum die hoc succedat nempe die decima quinta Lunæ, patet maiorem partem mensis Lunaris ante Verni temporis initium cadere, nec pertinere illam Lunationem ad Ver, sed ad Hyemem exeuntem. Igitur, vt maior pars mensis Lunaris spectet ad Ver potiùs quàm ad Hybernam tempestatem, oportet, vt dies decima quarta Lunationis ciuilis incidat aut in diem Aequinoctij Verni, aut post illum; sic.n. erit ille *Mensis primus Verni temporis*, & quanto plus post Aequinoctium accidit, tanto securius idem *Mensis nouarum frugum est*. Itaq; ego ex meris verbis Sacræ paginæ, ac ciuilis mensis Lunaris quantitate initioq; regulam Mensis idonei celebrando Paschati deducendam duxi. Esto Calendarij expositores, ad auctoritates alias se referant, quibus non negauerim hanc regulam vehementer confirmari; Dies 14. Mensis, appellatur, vt nunc communiter, *Luna decima quarta*: in l. 3. Esdræ C. 1. *Et fecit Iosias Pascha in Ierosolymis Domino, & immolauit Phase quarta decima Luna primi mensis*. & c. 7. *Et egerunt filij Israel cum his, qui erant ex captiuitate, illud Phase quarta decima Luna mensis primi*. Philo autem l. 3. de vita Mosis: *Moses primum anni mensem facit eum, qui in Vernum æquinoctium incidit*, & paulò post. *Eius Mensis die quarta decima sub ipsum tempus quo Luna suum orbem solet complere Lumine, celebratur publica festiuitas migrationis, quam Chaldaicè Pascha nominant*. Iosephus quoq; l. 3. Iudaicar. antiq. c. 13. *Mense verò Xanthico, qui apud nos Nisan appellatur, & est anni principium, quartadecima Luna, Sole opposito in Ariete, quo Mense liberati sumus à seruitute Aegyptiorum, immolare nos annis singulis (quod Pascha dicitur) celebrareque præcepit*. Clariùs hæc apud Eusebium l. 7. histor. Eccl. c. 29. Anatolius Alexandrinus Laodiceæ in Syria Episcopus, qui teste Tritthemio de Scriptoribus Eccl. claruit anno Domini 285. scripsitq; volumen egregium de Paschate cum docuisset, annum quoad Pascha celebrandum, ab Aequinoctio verno inchoandum esse, subdidit: *Et idcò non paruum delinquere dicimus eos qui ante initium hoc noui anni, ideſt ante Vernum Aequinoctium Pascha putant esse celebrandum. Sed nec à nobis primum exordium sumit hæc ratio, sed ab antiquis Iudæis fuisse comprobata demonstratur, & ante aduentum CHRISTI obseruata, sicut euidenter docent Philo, & Iosephus, sed & horum antiquiores Agathobulus, & ab eo eruditus Aristobolus, ex Paneade, qui vnus ex illis LXX. Senioribus fuit qui missi fuerant à Pontificibus ad Ptolomæum Regem Aegypti; Hebræorũ libros interpretari in Græcum sermonẽ, quiq; multa ex traditionibus Mosis proponenti Regi percunctantiq; responderunt. Ipsi ergo, cum quæst. Exodi exponerent dixerunt Pascha nõ priùs esse immolandum, quàm Aequinoctium vernale transiret. Aristobulus verè etiam hoc addidit; In die Paschæ non solũ obseruandum esse, vt Sol Aequinoctium vernale transcendat, verũ & Luna. Cũ verò duo sint æquinoctia Veris scilicet, & Autumni, & quartadecima mensis primi sit statuta solemnitas post vesperam quando Luna Soli è regione opposita deprehẽditur, sicut etiam oculis probare licet, inuenitur vtique vernalis Aequinoctij partem, Sol obtinens, Luna verò è contrario Autumnalis. Legi in eorum libris, & aliis multa de his validissimis assertionibus expositа, quæ euidenter ostendunt Paschæ solemnitatem omnino post Aequinoctium celebrandam.* Non quòd non liceat ipso die Aequinoctij, sed quia quando ciuile æquinoctium cadit in 14. Diem Lunæ censetur factam eo die multis ante Solis occasum horis, ideoque Phase celebratur post æquinoctium, quia celebratur die 14. ad vesperam, seu ad occasum Solis, vt explicatur Deuteronom. 16. n. 6. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Aegypto*. Quod tempus Exodi 12. n. 6. iuxta Hebraicam lectionem dicitur esse *inter duas vesperas*, nimium quia vesperæ nomine venire solet tam tempus Serotinum ante occasum Solis, quàm crepusculum post occasum Solis.

6. Hinc apparet ratio ob quam Hebræi Lunarem annum ad Solarem, seu Aequinoctialem dirigebant, & si decima quarta dies Lunæ mensis duodecimo succedentis caderet citra Aequinoctij verni diem, totus ille mensis, tanquam ad Hybernum tempus, maiori sui parte pertinens deberet intercalari, & addi anno præcedenti, qui pro inde Embolimæus cuadebat, & mensium 13. Hunc verò mensem appellabant *Ve-Adar*, ideſt secundum seu Posteriorem *Adar*. Quæ intercalatio modò tertio, modò secundo, quoq; anno, & septies in anno magno Metonico fieri solebat, & solet: Rectè itaque Rabbi Maiemon C. 1. idus Hachodes dixit. *Menses anni sunt menses Lunæ &c. Anni verò quibus computamus Solis sunt; ita enim dictum est: obserua mensem Alib, siue frugum matureſcentium*. Quoniam verò secunda conditio de Mense verni temporis, duas conditiones partiales includit, nempe, vt factum sit Aequinoctium, quod est veris initium, & vt sit mensis nouarum frugum, ita tamen vt die altera post primam azymorum nempe die 16. mensis posset offerri manipulus spicarum, si non frumenti, saltem hordei, vt patet ex 23. Leuitici n. 10. si quartadecima dies incideret aut in diem Aequinoctij, aut tàm citò post ipsum, vt ita ferente temperie anni, fruges nondum spicam complessent, intercalabant tamen mensem vnum, & expectabant sequentem mensem tanquam vernum quidem, sed & nouarum frugum, idoneumq; paschati celebrando, & offerendo *omer* in die præscripta; quod eo libentius faciebant, quando propter niues, & pontes ruptos ægrè poterant aduenæ, & proselyti peruenire Ierosolymam ad celebrandum Pascha nisi dilatio illa facta esset, quæ etiam præbebat commoditatem furnos extruendi, in quibus omnes patres familias Iudæorum conuenientes Ierosolymam ex toto orbe, debebant assare agnum Paschalem; Quas duas, vel etiam tres causas intercalationis implicite in Præcepto Diuino comprehensas attingunt Aben Ezra in C. 12. Exodi dicens. *Et si tempus Abib non fuerit inuentum in medio mensis: faciemus Pascha mense sequente*. Et in Gemara Sanhedrin fol. 10. dicitur: *Ob tres causas intercalant annum, propter Abib, & propter fructus arborum, & propter Aequinoctium; si duæ harum concurrant, intercalant; sin vna tantum non intercalant. Quod si Abib, siue tempus frugum matureſcentium vna harum causarum fuerit omnes lætantur*. Nempe quia intercedit tempus commodiori itineri, & apparatui pro hospitibus. At quando dies 14. Lunæ incidebat in aut post Aequinoctium, & iam fruges maturæ erant, non facile intercalabant, vt aduertit R. Maiemon. *Non intercalatur mensis vnus nisi necesse sit propter itinera, pontes, furnos agnorum Paschalium exules sedibus suis egressos, si nondum ad vrbem peruenerint*. Innuit, & aliam causam R. Simeon filius illius Gamalielis, de quo in Actis Apostolor. dicens. *Notum*

tum vobis facimus, quod cum pulli adhuc sunt teneri, & agni tenues, & tempus Abib conuenerit, mihi visum sit addere huic anno triginta dies. Non quod causæ ille accidentales sufficerent, sed quia concurrentibus successione æquinoctij post Lunam 14. aut immaturitate frugum, reliquæ coadiuuabant, & in dubio inclinabant ad intercalandum. Plusçula vide apud Iangium l. 1. de Annis Christi c. 10. Iam si post Aequinoctium, vel in ipso, celebranda est Phase, ergo errarunt Talmudici, & R. Moses, seu Maiemonides, qui vt refert, nec satis refellit Petauius l. 2. c. 30. recipiebant pro mense Paschali si Tekupha, seu Aquinoctium vernum cadebat in diem 16. Lunæ, hinc enim factum, vt aliquando Phase anteuerteret æquinoctialem cardinem, quod vitium Iudæis à Christianis obiectum est sæpe priscis temporibus.

7. Regula itaq; determinandi secundùm Hebræos Mensem Nisan, seu Paschalem est huiusmodi: Quære pro anno proposito ex Tabulis Aequinoctium medium, & Plenilunium medium mensis illius Iuliani, in quem incidit Aequinoctium. Si Plenilunium cadit ante Aequinoctium, expectandus est mensis sequens: hic enimerit verus Nisan, seu mensis Paschalis. Si verò plenilunium cadat in, aut post Aequinoctium, ille erit mensis Nisan, & Neomenia præcedens erit Neomenia Paschalis. Vel, si à Phasi Neomeniam vis æstimare, quære verum Nouilunium, & illi adde horas 27 ½. habebisque primamphasim, cui adde dies 14. & habebis plenilunium ciuile de quo vt supra. Hac methodo Langius supradicto capite supputat Anno vulgari CHRISTI 33. Aequinoctium medium Hierosolymis, Martij die 24. hora post merid. 9. sed iam Iudæis Martij 25. hora post occasum Solis 3. At Neomeniam veram Martij die 19. in meridie, adde horas 27 ½. cadit Neomenia à Phasi æstimata in Martij diem 20. fuit ergo hæc neomenia Nisan, quia additis diebus 14. plenilunium incidit in diem 3. Aprilis hoc est post Aequinoctium vernum per dies 9. Anno autem Christi 34. si æquinoctium ciuile hæsit in Martij 25. & Nouilunium verum ibi contigit Martij die 8. hora 19. post Merid. adde horas 27 ½. & prodit dies Neomeniæ apud Iudæos 10. Martij, adde his 14. Dies, cadit plenilunium in diem 24. Martij vno die ante æquinoctium; intercalandus ergo fuit vnus mensis, & expectanda Neomenia Nisan ad diem 8. Aprilis, & plenilunium Paschale seu dies 1. Azymorum Aprilis 22. Sed non constat Iudæos retinuisse æquinoctium die 25. Martij immò probabilius est fuisse die 23. aut 24.

Constituta Neomenia Nisan adde illi continuè dies 29. H. 12. M. 44. S. 3. T. 10. & habebis reliquorum Neomeniarum dies, si Luna videri possit, alioquin sequens Dies iuxta Talmudicos erat pro Neomenia. Recentiores autem post CHRISTI seculum, & quidem multo post, dant mensi Nisan dies 30. secundo autem mensi 29. & sic alternatim, vnde facilius est colligere in quos Iuliani dies incidant Neomeniæ Iudaicæ. Sed in supradicta Regula supponitur Hebræos vsus esse æquinoctio medio aut vero potius quam ciuili, quod nondum mihi certum est.

De Ordine, & Nominibus Mensium Hebraicorum.

8 ABen Ezra in cap. 12. Exodi hæc suggerit: *Nisan, Iiar, Siuan, & reliqua mensium vocabula non Hebraica sunt, sed Caldaica: Ideo nullum horum in Sacris literis expressum legitur, præterquam in Zacharia, Daniele, Esdra, Esther, qui libri in deportatione scripti sunt &c. Quanquam in Scriptura tres menses occurrunt diuersis nominibus, Mensis Ziu Aethanim, & Bul.* Nomen tamen *Abib* ideſt Calami, & Spicæ reperitur in Hebraico codice Exodi 13. & 34. & in libris Machabæorum fit mentio Mensis *Elul, Casleu, & Sabath*. Porrò vt in fine conclusionis diximus, Menses ordine numerali in scriptura computari à Nisan mense primo, non autem (vt habet kalendarium recens Iudaicum) à Thisri, patebit discurrenti per singulos menses.

Mensis enim *Primi* mentio fit Exodi 40. n. 1. & 15. Leuit. 23. n. 5. Numeror. 9. 20. & 28. n. 16. & 2. Paralip. c. 29. & nomine *Abib*, seu nouarum frugum Exodi 13. n. 4. & c. 34. n. 18. & c. 23. n. 15. & Deuter. 16. tandem vocatur Nisan 2. Esdræ c. 2. & 3. c. Esther n. 7. ibi *Mense primo cuius vocabulum Nisan* —— Mensis *secundi* Mentio fit numeror. 9. n. 10. & 2. Paralip. c. 30. n. 1. & 13. & 15. et antea Exodi 16. & n. 1. deinde Esdræ l. 1. c. 3. n. 8. At 3. Regum c. 6. dicitur *Mense Zio ipse est Mensis secundus*, et nu. 37. *Fundata est Domus Domini in mense Zio*. —— Mensis *Tertij* mentio habetur Exodi 19. et c. 8. Esther nu. 9. ibi: *Erat autem tempus tertij mensis qui appellatur Siban*, et Baruch. c. 1. *Decima die Mensis Siuan*. At Mensis *Quarti* meminit Ieremias c. 39. et c. 52. nu. 6. Ezechiel c. 1. & Zacharias 8. At Mensis *Quinti* mentio fit Numeror. 33. nu. 38. Ierem. 28. et 52. nu. 12. Zacharias c. 7. 3. et 5. et c. 8. nu. 19. —— Mensis *Sexti* mentio sit Zachar. c. 1. et 2. & sub nomine *Elul* lib. 2. Esdræ c. 6. n. 15. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul* post quem sequenti capite immediatè numeratur Mensis Septimus, ergo Elul erat Sextus, et l. 1. Machab. c. 14. n. 27. *Octaua decima die Mensis Elul*.

Septimi Mensis mentio fit Leuit. 23. nu. 24. et numeror. 29. & l. 1. Esdræ c. 3. nu. 1. et 6. et l. 2. c. 8. nu. 1. et 2. sed 3. Regum c. 8. dicitur: *In Mense Ethanim in solemni die, ipse est mensis septimus* —— Mensis *Octaui* mentio fit Zachariæ 1. et 3. Regum c. 6. nu. 38. vbi: *In anno vndecimo mense Bul, ipse est mensis octauus perfecta est Domus.* Hunc Mensem Iosephus l. 1. antiq. c. 4. nominat *Maratuani*, sed Chaldæi *Marcheſuan* —— Porrò mensis *Noni* meminit Ieremias c. 36. nu. 9. et Zacharias c. 7. dicens. *In quarta Mensis noni, qui est Casleu.* et l. 1. Machab. c. 4. n. 52. *Vigesima die mensis noni, hic est mensis Casleu.* quo nomine insignitur l. 2. Machab. c. 1. n. 9. et 18. — Mensis *decimi* mentio habetur 4. Regum c. 25. Ieremiæ 52. nu. 4. Zachariæ 8. et c. 2. Esther nu. 16. vbi additur: *Mense decimo, qui vocatur Tebeth*. Penultimi mensis nempe *Vndecimi* meminit Deuteronomium c. 1. nu. 3. et Zacharias c. 1. nu. 7. dicens: *In die vigesima quarta vndecimi mensis Sabath*, et 1. Machab. c. 16. nu. 14. *Mense Vndecimo hic est mensis Sabath*. Postremò Mensis *Duodecimi* mentio sit 4. Regum c. 25. nu. 27. Ieremiæ 52. nu. 31. At Esther c. 3. nu. 13. habetur: *Tertio decimo die mensis duodecimi, qui vocatur Adar*, & c. 9. *Igitur duodecimi mensis quem Adar vocari iam anteà diximus, tertia decima die.* Quod nomen ibi repetitur nu. 17. 19. et 21.

CAPVT XIII.

De Kalendario Hebraico ordinando ex Sacra Scriptura.

CCNOLVSIO XIII.

In Hebraico Kalendario, ad normam S. Scripturæ, & veterum Hebræorum Ieiunia, & dies festos distribuere oportet, non ordine Kalendarij recentioris Iudæorum, à Mense Thisri ineuntium, sed ineundo à Mense Nisan, vt in sequenti Kalendario ex Sacra Scriptura plerumq; comprobato.

DIxi plerumq; quia quosdam dies Ieiunorum ex traditione sola Hebræorum ponemus, Dies autem mortis Patriarcharum, aut Prophetarum, quos habet Martyrologium Romanum; sed nullum, quod sciam kalendarium Hebraicum, dissimulabimus, sicut, & Ieiunium, ac fletum filiarum Israel, ob filiam Iephthe, de quo Iudicum 11. eo quod diem ignoremus, ac mensem. Memineris omnia Sabbata, omnesq; Neomenias inter dies festos numerari debere.

Kalendarium Hebraicum Antiquum.

Dies	*I. NISAN, qui & ABIB. Dier. 30.*
1	*Ieiunium* ob mortem filiorum Aaron. Hac die erectum Tabernaculum. Exodi 4.
10	*Agni* Paschalis delectus. Exodi 12. nu.3. *Ieiunium* quoq; ob mortem Mariæ sororis Moysi, de qua Numeror. 20.
14	Exterminium fermenti, et deinde *Phase*, seu immolatio Agni ad vesperam, seu Solis occasum, Exodi 12. nu.6. Leuit. 23. nu.5. Numeror. 28. nu.77. et Deuter. 16. num.4. 5. 6. et nocte sequenti Agni eius, et consumptio Exodi 12. num. 8.
15	*Solemnitas, & prima dies Azymorum*, quam sequebantur alij sex dies Azymorum Exodi 12. à nu.15. Leuit.23. nu.6. Numer.28.nu. 17.
16	*Omer*, seu oblatio manipuli spicarum nouarum Leuit. 23. nu.10.
21	*Solemnitas* omnium celeberrima, *& septima dies Azymorum* sanctior, et celebrior quàm prima, cum collecta Exodi 12. nu. 16. Exodi 13. nu.6. Leuit.23. nu.7.Numer.28.nu.25. et Deuteron. 16. nu.8.
26	*Ieiunium* ob mortem Iosue filij Nun, de qua Iosue 24.
D	*II. IIAR, seu ZIVS. Dier. 29.*
1	Census Israelitarum. Numer. 1.
10	*Ieiunium* ob Arcam captam, et mortem Heli, de qua 1. Reg. 4.
15	Murmur, et conspiratio contra Moysen, Exod. 16.
23	*Solemnitas*, Simon capta Gaza mundat Arcem.
28	*Ieiunium*, moritur Samuel lugeturq; ab omni populo 1. Reg. 25.
D	*III. SIBAN, seu SIVVAN. Dier. 30.*
6	*Solemnitas Pentecostes.* Leuit. 23. Numeror. 28. num. 26.
23	*Ieiunium.* Decem Tribus desistunt ferre Ierosolymam primogenita, et primitias in diebus Ieroboam filij Nabat.
25	*Ieiunium.* Olim ob cædem Samuelis, qui fuit filius Gamalielis.
27	*Ieiunium.* Rabbi Hanina, vel Hainna combustus est cum libro Legis.
D	*IV. THAMVS, seu TAMVZ. Dier. 29.*
17	*Ieiunium.* Legis tabulæ fractæ. Epistemon cremat librum Legis; ponitq; statuam in Templo.
D	*V. AB. Dierum 30.*
1	*Ieiunium.* Moritur Aaron Pontifex, Numeror. 33. nu. 38.
9	*Ieiunium*, ob decretum contra Iudæos ne ingrederentur Iudæam, desolatio Templi prioris, & posterioris die 10. Nabuzardan incendit domos, Ierem. 52. nu. 12.
18	*Ieiunium.* Extincta est Lucerna Vespertina in diebus Achaz.
D	*VI. ELVL. Dierum 29.*
7	*Ieiunium* ob causam ignotam.
17	*Ieiunium.* Moriuntur exploratores, qui detraxerant terræ promissionis, Numeror. 14. nu. 37.
D	*VII. THISRI, seu ETHANIM. Dier. 30.*
1	*Clangor Tubarum.* Leuit. 23. nu. 24. nu. 29. & Lectio Legis inchoata, 1. Esdræ.
3	*Ieiunium*, ob cædem Godoliæ, Ierem. 41.
7	*Ieiunium*, ob vitulum fabricatum, Exod. 32.
9	*Ieiunium*, Kippurim, seu expiationum inchoandum à Vespera, et continuatum die 10. Leuit. 16. et 23. nu. 32.
10	*Ieiunium solemnitas expiationum.* Leuit. 16. nu. 29. Leuit. 23. Numeror. 29. nu. 7.
10	Instante autem anno Iubilæo, indicebatur hoc die clangore tubæ, Leuit. 25. nu. 9. et 10.
15	*Scenopegia*, seu Solemnitas Tabernaculorum duratura 7. diebus cum Lectione Deuteronomij, Leuit. 23. nu. 34. Numer. 29. à nu. 12. ad finem, Deuteron. 16. nu. 13. et 31. nu. 10. 2. Esdræ c. 8. nu. 15. ad 18.
21	*Hosanna Rabba*, Gestatio palmarum, vel Salicum.
22	*Solemnitas*, et octaua Scenopegiæ cum collecta, Leuit. 23. nu. 36. Numer. 29. nu. 35. *Festiuitas Legis*, et Salomonici Templi Encænia, 3. Regum c. 8.
D	*VIII. MARCHESVAM, seu BVL. Dier. 29.*
7	*Ieiunium.* Sedecias excæcatur etc. Ierem. 52.
D	*IX. CASLEV. Dier. 30.*
25	*Festum* ob victoriam, Iudith. 16. item *Encænia*, et Festum Luminarium per 8. dies, 1. Macch. 4.
28	*Ieiunium.* Ioakim comburit volumen dictatum à Ieremia, scriptumq; à Baruch, Ierem. 36. licet alij dicant id factum die 7.
D	*X. TEBETH. Dier. 29.*
8	*Ieiunium.* Lex translata in linguam Græcam à Senioribus LXX. sub Ptolemæo Philadelpho. Tenebræ triduanæ etc.
10	*Ieiunium.* Ierusalem obsidetur à Rege Babylonis, 4. Reg. 25. et Ieremiæ 52. nu. 4. Zachar. 8. Ieiunium Decimi.
D	*XI. SABAT, seu SCHEBAT. Dier. 30.*
5	*Ieiunium* moriuntur Seniores, qui fuerunt æquales Iosue filij Nun. Iud. 2.
23	*Ieiunium.* Omnes Israelitæ congregati sunt contra Tribum Beniamin. Iud. 20.
D	*XII. ADAR prior in Anno Embolem. Dier. 30.*
15	*Phurim Katon*, Seu festum sortium minus: Maius enim cum omnibus alijs festis transfertur in ADAR posteriorem, quando hoc loco in Anno Embolimæo inseritur ADAR prior.
D	*XII. ADAR vnicus in Anno communi. ADAR, seu ADAR posterior in Anno Embolimæo, & est Dier. 29.*
7	*Ieiunium. Moritur* Moyses Deuteron. 34.
9	*Ieiunium. Dissidium* Scholæ Hillel, et Scholæ *Sammai*, vel *Sammich.*
13	*Festum* ob cædem Nicanoris, Esther humiliatio, et Ieiunium.
14	*Phurim*, et celebritas sortium, biduo vacatur genio. Ester 9. 21.
15	*Encænia* Templi Zorobabelis iuxtà quosdam.
	Ex dictis intelliges, de quibus præcipuè Ieiunijs intelligendus sit Zacharias 8. dicens: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium decimi &c.* nempè Mensis.

Memento Marcheſuam *in Anno Abundante fieri dierum* 30. *&* Casleu *in Anno deficiente dierum* 29. *Collecti autem dies in fine Menſium ſunt infraſcripti.*

Anni Communis Dies collecti in fine.	Deficientis.	Ordinarij.	Abundantis.
Niſan	30	30	30
Iiar	59	59	59
Siban	89	89	89
Thamus	118	118	118
Ab	148	148	148
Elul	177	177	177
Thiſri	207	207	207
Marcheſuan	236	236	237
Casleu	265	266	267
Tebeth	294	295	296
Sabath	324	325	326
Adar	353	354	355

Anni Emboliſmici Dies collecti in fine.	Deficientis.	Ordinarij.	Abundantis.
Niſan	30	30	30
Iiar	59	59	59
Siban	89	89	89
Thamuz	118	118	118
Ab	148	148	148
Elul	177	177	177
Thiſri	207	207	207
Marcheſuan	236	236	237
Casleu	265	266	267
Tebeth	294	295	296
Sabath	324	325	326
Adar prior	354	355	356
Adar poſterior	383	384	385

CAPVT XIV.

An Kalendarium Hebraicum Neotericum ſeruiat pro antiquis temporibus.

CONCLVSIO XIV.

Cùm Noui Kalendarij, quo recentioribus hiſce ſeculis vtuntur Iudæi, origo incerta ſit, & forma eius fallaci fundamento innixa; inutile eſt ad Neomeniam Paſchalem CHRISTI tempore, aut antea certo conſtituendam, aliaſue ſiue Neomenias, ſiue Tekuphas, ideſt Anni cardines ſecurè inueſtigandos.

I. DE Anno Iudaico, qui ab aliquot ſeculis apud Recutitos in vſu eſt, tractant ex Iudæorum libris, & praxi diligenter Munſterus in Kalendario Hebraico, Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis in ſua Summa Paulina l. 8. Iacobus Kriſtmannus poſt commentarium ad Alfraganum in kalendario Hebraico à pag. mihi 233. Scaliger in Emend. Temporum l. 2. tit. 12. & 18. et l. 3. Iſagog. Can. cap. 6. Petauius l. 2. de doctrina temp. c. 43. 44. 45. et l. 7. à c. 17. Paulus Guldinus in Elencho Kalendarij l. 5. et Nicolaus Mulerus de Anno Lunæſolari Iudæorum, ex quibus pauca, pro inſtituto ſeligam. Etſi verò Mulerus affirmat Iudæos hac forma, qua nunc vtuntur, vſos fuiſſe olim quoq; cum ſtaret, floreretq; eorum Reſpublica, et ab eis integrè conſeruatam; id tamen nullo idoneo teſtimonio confirmat, nimiumq; Scaligero tribuit, quem in multis de hoc anno redarguit Petauius l. 2. à c. 42. ad 49. nec certum putat kalendarium Hebraicum correctum fuiſſe ea forma, vel anno Chriſti 213. à Rabbi Samuele, ac paulo poſt à Rabbi Adda; aut anno 344. à Rabbi Hillel, aut anno 354. ab alijs magiſtris; ſed neque certò probari poteſt Kalendarium, quo nunc vtuntur, inſtitutum fuiſſe, aut anno Domini circiter 349. Quo Hieroſolymitanum Thalmud, aut anno 505. quo Babylonicum, teſte Kriſtmanno obſignarunt. Admittit tamen Petauius c. 44. Iudæos ex Phaſi Neomenias determinaſſe, vſq; ad Annum Domini circiter 500. poſteà verò ex Cyclis, ac Tabulis, ſed qua forma ante quingentos ab hinc annos vſi ſint, incompertum eſſe, nec recentioribus Rabbinis fidem adhibendam, vtpote antiquitatem huius ſui kalendarij magnificentius, quàm verius iactantibus.

II. Primò autem in recenti Kalendario ſupponitur Mũdus conditus Anno 3761. ante Chriſtianorum epocham, ita vt anno illo, qui præceſſit primum epochæ Chriſti Annum in Octobri completi fuerint Mundi anni 3760. et iuxta opinionem R. Eliezer. Lunam quidem creatam fuiſſe die 25. Menſis *Elul*, vnà cum Sole, feria 4. ſed ab eo diſtantem; deinde cum Sole congreſſam eſſe prima die Thiſri feria 2. hora ab occaſu Solis 5. & helakim 204. reſpectu Meridiani Eden, hoc eſt Octobris 7. H. 5. M. 11. S. 20. inita per tot horas feria 2. ita vt nocte ſequenti, ſeu feria 3. ineunte Adamus potuerit conſpicere primam Lunæ nouæ phaſim. Illud verò Nouilunium Radicem faciunt omnium Nouiluniorũ, & appellant *Molad Thou*, nempe Nouilunium inane, quando Luna incœpit moueri à cõgreſſu Solis, & incidiſſe aiunt in Æquinoctium, iuxta abacum Ptolemaicum; fuiſſe autem tunc Cyclum Solis 1. & Cyclum Lunæ item 1. putant (ſed falsò quoad Lunam, fuit enim III.) & ſic in principio cuiuſuis Cycli decennoualis Nouilunium concurrere cum die Æquinoctij autumnalis, ſed vt Neomenia Thiſri, & Æquinoctium autumni coincidant in eandem eiuſdem diei horã, imò in idem horæ ſcrupulum, requiri Cyclos Lunares 36288. ideſt annos 689472. Anno autem 1. CHRISTI in autumno abſolutas fuiſſe de Iudaica periodo, ſeu mundi annis, Cyclos decennouales 198. & incœpiſſe Cyclum 199. Sed quis non videat congruentius fuiſſe, vt Adamus ipſa feria 6. qua formatus fuit, videret Lunam iam feria 4. creatam, vel in prima Phaſi, vel in Plenilunio? patet etiam emendicatum fuiſſe illum annum 3761. ante Chriſtum, vt haberent vnitatem pro initio Cycli Solis, & Lunæ, volunt enim datos annos Iudaicos diuidi per 28. & deinde per 19. vt habeatur illinc Solis; hinc Lunæ cyclus, in quo falluntur, aut diſcrepant à veriori Cyclo Romani Kalendarij duabus vnitatibus in autumno, & tribus in ſequenti Ianuario, quod fatetur Mulerus, & dat exemplũ Anni Domini 1600. in cuius Auguſto exeunte incœpit Iudaicus annus 5361. quo diuiſo per 28. reſiduum pro Cyclo Solis eſt 13. at diuiſo per 19. reſiduum eſt 3. pro Cyclo Lunæ, at tunc Romano more Cyclus Lunæ erat 5. & anno 1601. à Ianuario incœpit Cyclus Lunæ 6. & Solis 14. Falsò quoq; ſupponunt Mundum conditum in æquinoctio Autumnali, & *Roſch Haſchana*, ideſt caput anni iam tum iniuiſſe à Neomenia Thiſri, cum potiùs incundum fuerit à Verno æquinoctio, & à Neomenia Niſan, iuxta dicta Concluſ. XI. & Rabbi Adda, ac Ioſue mundum conditum dicunt d. 25. Adar, & die 28. nocte 4. Luminaria congreſſa fuiſſe, vt refert Munſterus.

III. Secundò quoad Cyclum Lunæ, eſto decennoualem cum Metone adhibeant, tamen S. Epiphanius hæreſi 50. quę eſt Alogorum tradit, quoſdam Hebræos vſos cyclo primum annorum 14. deinde 84. continente priorem ſexies, forte ob ſeptenarij numeri in eo duodecies cõtenti analogiam, quod tamen Petauius l. 2. c. 29. & 30. valde incertũ putat, & Paulus Foroſempronienſis ait Chriſti tempore vſos Cyclo Gamalielis annorum 13. & alio Cyclo annorum 247. ac ſuppoſuiſſe Lunationem dierum 29. H. 12. punctorum 720. ideſt Aſtronomicorum minutorum 10. ſed Rabbi Adda, qui partim ſub Diocletiano, partim ſub Cõſtantino floruit, & paulo ante Rabbi Samuel, elegerunt menſem Lunarem dier. 29. h. 12. Helakim 793. hoc eſt M. 44. S. 3. T. 20. quo hodieq; vtuntur; cum tamen verior ſit D. 29. H. 12. M. 44. S. 3. T. 10

vt diximus Concl. 7. sed in Anno Solari, & Tekuphis supputandis discrepant inter se sectatores Rabbinorũ Samuel, & Adda. Nam Rabbi Samuel assumpsit Iulianum annum dierum 365. hor. 6. & quadrifariam illum diuidens determinauit Tekuphas, ideſt Æquinoctia, & Solstitia, cum tamen per octo circiter dies Sol plus versetur in signis Borcalibus, quàm in Australibus, & ob excessum anni huius supra Annum cælestem, ac verum, necesse sit Tekuphas in progressu annorum anticipare, & Nouilunia ab illis magis, magisq; recedere, & tamẽ plures Iudæorum secuti sunt Samuelem, relicto Rabbi Addæ Anno, qui est dierum 365. h. 5. Helakim 997. ideſt Minut. 55. S. 25. T. 26. Q. 19.

IV. Sed contra vtrosq; plura Petauius l. 2. c. 44. & 45. ostendens eos in cardine, seu Tekupha etiam ciuili aberrare, qualis est Samuelitica, quæ solidis horis constat absq; horarum fragmentis, quia scilicet vtraq; secta diuidens æqualiter anni quadrantes, interualla Tekupharum æqualia assumit, quæ reuera sunt inæqualia. Obseruauimus enim Nos ipsi Bononiæ Annis 1656. & 1657. Domini à Verno Æquinoctio ad Solstitium æstiuum dies 93. ac minuta 36. hinc ad Æquin. Autumn. d. 93. h. 15. m. 17. hinc ad Brumam d. 89. h. 14. m. 31. & hinc ad Vernum Æquin. d. 88. h. 22. m. 24. s. 48. Tertiò quoad intercalationem intercalant quidem in Cyclo Metonico mensem singulum Annis 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. & plerique ante Nisan duplicando Mensem *Adar*. Sed tres Annos Lunares adhibent *ordinarium* dierũ 354. in quo Marcheſuan est, vt solet, dierum 29. & Abundantem dierum 355. in quo *Marcheſuan* euadit dierum 30. & sic tres menses pleni continuantur; & *Deficientem* in quo Chasleu, qui ordinariè est dierum 30. euadit dier. 29. continuatis tribus Mensibus cauis, ità vt à *Nisan ad Thisri* semper intercedant dies 177. sed à Thisri ad sequentem *Nisan* modò 176. modò 177. modò 178. & Annus Embolimæus est dierum 384. modò 383. modò 385. & interuallum à Thisri ad Nisan in Anno Embolimæo modò 207. modò 206. modò 208. nec tamen hoc pacto sufficienter restituuntur Tekuphæ ad debitam sedem. Sed neque R. Hillel satis conciliauit Samuelem cum Adda ea forma, quã fingit Scaliger, refellitq; Petauius l. 2. c. 47.

His non obstantibus, si quis voluerit vti Kalendario, & Anno Iudaico iuxta recentiorem hanc formam, quam nobis, tãquam antiquissimam obtrudit Nicolaus Mulerus, eius elementa, & Tabulas vsumq; Tabularum exhibenda putamus in sequenti Appendice.

APPENDIX.

De Elementis, siue Fundamentis Anni, & Kalendarij Iudaici Recentioris, Vnà cum Tabulis, & Tabularum Vsu.

1 *Primò*, Iudæi in calculo Æquinoctior. & Nouilunior. horas numerant à Meridiano *Eden*, vbi creatus est Adamus, & sub quo ponunt *Vr* Chaldæorum, qui orientalior est Alexandria Ægypti minutis horarijs 47. sec. 10. Hierosolyma autem min. 23. & sec. 22. iuxta nostram Geographiam Reformatam: Quare tempori Aequinoctij, aut Nouilunij per intrascriptas Tabulas reperto subtrahenda sunt min. 23. sec. 22. vt reducatur ad Meridianum Hierosolymitanum. Initium autem diei sumunt ab Occasu Solis.

2. *Secundò*, Iudæi & Arabes, cum Chaldæis Horam diuidunt in 1080. partes, quæ singulari numero *Helak*; plurali *Helakim* nominantur. Quoduis *Helak* æquiualet Astronomicis *Secundis* 3. & *Tertijs* 20. Igitur pro mutua horum conuersione, consule intrascriptam Tabellam.

Helakim.	Min.	Sec.	Tert.	Minuta.	Helakim.	Minuta.	Helakim.	Minuta.	Helakim.
1	0	5	20	1	18	21	378	41	738
2	0	6	40	2	36	22	396	42	756
3	0	10	0	3	54	23	314	43	774
4	0	13	20	4	72	24	332	44	792
5	0	16	40	5	90	25	450	45	810
6	0	20	0	6	108	26	468	46	828
7	0	23	20	7	126	27	486	47	846
8	0	26	40	8	144	28	504	48	864
9	0	30	0	9	168	29	522	49	882
10	0	33	20	10	180	30	540	50	900
11	0	36	40	11	198	31	558	51	918
12	0	40	0	12	216	32	576	52	936
13	0	43	20	13	234	33	594	53	954
14	0	46	40	14	252	34	612	54	972
15	0	50	0	15	270	35	630	55	990
16	0	53	20	16	288	36	648	56	1008
17	0	56	40	17	306	37	666	57	1026
18	1	0	0	18	324	38	684	58	1044
				19	342	39	702	59	1062
				20	360	40	720	60	1080

Finge igitur dari Helakim 849. quia hæc non sunt præcisè in Tabella, sume proximè minorem numerum, qui est 846. & residuum ex prima parte, quod est 3. & compone minutias vtrisq; respondentes: nam Helakim 846. respondent minuta 47. & Helakim 3. Secunda 10. ergo Helakim 849. valent Minuta 47. Sec. 10.

3. *Tertiò*, Supponunt, seu fingunt Iudæi cum Rabbi Eliezer Mundum conditum Anno 3761. ante vulgarẽ Christi Epocham, seu periodi Iulianæ anno 953. & Lunam cum Sole creatam die 25. Mensis *Elul* feria 4. & ad Solem accessisse die 1. *Thisri* feria 2. horis 5. & Helakim 204. ab occasu Solis, ita vt coniunctio Lunæ contigerit sexto die post creatam Lunam, & sub feriæ 2. finem, ineunte feria 3. & Lunæ prima phasis conspici potuerit ab Adamo. Idcirco Annorum omnium principium sumunt à Neomenia *Thisri*, quæ fuit simul cum Aequinoctio die 7. Octobr. Cyclo Solis, & Lunæ I. feriam autem 2. seu dies 2. horas 5. helakim 204. assumunt pro vetustissima radice Nouiluniorum, & primum illud Nouilunium vocant *Molad Thou*, hoc est Nouilunium inane. Cardines autem anni nempe puncta Aequinoctialia, & Solstitilia, seu Solis ingressum in illa vocant *Tekuphas*. Aduertit tamen Mulerus cap. 13. de Anno Iudaico, primo anno Epochæ Iudaicæ Neomeniã Thisri Astronomicam iuxta Hipparchum, & Ptolemæum, fuisse posteriorem Aequinoctio horis 14. hel. 96. cui interuallo singulis Cyclis Lunæ accedunt helakim 76 $\frac{6}{10}$, eo quòd Annus Solaris Hipparchi, & Ptolemæi sit dierum 365. hor. 5. hel. 993 $\frac{6}{31}$, & Anni Solares 19. sint dierum 6939. hor. 16. hel. 518 $\frac{4}{10}$. Lunares autem dierum 6939. hor. 16. hel. 595. At Petauius l. 4. c. 20. ex Hebræorum Codicibus tradit Annum pri-

primum Rabbi Addæ iniri Anno Periodi Iulianæ 954. & ante Christi Epocham 3760. Cyclo Solis 2. Lunæ 4. iniri inquam à prima die *Nisan*, in quo ipse, & R. Iosue dicunt creatum fuisse Solem in principio Arietis, Lunam autem conditam in gradu fere 4. Piscium, & congressam cum Sole post Tekupham horis 9. hel. 642. Sole in 24. minuto Arietis posito. Sed Rabbi Samuel initium annorum sumpsit ab autumno, & à *Thisri* Anni 954. Periodi Iulianæ die 24. Septemb. hora 15. ab occasu Solis, feria 4. quo putat Tekuphã factam, & post eã successisse *Molad*, ideſt Neomeniã *Thisri* die 1. & horis 23. Cæterùm vt diuidendos annos Iudaicos per 19. Cyclus Lunæ, & per 28. Cyclus Solis obtineri possit, assumptum fuit Aequinoctium, & Nouilunium illud, quod fingitur factum Anno Periodi Iulianæ 953. in Autumno, iuxta sectam Samueliticam, potiùs quàm Vere.

Datis itaq; Annis Epochæ Christi currẽtibus adde 3761. & habebis Annos Iudaicos ineũtes ab Autumno, seu Æquinoctiali Neomenia Septemb. eiusdẽ Anni Christi. At datos Annos ante Epochã Christi, qui non sint plures annis 3761. deme annis 3761. & remanebunt Anni Iudaici; Porrò si Iudaicos Annos diuidas per 19. aut per 28. & nihil fractionis restet, Cyclus Lunę erit 19. & Cyclus Solis 28. at si fractio restet, numerator fractionis dabit illic Cyclũ Lunę, seu Aureũ numerum Iudaicũ, hic autem Cyclũ Solis eo anno currentẽ.

4. *Lunaris Annus Ciuilis*, & ordinarius est dierum 354. ex 12. Mensibus alternatim plenis dierum 30. & cauis dierum 29. sed ad Solarem ob Tekuphas componitur intercalatione menstrua, quando ex differentijs inter Lunarem, & Solarem Annum consurrexerint dies 30. & tunc duplicatur mensis Adar, ita vt prior Adar sit dierũ 30. & posterior 29. Annusq; Embolimæus ordinarius sit dierũ 384. semper autem à *Nisan* ad *Thisri* sunt dies 177. sed à *Thisri* ad *Nisan* in anno Deficiente sunt 176. quia Casleu fit dierum 29. at in anno Abundante sunt 178. quia Marcheſuan fit dierum 30. ideoq; hoc interuallum in Anno Embolimæo aliquando est dierum 206. aliquando 207. aliquando 208. & totus Annus Embolimæus deficiens dierum 383. ordinarius 384. abundans 385. Additio porrò illa dici in mense *Casleu*, vel detractio in *Marcheſuan*, pendet ex translatione feriarum, de qua postea; interim sat scire in Cyclo decemnouali, seu Lunæ Annos *Embolimæos* esse hoſ. 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. reliquos duodecim esse Communes.

5. *Lunaris Annus* Cælestis iuxta Ptolemæum, à quo Iudæos non desciuisse ait Mulerus, est dierum 354. hor. 8. hel. 876. Mensis autem dierum 29. hor. 12. hel. 793. Mos est autem Iudæis abijcere omnes hebdomadas, & reliquos dies tantummodo cũ horis, & scrupulis notare in Tabulis. Abiectis ergo à mense hebdomadibus 4. ideſt diebus 28. restant dies 1. h. 12. hel. 793. & ab anno communi abiectis diebus 350. ideſt hebdomadibus 50. supersunt notanda in Tabulis d. 4. h. 8. hel. 876. In Cyclo autem annorum 19. continente dies 6939. hor. 16. hel. 595. reiectis hebdomadibus 991. ideſt diebus 6937. scribunt residuos dies 2. hor. 16. hel. 595. Hoc artificio constructa est Tabella III. quæ est Mensium 13. per continuam additionem diei 1. hor. 12. hel. 793. abiectis semper septenarijs dierum. Deinde Tabula Cycli decemnoualis, in quo sunt menses 235. & anni 19. per continuam additionem dierum 4. hor. 8. hel. 876. cui Cyclo, si addas continuè Radicem primi Nouilunij, seu primi *Molad Thou*, quam initio Annorum Iudaicorum iuxta R. Eliezer, & plures alios diximus fuisse diem feriamq; 2. hor. 5. hel. 204. construes Tabulam II. Tandem pro Tabula IV. quæ est Cyclorum Lunæ Collectorum, addendi sunt continuè dies 2. h. 16. hel. 595. abiectis semper septenarijs. Desinit autem in Cyclis mille. At vt Neomenia *Thisri* habere possit eundem characterem dierum, horarum, & helakim, requiruntur Cycli Lunares 36288. nempe anni 689472.

6. Ad connectendos Cyclos Lunæ Iudaicos cum anno Romano Iuliano cõstructa est Tabula V. Terminorum pro Neomenijs *Thisri*, quos diuersis seculis proximè antecedit, vel subsequitur *Rosch Haschana*, ideſt caput Anni Ciuilis, prout docet feria politica, discrepat enim aliquando vno alteroue die. Dato itaque anno Cycli Lunaris, inuenies in hac Tabula, sub congruenti seculo, cui diei Septembris, aut Augusti in forma Anni Iuliani conueniat Neomenia *Thisri*. Quia verò prædicti termini trecentis quibusq; annis decrescunt vno die, & discrepantia Neomeniæ Thisri à Capite Anni non excedit duos dies, ideo quælibet columna Tabulæ V. seruit ferè ad annos 600.

7. *Feriarum Translatio*, aut Religiosa est, aut Astronomica. *Translatio Religiosa*, vel potius superstitiosa continetur in illo axiomate Iudaico: Nunquam *Nisan in Badu*, & *Nunquam Thisri in Adu*. Characteres enim Hebraici *Badu* respondent nostris numeralibus 2. 4. 6. & *Adu* nostris 1. 4. 6. vt significent nunquam *Pascha*, quæ semper celebratur 15. Luna eademq; feria, qua Neomenia *Nisan*, celebrari posse feria 2. 4. aut 6. atque adeo nec Neomeniam *Nisan*. *Thisri* autem Neomeniam, & Caput Anni Ciuilis, nunquam celebrandum feria 1. 4. aut 6. atq; adeo nec ab his ineundum festum Tabernaculorum quod 15. *Thisri* incipit. Et quia à Neomenia Nisan ad Thisri sunt semper dies 177. hoc est hebdomades 25. & dies 2. dicunt à *Nisan ad Thisri Beth*; ideſt adde binarium ferijs, quibus inijt *Nisan*, & habebis feriam idoneam pro *Thisri*, & Capite anni, vt in hoc laterculo. Sed quia Pentecostes festum vnitatem addit Festo Paschatis, distatq; ab eo diebus 50. Pentecostem celebrant ferijs 2. 4. 6. 1. nunquam vero 3. 5. 7.

Si Nisan	Thisri
1	3
3	5
5	7
7	2

8. *Translatio Astronomica* Feriæ Thisri fit quoties character huius Neomeniæ habet *Iach*, ideſt horas 18. vel plures, ita vt si vel vnicum helak desit horis 18. non fiat translatio, at si sint 18. vel plures, & attendatur calculus Astronomicus, habeaturq; ratio non solùm horarum, sed & scrupulorum, hæc Neomenia dicitur *Molad* à nascendo, seu à nascente Luna, si verò neglectis scrupulis horæ 18. vel plures pro vno die computentur, translatio est Ciuilis, & Neomenia hæc dicitur *Kebia* à fingendo, & semper posterior est quàm *Molad*. Exempli gratia si *Molad Thisri* sit Feria 2. h. 20. hel. 560. Caput Anni Ciuilis, seu *Rosch-Haschana* non fit feria 2. sed 3. ob *Iach*. Sed si character fuisset fer. 4. hor. 17. hel. 470. Translatio feriæ 4. in 5. fieret propter *Adu*; si verò character esset feria 4. hor. 19. hel. 470. Translatio in feriam 5. fieret duabus de cauſis, & propter *Adu*, & propter *Iach*, sed vnica sufficeret, at si propter *Iach*. Translatio cadat in Feriam repugnantem ipsi *Adu*, opus est translatione bidui: vt si character Neomeniæ *Thisri* sit fer. 7. hor. 20. hel. 300. ob *Iach* debet transferri in feriam 1. at ob *Adu* non potest caput Anni iniri à feria 1. ergo transferendum est in feriam 2. & comperendinandum. Notentur interim in laterculo feriæ, quas Iudæi, multo tamen post tempus Christi aptas putarunt festis hisce celebrandis, & quas ineptas notatas littera t, quæ indicat translationẽ faciendam, aut feriam ineptam, nam pro Pentecoste non est opus translatione, sed sufficit addere vnitatem feriæ Paschali idoneæ.

Neomenia Nisan, & Pascha.		Thisri, & Scenopegia		Pentecoste.	
1	.	1	t	1	.
2	t	2	.	2	.
3	.	3	.	3	t
4	t	4	t	4	.
5	.	5	.	5	t
6	t	6	t	6	.
7	.	7	.	7	t

9. Ex *Kebia Thisri* pendet discretio, seu determinatio Anni Ordinarij, Abundantis, aut Deficientis: nam subtracta *Kebia* Anni præsentis, à *Kebia* Anni sequentis (assumpto septenario, vbi aliter non potest fieri subtractio) residuum tot dies habebit quot detractis hebdomadibus integris, supersunt in Anno Communi, aut Embolimæo: ideoq; ex illo residuo, seu differentia dignosces anni qualitatem: sunt autem dies superabundantes hebdomadibus infrascripti. Quare si *Kebia* anni præsentis sit feria 3. & anni sequentis 7. differentia est 4. quæ indicat annum esse cõmunem, & ordinarium &c. Sed ad iudicium de his securius ferendum, constructa est Tabula VI. continens Cyclum vnum integrum decemnoualem incipientem à die 20. Septembris anni Christi Iuliani 1636. cum Neomenia Astronomica in horis, & scrupulis, quam diximus vocari *Molad Thisri*, & cum Capite Anni Ciuili absq; horarum scrupulis, quam diximus

In Anno Communi.	D	Embol. D
Deficiente	3	5
Ordinario	4	6
Abundante	5	7

mus vocari *Kebiam* littera autem *t* ibidem posita indicat translationem factam feriarum.

10. Præter causas iam dictas translationis Feriæ, ad habendum Caput anni, duæ aliæ à Iudæis afferuntur, ob quas feria alioquin licita, transferenda est in Feriam; Prima dicitur *Gatrad*, in quo vocabulo continentur Hebraicè hi numeri 3. 9. 204. quare si in Anno Communi *Molad Thisri* sit feria 3. hor. 9. hel. 204. aut plures his horis comperendinandum est, & Kebia transferenda est à feria tertia in quintam, propter *Kebiam* anni sequentis, addendo enim iuxta Tabulam II. 4. 8. 876. fit character anni sequentis 7. hor. 18. hel. 0. & propter *Iach*, seu horas 18. transferendum esset anni caput in feriam 1. sed hæc propter *Adu* inepta est; ergo transeundum ad feriam 2. sitq; comperendinatio.

Secunda causa indicatur hoc vocabulo *Batuthakphat*, cuius litteræ Hebraicè valent 2. 15. 589. quoties enim in anno primo post Embolismum, *Molad Thisri* fuerit fer. 2. hor. 15. hel. 589. aut plurium horarum, vel helakim; fit translatio in feriam 3. dummodo ne vnum quidem helak desit. Quare si annus præcedens non fuit Embolimæus, aut si character Neomeniæ Thisri esset tantummodo fer. 2. hor. 15. hel. 588. non fieret translatio.

11. Mensium reliquorum Neomeniæ facilè inueniuntur, anni capite, & qualitate cognitis: à *Nisan* enim ad sequentem *Thisri*, sunt in quouis anno dies 177. & menses alternatim dierum 30. & 29. sed à *Thisri* ad sequentem *Nisan*, quia in anno Deficiente *Casleu* euadit dierum 29. & in anno abundante, *Marchesuan* fit dierum 30. ideo à Neomenia *Thisri* ad sequentis Nisan Neomeniam sunt dies in *Anno Communi* deficiente 176. in ordinario 177. in abundante 178. & in *Anno Embolimæo* Deficiente 206. in Ordin. 207. in Abund. 208. Cognito ergo die, & feria Anni Iuliani in quæ cadit caput Anni ciuilis Iudaici, facilè cognoscetur, in quam diem, & feriam cadat Neomenia Nisan, & inde numerando dies 14. Pascha Iudæorum; & deinceps aliorum Mensium dies. Ferias tamen facilius cognosces si *Kebiæ Thisri* addideris dies, qui abiectis hebdomadibus, supersunt ex anno. Supersunt autem ex Communi deficiente 1. ordinario 2. abundanti 3. & ex Embolimæo deficienti supersunt 3. ex ordin. 4. ex abund. 5. Exemplum esto Annus 1638. Christi, in quo *Neomenia Thisri* incidit in diem 30. Augusti Iuliani, & feriam 5. Annus autem ille fuit communis, & ordinarius, ergo additis 2. ad 5. Neomenia *Nisan* incidit in feriam 5. & quia dies 30. Augusti est à Kalendis Iauuarij dies collecta 242. si huic addas dies 177. fiunt dies 419. quibus si subtrahas anni communis Iuliani dies 365. restant dies 54. à Kalendis Ianuarij Anni 1639. ideſt dies 23. Februarij stylo veteri, sed stylo Gregoriano 5. Martij, in quam incidit Neomenia Nisan, additisq; 14. Pascha Iudaicum incidit in diem 10. Martij, & feriam 7. stylo veteri, sed Gregoriano in diem 20. Martij, & feriam 3. sed pro hoc, & alijs Mensibus condidimus Tabulam Mensium cum diebus collectis in fine eorum pro sex qualitatibus Anni Iudaici, quæ est VII.

12. *Tekupha* est Reuolutio Solis ad vnum ex quattuor punctis cardinalibus Anni, nempe *Tekupha Veris* ad initium Arietis; *Tekupha Aestiua* ad initium Cancri; *Tekupha Autumni* ad initium Libræ, & *Tekupha Brumalis* ad initium Capricorni. Vernam Iulij Cæsaris tempore statuerunt ad diem 25. Martij, & Autumnalem ad 24. Septembris in anno Iuliano, & hanc exinde semper retinuerunt. Semper enim nunc cadit *Tekupha Thisri* in 24. Septembris. Quare si *Rosch Haschana*, seu caput anni cadet in 20. Septembris anni Iuliani, Tekupha cadet in 5. diem Thisri & si caput anni in 30. Augusti (vt euenire potest anno 3. Cycli Lunaris) Tekupha incidet in diem 26. Thisri; si autem caput anni cadet in 24. Augusti (quod euenire potest anno 17. Cycli) Tekupha transgressa suos terminos, incidet in diem 2. *Marchesuan*. Sed quia Iudæi Annum Solarem diuidunt (erroneè tamen) in quatuor quadrantes æquales, & dant vnicuiq; dies 91. hor. 7. hel. 540. & duobus quadrantibus dies 182. h. 15. totiq; anno cum Calippo, Sosigene, & Cæsare dies 365. h. 6. habenda est ratio horarum, & vt tacitè intercaletur dies vnus quarto quoq; anno incipiunt à Tekupha verna, & anno Bissextili Iuliano numerant à meridie; anno sequenti ab occasu Solis, anno secundo post Bissextilem à media nocte, & anno tertio ab ortu Solis. Esto exemplum in Tekupha Thisri pro Annis Christi hinc adiectis, & numeratis à Tekupha Nisan diebus 182. h. 15. stylo Iuliano.

	Anni Chr.	Tekupha Nisan Martij hora.	Tekupha Thisri Septemb. hor.	
B	1600	25. Meridie.	24	9. noctis.
C	1601	25. In Occ. Solis.	24	3. die.
C	1602	26. Media nocte.	2	9. diei.
C	1603	26. In Ortu Solis.	25	3. noctis.
B	1604	25. Merid.	24	9. noctis.

Sed quia Neomenia *Thisri* in anno primo cuiusq; Cycli comitatur Aequinoctium Hipparchæum, seu Ptolemaicum, vt notat Mulerus cap. 13. & Ptolemæo anni Solares 300. vno die minores sunt annis 300. Calippicis, seu Iulianis, & Annus Solaris Ptolemaicus est dierum 365. h. 5. hel. 993 $\frac{6}{10}$. ideoq; anni 19. habent dies 6939. h. 16. hel. 518 $\frac{4}{10}$. & Cyclus Lunæ habet dies 6939. h. 16. hel. 595. exceditq; Solarem helakim 76 $\frac{6}{10}$. Ideo Mulerus construxit Tabulam, quæ nobis est VIII. in qua sunt Aequinoctia Ptolemaica diebus Iulianis adnotata pro 1. Anno Cycli Lunaris ab anno 1. Iudaico, vsque ad annum 570. cum excessu Lunarium Cyclorum; Additq; tempus computari à Meridiano Eden, & in primo Cycli anno caput anni semper succedere Aequinoctio Ptolemaico, & primo Anno Epochæ Iudaicæ Neomeniam Astronomicam *Thisri* fuisse post Æquinoctium Ptolem. hor. 14. hel. 96. cui post singulos Cyclos addendo excessum Lunarem hel. 76 $\frac{6}{10}$. sequitur vt post Cyclos 338. ideſt annos 6422. Neomenia *Thisri* absit ab Aequinoctio diem 1. hor. 14. hel. 96. Iudæi tamen qui sequuntur Rabbi Adda, dicunt ab eo Tekupham Vernum affixam fuisse diei 14. Martij cum Alphonsinis.

13. Festa Iudæorum præcipua sunt Pascha, Pentecoste, & Scenopegia, de quibus Exodi 12. & 23. & Deuteronom. 16. Pascha semper fit die 15. *Nisan*, & Pentecoste 6. die *Sciuuan*, & Scenopegia 15. die Thisri, à Paschate ad Scenopegiam semper sunt dies 177. quot sunt à Neomenia *Nisan* ad sequentem Neomeniam *Thisri*. In eandem feriam cadunt Neomenia *Nisan*, & Pascha sicut in eandem Neomenia *Thisri*, & Scenopegia. Iam supra diximus addendam vnitatem Feriæ Paschatis, vt habeatur Feria, Pentecostes, biduum autem, vt habeatur feria Scenopegiæ. Olim porrò stante Republica Hebræorum, nefas erat celebrare Pascha in Plenilunio antecedente diem Æquinoctij Verni Ciuilis, seu *Tekupham Nisan*; adeoq; si Plenilunium eam præcederet, intercalabant Mensem *Adar*, & à sequenti Niuilunio inibant primum mensem; quam intercalationem aliquando extra ordinem adhibebant, si nondum essent maturę fruges; nec florebant arbores, quæ prolatio, erat etiam commoda vijs purgandis, reficiendis pontibus, & furnis extruendis pro illis, qui aliunde Hierosolymam conueniebant; & aliquando ob alia impedimenta Pascha celebratum est mẽse secundo, vt videre est Iosue 5. versu 9. & 2. Reg. c. 23. v. 21. & 2. Paralip. c. 30. Sed euersa Republica, Pascha non celebrant nisi ex computo, in quo nõ rarò Pascha Iudaicum anteuertit priscam Tekupham, seu diem 25. Martij, vt fit in Cycli Lunaris anno 2. 5. 10. 13. 16. 18. & exemplo est Tabula Muleri, quæ apud nos erit IX. vna cum Tabula Terminorum Paschalium in vno Cyclo Lunari, quæ erit X. Harum vsus patebit ex Canonibus post Tabulas tradendis.

TABVLÆ X. pro vsu Kalendarij Hebraici à tempore Constantini Magni.

I. Tab. Cycli Solis.

Cycl.	Litt. Dominic.	
I	G	F
II		E
III		D
Iv		C
v	B	A
vI		G
vII		F
vIII		E
Ix	D	C
x		B
xI		A
xII		G
xIII	F	E
xIv		D
xv		C
xvI		B
xvII	A	G
xvIII		F
xIx		E
xx		D
xxI	C	B
xxII		A
xxIII		G
xxIv		F
xxv	E	D
xxvI		C
xxvII		B
xxvIII		A

II. Tab. Cycli Lunæ primi in periodo Iudaica.

	Anni ineuntes.	Radices Nouil. Fer.	Hor.	Hel.
	1	2	5	204
	2	6	14	0
e.	3	3	22	876
	4	2	20	385
	5	7	5	181
c.	6	4	13	1057
	7	3	11	566
e.	8	7	20	362
	9	6	17	951
	10	4	2	747
e.	11	1	11	543
	12	7	9	52
	13	4	17	928
e.	14	2	2	724
	15	1	0	233
	16	5	9	29
e.	17	2	17	905
	18	1	15	414
e.	19	6	0	210

III. Tab. Cycli Lunæ.

	Anni absoluti.	Perpetui sine Epocha temporis. Fer.	Hor.	Hel.
	1	4	8	876
	2	1	17	672
e.	3	7	15	181
	4	4	23	1057
	5	2	8	853
e.	6	1	6	362
	7	5	15	158
e.	8	4	12	747
	9	1	21	543
	10	6	6	339
e.	11	5	3	928
	12	2	12	724
	13	6	21	520
e.	14	5	19	29
	15	3	3	905
	16	7	12	701
e.	17	6	10	210
	18	3	19	6
e.	19	2	16	595

e. Indicat Emboliſmęos Cyclus habet dies 6939. Horas 16. Scrupula 595. ſeu Menſes 235.

Tab. III. Reſiduum.

Tab. Menſium Collectorum.

Menſes	D.	Hor.	Hel.
0½	0	18	396
1	1	12	793
2	3	1	506
3	4	14	219
4	6	2	1012
5	7	15	725
6	2	4	438
7	3	17	151
8	5	5	944
9	6	18	657
10	1	7	370
11	2	20	83
12	4	8	876
13	5	21	589

Menſis Ptolemæo hebdomadarum 4. d. 1. h. 12. helakim 793. à Nouilun. ad Plenilunium dies 14. hor. 18. hel. 396.

IV. Tabula Cyclorum Lunæ Collectorum.

Cycli collecti	Fer.	Hor.	Scrup.
1	2	16	595
2	5	9	110
3	1	1	705
4	3	18	220
5	6	10	815
6	2	3	330
7	4	19	925
8	7	12	440
9	3	4	1035
10	5	21	550
11	1	14	65
12	4	6	660
13	6	13	175
14	2	15	770
15	5	8	285
16	1	0	880
17	3	17	395
18	9	9	990
19	2	2	505
20	4	19	20
30	3	16	570
40	2	14	40
50	1	11	590
60	9	9	60
70	6	6	616
80	5	4	80
90	4	1	630
100	2	23	100
198	7	13	90
†199	3	5	685
200	5	22	200
201	1	14	795
202	4	7	310
203	6	23	905
204	2	16	420
205	5	8	1015
206	1	1	530
207	3	18	45
208	6	10	640
209	2	3	155
210	4	19	750
211	7	12	265
212	3	4	860
213	5	21	375
214	1	13	970
215	4	6	485
216	6	23	0
217	2	15	595
218	5	8	110
219	1	0	705
220	3	17	220
221	6	9	815
222	2	2	330
223	4	18	925
224	7	11	440
225	3	3	1035
226	5	20	550
227	1	13	65
228	4	5	660
229	6	22	175

Cycli collecti	Fer.	Hor.	Scrup.
230	2	14	770
231	5	7	285
232	7	23	880
233	3	16	395
234	6	8	990
235	2	1	505
236	4	18	20
237	7	10	615
238	3	3	130
239	5	19	725
240	1	12	240
241	4	4	835
242	6	21	350
243	2	13	945
244	5	6	460
245	7	22	1055
246	3	15	570
247	6	8	85
248	2	0	680
249	4	17	195
250	7	9	790
251	3	2	305
252	5	18	900
253	1	11	415
254	4	3	1010
255	6	20	525
256	2	13	40
257	5	5	635
258	7	22	150
259	3	14	745
260	6	7	260
261	1	23	855
262	4	16	370
263	7	8	965
264	3	1	480
265	5	17	1075
266	1	10	590
267	4	3	105
268	6	19	700
269	2	12	215
270	5	4	810
271	7	21	325
272	3	13	920
273	6	6	435
274	1	22	1030
275	4	15	545
276	7	8	60
277	3	0	655
278	5	17	170
279	1	9	765
280	4	2	280
290	2	23	830
300	1	21	300
400	4	20	400
500	7	19	500
600	3	18	600
700	6	17	700
800	2	16	800
900	5	15	900
1000	1	14	1000

Anno 1. Epochæ Chriſtianæ Cyclus 198. deſijt Autumno, & incœpit Cyclus 199.

V. Tabula Neomeniarum Thisri, quas proximè præcedit, aut sequitur Rosch Haschana, prout docet Feria.

Cyclus Lunæ Iudaicus.	Initio annorum Iudaicorum.	Seculo Mosis.	Seculo Salomonis.	Aera Contract. Macchab.	Seculo Apostolorum.	Seculo Nostro.
1	Oct. 7	Sept. 30	Sept. 29	Sept. 26	Sept. 25	Sept. 20
2	Sept. 26	Sept. 19	Sept. 17	Sept. 16	Sept. 15	Sept. 9
emb. 3	Sept. 16	Sept. 9	Sept. 6	Sept. 4	Sept. 4	Aug. 30
4	Oct. 4	Sept. 27	Sept. 25	Sept. 23	Sept. 22	Sept. 18
5	Sept. 23	Sept. 16	Sept. 15	Sept. 13	Sept. 11	Sept. 6
emb. 6	Sept. 12	Sept. 5	Sept. 3	Sept. 3	Sept. 1	Aug. 25
7	Oct. 1	Sept. 24	Sept. 22	Sept. 20	Sept. 19	Sept. 14
emb. 8	Sept. 21	Sept. 13	Sept. 11	Sept. 9	Sept. 8	Sept. 3
9	Oct. 8	Oct. 2	Sept. 30	Sept. 28	Sept. 27	Sept. 22
10	Sept. 18	Sept. 21	Sept. 19	Sept. 17	Sept. 16	Sept. 11
emb. 11	Sept. 17	Sept. 10	Sept. 8	Sept. 6	Sept. 5	Aug. 31
12	Oct. 6	Sept. 28	Sept. 27	Sept. 25	Sept. 23	Sept. 19
13	Sept. 24	Sept. 18	Sept. 16	Sept. 14	Sept. 13	Sept. 7
emb. 14	Sept. 14	Sept. 7	Sept. 5	Sept. 3	Sept. 2	Aug. 29
15	Oct. 3	Sept. 26	Sept. 24	Sept. 21	Sept. 21	Sept. 16
16	Sept. 22	Sept. 14	Sept. 13	Sept. 11	Sept. 9	Sept. 5
emb. 17	Sept. 10	Sept. 3	Sept. 2	Aug. 31	Aug. 30	Aug. 25
18	Sept. 29	Sept. 22	Sept. 20	Sept. 19	Sept. 18	Sept. 12
emb. 19	Sept. 19	Sept. 12	Sept. 10	Sept. 7	Sept. 7	Sept. 2

Annis 300. Termini Neomeniarum minuuntur vno die, & ideo quæuis columna potest seruire annis 600.

VI. Tabula Cycli Lunæ ab Anno Iudaico 5397. continens *Molad*, idest Nouilunium Thisri, & *Kebias*, idest Caput Anni Ciuilis.

Anni Cycli.	Nouilunium Thisri. Fer.	Hor.	Scrup.	Littera Dominic.	Initium Anni Astronomici.	Kebia Thisri Fer.	Anni Qualitas.	Initium Anni Ciuilis.		Anni Christi.
1	3	1	704	B	Sept. 20	3	Ord.	Sept. 20		1636
2	7	10	500	A	Sept. 9	7	Ab.	Sept. 9		1637
emb. 3	4	19	296	G	Aug. 29	5	Ab.	Aug. 30	t	1638
4	3	16	885	F	Sept. 17	5	Ord.	Sept. 19	t	1639
5	1	1	681	D	Sept. 6	2	Def.	Sept. 7	t	1640
emb. 6	5	10	477	C	Aug. 26	5	Ab.	Aug. 26		1641
7	4	7	1066	B	Sept. 14	5	Ord.	Sept. 15	t	1642
emb. 8	1	16	862	A	Sept. 3	2	Def.	Sept. 4	t	1643
9	7	14	371	F	Sept. 21	7	Ab.	Sept. 21		1644
10	4	23	167	E	Sept. 10	5	Ord.	Sept. 11	t	1645
emb. 11	2	7	1043	D	Aug. 31	2	Ab.	Aug. 31		1646
12	1	5	552	C	Sept. 19	2	Def.	Sept. 20	t	1647
13	5	14	348	A	Sept. 7	5	Ab.	Sept. 7		1648
emb. 14	2	23	144	G	Aug. 27	3	Ord.	Aug. 28	t	1649
15	1	20	733	F	Sept. 15	2	Ab.	Sept. 16	t	1650
16	6	5	529	E	Sept. 5	7	Def.	Sept. 6	t	1651
emb. 17	3	14	325	C	Aug. 24	3	Ord.	Aug. 14		1652
18	2	11	914	B	Sept. 12	2	Ab.	Sept. 12		1653
emb. 19	6	20	710	A	Sept. 1	7	Ab.	Sept. 2	t	1654

Litera *t.* indicat Translationem Feriæ factam.

VII. T-

VII. Tabula Dierum Collectorum in fine Mensium.

Menses.	Dies Mens.	Anno Communi. Defic.	Ordin.	Abund.	Anno Embolimæo. Defic.	Ordin.	Abund.	Mens. Iulian.	Anno Com.	Anno Bissex.
Thisri.	30	30	30	30	30	30	30		Dies	Coll.
Marchesuan	29	59	59		59	59		Ianuar.	31	31
in abundanti.	30			60			60	Febr.	59	60
Casleu	30		89	90		89	90	Mart.	90	91
in defic.	29	88			88					
Tebeth.	29	117	118	119	117	118	119	April.	120	121
Schebat.	30	147	148	149	147	148	149	Mai.	151	152
Adar I.	30				177	178	179	Iun.	181	182
Adar II.	29	176	177	178	206	207	208			
Nisan.	30	206	207	208	236	237	238	Iul.	212	213
Iiar.	29	235	236	337	265	266	267	Aug.	243	244
Siuuan.	30	265	266	267	295	296	297	Septemb.	273	274
Thamus.	29	294	295	296	324	325	326	Octob.	304	305
Ab.	30	324	325	326	354	355	356	Nouemb.	334	335
Elul.	29	353	354	355	383	384	385	Decemb.	365	366

VIII. Tabula pro Connexione Capitis Anni Iudaici, cum die Anni Romani, quando Cyclus Lunæ est 1.

ANNI Iudaici ineuntes.	Ante Christū currētes	Aequinoctium Ptolemaicum, seu Hipparch. Mens.	D.	H.	Scrup.
1	3761	Oct.	6	15	108
301	3461	Oct.	5	15	108
601	3161	Oct.	4	15	108
901	2861	Oct.	3	15	108
1201	2561	Oct.	2	15	108
1501	2261	Oct.	1	15	108
1801	1961	Sep.	30	15	108
2101	1661	Sep.	29	15	108
2401	1361	Sep.	28	15	108
2701	1061	Sep.	27	15	108
3001	761	Sep.	26	15	108
3301	461	Sep.	25	15	108
3601	161	Sep.	24	15	108
	Anni Christi.	Mens.	D.	H.	Scrup.
3901	140	Sep.	23	15	108
4201	440	Sep.	22	15	108
4501	740	Sep.	21	15	108
4801	1040	Sep.	20	15	108
5101	1340	Sep.	19	15	108
5401	1640	Sep.	18	15	108
5701	1940	Sep.	16	15	108
6001	2240	Sep.	16	15	108

In Annis.	Aequinoctij Complementum. Hor.	Scr.	Decim.
1	0	86	4
2	0	172	8
3	0	259	2
4	0	345	6
5	0	432	0
6	0	518	4
7	0	604	8
8	0	691	2
9	0	777	6
20	0	864	0
20	1	648	.
25	2	0	.
30	2	432	.
40	3	216	.
50	4	0	.
75	6	0	.
100	8	0	.
125	10	0	.
150	12	0	.
200	16	0	.

Excessus Lunæ supra Annos.

Cycli.	Excessus Lunæ in Cyclis. H.	Scr.	D.	Excessus Lunæ in Annis. Anni Solares Hipparchi.	Hela parkim. tes.
1	0	76	6		190
2	0	153	2		
3	0	229	8		
4	0	306	4	1	4 6
5	0	383	0	2	8 12
6	0	459	6	3	12 18
7	0	536	2	4	16 24
8	0	612	8	5	20 30
9	0	689	4	6	24 36
10	0	766	0	7	28 42
20	1	452	0	8	32 48
30	2	138	0	9	36 54
40	2	904	.	10	40 60
50	3	590	.	11	44 66
60	4	276	.	12	48 72
70	4	1042	.	13	52 78
80	5	728	.	14	56 84
90	6	414	.	15	60 90
100	7	100	.	16	64 96
200	14	200	.	17	68 102
280	19	928	.	18	72 108
281	19	1004	6	19	76 6
282	20	1	2		
283	20	77	8		
284	20	154	4		
285	20	231	0		

IX. Tabula Paschatum Iudaicorum, in diebus Anni Iuliani ab Anno Christi 1630. vsque ad 1674.

Cycli Lunæ Iudaici.	Anni Christi.	Pascha Iudæorum.	D	Feria.	Litera Domin	Cycli Lunæ Iudaici	Anni Christi.	Pascha Iudæorum.	D	Feria.	Litera Dom.
13	1630	Mar.	18	5	c	17	1653	Apr.	2	7	b
14	1631	Apr.	7	5	b	18	1654	Mar.	23	5	a
15	1632	Mar.	27	3	a g	19	1655	Apr.	12	5	g
16	1633	Mar.	16	7	f	1	1656	Mar.	30	1	f e
17	1634	Apr.	3	5	e	2	1657	Mar.	19	5	d
18	1635	Mar.	24	3	d	3	1658	Apr.	8	5	c
19	1636	Apr.	10	1	c b	4	1659	Mar.	29	3	b
1	1637	Mar.	30	5	a	5	1660	Mar.	17	7	a g
2	1638	Mar.	20	3	g	6	1661	Apr.	4	5	f
3	1639	Apr.	9	3	f	7	1662	Mar.	25	3	e
4	1640	Mar.	28	7	e d	8	1663	Apr.	12	1	d
5	1641	Mar.	16	3	c	9	1664	Mar.	31	5	c b
6	1642	Apr.	5	3	b	10	1665	Mar.	21	3	a
7	1643	Mar.	25	7	a	11	1666	Apr.	10	3	g
8	1644	Apr.	11	5	g f	12	1667	Mar.	30	7	f
9	1645	Apr.	1	3	e	13	1668	Mar.	17	3	e d
10	1646	Mar.	21	7	d	14	1669	Apr.	6	3	c
11	1647	Apr.	10	7	c	15	1670	Mar.	26	7	b
12	1648	Mar.	28	3	b a	16	1671	Mar.	16	5	a
13	1649	Mar.	18	1	g	17	1672	Apr.	2	3	g f
14	1650	Apr.	6	7	f	18	1673	Mar.	22	7	e
15	1651	Mar.	27	5	e	19	1674	Apr.	11	7	d
16	1652	Mar.	14	1	d c						

X. Tabula Harmonia Terminorum Paschalium binorum pro Christianis, & binorum pro Iudæis reductorum ad Iuliani Anni dies.

Cyclus Lunæ Romanus.	Term. Pasch. veteres circa Constantini M. tempus.	Cycli Lunæ Iudaici.	Term. Pasch. Iudæorum veteres ab anno Iud. 4105.	Term. Pasch. Iudæor. recent. huic æuo idonei.	D	Term. Pasch. Gregoriani, ad annum Iulianum reducti.	D	Cyclus Lunæ Romanus init. infrascriptis annis.
1	Apr. 5	17	Apr. 6	Apr.	2	Apr.	2	1615
2	Mar. 25	18	Mar. 27	Mar.	22	Mar.	22	1634
3	Apr. 13	19	Apr. 14	Apr.	10	Mar.	11	1653
4	Apr. 2	1	Apr. 3	Mar.	30	Mar.	30	1672
5	Mar. 22	2	Mar. 23	Mar.	19	Mar.	19	1691
6	Apr. 10	3	Apr. 10	Apr.	7	Apr.	7	&c.
7	Mar. 30	4	Mar. 31	Mar.	27	Mar.	27	
8	Apr. 18	5	Mar. 20	Mar.	16	Mar.	16	
9	Apr. 7	6	Apr. 8	Apr.	4	Apr.	4	
10	Mar. 27	7	Mar. 28	Mar.	24	Mar.	24	
11	Apr. 15	8	Apr. 15	Apr.	12	Mar.	13	
12	Apr. 4	9	Apr. 5	Apr.	1	Apr.	1	
13	Mar. 24	10	Mar. 25	Mar.	21	Mar.	21	
14	Apr. 12	11	Apr. 13	Apr.	8	Apr.	8	
15	Apr. 1	12	Apr. 1	Mar.	29	Mar.	29	
16	Mar. 21	13	Mar. 22	Mar.	18	Mar.	18	
17	Apr. 9	14	Apr. 9	Apr.	6	Apr.	6	
18	Mar. 29	15	Mar. 30	Mar.	26	Mar.	26	
19	Apr. 17	16	Mar. 18	Mar.	15	Mar.	15	

Termini Paschales à Gregorio XIII. reformati vix, & rarò vno die dissident à Terminis Iudæorum, esto hi quatriduo aliquando dissideant à priscis Terminis; At Iudæorum veteres à Romanis in Cyclo Romano 8. & recentes in Cyclo 3. & 11. dissident vno Mense.

CA-

CANON I.

Annos Indaicæ Periodi conuertere in Annos illos Epochæ CHRISTI, vel ante, quorum Autumno incœpit, vel incipiet datus Annus Iudaicus.

SI Annus Iudaicus sit 3761. incœpit ab Autumno Anni primi ante Epocham Christi; si verò minor sit annis 3761. subtrahe datos annos annis 3762. & residuum erit Annus ille ante Epocham Christi, in cuius autumno incœpit annus Iudaicus. Vt si detur annus 3760. restabit annus 2. ante Christum, in cuius autumno inijt annus 3760. At si datus annus est maior, quàm 3761. subtrahe illi 3761. & residuus annus erit ille Christi in cuius autumno incœpit, vel incipiet Iudaicus annus. Vt si detur annus 3762. demptis 3761. restat Annus I. Epochæ Christi, in cuius Autumno incœpit annus Iudaicus 3762. Item si detur annus Iudaicus 5397. demptis 3761. relinquitur Christi annus 1636. in cuius autumno incœpit annus 5397. antea enim Annus Christi 1636. à Calendis Ianuarij, vsq; ad Septembrinum caput anni Iudaici, currebat cum Iudaco 5396.

CANON II.

Annos Epochæ CHRISTI conuertere in Annos Iudaicos cum ipsis concurrentes, vsque ad Autumnale Caput Anni Iudaici subsequentis.

ANnis Christi adde 3760. & habebis Annũ Iudaicum, cum quo Annus ille Christi currit, vsq; ad Autumnum; at si Annis Christi addas 3761. habebis annum Iudaicum ineuntem ab Autumno anni eiusdem Christi. Vt si detur Annus Christi 1636. additis 3760. fit annus Iudaicus 5396. cum quo annus 1636. à Calendis Ianuarij, vsque ad Autumnum currit. At si annis 1636. addas 3761. fit Iudaicus annus 5397. iniens ab Autumno eiusdem anni Christi 1636. Anno itaq; Christi primo in Autumno ipsius completus est Iudaicus annus 3761. & initus 3762. & ità deinceps.

CANON III.

Dato Anno Iudaico, inuenire Cyclum Solis, & Lunæ Iudaicum, vna cum Cyclis iam absolutis.

PRo Cyclo Solis diuide Annos datos per 28. pro Lunæ autem Cyclo, diuide eosdem per 19. si in Quotiente nulla sit fractio, Cyclus erit vltimus illic Solis, ideſt 28. hic Lunæ 19. & totus Quotiens indicabit Cyclos absolutos ab initio Iudaicæ periodi. At si Quotienti adhæreat fractio, Numerator fractionis erit ipsemet Cyclus Solis in primo casu; vel Lunæ in secundo. Vt si detur annus Iudaicus 3761. hoc per 28. diuiso, quotiens est $134\frac{9}{28}$. quo significatur ab initio periodi Iudaicæ completos fuisse Cyclos Solis 134. & de Cyclo 35. currere 9. Rursus diuisis 3761. per 19. restant Cycli Lunæ completi 197. & $\frac{18}{19}$. & currebat aureus numerus 18. iuxta Iudæos, nam iuxta formam Anni Romani, & Christianorum, illo anno qui erat primus ante Christi Epocham, currebat Aureus numerus I. Cyclus enim Lunæ Iudæorum binario minor est Cyclo Lunæ Romanorum, quia Iudæi Cyclum suum biennio tardius, quàm Romani exorsi sunt; qui enim est Iudæis primus Cycli, idem est tertius Romanis ab Autumno ad sequentes Calendas Ianuarij, post quas incipit Romanis quartus, perseuerante adhuc apud Iudæos primo, vsq; ad sequentem Autumnum. Exempli gratia Anno hoc 1664. quo hæc scribimus Cyclus Lunæ Romanis à Calendis Ianuarij, vsq; ad vltimum Decembris est 12. sed Iudæis ab Autumno anni 1664. erit 10. vsq; ad Autumnum anni 1665. sed Romanis anno 1665. à Calendis Ianuarij erit 13. quod notandum ob Pascha. Sic anno Iudaico 3794. qui erat Christi 33. Cyclus Lunæ erat 13. absolutis iam 199. Cyclis seruiens Iudæis ab Autumno, & Romanis erat 15. & initio anni 34. Christi erat 16. durante adhuc apud Iudæos (si hac forma tunc vsi essent) Cyclo 13.

CANON IV.

Dato Cyclo Solis, inuenire Literam indicem Feriæ primæ Anno Iudaico seruientem.

REperto per Canonem III. Cyclo Solis, consule I. Tabulam, Litera enim, ibi adnotata Cyclo Solis pro Litera Dominicali, si est vnica, vel binarium posterior, est index Feriæ primæ pro anno Iudaico ab Autumno, vsq; ad Calendas Ianuarij, anni Romani: ab his enim vsurpanda est litera sequens pro reliquis mẽsibus anni Iudaici. Exempli gratia Anno Iudaico 5794. qui incœpit iuxta I. Canonẽ ab autumno anni Christi 33. diuiso per 28. reperitur Cyclus Solis 14. à Calendis Ianuarij, vsq; ad finem anni 33. currens; litera autem Đ. adnotata Cyclo 14. index est feriæ primæ in anno Iudaico, vsq; ad Calendas Ianuarij anni 34. ab his enim statim etiam pro reliquo anno Iudaico, vsurpanda est littera C. At anno Christi 32. Bissextili, ideſt Iudaico 3793. Cyclus Solis erat 13. & literæ F. E. quarum prior seruiebat vsq; ad diem 24. Februarij, posterior autem E. à die 25. Februarij vsq; ad finem anni, ideoq; feriæ primæ in anno Iudaico litera fuit E, sed à Calendis anni 33. fuit D.

CANON V.

Dato Anno Epochæ CHRISTI, reperire in formæ Iuliana Cyclum Solis & Lunæ congruentem Anno Iudaico cum ipso concurrenti.

PRimò Annis Epochæ Christi adde 9. (anno quippe præcedenti Epocham Christi Cyclus Solis erat 9.) & summam diuide per 28. Quotiens enim si nulla ipsi fractio adhæreat indicabit vltimum Cycli ideſt 28. alioquin ipse numerator fractionis erit Cyclus Solis seruiens non solum Romano sed etiam Iudaico illi anno, qui incipit ab autumno, dati Anni Epochæ Christi, cum quo per Canonem IV. inuenies literam indicem primæ feriæ. Sic anno Christi 33. additis 9. fiunt 42. & his per 28. diuisis Quotiens $1.\frac{14}{28}$. indicat Cyclum Solis 14.

Secundò pro Cyclo Lunæ adde annis Epochę Christi vnitatem, & summam partire per 19. nam quotiens si sit sine fractione, indicabit Cyclum 19. alioquin ipse fractionis numerator erit Cyclus Lunæ conueniens Anno Romano, cui si demas binarium habebis Cyclum Lunæ conuenientem Anno Iudaico inito ab Autumno dati Anni Christi, & deinceps toti anno Iudaico. Sic Anno Christi 33. addita vnitate fiunt 34. quibus per 19. diuisis restat $1\frac{15}{19}$. Ergo Cyclus Lunæ, seu Aureus numerus toti anno 33. Christi conueniens fuit 15. sed dempto binario Cyclus Lunæ seruiens anno Iudaico, ad illa tempora retroaccommodato, & ab Autumno anni 33. inito fuit, vel fuisset 13. & talis perseuerasset, vsq; ad sequentem autumnum anni 34. Christi, etiam si anno 34. Romanis Cyclus Lunaris fuerit 16.

CANON VI.

Dati Anni Iudaici caput Astronomicum inuenire, seu Characterem Neomeniæ Thisri, quoad Feriam, Horas, & Scrupula à Meridiano Eden, vel Hierosolymitano computatas.

PRimò per Canonem III. quære Cyclos Lunæ absolutos, & Cyclum Lunæ competentem Anno Iudaico; Deinde ex Tabula II. sume Radicem Nouiluniorum conuenientem Cyclo Lunæ, & ex Tabula IV. vno, aut duobus ingressibus, sume ferias, horas, & scrupula conuenientia Cyclis collectis, & absolutis; omnia hæc collige in vnam summam, ponendo pro scrupulis 1080. horam vnam, & pro horis 24. diem, seu feriam vnam, & à summa feriarum abijciendo septenarios, quando earum summa excesserit 7. sic enim habebis feriam Neomeniæ Thisri, seu capitis Anni Iudaici, & horas cũ scrupulis ab occasu Solis, & meridiano Eden numeratas, quibus si demas helakim, seu scrupula $420\frac{3}{4}$. habebis tempus meridiani Hierosolymæ.

EXEMPLVM. Anno Iudaico 3794. (qui per Canonē I. fuit Christi 33. ideſt cœpit ab Autumno anni 33.) per Canonem III. in vltimo exemplo Cyclus Lunæ Iudaicus fuit 13. & abſoluti erant iam Cycli 199. ſic ergo ex Tabula II.

	Fer.	Hor.	Scrup.
			928
Cyclo 13	4	17	685
Cycl. abſ. 199	3	5	
		1	1613
			1080
Summa	7	23	533

& IV. ſtabit forma calculi, in qua ſcrupulis 1613. demenda ſunt 1080. & reponenda hora 1. cū ſcrupulis reſiduis 533. quare Character Thiſri, ſeu caput Aſtronomicū anni 3794. Iudaici fuit, (hac quidem forma) feria 7. & hora 23. ac ſcrupulis 533. à meridiano Eden, ſed ſcrup. 112 ½. à meridiano Hieroſolymæ, hoc eſt ex dictis in Appendice num. 2. hor. 23. m. 6. ſec. 13 ½. Politicè itaque fuiſſet caput Anni Feria ſequenti, ſi ea capax fuiſſet, de quo Canone ſequenti.

CANON VII.

Caput Anni Iudaici Aſtronomicum corrigere, ob translationem feriarum.

SI Feriæ per Canonem VI. repertæ adhæreant horæ 18. vel aliquid plus, adhibenda eſt feria ſequens pro Ciuili Neomenia Thiſri; ſed ſi hæc ipſa feria ſit in *Adu*, ideſt 1. vel 4. vel 6. transferendum adhuc anni caput in feriam ſequentem. Ergo in Exemplo Canonis præcedentis Character Neomeniæ Thiſri fuit feria 7. hor. 23. &c. *Kebia*, ideſt caput Ciuile Anni debuiſſet eſſe feria 1. ob tranſgreſſum horarum 18. ſed quia ob ſuperſtitionem Iudaicam, feria 1. eſt inepta capiti anni, iuxta dicta in Appendice num. 7. ideo transferendum fuit caput anni in feriam 2. ſi anno illo, qui fuit Chriſti 33. Iudæi vſi eſſent hac forma, qua poſtea vſi ſunt.

CANON VIII.

Data Feria Neomeniæ Thiſri, vel eius Charactere, inuenire feriam Scenopegiæ ſequentis, & Paſchatis, & Pentecoſtes antecedentis.

EAdem eſt Feria Neomeniæ Thiſri, ſeu capitis anni Ciuilis Iudaici, ac primæ diei Scenopegiæ: debet enim celebrari die 15. menſis Thiſri, qui eſt ſeptimus in anno ſacro. Porrò huic feriæ ſubtrahe binarium, & reſiduum erit feria Paſchatis antecedentis, ſed ſi feria capitis anni Ciuilis ſit 2. feria Paſchatis præcedentis fuit 7. ſicut & Neomeniæ Niſan; Poſtremò feriæ Paſchali adde vnitatem, & habebis feriam primæ diei Pentecoſtes Iudaicæ. Ergo quia Anno 33. Chriſti, ſeu Iudaico 3794. Feria Neomeniæ Thiſri, ex dictis Canone VII. fuit 2. talis quoq; fuit feria primæ diei Scenopegiæ ſequentis, ſed feria Paſchatis antecedentis eodem anno 33. ſed Iudaico 3793. fuit 7. ſicut & feria Niſan; ideoq; feria Pentecoſtes fuit 1. aut debuit eſse, ſi Iudei tunc vſi eſſent hac anni forma.

Aliter ſic. Quære Characterem Neomeniæ Thiſri Aſtronomicum per Canonem VI. & huic ſubtrahe Characterem menſium collectorum repertum in reſiduo Tabulæ III. qui eſt D. 2. 4. 438. aſsumpto ſeptenario, ſi non poteſt aliter fieri ſubtractio feriarum, & habebis Characterem Neomeniæ Niſan præcedentis, ſed Aſtronomicum; Ciuiliter enim, ſi excedat horas 18. aſsumenda eſt feria ſequens, niſi hæc ſit 2. 4. aut 6. alioquin adhuc in alteram feriam transferendum eſt caput Anni ſacri, ſeu Neomenia Niſan præcedentis, & ita euenit vel debuit euenire Anno Chriſti 33. ex dictis enim in exemplo Canonis VI. Character Neomeniæ Thiſri fuit ſ. 7. 23. 533. cui ſubducto menſium 6. Charactere nempe 2. 4. 438. reſtat Character Neomeniæ præcedentis Niſan ſ. 5. h. 19. Scrup. 95. Aſtronomicè, ſed quia horæ excedunt 18. debuit ciuiliter Neomenia Niſan eſse feria 6. At hæc inepta eſt iuxta dicta in Appendice num. 7. ergo transferri debuit in feriam 7. in quam pariter incidere debuit Paſcha Iudæorum, & ideo Pentecoſte in feriam I.

CANON IX.

Dato Capite Anni Iudaici, ſeu Neomenia Ciuili Thiſri, & capite Anni ſequentis per Canones VI. VII. Decernere an præſens Annus ſit Communis an Embolimæus, & an ſit Deficiens, Ordinarius aut Abundans.

CYclus Lunæ Iudaicus Anno Iudaico dato conueniens, & in Tabula II. aut III. repertus indicabit an ſit Embolimæus, nempe ſi adnotatata ſit characteriſtica *em.* alioquin erit Communis, vt in caſu Canonis VI. Cyclus fuit 13. ergo Annus fuit Communis. Quære deinde per Canones VI. & VII. *Kebiam* ideſt correctum caput Anni ciuilis, & idem fac pro Kebia, ſeu capite anni ſequentis, tandem ſubtrahe Kebiam priorem à poſteriori, aſsumpto ſeptenario ſi Kebia poſterior non eſt maior priori, quod ſi vtraq; cadat in feriam eandem, differentia erit 7. alioquin in Anno communi differentia Kebiarum 5. deficientem indicabit 4. ordinariam 5. abundantem, ſed in anno Embolimæo differentia Kebiarum ſi ſit 5. deficientem, ſi 6. ordinariam, ſi 7. abundantem indicabit.

EXEMPLVM de quo ſupra ſit Iudaicus annus 3794. qui incœpit ab Autumno anni 33. Chriſti Cyclus Lunæ fuit 13. adeoq; annus Communis, & Kebia Thiſri fuit feria 2. Anno autem ſequenti caput anni Aſtronomicè per Canonem VI. fuit feria 5. hor. 8. ſcrup. 339. quare cum horæ non excedant 18. & feria 5. ſit idonea capiti anni *Kebia* ſequens fuit 5. cui ſubtrahendo priorem Kebiam, ideſt 2 re-

	Fer.	Hor.	Scrup.
			724
Cyclus 14	2	2	
Cycli abſ. 199	3	5	685
		1	1419
			1080
Summa	5	8	339

manent 3. ergo annus Iudaicus 3794. fuit Communis, ſed Deficiens, nempe dierum 353. ideoq; Menſis Caſleu dierum tantummodo 29. Alia exempla habes in Tabula VI. ab Anno Iudaico 5397. qui fuit Chriſti 1636. vſq; ad Iudaicum 5416. qui fuit Chriſti 1654. in diebus tamen Iulianis, non Gregorianis.

CANON X.

Data Feria politica Capitis Anni Iudaici in quam diem Menſis Iuliani cadat inuenire.

INuenta *Kebia* ſeu feria ciuili per Canonem VI. & VII. quæ eſt caput Anni Iudaici, & per Canonem III. Cyclo Lunæ Iudaico ac Solis & per IV. Litera Dominicali, ſeu feriæ primæ; quære in Tabula V. ſub ſeculo congruenti cum Cyclo Lunæ Iudaico diem Iuliani menſis aſſignatum Neomeniæ Thiſri, & ſi dies ille in Calendario Romano coincidat cum feria Iudaica, prout docebit litera Dominicalis, ille ipſe dies eſt caput Anni Iudaici, alioquin ille dies eligendus, qui propior habet feriam eandem cum feria Iudaica. EXEMPLI gratia, Anno 33. Chriſti, ſeu Iudaico 3794. Feria Politica Capitis Anni per Canonem VI. & VII. fuit 2. & per Can. III. Cyclus Lunæ fuit 13. & ex Canone IV. Litera Dominicalis fuit D. ſeculo autem Chriſti, & Apoſtolorum Cyclo Lunæ 13. reſpondet dies 13. Septembris, quæ, vt indicat litera D. in Calendario Romano eſt feria 1. ergo feria 2. & caput anni Iudaici incidit in diem 14. Septembris.

EXEM-

EXEMPLVM alterũ sit Exodus, seu migratio Israelitarum ex Aegypto, quæ iuxtà Scaligerum fuit Anno Iudaico 2264. qui incœpit per Canonem I. Anno ante Christi Epocham 498. autumno, quare Exodus, qui contigit nocte inchoante festum Paschatis, incidit in annum 497. ante Christum. Cyclus Lunæ Iudaicus fuit 3. absolutis Cyclis 119. Solis autem cyclus fuit 24. & litera Dominicalis F. Character ergo Neomeniæ Thisri Astronomicè fuit feria 2. h. 0. scr. 401. per Canonem VI. vt patet ex calculo hic adiecto

	Fer.	Hor.	Scr.
Radix Cycli 3			
Cycli 100	3	22	876
absoluti 19	2	23	100
	2	2	505
		1	1481
			1080
Summa	2	0	401

abiectis 7. nec vlla opus est translatione Feriæ, iuxta dicta Canone VII. Annus autem fuit Embolimæus. At Anno sequenti Neomenia Thisri inuenietur per Canonem VI. fuisse fer. 7. h. 21. scr. 990. ideſt ciuiliter per Canonem VII. feria 2. Quare per Canonem IX. Annus Iudaicus 2264. fuit Embolimæus Abundans, seu dierum 385. & mensis Marcheſuam dierum 30. vt & Adar prior. Porrò ex Tabula V. seculo Mosis cyclo 3. respondet Septembris dies 9. quæ, vt docet litera F. in Calendario Romano, conuenit feriæ 2. Ergo miro consensu Neomenia Thisri incidit in feriam 2. & diem 9. Septembris. Iam à die prima Thisri ad finem Adar secundi per Tab. VII. in anno Embolimæo abundanti sunt dies 208. quibus numeratis à die 9. Septembris, incidit dies vltima Adar in diem 3. April. Anni ante Christum 497. vtpote Bissextilis, quo prior litera Dominicalis erat E, & posterior D, quare desijt Adar in 3. Aprilis feriamq; 6. & Nisan inijt 4. Aprilis feria 7. Pascha verò in 18. Aprilis item feria 7. à vespera præcedenti inchoato.

CANON XI.

Inuenta Neomenia Thisri, & Anni qualitate inuenire Neomenias reliquorum mensium Iudaicorum, & dies mensium Iulianorum, in quas incidunt.

PRimò, vt habeas Neomeniam sequentis Nisan adde numeros notatos in adiecta hic Tabella, Feriæ Neomeniæ Thisri, & habebis feriam sequentis Nisan. Vt in exemplis Canonis VII. & IX. quia annus Iudaicus 3794. initus

In Anno Iudaico.			
Communi		Embolimæo	
Defic.	1	Defic.	3
Ordin.	2	Ordin.	4
Abund.	3	Abund.	5

ab autumno Anni 33. Christi. Cœpit à feria 2. & fuit communis deficiens, ideo Nisan sequens addita vnitate, incœpit à feria 3. Et quia ex dictis Canone 10. fuit illa, dies 14. Septembris à Thisri autem vsque ad Nisan in anno Com. deficiente, sunt dies 176. & Casleu cuadit dierum 29. facile per Tabulam VII. inuenies dies Iulianos aliarum Neomeniarum, & cum litera Dominicali sequentis anni ferias quoq; Itaq; in Exemplo prædicto, quo Christi anno 33. currebat litera D. & anno sequenti litera C. Neomeniæ Iudaicæ, si hæc forma fuisset tunc in vsu, incidissent in infrascriptos dies, & ferias.

Anno 33.			
Thisri	14	Septemb.	fer. 2
Marcheſuan	14	Octob.	fer. 4
Casleu	12	Nouemb.	fer. 5
Tebeth	11	Decemb.	fer. 6
Anno 34. Christi.			
Schebat	9	Ianuar.	fer. 7
Adar	8	Februar.	fer. 2
Nisan	9	Mart.	fer. 3
Iiar	8	April.	fer. 5
Sirran	7	Maij	fer. 6
Tamuz	6	Iunij	fer. 1
Ab.	5	Iulij	fer. 2
Elul	4	Augusti	fer. 4

CANON XII.

Tekuphas, seu Solis ingressus in quatuor puncta Cardinalia Zodiaci reperire.

COnsule Tabulam VIII. E regione enim annorum datorum habebis Æquinoctia Ptolemaica Autumnalia, quæ pleriq; Iudæi sectantur, at si anni dati non sint in Tabula sume proximè maiorem numerum annorum in Tabula notatum, & cum eo quære Æquinoctij tempus: deinde cum annorum differentia sume ex secunda parte eiusdem Tabulæ Æquinoctij complementum addendum tempori prius reperto, & habebis Æquinoctij tempus correctum. Et quia Iudæi vnicuiq; quadranti Anni Solaris tribuunt dies 91. hor. 7. helakim 540. duobus verò quadrantibus dies 182. horas 15. facile aliorum Tekupharum diem, & horam inuenies.

EXEMPLI gratia Anni Christi 33. cœpit in autumno annus Iudaicus 3794. qui annus non est præcisè in Tabula VIII. sume igitur proximè maiorem, nempe 3901. cui respondet Æquinoctij autumnalis tempus Septembris 23. hor. 15. scrup. 108. subtractis autem 3794. ab annis 3901. differentia est 107. cui sumendo annos 100. & deinde 7. respondent horæ 8. hel. $604\frac{8}{10}$. quæ additæ diei 23. horis 15. scrup. 108. colligunt Æquinoctium die 23. Septembris hora 23. scrup. 12. à Meridiano Eden, ideſt sub finem diei, 24. Sept. quare si dici 24. Septembris addas dies 182. hor. 15. incidet Æquinoctium vernum anni sequentis Christi 34. in diem Martij 25. & hor. ferè 15. à media nocte meridiani Eden; At ex dictis pro Canone XI. Nisan eo anno inijt à die 9. Martij, atq; adeo dies 15. Paschati deputata in diem 23. Martij: sed ante Æquinoctium Vernum, contra legem priscam Moysis; Igitur ac forma Kalendarij tunc non vtebantur Iudæi, sed Neomeniam Nisan à Phasi Lunæ auspicabantur, & Ciuile Æquinoctium ad diem 24. Martij redactum seruabant, ideoq; anno communi, & ordinario retento plenilunium, seu 15. Nisan coincidit in diem Æquinoctij.

CANON XIII.

Ex Tabula X. eruere à tempore Constantini Magni Paschata Christianorum, & Iudæorum terminos Paschales.

PRimò Annis Epochæ Christi adde 9. & summam diuide per 28. si quotienti nulla fractio adhæret Cyclus Solis erit 28. alioquin ipse numerator fractionis erat Cyclus Solis; Deinde Annis Epochæ Christi adde vnitatem, & summam diuide per 19. Nam si Quotienti nulla hæret fractio, Cyclus Lunæ Romanus erit 19. alioquin numerator fractionis erit Cyclus Lunæ. Cyclus autem Solis in I. Tabularum indicabit literam Dominicalem.

EXEMPLVM sit Annus Christi 1453. additis 9. fiunt 1462. & his per 28. diuisis, Quotus est 52. $\frac{6}{28}$. ergo Cyclus Solis 6. & litera Dominicalis G. sed addita vnitate annis Christi, fiunt 1454. quibus per 19. diuisis Quotiens est 76. $\frac{10}{19}$. ergo Lunæ Cyclus Romanus fuit 10.

Secundò igitur ex Tabula X. è regione Cycli Lunaris 10. inuenies terminum Paschalem in anno veteri Iuliano, nempe Martij 27. cui in Kalendario Romano assignatur litera B. ergo Pascha fuit die 1. Aprilis, quæ habet sequentem literam Dominicalem G. At Iudæorum Cyclus Lunaris erat tunc 7. & Termini Paschales anno Christi 344. seu Iudaico 4105. erant 28. Martij, nostro autem æuò 24. Martij: quare anno 1453. erant 25. Martij. Iam si Pascha fuit die 1.

Aprilis ergo festum Corporis Christi fuit 31. Maij feria 5. Rectè igitur Patriarcha Constantinopolitanus retulit Constantinopolim captam feria 3. ante festum Corporis Christi die 29. Maij.

Aliud exemplum Anno Christi 1636. per regulam supradictam Cyclus Lunæ Romanus fuit 3. (esto Iudaicus esset 19.) & Cyclus Solis 21, & lit. Dominicalis posterior B. In Tabula autem X. Cyclo 3. respondet Terminus Paschalis Iulianus Aprilis 13. sed Gregorianus 11. dies verò Aprilis 13. in Kalendario Romano habet literam E ergo ex litera Dominicali B, dies 13. incidit in feriam 4. & dies 17. in feriam 1. quare Pascha fuit die 17. Aprilis in Anno Iuliano. At die 11. Martij in Kalendario Romano assignata est Litera G, ergo Pascha in anno Gregoriano ad Iulianum reducto fuisset 13 Martij, cui assignata est Dominicalis litera B, nempe quinque septimanis præcedens Pascha Anni Iuliani; Dies tamen 13. Martij Stylo Gregoriano fuisset 23. Martij. Iudæorum autem Pascha ipsa 10. Aprilis fuit feria 1.

Notandum verò est in Tabula X. veteres terminos Paschales in anno Iuliano Christianorum, nunquam plus biduo dissentire à Iudaicis tempore Constantini Magni nostro autem æuo Iudaicos, & Gregorianos rarò dissentire vnico die: At Terminos veteres tam Iudæorum, quam Christianorum quatriduo dessidere à recentibus, imò in Cyclo 3. 8 & 11. dissidere vno ferè mense, à Gregorianis, quia in Reformando Calendario cauendum fuit ne Pascha celebraretur antè vernum tempus, seu ante ingressum Solis in Arietem, in alijs quoque Cyclis Lunaribus termini Paschales triduo moti sunt, vt à plenilunio tanto propius abessent.

CAPVT XV.

De Sabbati Nomine, ac diuersa eius significatione.

CONCLVSIO XV.

Sabbati nomen in S. Scriptura significat ordinariè quidem feriam septimam Hebræis festiuam, aliquando tamen, & totam Hebdomadam, & quamuis feriam, quà requiescendum est ab operibus seruilibus, immo & annum quo cessandum est ab agricultura, messe, & vindemia.

NOtissima sunt illa Geneseos 1. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo*; quam ob causam sæpius inculcauit Hebræis sanctificãdum esse septimum diem cessandumq; ab opere seruili, illumq; *Sabbatum* nominauit Exodi 20. & 31. Leuit. 23. & Deuteron. 5. Indè autem tota Hebdoma septem Dierum dicta est extensiuè *Sabbatum*: quod enim dicitur Lucæ 18. *Ieiuno bis in Sabbato*, Idem valet quod: ieiuno bis in hebdomade. Et cum dicitur Matth. 28. & Io. 20. *Prima Sabbati*, & Marci 16. *Vna Sabbatorum* idem est, ac prima dies septimanæ seù prima feria; & *secunda Sabbati* idem valet ac secunda feria, & ità de cæteris. Etsi autem dies alij festi Iudæorum non incidunt perpetuo in eandem feriam, puta Neomeniæ, prima Azimorum & septima, & dies Expiationum nempe 10. mensis septimi, tamen hoc ipso, quod cessandum est ab opere seruili *Sabbatum* nominatur ob analogiam. Sic Leuitici 16. à num. 29. ad 31. de festo expiationum dicitur: *Sabbatum enim requietionis est*, & Leuitici 23. num. 24. de Neomenia mensis septimi: *Mense septimo prima die mensis erit nobis Sabbatum memoriale, clangetis tubis, & vocabitur Sanctum, omne opus seruile non facietis in eo.* Et num. 32. de die decima mensis septimi: *Sabbatum requietionis est, &c. à vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*, idest festos dies, & num. 39. *A quinto decimo ergo die mensis septimi &c. celebrabitis ferias Domini septem diebus, die primo, ac die octauo erit Sabbatum*, idest requies. Quomodo dies quoq; prima Azymorum, seu decima quinta mensis primi, & dies septima Azymorum, idest vigesima prima mensis primi, in quãcunque feriam inciderent, erant dies festi, ac solemnes, ideoq; appellabantur *Sabbatum*, & dies altera, seu secunda post ipsos, *altera Sabbati*: Sic de die 2. Azymorum, quæ erat 16. Mensis primi dicitur Leuitici 27. num. 10. *altera die Sabbati*. Neque verò prima Sabbati, vt non nemo dubitauit, significat primam diem subsequentem Sabbato præcedenti, sed significat primam diem septimanæ, alioquin prima dies Mundi conditi, cui nullum precessit Sabbatum, non potuisset dici prima Sabbati. Postremò Annus quoq; ille septimus, quo toto cessandum erat ab Agricultura, Messe, ac Vindemia, ob illam requiem tam terræ, quàm operarijs, & animalibus laborando assuetis, concessam, dictus est Sabbatum Leuitici 25. nũ. 2. *Sabbatizes Sabbatum Domino: sex annis seres agrum tuum, & sex annis potabis vineam tuam, colligesque fructus eius, septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini*. Quando tamen Sabbatum ita nominatur, vt nihil aliud addatur, vt dies illum antecedens nominetur *Parasceue* accipiendum est pro feria septima. Quid verò significet illud Lucæ 6. σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ *Sabbato secundo primo*, vide opiniones diligenter collectas à Cornelio à Lapide in hunc locum. Crediderim significari primum Sabbatum occurrens post 16. Azymorum cum Petauio Dissert. Vran. l. 2. c. 11. aut primam diem secundæ ex illis septem hebdomadibus, quas numerare oportebat vsque ad Pentecostes festum, aut quia festum Paschatis erat primarium, Pentecostes autem secundarium; ideo hoc dictum fuisse secundum Sabbatum, & feriam septimam, in quam forte incidit Pentecoste, aut certe primum Sabbatum, quod post illum occurrit, dictum esse secundo primum.

CAPVT XVI.

De Anno Sabbatico, & Iubilæo.

CONCLVSIO XVI.

Sabbaticus Hebræorum Annus fuit septimus quisq; annus ab ingressu, & possessione pacifica terræ promissionis, & ab eius Neomenia mensis in anno Sacro, ac Ciuili septimi, numeratus. Iubilæus autem Annus fuit quinquagiesimus quisque, sed à die decima mensis septimi, computatus, & immediatè succedens septimo cuiq; Sabbatico, seu cuiuis quadragesimo nono completo.

I. TRes leges in Pentateucho habemus circa septenarium numerum annorum: *Prima* extat in Exodi c. 21. *Si Emeris seruum Hebræorum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis*, & Deuteronomij 15. num. 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebrea, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, &c.* Quòd præceptum inculcabat Iudæis Ieremias 34. nu. 14. Sed hinc non potest colligi annum illum fuisse Sabbaticum: quidquid enim dicant Abulensis in Leuitici c. 25. q. 1. & Spondanus ad Annum Mundi 2584. nu. 5. nusquam in scriptura extat præceptum de dimittendis seruis illo anno septimo, qui erat Sabbaticus, sed quouis septimo ab emptione serui numerando, excepto tamen anno Iubilæo: illo enim superueniente, etiam si seruus emptus non seruisset annos sex, dimittendus srat, vt constat ex Leuitici 25. num. 39. & 55.

II. Secunda Lex de annis sabbaticis habetur Exodi 23. n. 10. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea, & in olineto tuo.* & Leuitici 25. nu. 2. *Quando ingressi fueritis Terram, quam ego dabo vobis, Sabbatizes Sabbatum Domino: sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ*

ræ requietionis Domini: *agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est: sed erunt in cibum, tibi, & seruo tuo &c.* Post legem autem de Iubilæo, quæ huic subiungitur, occurrit Dominus dubitationi & diffidentiæ Iudæorum nu. 20. dicens per Moysen: *Quod si dixeritis; Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto; & faciet fructus trium annorum, seretisque anno octauo, & comedetis veteres fructus vsque ad nonum annum, donec noua nascantur, edetis vetera.* Sed ipsi siue ob solitam diffidentiam, siue ob auaritiam, sæpe hanc legem contempserunt: quæ causa fuit, vt totis 70. annis in captiuitate Babylonica detenti sint, & interim eorum agri inculti remanserint; id enim comminatus fuerat ipsis Dominus Leuitici 26.nu.34. dicens. *Tunc placebunt terræ Sabbata sua, cunctis diebus solitudinis suæ, quando fueritis in terra hostili, Sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieueritis in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.* Id enim euenisse in captiuitate Babylonica narratur l. 2. Paralip. c. vlt. nu. 21. & causa additur: *Vt celebraret terra Sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni.* Vnde colligitur eos siuè continuè, siuè interpolatim omisisse obseruantiam 70. Sabbaticorum annorum. Iam verò annos Sabbaticos incundos fuisse à Neomenia mensis Thisri, qui est septimus in anno sacro, & Ciuili, vt ostendimus Concluf. XI. deducitur ex c. 23. Exodi verbis illis nu. 10. *& congregabis fruges eius*, quod nu. 16. explicatur ibi: *In exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro*; & Deuteronom. 16. nu. 13. vbi de solemnitate tabernaculorum, quæ ex leuit. 23. celebrabatur mense septimo, dicitur: *Quando collegeris de area, & torcular fruges tuas.* Quare tempus congregatarum omnium frugum, & post messem vindemiæ absolutæ erat septimus anni Ciuilis ac sacri mensis: Ideoque primo loco nominatur satio, quæ in hunc mensem aut proximè subsequentem cadebat, deinde putatio vinearum quæ in primum anni subsequentis mensem cadebat, dum dicitur: *sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam*; quia annus Sabbaticus inibatur à tempore sationis. Id confirmatur ex Anno Iubilæo, qui expresè Leuitici 25. nu. 9. indicendus erat die 10. mensis septimi; at hic non incipiebat nisi completo septimo Sabbaticorum, ideſt anno 49. ergo Sabbatici inibant, & exibant mense 7.

III. Maior difficultas est de anno, à quo lex illa cœperit obligare Hebræos, vtrumne ipso primo anno Iosuè, cuius ductu ingressi sunt terram Canaam, siue promissionis, & inde numerandi annis 7. pro Sabbatismo terræ; an verò anno tantum 7. Iosue, quo absoluta fuit prior κληρωχία, ideſt diuisio terræ per sortes, de qua est sermo c. 14. Iosue, ita vt primus sabbaticorum fuerit Iosue decimus quartus mense 7. eiusdem anni inchoatus. Pro anno primo ingressus stant multi, quos recensent, & sequuntur, Torniellus, & Salianus ad annum Mundi 2544. & 2590. Tirinusque in Chronico Sacro c. 25. Quia scriptura non dicit quando diuiseritis, vel possidebitis pacificè terram, sed: *Quando ingressi fueritis*; primò autem anno æstate deuicti erant Chananæi, & suis agris exuti, ergo poterant illos in communi colere, interim dum reliqui armati reliquias hostium persequebantur, ergo statim ab illa satione mense 7. anni primi ingressus numerandi fuerunt anni sex agriculturæ concessæ, præsertim, cum illo anno post celebratum primum Pascha, & oblatas fruges, manna defecerit, vt narratur Iosue 5. Verùm prò anno Iosue 7. factaq; prima diuisione stant Vatablus in Ieremiam, Serrarius in Iosue 13. q. 14. Scaliger l. 5. de Emend. tempor. pag. 375. Petauius de doctrina temporum l. 9. c. 26. Cornelius à Lapide in c. 25. Leuitici, Henricus Philippi in Manueli Chronologico q. 4. in c. 25. Leuit. Vbbo Emmius in Chronologia, & Langius l. 1. de annis Christi c. 11. Idque communiter teneri ab Hebræis affirmauit mihi Rabbi Gamaliel â me, dum essem Parmæ, sedulò interrogatus. Nam ante diuisionem terræ illius nemo poterat dicere *agrum tuum*, vel *meum*; ergo esto in communi aliqua pars terræ illius fuerit culta, nemo tamen poterat dicere ego *sex annis seui agrum meum*, & *putaui vineam meam*; ergo nec obligari ad intermittendam agriculturam, & reliquendas fruges spontaneas in communi, & pro communi vsu; nec lex illa, cum sit stricti iuris, amplè, sed strictè est interpretanda, & pro illo tempore, quo nulla erat rationabilis causa differendi eius obseruantiam. Immo ipsa diuisio non debuit fieri nisi post victos omnes hostes, & purgatam regionem, vt dicitur numerorum 33. *Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaam, disperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite vitulos, ac statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, & habitantes in ea: Ego enim dedi vobis eam in possessionem, quam diuidetis vobis sorte.* Ergo expectanda fuit pacifica possessio Terræ, quod non semel insinuatur Deuteronomij 12. præsertim illis verbis: *Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque vllo timore habitetis &c.*

IV. Sed quæritur an ex Scriptura, vel aliunde constet aliquos annos determinatæ Epochæ fuisse Sabbaticos, annum enim illum, quo Sedecias captus est, & quo Ieremias inculcauerat dimissionem seruorum ad rem non facere iam diximus num. 1. Sed neque illud 4. Reg. c. 19. nu. 29. *Comede hoc anno quæ repereris, in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur, porro in tertio anno seminate, & metite*; est indicium sufficiens anni Sabbatici instantis, vt putarunt esse Scaliger, & Caluisius: nam impedimentum sufficiens agriculturæ esse potuit bellum, quod sementem, & messem impediturum erat vsque ad annum tertium, *Fugato Assyrio, & obsidione laxata*, vt notat ibi S. Hieronymus, & Henricus Philippi in Manuali Chron. Vnicus ergo certus Sabbaticus reipsa celebratus extat in Machab. c. 6. nu. 49. ibi: *Exierunt de ciuitate, quia non erant ibi alimenta concluſis, quia Sabbata erant terræ.* Quia annus erat primus Regis Antiochi Eupatoris & Græcorum 150. obsessi enim in Bethsura coacti sunt se dedere, quia ob Sabbatismum non congregauerant fruges, & hic annus incidit in annum ante Christianam Epocham 164. ab autumno ad Ianuarium, sed à Ianuario sequenti in annum 163. Deinde iste Iosepho l. 13. antiq. c. 15. & 16. Sabbaticus fuit annus primus Hircani, qui occiso Simoni successit anno 177. Græcorum, seu anno ante Christi Epocham 136. quo cœpit hic Sabbaticus, adeoque interceſſerunt ab anno 164, ad 136. anni 28. ideſt quatuor Sabbatici. Postremò, eodem Iosepho teste l. 14. c. vlt. Sabbaticus fuit annus, quo Herodes potitus est Hierosolymis. M. Vipsanio Agrippa, & Caninio Gallo Consulibus; Cœpit ergo hic Sabbaticus anno ante Christi Epocham 38. à quo retro ad annum 136. fluxere anni 98. ideſt Sabbatici 14. Ex quibus, si Iosepho credendum est, colligitur manifestè ordinem Sabbaticorum de septenario in septenarium annorum, nunquam interruptum fuisse quoad numerationem nec interuentu Iubilæorum, eorum ordinem variatum esse. Itaque datis annis Iosue seu ingressus in Terram Chanaam, & septenario primo abiecto, si reliqui diuidantur per. 7. nihilq; superſit, habebitur annus Sabbaticus, alioquin numerator fractionis dabit annos post vltimum Sabbaticorum currentes.

V. Tertia lex supereſt de Iubilæo; Leuitici enim 25. post legem de Sabbaticis expositam, statim nu. 8. subiungitur: *Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum, ideſt septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina mense septimo decima die mensis, propitiationis tempore in vniuersa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis, remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Iubilæus. Reuertetur homo ad Possessionem suam, & vnus quisque rediet ad familiam pristinam, quia Iubilæus est, & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob sanctificationem Iubilæi, sed statim oblata comedetis. Anno Iubilæo redient omnes ad possessiones suas.* Ex quibus verbis omnes interpretes, & scriptores de hoc argumento deducunt Anno Iubilæo vetitam fuit agrorum culturam ob peculiarem titulum sanctificandi huius anni, siue hic fuerit reipsa distinctus ab anno quadragesimo nono, siue non; de hac enim distinctione & modo computandi annos Iubilæos tres opiniones reperio.

VI. *Prima* opinio fuit Rabbi Addæ, Hugonis Cardin. in 25. Leuit. Gerardi Mercatoris, Vbbonis Emmij, Sethij, & Capelli in suis Chronologijs, Scaligeri l. 5. de Emend. temporum, Petauij l. 9. de doctrina temporum c. 27. Gerardi

Vossij,

Vossij, & Guldini in kalendario l. 5. c. 11. nu. 10. & c. 13. Regula 11. asserentium annum Iubilæum includi in quadragesimo nono quoque anno, sic enim seruari ordinem septenariorum à Deo in tam multis alijs sanctionibus intentum, nec verisimile esse duobus annis cessandum fuisse ab agricultura, ne nimis tellus sylvesceret; Repetitionem verò illam de non serendo, non esse sufficiens indicium noui, & distincti anni, sed noui tituli & sanctioris, adiectamque, ne quis interpretaretur Iubilæum eos eximere ab obligatione Sabbatici, eo quod verisimile videretur redeuntibus ad pristinas possessiones, licere statim suos agros colere; dici tamen annum hunc quinquagesimum ab inclusis vtrinque terminis, quo modo Græci Olympiadum Quadriennium appellarunt πενταετηρίδα, & Medici tertianas, quartanasq; febres. Addi posset; si Iubilæus à sabbatico septimo distinctus esset, non verificari concessionem de serendo annis sex continuis, & de resumendo anno octauo agriculturam, quæ concessio cùm sit fauorabilis, non est absq; necessitate restringenda: fatetur enim Glossa ordinaria, & Lyranus posse salua littera opinionem hanc de Iubilæi inclusione, in anno Quadragesimo nono sustineri.

VII. Secunda opinio est, quemlibet quadragesimum nonum annum Sabbaticum illum esse, cui succedere debuit Iubileus, aliquando immediatè, aliquando mediante vno, vel pluribus annis agriculturæ; quemlibet enim quinquagesimum fuisse Iubileū, eo quod bis talem appellet S. Scriptura; vtique appellatura quadragesimum nonum, si ab eo non distingueretur, nec annum primi ingressus in terram Chanaam, aut primæ diuisionis agrorum fuisse Iubilæum, vnde quadragesimus nonus inclusis terminis potuerit appellari quinquagesimus, ideoq; repetitionem illam de non serendo, iunctam cum appellatione quinquagesimi, manifestum esse argumentum Iubilæi à Sabbatico distincti, & quemlibet quinquagesimum fuisse Iubilæum: Concessionem autem de continuanda sex annis agricultura, & de resumenda, octauo anno intelligendam esse de eo, quod plerumque euenire debebat in obseruantia sex Sabbaticorum ante septimum, qui præibat Iubilæo; esse igitur Sabbaticos Iubilæis præuios annos 49. 98. 147. 196. 245. 294. 343. &c. Iubilæos autem 50. 100. 150. 200. 250. 300. 350. &c. Ita sentiunt Abulensis in Leuit. 25. 9. 6. Torniellus, & Spondanus ad Annum Mundi 2584. nu. 5. Azorius l. 6. Moral. c. 21. Bonfrerius in 25. Leuit. Salianus ad Annum Mundi 2544. nu. 695. Tirinus in Chronico Sacro c. 21. & in Leuit. c. 25. & Henricus Philippi in Manuali Chronolog. ad Leuit. c. 25. q. 5. qui pro se nominant Africanum, Origenem, Epiphanium, Eusebium, Cyrillum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Cassiodorum, Gregorium, Isidorum, Bedam, Marianum Scotum, Caietanum, Oleastrū, Eugubinum, Sigonium, Benzonium, Magalianum, Serrarium, Corneliū à Lap. Menochium, & Computum Actiopicum. Verùm maxima pars dictorum PP. & DD. ita pro Iubilæo agnoscunt annum quinquagesimum, vt tamen non negent quosuis Iubilæos immediatè succedere septimo, cuiq; Sabbatico, possintq; nō immerito adduci pro sequenti opinione. Nam secundæ opinionis absurditas, vel ex eo patet, quod sæpe non solum 7. hebdomades annorum numerandæ essent, vt Iubilæus annus sanctificaretur, sed etiam vltra illas aliquot anni, vt patet perlustranti ordinem Iubilæorum prænotatum, & tamen Deus taxauit eam numerationem ad annos 49. vt ijs expletis, statim Iubilæus celebraretur.

VIII. Tertia itaque, & verior opinio, distinguit Iubilæos à Sabbaticis, & ita illos quinquagesimos nominat, ac numerat, vt nunquam eos à septimo quoq; Sabbaticorum seiungat, sed illi immediatè succedentes faciat, propter argumenta in fauorem quinquagesimi quatenus distincti à 49. adducta in secunda opinione; sed quia ex vna parte Sabbaticorum ordo nunquam interruptus fuit, vt patet ex dictis ad finem nu. IV. ex altera verò interrumperetur continuatio annorum sex, vel quinque cōcessa agriculturæ, si inter Sabbaticos, & Iubilæos, vnicus, vel duo tantum anni, tresue &c. agrorum culturæ concederentur, vt euenit in coordinatione opinionis secundæ, ideo concludit Iubilæos semper immediatè succedere Sabbaticis, esseq; *Sabbaticos Iubilæis præuios* Annos 49. 98. 147. 196. 245. 294. 343. 392. 441. 490. &c. Iubilæos autem 50. 99. 148. 197. 246. 295. 344. 393. 442. 491. Datisq; annis à prima diuisionæ Terræ, seu ab anno 7. Iosue, ijsq; diuisis per 49. si nihil residui sit, annum datum esse illum Sabbaticum, qui Iubilæo immediatè præcedit si verò fractionis numerator sit vnitas, annum datum esse Iubilæum, si vnitate maior, haberi ex eo annos subsecutos Iubileo, si vnitate mulctetur dictus numerator; nec propter facilitatem diuidendi annos datos per 50. vt fit in Iubilæo Christianorum à Clemente VI. ad Annos 50. reducto, recedendum esse à veriori sentētia de Iubilæo Iudæorum: sic enim Iosephus Hebræus l. 3. antiquit. c. 10. quod ex professo est de hac re, inscribiturque περὶ τοῦ πεντηκοστοῦ ἐνιαυτοῦ, *De Anno quinquagesimo*, dum dixit: *Septimo anno remissionem agris dedit, intactosq; aratro, & plantatione esse iussit &c. Idemq; obseruari post septimam annorum hebdomadem, qui numerus quinquaginta conficit*, vbi pro distinctione notandum illud *post*: Sic S. Hieronymus in C. 5. Amos dixit. *Et septem Hebdomades complent numerū Sanctæ Pentecostes, & Iubilæus annus tubarumq; clangentium hoc numero texitur*: Vnde nouum argumentum summitur pro distinctione quinquagesimi anni à 49. & eius immediata successione: dicitur enim Leuitici 23. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies, & offeretis &c.* ideoq; Hebræi in suo Calendario notant *Paschatis* festum primamq; diem Azymorum die 15. *Nisan*, & *Omer*, seu oblationem manipuli primitiarum die 16. Pentecostem autem die 6. *Siuan*, adeoque ab Omer inclusiuè numerant dies 49. quibus expletis celebrant die sequenti, idest quinquagesimo Pentecostem. Ita igitur & annorum hebdomades septem compleri debent, & ijs immediatè succedere quinquagesimi anni Iubilæique sanctificatio, & sicut in Pentecoste Hebræorum computanda, non debemus attendere ad Pentecostem Christianorum, illi enim à Paschate exclusiuè ad Pentecostem inclusiuè numerant dies 50. nos autem 49. ita nec in Iubilæo Hebræorum debemus attendere ad Iubilæum Christianorum, quia aliquando 100. aliquando 50. aliquando 25. anno celebratus est à Summis Pontificibus. Prætereà, vt refert Augustinus Riccius in tractatu de motu Octauæ Sphœræ c. 5. 38. 42. 43. *Isaac Hazan*, idest cantor Synagogæ Toletanæ, vocatus cum alijs Hebræis, & Mauris ad structuram Tabularū Alphonsinarum, statuit fixarum periodum absolui annis 49000. eaq; absoluta reditura anno sequenti omnia in pristinum, sicut post annos 49. completos redibant iussu Dei possessiones ad pristinos Dominos: Denique non solum Villelmus Langius Hebraicorum Epilogismorum consultissimus lib. 1. de annis Christi c. 11. nostræ opinionis est, sed olim cū essem Parmæ Gamaliel Buxetanus doctissimus Hebræus affirmauit mihi hanc esse communem Hebræorum Magistrorum, eiseq; ex Sacro Codice euidentissimum, Annum Iubilæum, ita esse quinquagesimum distinctumq; à quadragesimo nono, vt tamen huic immediatè succedat, nec aliud volunt pleriq; Patrum, ac Doctorum, quando Iubilæum appellant: *Quinquagesimum*.

IX. Supereſt vt moneamus verba illa: *Faciet fructus trium annorum*, debere intelligi iuxta necessitatem agriculturæ intermittendæ. Nam ordinariè, quando vnico tantum anno intermittebatur, quia anno 6. partem hordei, tritici, & leguminum, vini, oleiq; consumpserant, indigebant frugibus pro parte anni 6. pro toto 7. & pro illa parte octaui, quæ à semente ad messem intercedebat, quoad vinum autem à putatione vinearum, vsq; ad vindemiam, ideſt vsque ad anni 9. principium. At quando instabat post Sabbaticum Iubilæus, opus erat maiori benedictione, ac facilitate, ita vt tellus faceret fructus trium integrorum annorum, & duobus annis intermissionis tellus spontaneos fructus copiosè produceret.

CA-

CAPVT XVII.

De Anno Aegyptiaco.

CONCLVSIO XVII.

Aegyptiacus Annus, postquam duodecumestris euasit; olim quidem fuit dierum 360. *Posteà tamen communiter dierum* 365. *ac vagus, nec nisi post Periodum annorum* 1460. *initio sui reuertens ad eandem Cælestis Anni tempestatem; Esto apud Thebæos, & Heliopolitas Hierophantas, & demum apud Alexandrinos Annus fuerit dierum* 365. *cum quadrante, & fixus; Remanente tamen in praxi ciuili, & apud Astronomos vsu Anni vagi dierum* 365. *Menses verò omnes, in quauis forma ex tribus dictis tricenarij fuerunt; Reliquæ verò dies quinque, vel sex in fine anni adiectæ, & nomine* Epagomenarum, *idest Intercalarium seorsim computatæ.*

I. QVondam apud Aegyptios, puta ante commercium cum Hebræis, annos fuisse menstruos, & postea trimestres iam ex Plutarcho in Numa, Diodoro lib. 1. Plinio l. 7. c. 44. alijsq; indicauimus Concl. V. Deinde tamen euasisse duodecumestres, seu Mensium 12. qui singuli dierum 30. erant annumque dierum 360. efficiebant; & talem fuisse antiquissimum Ægyptiorum annum affirmat Pierius l. 17. Hierogliph. tit. de Anno, sed multo ante illum Plutarchus in fabula de Mercurio, & Luna, narrans Mercurium anno dierum 360. adiecisse ἡμέρας πέντε ἐπαγομένας, *Dies quinque intercalares*; At Eusebius lib. 1. Chronici, credo ex Manethone, tribuit hoc Asetho multo ante Moysem in Aegypto regnanti, ait enim; *Aegyptiorum Regum trigesimus secundus Aseth regnauit annos* 20. *Hic adiecit anno dies intercalares, & eius tempore, vt ferunt, annus Aegyptiacus prodijt dierum* 365. *qui antea diebus* 360. *absoluebatur.* Quando autem erat dierum 360. annis Iulianis 69 ¼. reuertebatur principium anni Ægyptij ad eandem Iuliani anni, & quasi cælestis diem. Hinc patet institutionem anni dierum 360. cum diebus quinque intercalaribus, multo antiquiorem esse Nabonasaro, esto Astronomi, & Chronologi annos Aegyptios dierum præcisè 365. ab hac insigni epocha deducant, nempe ab anno ante Christi epocham 747. eiusq; Februarij die 26. respectu anni Iuliani à meridie, sic enim cum Ptolemæo passim in magna Syntaxi, Theone, & Albategnio computantur. Confirmatur anni huius antiquitas, quia, vt refert Pierius in Hierogliphicis l. 39. tit. *de Circulo*, Reges Persarum hanc anni quantitatem desumpsere ex Simandis Regis Ægyptij sepulchro, cuius ambitus erat cubitorum 365. & multo magis ex periodo anni magni Canicularis. Nam cum Censorinus cap. mihi 6. dixisset: *Ad Aegyptiorum verò Magnum annum Luna non pertinet, quem Græcè κυνικὸν, Latinè Canicularem vocamus, propterea quod initium eius sumitur cum primo die eius mensis, quem vocant Aegyptij θὼθ Caniculæ sidus exoritur. Nam eorum annus ciuilis solus habet dies CCCLXV. sine vllo intercalari. Itaque quadriennium apud eos vno circiter die minus est, quàm naturale quadriennium, eoque fit vt anno MCCCCLXI. ad idem reuoluatur principium. Hic annus etiam ἡλιακὸς à quibusdam dicitur; ab alijs ὁ θὼθ ἐνιαυτὸς*: posteà cap. 8. de annis Nabonnagarij, & Alexandrinis, ait: *sed horum initia semper à die primo mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est θὼθ, quique hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Iulias; cum ab hinc annos centum Pio, & Bruttio Præsente Coss. ijdem dies fuerunt ante diem XII. Kal. Aug. quo tempore Solet Canicula in Aegypto facere exortum. Quare scire etiam licet, anni illius magni, qui vt supradictum est, & Solaris, & Canicularis, & Dei annus vocatur, nunc agi vertentem annum centesimum.* Hic autem annus, quo Censorinus scribebat, eodem ibidem asserente, fuit Iulianus 383. hoc est, vt suo loco ostendetur, Epochæ Christianæ 238. ergo anno Epochæ Christianæ 138. initus erat nouus annus Canicularis, & absoluta prima periodus annorum 1460. quibus si detrahas annos 138. restat ante Epocham Christi annus 1322. quo primus Magnus annus incœpit. Porrò licet Censorinus, vt audiuimus, annum Magnum dici ab aliquibus Solarem referat, Lucianus autem Libro de Astrologia de Ægyptijs dicat: *Et hi quidem Luna, eiusque conuersione menses, mensurant; annum verò Sole, eiusq; circuitu definiunt*; Geminus tamen, qui Ciceronis, ac Sullæ temporibus floruit, in Elementis Astronom. cap. de mensibus inquit. *Atque Aegyptij quidem contrariam Græcis sententiam, & intentionem habuerunt; neque enim annos agunt secundùm Solem, neq; menses, & dies secundùm Lunam, sed propria quadam ratione sunt vsi, volunt enim sacrificia Dijs fieri, non secundùm idem tempus anni, sed ea per omnes anni quadrantes ire, & fieri ex festo æstiuo hybernum, & autumnale, & vernum. Agunt enim annum dierum* 365. *duodecim enim menses faciunt* 30. *dierum, & quinque dierum epactas addunt; sed quadrantem illum diei non intercalant, ob dictam causam, vt videlicet illis festa anticipent* &c. Addit ibidem. *Festum Isidis, quod secundùm Aegyptios, & Eudoxum incidebat in Tropicum hybernum, suo iam tempore anticipasse toto mense, & in annis* 1460. *omne festum transire per omnes anni quadrantes, & rursum restitui ad idem tempus anni nempe Cælestis.*

II. Iam verò Ægyptios vsos fuisse cõmuniter anno ciuili dierum præcisè 365. non solùm à meridie diei 26. Februarij anni ante Christi Epocham 747. & quidem feria 4. vt testantur Arabes post finem lib. 3. Almagesti in veteri translatione, & Alfraganus cap. 1. Quæ est Epocha Nabonassari, sed etiam ab initio primæ periodi Canicularis, nempe ab anno ante Christum 1322. imò ab Asetho Ægypti Rege annis aliquot ante Exodum, iam supra diximus; nunc addendum est multos quoq; Ægyptios tali anno vsos, etiam postquam Iuliani anni forma in Aegyptum introducta fuit. Nam non solum Ptolemæus, qui sub Antonino, & Adriano floruit, eo passim vsus est, & Theon prior, Ptolemæo coæuus, sed etiam Theon posterior Alexãdrinus Mathematicus, qui in Commentario Almagesti l. 6. refert Eclipsim Solis à semet obseruatam anno Nabonassari 1112. Nempe Christi 365. idemque in Com. in Canones manuales ait: *Quia enim annus iuxta Græcos, aut Alexandrinos, pro vt à nobis traditum est, diebus constat CCCLXV. cum quadrante; iuxta Aegyptios autem CCCLXV. præcisè prout diximus, manifestum est, quòd annus Alexandrinus in quatuor annis integrũ diem assumat; in annis verò MCCCCLX. dies CCCLXV hoc est iuxta Aegyptios annum vnum, & tum rursum eodem tempore, & Alexandrini, & Aegyptij annum suum simul auspicantur, & toto isto anno dies Menseſque plane iuxta Aegyptiorum rationem Alexandrini agunt.* Sed & Albategnius c. 51. vtitur anno Nabonassaris 1627. nempe Christi 879. iuxta formam prædicti anni, & Alfraganus, qui anno circiter 950. Christi floruit, in elementis Chronolog. c. 1. cum dixisset Aegyptiorum annum esse dierum 365. subdit. *Differunt autem menses Coptitarum, quos modò vsurpant viri Aegyptij, quatenus ad anni quantitatem quartam diei partem adijciunt*; sed hi ab Aera Diocletiani sanctisq; Martyribus sub eo, annos computant.

III. Verùm non solùm Coptitæ, & Alexandrini vsi sunt anno dierum 365. cum quadrante, addentes in fine quarti cuiusq; anni *sextam diem Intercalarium*, sed multo ante Thebæi, & Heliopolitani Sacerdotes: Nam sub Augusto floruerunt Strabo, & Diodorus Siculus. Scribit autem Strabo lib. 17. *Thebani maximè Sacerdotes Astronomiam, ac Philosophiam exercere dicuntur: horum institutum est dies, non iuxta Lunam, sed secundùm Solem agere, ita vt tricenarijs duodecim mensibus, appendices addant dierum quinque, quotannis. Porrò cum ad totius anni complementum particula diei quædam superſit, certam periodum componunt ex integris diebus, & annis integris, quot portiones singulorum annorum residuæ diem conficiunt.* Et de Heliopolitanis. *Isti excurrentes diei noctisque particulas supra* 365. *dies ad complendum annum tradiderunt.* Concinit planè Diodorus l. 1. Bibliothecæ sic: *Thebani vetustissimos se omnium mortalium esse prædicant, apud quos omnium primos Philosophia, & exactior Astrologia sit inuenta; adiuuante ipsos ter-*

ræ situ ad Ortus, & Occasus siderum euidentius cognoscendos, modoq; peculiari menses, & annos apud se ordinatos esse. Nam dies non ad Lunæ, sed Solis motum exigentes, tricenos dies mensibus tribuunt, & post duodecimum quemque Mensem, quinque dies cum quadrante intercalant. Eoque pacto Cyclum annorum absoluunt. Cyclum scilicet annorum 4. quem statua Isidis significabat, vt exponit Pierius Valerianus in Hierogl. l. 39. C. de Iside. Clarissimè vetustissimus ille Horus Apollo l. 1. c. 5. *Annum volentes dicere quadrantem nominant; propterea quod ab vno sideris illius ortu, cui Sothis nomen est ad alterum, quarta diei pars adijciatur, vt annus Dei constet diebus 365. vnde, & quarto quoq; anno vertente supernumerarium diem computant Aegyptij. Quatuor enim quadrantes diem perficiunt*, & l. 2. c. 89. *Annus apud Aegyptios quatuor constat annis.* Aegyptios dicit, & non solos Thebanos, aut Heliopolitas; quamquam Scaliger l. 3. de Em. Temp. c. 2. formam hanc Aegyptiorum Hierophantis, seù Sacerdotibus tribuit, & Petauius l. 5. Variarum disert. Vronologij c. 4. & 5. Omnibus quidem Antistitibus, & Astronomis Aegypti notam fuisse illam anni cælestis quantitatem concedit, sed hoc ad arcanum, & hierophanticum annum referri debere, non ad popularem, seù ad annum ἱερογλυφικὸν, vt loquitur Scaliger; eo fere modo, quo Astronomi, & Computistæ anni cælestis, horas ipsas, horarumq; fragmenta, nedùm dies norunt, & in suis Tabulis notant, esto ciuilis annus vulgo visitatus de horis, & minutijs non curet. Sed si verum est, quod tradit Iosephus l. 1. Antiq. c. 4. Aegyptios olim Annum inchoasse à mense *Dio* Macedonicè, seu *Marchesuan* Hebraicè, hoc est ab Autumno; necesse est annum illum olim fuisse fixum non vagum, adeoq; intercalatione congrua retentum ad Æquinoctij autumnalis cardinem. Cæterùm siue temporum diuersitas, siue locorum in Aegypto, siue personarum sacrarum, vel ciuilium duplicem anni formam induxerit; certum est vsitatiorem, & communiorem in Aegypto ante Augusti, aut Diocletiani æuum fuisse dierum 365. præcisè; & sicut Cyclus minor annorum 4. adiectione vnius diei annum fixum reddebat, ita Cyclum magnum annorum 1460. restituisse initium anni Aegyptij ad idem anni cælestis tempus, sed nõ ad exortum Caniculæ, propter Fixarum motum secundùm successionem Signorum, quæ annis 1460. iuxta dicta lib. 4. Astronomiæ Reformatæ promouentur gr. 20. ac fere 33. Minutis.

IV. Quod spectat ad exortum Caniculæ, notandum est ex Pierio Valeriano lib. 39. Hierogliph. Aegpyptijs Isidem aliquando pro Luna, aliquando pro Stella illa accipi solitam, quæ ipsorum lingua *Sothis*, ideſt *Canis*; Græcè ἀστρόκυων, ideſt *Astrocanis*, & Astronomis *Sirius* nominatur, quam ait oriri solitam, nempè heliacè, circa 12. Cal. Augusti, vel potius 13. Cal. nempe Pio, & Bruttio Consulibus, ideſt anno Christi 138. quo vt ex Censorino deduximus, cœpit secunda periodus, seú Annus Magnus Canicularis. Causam addit Pierius, quòd circa illud tempus Sole in Leone versante, Nilus exundaret; olim autem Sole in Cancro versante; Ait enim Porphyrius in Antro Nymphacum: *Aegyptijs verò initium anni non Aquarius est, vt Romanis, sed Cancer: prope Cancrum enim Sothis est, quàm Græci Canis Stellam dicunt.* Quo spectat illud Plinij lib. 5. c. 9. de Nili incremento: *Incipit crescere Luna noua quæcunq; post Solstitium est, sensim modicèq; Cancrum Sole transeunte, abundantissimè autem Leonem, & recedit in Virgine iisdem quibus accreuit modis.* Petauius in Vranologij differt l. 5. c. 6. calculo inito affirmat, Anno Christi 138. Heliopoli Ortum heliacum Sirij fuisse die 20. Iulij manè, Sole circa gradum Leonis 25. 33. posito, & Sirio in Geminorum gr. 18. 16. & ortum Cosmicum quinta circiter Iulij; at annis ante hunc 1460. ideſt ante Christum 1322. Ortum heliacum Caniculæ fuisse dic 20. Iulij ineuntè Sole in grad. 14. 5. Cancri, sed contingenter id enim perpetuum esse non posse, cum anno Christi 138. additis 1460. consurgat annus 1598. quo tamen ob motum octauæ Sphœræ, & præcessionem Æquinoctior. Sirius Ortus est heliacè Heliopoli 20. Augusti Sole in 9. gr. Leonis. Langius autem l. 1. de Annis Christi c. 16. ait ex calculo Astronomico Caniculam ortam esse cum Cancro heliacè anno Periodi Iulianæ 3228. ideſt ante Christum 1486. Cosmicè autem cum gr. ferè 24. Geminorum. Eusebius verò lib. 1. Chron. ait Canicularem Cyclum institutum fuisse regnante Concharo Aegypti Rege annis 700. post Misraim Regni Aegyptiaci fundatorem, & 224. ante Asechum; quod Langius non de Cyclo magno, sed de Cyclo paruo annorum 4. interpretatur; sed ità vt annus dierum 365. cum quadrante apud doctos, & Sacerdotes remanserit, inde autem ab Asetho annus Ciuilis, & popularis de diebus 360. ad dies præcisè 365. reductus. At Petauius in Vranologio l. 5. dissertationum c. 5. reprehendit Salmasium, quòd quemlibet annum simplicè Aegyptiorum κυνικὸν appellarit, quasi omnis eorum annus à Caniculæ exortu inciperet, cum tamen initium anni vagi, per omnes anni cælestis tempestates retrocederet, & si semel cum Canicula exordiretur; post annos 730. circiter cum parte Cæli diametraliter opposita Caniculæ exordiretur. Sed dum Petauius idem negat de Cyclo minore, & quadriennali, de quo diximus num. III. cum Strabone, Diodoro, & Horo Apolline, non videtur audiendus, nam per intercalationem diei quarto quoq; anno, Cyclus ille euadebat Fixus adeoque anni exordium detinebatur apud Sacerdotes ad exortum Caniculæ saltem putatum: Reuera tamen ob motum proprium Fixarum, tardius quotannis Sol Caniculam assequebatur; eadem ratione Plinius l. 2. c. 47. De Eudoxi quadriennali Cyclo dixit eius principium esse semper intercalari anno caniculæ ortu.

V. De Coptitarum porrò, & aliorum Ægyptiorũ Epocha affixa diei 29. Augusti anni Christi 284. quo Diocletianus cœpit imperare feria 6. quando Thoth Æræ Nabonassari, ideſt anni Nabonassarij 1032. incidit in 13. Iunij, feriam item 6. adeoq; Thoth Coptitarum cecidit in Nabonassareum Asthyr die 18. non est hic locus deferendi, sed lib. 4. vbi de his Epochis. Superest, vt hic nomina Mensium Ægyptiorum apponamus, tum antiqua, tum recentiora, ex Arabum interpretatione, additis nominibus Abissinorum, Æthiopum, eadem forma anni vtentium.

MEN-

MENSES ÆGYPTII, ET ÆTHIOPICI.

Ordo.	Græca Nomina.	Latina ex Græcis.	Latina ex Arabicis recentibus.	Aethiopica Abissinorum.	Dies collecti in fine Mensium.
1	Θώθ	Thoth	Thuth	Mascaran	
2	Παωφὶ	Paophi	Babe	Tikmith	30
3	Αθὺρ	Athyr	Hathur	Hadar	60
4	Χοιὰκ	Choeac	Chiac	Tachsas	90
5	Τυβὶ	Tybi	Tube	Tir	120
6	Μεχεὶρ	Mechir	Amschir	Iachathith	150
7	Φαμενὼθ	Phamenoth	Barmahat	Magabith	180
8	Φαρμοῦθὶ	Pharmuthi	Barmude	Miazia	210
9	Παχὼν	Pachon	Baschnes	Ginboth	240
10	Παυνὶ	Payni	Bayne	Sene	270
11	Επιφὶ	Epiphi	Ebib	Hamle	300
12	Μεσορὶ	Mesori	Menson	Nahase	330
D. F.	Επαγόμεναι	Intercalares	Nisi, *deest* Serpens.	Pagomen	360
1	πρώτη	Prima	Intercalarium		361
2	δεύτερα	Secunda			362
3	τρίτη	Tertia			363
4	τέτρα	Quarta			364
5	πέντη	Quinta			365
In Anno Fixo	ἕκτη	Sexta intercal.			366

CAPVT XVIII.

De Anno Persico.

CONCLVSIO XVIII.

Persicus Annus olim fuit, & nunc est Dierum CCCLXV. ex mensibus 12. tricenarijs, cum appendice dierum quinque in fine duodecimi Mensis in Anno Ciuili, vel octaui mensis in Anno sacro, absq; alia diei intercalatione; adeoq; Annus fuit, & est vagus, nec nisi post periodum annorum 1460. initio sui reuertens ad eundem Anni Iuliani diem. Esto ob celebritatem Aequinoctij Verni, ab Anno Epochæ CHRISTI 1079. vsi sint Persæ intercalatione diei vnius plerumque quarto quoq; anno, aliquando autem quinto.

DE Diebus 365. Anni Persici, præter Xenophontem libro de Aequiuocis, scitũ est illud Q. Curtij l. 3. *Magos trecentos, & sexaginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero, quippè Persis, totidem diebus descriptus est annus.* De appendice autem dierum quinque post 12. Menses tricenarios absq; alia intercalatione testatur Alfraganus in Elementis Astronomicis c. 1. Et Isaac Monachus, cuius fragmentum recitat Iacobus Kristmannus in Comm. ad Alfraganum tit. de Calendario Persico: In eo fragmento Isaac, cum dixisset anno primo Iezdagerdi Regis Persarum (quem coincidisse cum Anno Christi 629. suo loco docebimus, esto eius æra à morte ipsius, idest ab Anno 632. inita sit à Mathematicis) constructos fuisse Canones Persicos mitosq; à meridie Neomeniæ mensis *Pharuart*, respectu Meridiani Tybenæ vrbis in Perside, quem distare putabant ab extremo Occidentali gr. 72. addidit: *Est verò apud ipsos annus tantummodo 365. dierum, sicut apud Aegyptios; quilibet verò mensis dierum 30. Epagomenæ verò sunt quinque. Proinde necesse est, vt Persarum Annus quarto quouis anno Romanorum annum vno die anticipet, eo quòd Romanorum annus quartus quisq; habeat dies 366. Annis verò 1460. integro anno Persico anticipet &c. Contigit verò hæc annorum 1460. restitutio à quodam principio temporis, trecentis, & septem annis, ante initium Regni Iezdagerdi: vt tum rursus Persæ incœperint, quarto anno post illud tempus nos vno die anticipare.* Si ante primum Iezdagerdæ, hoc est ante Christi 629. annis 307. idest Anno Christi 323. rursum incœpit noua Periodus Persarum; ergo ante hanc altera prior periodus iniuerat Anno ante Christũ 1135. subdit vero Kristmannus ex Codice Hebraico Alfragani, Persas in anno Ecclesiastico addere mensi *Aben* dies quinque, & à die 25. ad diem 35. Alfrugen, idest Bacchanalia agere, sed annum ciuilem exordiri à mense *Arphurdin*, & dies quinque addere extremo mensi *Affirer*: Multa ex his confirmat Georgius Chrysococces; ex quo etiam didicimus Anno Christi 1079. Sulthanum Gelaleddin Principem Corasani, seu Mesopotamiæ Mathematicis imbutum disciplinis, cum alijs octo viris sapientissimis, Aequinoctium Vernum statuisse die 14. nostri Martij feria 5. & vt quolibet anno celebraretur dies Aequinoctij Verni, iussisse, vt quarto quoq; anno aliquando autem quinto quoq; vnus dies intercalaretur vltra quinque Epagomenas, à quo tempore orta est noua Epocha, dicta Gelalæa, & Annus ille dictus *Neuruz Elsultani*, seu Annus Maiestatis, & Imperatorius. Sicut Magna periodus annorum 1460. dicta est *Sal Chodai*, hoc est *Annus Dei*, idest Solis: Turcæ quoq; annum Solarem vocant *Neuruz*. Reliqua vide apud Kristmannum supra, Scaligerum l. 3. Emend. temp. titulo *de Neuruz periodico veterum Persarum*, & l. 4. tit. de *Anno Tropico Persarum*, siue Neuruz Gelalæo. Petauium l. 3. de Doctrina temporum à cap. 8. ad 16. & l. 11. c. 52. quibus refellit multa Scaligeri figmenta, & illud in primis, quo ex literis Ignatij Patriarchæ Antiocheni schismatici, ad ipsum Scaligerum scriptis deduxerat, veteres Persas ante Iezdagirdam, vsos fuisse anno dierum 365. sed intercalasse vnum mensem anno quoq; 120. standum enim esse potiùs Alfragano, Albatenio, & Isaaco Monacho, ex quibus colligitur Persas olim quoque vsos anno dierum 365. absq; alia intercalatione; quod ex dicto Isaaco confirmat Langius l. 1. de Annis Christi cap. 17. Iesdagirdæ porrò æram incœpisse anno Epochę Christianæ 632. die 16. Iunij feria 3. in quam incidit Neomenia *Pharuardim*, coinciditq; cum Neomenia Choiac anni 1380. Nabonassari docebimus l. 5. Nunc superest, vt Persicorum Mensium nomina subijciamus apud diuersos Auctores reperta, inter quos Alfraganus singulis addidit com-

commune nomen *Meh*, quod menſem ſignificat, quinque autem dierum appendicem, alij *Vuahak*, alij *Maſiarcha*, alij *Muſteraka* nominant.

MENSES PERSARVM.

Ordo.	Ex Alfragano.	Ex Iſaaco.	Ex Scaligero.	Dies collecti.
1	Afrudin meh	Pharuartis	Phrurdin	30
2	Ardihaſcht meh	Artripeeſt	Adarpahaſcht	60
3	Cardimeh	Chotiat	Cardad	90
4	Thirmeh	Thyrma	Thir	120
5	Merdedmeh	Mertat	Mardad	150
6	Schaharirmech	Sachriùr	Schahariz	180
7	Meharmeh	Mecherma	Mehar	210
8	Aben meh	Apanma	Aban	240
9	Adar meh	Adermà	Adar	270
10	Dimeh	Dimà	Di	300
11	Behenmeh	Pechman	Behemen	330
12	Affirer meh	Aſphādarmath	Aſphandar	360
	Appendix d. 5.	*Maſiarcha*	*Vvahak*	365
	vel	*Muſteraka*		

De Armeniorum Anno, quæ Scaliger nullius authoritate finxit, ſatis refutata habes à Petauio l. 3. c. 17. & 18. ſicut & conficta de Anno Chaldæorum c. 5. 6. & 7. proinde fruſtra hæc à nobis requireret Lector.

CAPVT XIX.

De Anno Græcorum.

CONCLVSIO XIX.

Græcorum Ciuilis Annus, ita Lunaris fuit, & ex Lunaribus Menſibus, olim tricenarijs, poſteà verò alternatim dierum 30. & 29. conſtans, vt diuerſis Cyclis, & intercalaribus menſibus illum ad Solem direxerint, vtentes per accidens Anno Solari, quò Feſta, & Ludos ad eandem Anni cæleſtis tempeſtatem retinerent, & exempli cauſa, Olympicos ludos illo Pleniluniо celebrarent, quod in Aeſtiuum Solſtitium, aut proximum poſt illud occurreret: Ešto non omnes, nec ydem ſemper, annum ciuilem ab illa Neomenia inuerint, quæ proxima erat Solſtitio Aeſtiuo, vt diu Athenienſes ſoluti ſunt inire.

I. NAm Græcorum, & præcipuè Atticorum Annũ Ciuilem contra Scaligerum, Aphonſum Caranzam, & Leonem Allatium, fuiſſe qualem in Concluſione indicauimus, ſentiunt maxima ex parte Theodorus Gaza lib. de Menſibus, Lilius Gregorius Gyraldus lib. de Annis, & Menſibus, Io. Lalamantius lib. de Annis, Ioſephus Moletius l. 1. de Correctione Calendarij, Origanus tomo 1. Ephemer. p. 36. Kheplerus in Eclogis Chronol. epiſt. 25. Petauius in notis ad Epiphanium hæreſi 80. & lib. 1. de Doctrina temporum, & in Vranologio l. 4. Diſſert. Salianus in Annalibus paſſim, Nicolaus Vſherus de Anno Lunæſolari pag. 24. Vuilhelmus Langius l. 1. de Annis Chriſti c. 13. & 14. & Vbbo Emmius l. 2. Chronolog. in aliquibus Scaligero adhærẽs. Sed nobis haud licet diuinando quæſtiones facti pro ingenij arbitratu decidere; cũ antiquitatis conſuetudines ex antiquis ſcriptoribus, ac teſtibus fide dignis comprobandæ ſint; Quos inter Herodotus lib. 1. inducit Solonem ita cum Croeſo loquentem: *Ego enim annis ſeptuaginta humanæ vitæ modum definio: qui quidem anni dies colligunt vicies quinquies mille cum ducentis, ſi intercalaris menſis omittatur. Quod ſi annorum alter vno menſe longior ſtatuatur, vti tempeſtates reſpondeant, menſes in annis ſeptuaginta intercalantur quinque, & triginta, ex quibus conficiuntur dies mille quinquaginta. Omnibus ijs diebus in annos ſeptuaginta collectis, quorum numerus efficit viginti ſex millia ducentos quinquaginta, nullus eſt ex ijs, qui ſimiles alteri caſus euentuſq; pariat.* Iam verò Dies 25200. diuiſi per annos 70. dant annum quemlibet communem dierum 360. qui diuiſi per 12. Menſes dant menſem ſingulum dierum 30. ſic menſium intercalarium dies 1050. diuiſi per menſes 35. dant menſem quemlibet dierum 30. & lib. 2. idem Herodotus, ſic de Aegyptijs. *Tanto verò prudentiùs annos ſuos ordinant, quàm Græci, quanto Græci quidem tertio quoque anno menſem intercalare ſolent, vt tempeſtates reſtituant; Aegyptij verò, cum duodecim menſes tricenarios habeant, quotannis præter numerum, quinque dies appendunt.* Porrò Solon octogenarius obijt Anno ante Chriſtum 559. Herodotus autem Halicarnaſseus ex Prouincia Doridis natus eſt anno ante Chriſtum 483. Sed hiſtoriam ſuam ſcripſit Thurijs vrbe Lucaniæ, quo Athenis venit anno ante Chriſtum 444. Intercalabant igitur Græci tempore Solonis, & Herodoti Menſem tricenarium altero quoq; anno, & tamen Menſes illi tricenarij Lunares æſtimabantur, quod docet Geminus in elem. c. 6. dicens: *Græci verò, quorum erat contraria ſententia, annos quidem ad Solem; Menſes autem, & dies ad Lunam exigunt; ac veteres quidem tricenarios menſes inſtituebant, intercalares verò alternis annis inculcabant.* Sed redeo ad Solonis tempus, Cleobulus enim Lindius ex Caria, Solonis amicus, vt refert Laertius in Cleobulo, ænigmaticè Annum dierum 360. ex 12. Menſibus tricenarijs ſic inſinuauit.

Eſt Genitor, gnatos bis ſex qui poſſidet vnus,
Cuique horum gnatæ tricenæ, diſpare forma
Hæ niueæ apparent, fuſcis ſed vultibus illæ,
Sunt immortales omnes, moriuntur, & omnes.

Herodoto coæuus Hippocrates Medicus, quippe floruit anno 436. ante Chriſtum; libro de carnibus ſub finem inquit: *Pueri ſæpius ſeptimo anno exacto, dentes explent, & ſeptem annos pleno, & iuſto numero exactè trecentæ, & ſexaginta hebdomades conficiunt.* At hebdomades 360. dant dies 2520. qui diuiſi per 7. annos, exhibent annum dierum 360. nempe ciuiliter, & populariter; nam ſcientificè, & exactiori computo lib. de partu ſeptimeſtri (ſi tamen liber ille eſt partus legitimus Hippocratis) ait: *Menſes quinque conſtare diebus 147 ½. & duos Menſes diebus vndeſexaginta;* & lib. de partu Octimeſtri, inquit: *Neomenia, qui dies vnus eſt, proximè triceſima pars menſis eſt, biduum autem ferè decima quinta pars menſis,* vbi vetuſtus ille autor agnoſcit Lunarem menſem tricenario minorem.

II. Ex Ariſtophane quoq; qui floruit anno ante Chriſtum 424, eiuſque ſcholiaſte habemus, menſes dieſque Athenienſium Lunares fuiſſe, & tamen menſes tricenarios iam inde à tempore Solonis. Induxit enim Ariſtophanes Strepſiadem ſenem in Nubibus, dolentem de fine Lunaris menſis inſtante, quo debebat ſoluere vſuras, & numerantem dies more Attico ſic: *Ego verò pereo; dum video Lunam adducere viceſimas, nam vſuræ procedunt: quinta, quarta, tertia poſt hanc ſecunda, ſtatim ab iſta eſt noua Luna & vetus.* Vbi Scholiaſtes: *Quoniam Luna diebus viginti nouem curſum conficit,* intelligè vſq; ad interlunium, *& viginti dies proximi ſunt vicenis nouenis; vſuræ porro Luna exeunte penſitabantur;* & paulo poſt: *Sic verò numerarunt Athenienſes, eos quidem, qui à Neomenia vſque ad decimum ſunt, dies vocantes primam menſis inſtantis, ſecundam inſtantis; poſt decimam reliquas vocabant primam poſt decimam, ſecundam poſt decimam, & ſic vſque ad viceſimam, quam Icada vocarunt. Poſt illam erat vndecima φθίνοντος, deficientis aut decima, aut nona, aut octaua pro quantitate menſis, & ſic decreſcebat numerus, vſque ad ſecundam. Sic enim Athenienſes numerant, non apponentes, ſed detrahentes: idq; quia Solon exiſtimauit lumen Lunæ, ita minui vſque ad trigeſimam diem, quam Veterem, & Nouam vocant, quæ eſt vltima menſis.* Sed Ariſtophane Poeta, multo antiquior Heſiodus, quem ante Chriſtum aliqui 775. aliqui mille, & ampliùs annis floruiſſe dicunt; Is Crimis in Aſia natus, ſed educatus Aſcræ, ac poſtea Helicone

degens

degens in Poemate de Operibus, & Diebus, l. 3. mentionem facit Lunæ tricesimæ, vbi Proclus ait: *Cœpit igitur Hesiodus à tricesima, in qua vera Lunæ cum Sole coniunctio fit.* Nempe quia Lunaris mẽsis plus accedit ad diem 30. quàm ad 29. ex dictis Concl. VIII. Nihil igitur mirum, si vulgo, imò & docti viri populari vsui concordantes, etiam post certam de Mense Lunari Astronomico mensuram, illum tamen Tricenarium appellauerint, cùm non modò Cleomedes, qui 50. annis circiter ante Christum vixit, lib. 2 c. 6. dicat; Mensem esse tempus à Synodo ad Synodum Lunæ, aliasq; simpliciter triginta dierum; sed etiam Achilles Tatius, qui floruit sub Annum Christi 890. in Isag. ad Aratum dicat: *Quinta decima plena est qui dimidiatus est mensis, si triginta dies bifariam partiamur.* Et in Calendario Græco apud Giraldum, omnes menses sunt tricenarij, ablq; Luna noua ac veteri. Ergo menses tricenarij, & ex his annus dierum 360. non sunt argumentum Anni Solaris, vt quidam perperam deducunt, sed Lunaris apud Græcos, apud quos saltem populariter & ciuili vsu annus dierum 360. multo post Solonem, Herodotum, Hippocratem, & Aristophanem vsitatus fuit; si quidem Aristoteles, qui anno 322. ante Christum obijt, nempe annis centum post promulgatum à Metone Cyclum decennoualem, l. 6. de historia animal. c. 20. scripsit: *Quædam ex canibus quinta anni parte parturiunt, nimirum diebus septuaginta duobus*, at dies LXXII. quinquies sumpti faciunt annum dierum 360. & ibidem: *Laconica vterum gerit sexta parte anni, hoc est diebus sexaginta*: at. 60. sexies faciunt 360. Immò Demetriò Phalereo, qui obijt, nno ante Christum 284. Athenienses, teste Laertio in ipsius vita, trecentas ac sexaginta statuas erexere, quot scilicet erant anni popularis dies; ait enim Plinius l. 34. c. 6. *Nulliq; arbitror plures statuas dicatas, quàm Phalereo Demetrio Athenis: si quidem CCCLX. statuere (quas non lacerauerunt) nondum anno huic numerum dierum excedente*; Et ante Plinium Varro Græcarum, nedum Romanarum rerum consultissimus, cecinit

Hic Demetrius æneas tot aptù est
Quot Luceis habet annus absolutus.

Quid quòd, Leontica sacra, quæ anno integro redeunte celebranda erant à Græcis, vt habetur ex Porphyrio de Antro Nympharum, celebrata sunt anno Christi 358. XVI. Kal. Aprilis, & rursus anno 359. IV. Idus Martias, hoc est diebus 360 post primam celebritatem, vt ex duabus Inscriptionibus probat Langius l. 1. de annis Christi c. 12.

III. Dixi supra annum Lunarem diù existimatum dierum 360. saltem populariter, & ciuili vsu, seu vulgari computatione, & abstrahendo ab intercalationibus, quarum variæ formæ à diuersis diuersorum Cyclorum Auctoribus, propositæ fuerunt, iuxtà dicta Concl. IX. Immò ipse Solon, si fides adhibenda est Proclo. lib. 1. in Timæum Platonis, nouit Mensem Lunarem, non esse dierum 30. ait enim: *Solonis inuentum fuisse Mensem Lunarem minorem esse diebus triginta.* Certè inuentores Tetraeteridis, & Octaeteridis, & postea Meton Enneadecateridis inuentor, anno ante Christum 423. Menses alternis dierum 30, & 29. adhibuerunt, vt infra ex Gemino, & Censorino videbimus, & quidem ciuiles, nempe in fastis, & Calendarijs publicè propositis; esto vbi sermo erat de anno Attico per traditionem à priscis accepto, & apud eos, quibus non incumbebat calendarij ordinandi, festaq; & Ludos indicendi cura, consueuerit vsurpari, & annus dierum 360. & mensis dierum 30. non tamen tanquam Solaris, vt malè contendit Leo Allatius, sed tanquam Lunaris. Ipsum enim nomen *Neomeniæ*, quod significat *Nouilunium*, & apud Græcos *primam diem mensis*, & vltimæ diei nomen, quod est, μὴν ἕνη, καὶ νέα, ideſt *Luna vetus, & noua*, ex institutione Solonis, vt testatur Plutarchus in eius vita, indicium est, mensem Lunarem iam tum fuisse; consensitq; Laertius in eiusdem vita, eum persuasisse Athenienſibus, vt ad Lunam menses exigerent, dieſq; à Neomenia computarent. Ne autem quis putet Neomeniam ab ipſis abusiuè, aut metaphoricè vsurpatam, aduertendum est, quod refert Diodorus Siculus l. 13. Nam cum nescio quis calumniator detulisset ad Senatum Athenienſem, Alcibiadem de quodam crimine, asseretq; visum à se illum ingredi domum quandam Neomenia circa mediam noctem, & Senatores interrogassent, qua ratione nocte in empesta potuisset à longè discernere Alcibiadem de vitu, respondit se ad Lunæ lumen illum internouisse; quo argumento agnita est falsitas calumniantis, adeo certi erant Athenienſes prima die mensis, aut Lunam videri non posse ob interlunium, aut non circa mediam noctem, saltem ita, vt lumen sufficiens ad discernendas hominum facies præberet. Sed & omnes alij dies à Luna denominabantur, & inter eos celebris erat dies vicesimus apud Epicuri heredes, & Sectatores, cuius testamentum extat apud Laertium, de die vicesima cuiusq; mensis, solemniq; conuentu conuocando eorum, qui cum Epicuro philosophati erant, quod referens Cicero l. 2. de Finibus refert ad Lunam dicens; eum cauisse testamento, vt sui heredes: *Darent quod satis esset ad agendum diem Natalem suum quotannis mense Gamelione; itemque omnibus mensibus, vicesimo die Lunæ darent ad eorum epulas, qui vna secum philosophati essent.* Et Plinius l. 35. c. 2. Epicuri ἑικάδας, ideſt vicesimas sic interpretatur: *Natali eius vicesima Luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas Icadas vocant*, Esto enim teste Apollodoro in Chronicis apud Laertium, natus sit Epicurus Olympiadis CIX. anno. 3. Gamelionis die 7. & testamento iusserit Natalem suum parentumq; ac fratrum celebrari intra diem decimum Gamelionis eius tamen amici, ac sectatores eius memoriam sacrificijs instaurabant quauis die vicesima mensis. Hippocratem autem Lunares menses agnouisse præter ea, quæ supra diximus, & Græcos vniuersim, testatur Galenus in librum 1. Epidemiorum, addens eius exemplo tempestatum anni tempora à Medicis designanda esse iuxta menses, cuique nationi vsitatos, nec vni nationi accomodanda; *Oportet autem menses non ad Lunam, vt pleræq; Græcæ Vrbes instituerunt:* & Libanius quoq; seu potius Vlpianus in Demosthenis Orationem κατὰ Ἀνδροτίωνος, inquit. *Sciendum est Athenienses, non ad Solis cursum, vt nos facimus, menses computasse, sed ad Lunam.* Ideo Aristoteles l. 2. de Generat. animal. c. 4. docet menstrua profluere sub finem mensis, quia interlunio frigidior est aer, & l. 7. c. 2. *Menstruorum profluuium desinentibus mensibus accidit; ideo nonnulli arguunt Lunam fœminam esse.* Et Theophrastus, de pluuiarum signis: *Mensium coitus Lunares sunt, quoniam Lunare lumen deficit, à quarto die desinentis vsq; ad quartum diem ineuntis.* Disertissimè Theo ille, qui floruit sub Valentiniano, & Valente, & eruditissimis Scholijs Aratum illustrauit, sect. 64. ait: *sciendum est mensem propriè dictum à Græcis tempus illud, quod à Lunari coniunctione deducitur, tanquam ab eo quod est manere, vel à Mene μῆνα, ideſt Mensem nominarent. Græci enim menses ad Lunæ cursum metiebantur,* & paulò inferius: *Mensem verò dicimus tempus illud, quod à Solis Lunæq; Synodo ad alteram Synodum extenditur: Hoc verò mensis genere vtebantur ad ciuilem dierum rationem: vt etiam hodieq; Græci complures vtuntur.* Verùm non id tantum, sed etiam de modo Lunaris apud Græcos mensis atq; anni, enucleatius nos docent Geminus, Solinus, Censorinus, Macrobius, qui audiendi sunt.

IV. Geminus, qui Ciceronis, & Sullæ tempore scripsit; In Elementis Astronomicis cap. 6. Hæc ad rem nostram in primis habet. *Mensis est tempus à Synodo ad Synodum &c. Menstruum tempus dierum 29 $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{15}$. menstrua verò tempora quæ ad ciuilem vsum minus acuratè sumuntur, dierum 29 $\frac{1}{2}$. ita vt bimestre tempus fiat dierum 59. ideo ciuiles menses alternatim fiunt pleni, & cani &c. Ex his autem colligitur Lunaris annus dierum 354.* Causam autem electi mensis lunaris à Græcis refert, non solùm ad leges puta Solonis, sed etiam ad Oracula, subiungit enim: *Propositum quippe fuit veteribus menses quidem agere secundùm Lunam, annos verò secundùm Solem: quòd enim à Legibus, & oraculis præscribebatur vt sacrificarent κατὰ γ' ἤγουν τὰ πάτρια, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτούς*, ideſt, *iuxta tria, videlicet Patria, Menses, Dies, Annos, Hoc ita distinctè faciebant vniuersi Græci, vt annos agerent congruenter cum Sole, dies verò & menses cum Luna, Porrò secundùm Solem annos agere, est circa easdem tempestates anni, eadem sacrificia Diis peragi; & vernum sacrificium semper verno tempore, æstiuum autem æstate perfici &c. Hoc autem aliter fieri non posset, nisi conuersiones Solstitiales, & Aequinoctia in ijsdem Zodiaci locis fierent. Secundùm Lunam verò dies agere tale est, vt dierum appellationes cum Lunæ illuminationibus congruant &c.* Non dicit Geminus Græcos vsurpasse annos Solares ciuiliter, sed annos eatenus ad Solem direxisse, quatenus opus erat, vt sacrificia redirent ijsdem anni tempestatibus, & Verna-

festa verno; æstiua æstiuo tempore agerentur: quod repetit dicens: *Cum igitur, & anni accuratè aguntur secundùm Solem, & menses, ac dies secundùm Lunam, tunc putant Græci se secundùm patria sacrificare; hoc autem est iisdem temporibus anni, eadem sacrificia consumare.* Postea subdit. *Græci verò, cum contrariam sententiam habeant, annos agunt secundùm Solem, dies verò & menses secundùm Lunam: Veteres igitur agebant menses 30. dierum, menses autem intercalares propter annum Solis; cum autem per apparentiam statim veritas deprehenderetur, eo quod dies, & menses non responderent Lunæ, anni verò non congruerent cum Sole; quærebant periodum, quæ in annis responderet Soli, in mensibus verò, & diebus Lunæ &c.* Pergit autem, & docet hanc Periodum fuisse *Octaeterida continentem menses 99. in quibus menses intercalares sunt, tres, dies verò* 2922. additque fundamentum fuisse, quia Solaris annus dierum $365\frac{1}{4}$. Lunarem dierum 354. excedit diebus $11\frac{1}{4}$. qui excessus per 8. ductus dat dies 90. hoc est tres tricenarios menses intercalares. Exprimit autem eos in dicta periodo intercalasse *Anno 3. 5. & 8.* & vsos mensibus *plenis vicissim, & cauis.* Prosequitur deinde errores illius octennij, etiam si duplicetur, exponitque Cyclum Euctemonis, & Philippi decemnoualem, & Calippi periodum annor. 76. de quibus nos satis Conclus. IX.

V. Censorinus autem lib. de die Natali cap. mihi 6. *Veteres in Græcia Ciuitates, cùm animaduerterent, dum Sol annuo cursu orbem suum circuit, Lunam nouam interdum terdecies oriri, idque sæpe alternis fieri; arbitrati sunt Lunares XIII. menses, & dimidiatum ad annum naturalem conuenire. Itaque annos ciuiles sic statuerunt, vt intercalando facerent alternos XII. mensium alternos XIII. &c. Idque tempus τριετηρίδα appellabant, quod tertio quoq; anno interkalabatur, quamuis biennij circuitus, & reuera διετηρὶς esset. Vnde Mysteria, quæ Libero alternis fiunt annis, Trieterica à Poetis dicuntur. Posteà cognito errore, hoc tempus duplicarunt, & τετραετηρίδα fecerunt, sed & eam, quòd quintoquoq; anno redibat πεντετηρίδα nominarunt: Qui annus magnus ex quadriennio commodior visus est. Solis annum constare ex diebus CCCLXV. & diei parte circiter quarta. Quare Agon in Elide Ioui Olympio, & Romæ Capitolino quinto quoque anno redeunte celebratur. Hoc tempus quoniam ad Solis modò cursum, nec ad Lunæ congruere videbatur, duplicatum est, & ὀκταετηρὶς facta, quæ tunc ἐννεατηρὶς vocitata, quia primus eius annus, nono quoque anno redibat:* Pergit dicendo Octaeteridem inuentam, vel ab Eudoxo, vel à Cleostrato, diuersq; interkalandi formas excogitatas, ab Harpalo, Nautilo, & Menestrato, donec *Meton Annum Metonicum ex annis vndeuiginti constituit eaque ἐνναεννεατηρὶς appellatur, & interkalatur septies, in eoq; anno sunt dierum sex millia & DCCCCXL.* Denique commemorata Periodo Philolai annor. 59. cum mensibus intercalaribus 21. & Calippi annorum 76. cum intercalaribus 28. & Democriti annorum 82. cum intercalaribus item 28. & Hipparchi annorum 304. cum intercalaribus mensibus 112. transit à Lunari anno Græcorum ad annum Ægyptiorum minimè Lunarem dicens: *Ad Aegyptiorum verò Magnum annum Luna non pertinet &c.* Ex quibus constat Græcis quidem innotuisse annum Solarem dierum $165\frac{1}{4}$. circiter, sed hoc non esse vsos palàm, & ciuiliter, quia ita volebant ludos olympicos, & alias celebritates eadem anni tempestate redire, vt tamen primum anni mensem, ac reliquos deinceps à Lunæ exortu auspicari voluerint, & propterea intercalarint interdum mensem integrum, quæ est proprijssima forma anni Lunaris; si enim Solari ciuiliter vsi essent, semper à Solstitio, vel alio anni fixo cardine annos computassent, in quamcunq; diem Lunæ ille incidisset, non autem a Neomenia illa, quæ propior erat Solstitio æstiuo, vt Athenienslibus mos fuit.

Idem Censorinus Cap. mihi 9. *Minimè videntur errasse, qui ad Lunæ cursum menses ciuiles accommodarunt, vt in Græcia plerique apud quos alterni menses ad XXX. dies sunt facti.*

VI. Solinus, qui sub Vespasiano vixit, cap. 3. ita ex parte cum Gemino concinit. *Græci singulis annis vndecim dies, & quadrantem detrahebant, vt contractus nonagenarius numerus in tres menses per tricenos dies scinderetur. Qui anno nouo restituti, efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολισμὸς, vel ὑπερβάλλοντας nominabant.* Sed falsò existimauit Solinus peractis octo annis Lunaribus Communibus, annum nouum factum esse dierum 444. nempè additis ad Lunarem dierum 354. diebus 90. seu mensibus tribus tricenarijs, nusquam enim legitur Græcos habuisse annum quindecim mensium: & Geminus Auctor Græcus, & Græcorum temporum longè scientior, expressè dixit intercalatum fuisse anno *Tertio, Quinto, & Octauo.* Solini error quoad tempus intercalandi, secum traxit Macrobium. Macrobius enim l. 1. Saturn. c. 13. ait: *Nam, & Græci cum animadueterent temerè se trecentis, & quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum; quoniam appareret de Solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante Zodiacum conficit, deesse anno suo vndecim dies, & quadrantem, intercalares statuta ratione commenti sunt: ita vt octauo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum comporuerunt intercalarent. Id Græc fecerunt, quoniam erat operosum, ac difficile omnibus annis vndecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans, cum diebus vndecim octies componatur, inserere, in tres menses, vt diximus distribuendos. Hos dies ὑπερβάλλοντας menses verò ἐμβολισμοὺς appellarunt;* Adde his Theodorum Gazam lib. de Mens. cap. 8. dicentem *Athenienses tempora sua metiebantur ad Lunam.*

VII. Itaque Græci duplici quidem anno vsi sunt nempe Lunari, & Solari, sed Lunari ciuiliter, & palàm, vtpote ex ciuilibus mensibus Lunaribus compositio, si quidem ciuiles fuisse eorum annos mensesq; non autem Hierophanticos, conceptis verbis expresserunt nobis supra Theo, Geminus, ac Censorinus; Solari autem arcana notitia, & tanquam medio ad consequendum finem intentum, nempe, vt Neomeniæ, & Plenilunia ex quibus pendebant sacrificiorum Ludorumque solemnitates, circa easdem anni tempestates celebrarentur. Idcirco enim periodos biennales, deinde quadriennales, postea octo, & sexdecim, & tandem nouendecim annorum excogitarunt, vt Neomenia primi mensis quam proximè ad eundem anni cælestis diem reuolueretur. Nam si Solarem annum per se primò, aut æquè primò affectassent, non intercalassent integrum mensem dierum 30. efficiendo annum dierum 384. qui nullo modo Solaris est; sed ex quadrantibus diei, diem vnicum intercalassent, quarto quoq; anno; Nec à noua Lunæ apparitione, sed à fixo aliquo die anni cælestis menses inissent sicut è contrariò Romana Ecclesia nunc, Romanumq; Imperium, & maxima Europæ pars annos computant ciuiliter à diè prima Ianuarij, die scilicet decimo post Solstitium Ciuile hybernum; nec anno Lunari vtuntur in Chronicis, Historicis, aut Ciuilibus computationibus annorum, esto arcana illius scientia Ecclesiastici, & Computistæ, ac moderatores Calendarij vtantur in determinandis Luna Paschali, & festis mobilibus ab ea pendentibus. Græci verò contraria ratione vsi sunt ciuiliter, & publicè in computandis, & ineundis annis, anno Lunari per se; Solari autem occultè & per accidens, non in computandis ineundisq; annis, sed in Lunaris anni capite, circa eandem tempestatem retinendo, vt nunquam plus diebus quatuordecim distaret à Solstitio æstiuo, vel ab eo cardine cuius propinquitatem in primi mensis Neomenia, & semel elegerant.

VIII. Hoc sensu intelligendi sunt Auctores prisci de vsu Anni Solaris, quo diximus Geminum; cum dixit *Græcos agere Annum ad Solem, menses, diesq; ad Lunam.* Hoc sensu Censorinus supra dixit Quadriennium Olympiadũ; *ad Solis modò cursum, nec ad Lunæ congruere.* Hoc sensu Macrobius supra Græcos agnouisse, *deesse anno suo dierũ* 354. *dies* $11\frac{1}{2}$. Hoc sensu intelligẽdus Cicero oratione 4. in Verrem, quum ait. *Est consuetudo Siculorum, cæterorumq; Græcorum, quòd suos dies, mensesq; congruere volunt cum Solis Lunæque rationibus, vt nonnunquam si quid discrepet, eximant aliquem diem, aut summum biduum ex mense: quos illi ἐξαιρετιμὲς dies nominant item nonnunquam vno die longiorem mensem faciunt, aut biduo.* Id enim intelligendum est de correctione menstruæ intercalationis, licet enim ordinaria esset dierum 30. puta anno 3. 5. & 8. intra octo annos, vt num. IV. ex Gemino docuimus, idem tamen cap. 6. expressè dicit oportuisse octaeteridem ex octo annis Lunaribus, tribusq; mensibus tricenarijs, & intercalaribus constare diebus $2923\frac{1}{2}$. at octo annos Solares diebus 2922, ideoq; octauo quoq; anno eximendum fuisse sesquidiem, vel potius anno 16. dies 3. Nil igitur mirum, si aliquæ Ciuitates

uitates vnò, alteroue die intercalationem tricenariam augerent, vel mutilarent, vt Lunarium Mensium initia propius Solari alicui cardini fixoue momento congruerent. Thucydides porrò quando Eclipses Solis refert factas Neomenia Lunari, hoc non dicit ad discrimen Neomeniæ Solaris, sed ad ciuilis. Eclipses enim Solis fieri nequeunt, nisi in verò Nouilunio, à quò Neomenia ciuilis à prima phasi inita, sæpè integro die distat. Immò propter vitiosam intercalationem aliquando Neomenia ciuilis à vero Nouilunio, & Plenilunium ciuile à vero Plenilunio aberrauit diebus plusculis. Sic teste Plutarcho in Alexandro Eclipsis Lunæ, quæ præcessit cladem Darij ad Gaugamela, incidit in nocte m Mysteriorum, quæ ex Calendario Græcorum celebrabantur die 20 Boedromionis, & tamen computando dies à vero Nouilunio debuit dies Eclipsis Lunaris, quæ non fit nisi die 14. aut 15. post Nouilunium cadere in diem 15. vel si à phasi in diem 16. Boedromionis. Neque verò Plutarchus in Camillo dicit Victoriam Athenienſiũ fuisse in Plenilunio die 25. Mensis, sed in emendatis Codicibus legitur. *Persæ mensis Boedromionis die sexto in Marathone, tertio die apud Plateas, simul & Mycbalen victi sunt à Græcis, vigesimo quinto in Arbelis. Athenienses Nauali apud Naxum prælio duce Chabria vicerunt circa plenilunium eiusdem mensis, in Salamine circiter vigesimum eiusdem mensis.* Multo minus obstat quod, referẽte Herodoto Xersi in Græciam mouenti, ac territo ob Eclipsim Solis, Magi dixerunt calamitatem portendi Græcis potiùs, quàm Persis, eo quòd Sol Græcorum, Luna ipsorum esset; etsi enim sciebant Solem quoq; à Persis coli, quia tamen sciebant in Græcia multa esse templa Apollini, idest Soli dicata; ideo adulatoria interpretatione illud portentum in Græcos detorserunt; inde tamen non sequitur Græcos Anno Solari ciuiliter tunc vti solitos in Europa; quidquid sit de Macedonibus Asiatis, & de alijs Græcis in Asia ante, vel post receptum annum Iulianum.

IX. Ad pleniorem autem notitiam Anni Lunaris Græcorum in Europa, & præsertim in Attica, tria prænoscenda sunt. *Primò*, Anni cælestis cardo, cui primus mensis, & anni principium alligata erant. *Secundò*, Mensium Atticorum nomenclatura, ordo, & quantitas. *Tertiò*, Intercalationis forma ibi vsitata.

Quoad primum Simplicius in 5. Physicorum ait: *Quæ facimus initia anni quidem, vel ad æstiuum Solstitium, vt Attici, vel ad autumnale Aequinoctium, vt Asiæ incolæ, vel circa Brumam, vt Romani, vel circa Aequinoctium vernum, vt Arabes, & Damasceni:* Sic enim vertit, & approbat Theodorus Gaza lib. de Mẽs. lib. c. 15. Sic Censorinus Olympiadas ab æstiuis diebus computat c. 8. dicens. *Hic Annus. Ab Olympiade prima M. est & XIV. ex diebus duntaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebratur.* Plato quoque inducit Socratem constituentem τὴν ἀρχὴν τῶν νέων ἐτῶν, idest *Principium noui anni*, sub θερινὰς τροπὰς, idest *sub æstiuas conuersiones*, & lib. 6. de legibus ait. *Nouus annus sit post æstiuas conuersiones*, ὁ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ τὰς θερινὰς τροπάς. Thucydides l. 5. *Olympias autem hac æstate celebrata fuit, qua vicit Androsthenes Arcas*; Hinc illud Senecæ in Hercule Furente.

Quantus Eleum coit ad Tonantem
Quinta cum sacrum reuocauit æstas.

Celebrabantur autem quinque Agones Olympici, ita vt certamen caderet in Plenilunium ciuile, seu diem 15. primi Mensis, Pancratio in Vesperam reseruato; & iudiciũ Agonothetarum in diem 16. Describens enim certamen illud Pindarus Ode III. vbi de Hercule canit: *Plena Luna totũ aureo curru versæ Vesperæ oculum illustrarunt*: Vbi Scholiastes: *Iam enim Luna plena, ac toto lumine circa vesperam, & nocte m refulgens tempus exhibuit iudicij certaminis. Decima sexta enim Luna certamen Olympicum terminatur*, & postea addit: *Quippe Plenilunio certamen Olympicum celebratur, & decima sexta censura, siue iudicium instituitur.* Addit eadem Ode 3. ad strophen 2. *Fit verò certamen nunc post quadraginta nouem menses, nunc verò quinquaginta.* Nempe quia in primo Quadriennio intercalatus fuerat vnicus mensis, in secundo autem duo menses. Quòd verò Scaliger putat Metonem fuisse primum, qui annum Atticum à Solstitio æstiuo iniuerit, antea verò initium esset à Bruma, nullo antiquorum testimonio comprobat, inquit Petauius l. 1. c. 12. & præterea sibi contradicit, dum alibi Troianum Excidium confert in Hecatombæonem mensem, quem primum mensium, & à Solstitio æstiuo fatetur initum. Neque ex eo quod Posideoni mensi substitutus fuerit alter Posideon intercalaris, qui mensis ad Brumam pertinebat, sequitur illum fuisse vltimum mensem anni, vt male infert Langius l. 1. de Annis Christi c. 12. Cum intercalatio non semper, nec apud omnes facta sit in fine anni, si quidem Romani Februario mense mensem Mercedonium intercalabant. Illud verò Accieni in Arateis.

Sed Primæua Meton exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo cùm Phœbus sidere Cancrum.

Argumentum quidem est Cycli Metonici à Nouilunio proximo ingressui Solis in Cancrum initi, non autem tunc primo Athenienses annos à Solstitio æstiuo inchoasse; antea quippe plerique anni cardines non in ingressu in Cancrum, vel Capricornum; in Arietem, vel Libram, sed in octauo gradu horum Signorum constituebant. Præterea Scaliger ex Platonis loco supra allato, colligit Neomeniam primi mensis nunquam præcessisse Solstitio æstiuo, eique subscribit Salmasius, & Armacanus pag. 7. Sed ego cum Petauio l. 1. c. 12. & in Vranolog. l. 6. c. 2. & Langio l. 1. de Annis Christi c. 12. & 13. probabilius censeo illum fuisse primum mensem æstiuum in Attica, cuius Plenilunium incidebat, aut in diem Solstitij, aut quod primum Solstitio succedebat, sic enim maior pars mensis ad æstiuum tempus, & minor ad vernum pertinebat; sicut primus mensis vernus apud Hæbræos, & apud Paschalis Lunationis computistas est ille, cuius Plenilunium in æquinoctij verni diem, aut proximè post ipsum incidit: vnde fit vt Neomenia primi Mensis æstiui non rarò caderet ante Solstitium; quidquid dicat Scaliger, & multo magis ante octauum gradum Cancri potuerit euenire, vt cum Petauio l. 5. c. 12. docet Langius ex Ptolemæo l. 7. c. 3. vbi anno Nabonassari 465. idest ante Christum 283. dies 29. Athyr, idest Ianuarij 29. cõfertur cum 8. Anthesterionis, ergo 1. Anthesterionis, fuit die 22. Ianuarij, ergo Hecatombæon anni sequentis, iniuit die 19. Iunij, idest 7. diebus ante Solstitium. Rectè pariter Langius ibidem ex Polybio notat Achæos à verno æquinoctio annum iniuisse, atq; adeò in Elide, quæ pars est Achaiæ; Esto Olympiadicos annos, & ipsi computarent ab ea Neomenia, cuius plenilunum iungebatur, aut proximè succedebat Solstitio æstiuo, vel ab ipso dicto plenilunio ipsas Olympiadas, seu Agones Olympicos.

X. Solstitium porrò æstiuum, aliud Astronomicum est, aliud ciuile, quòd quam diem occuparit in Anno Iuliano apud Græcos controuerti potest, præsertim, cum Achilles Tatius c. 24. dicat Cardines Solaris circuitus constitutos in octauo, aut duodecimo, aut decimo quinto gradu signorum, & Columella l. 9. c. 14. dicat. *Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet Solstitia, & Aequinoctia non octauis, sed primis partibus signorum confici. Verùm in hac ruris disciplina, sequor nunc Eudoxi, & Metonis antiquorumque fastos Astrologorum, qui sunt aptati publicis Sacrificijs, quia notior est ista vetus agricolis concepta opinio.* Vbi patet Columellam loqui de Euctenomis, & Metonis Cardinibus ciuilibus; alioquin enim constat eos obseruasse veros cardines, & ingressus Solis in signa, quando Astronomicè procedebant. Sed Geminus c. 16. ad Fastos Eudoxi notat ad quartum Capricorni diem, hæc. *Eudoxo conuersiones hybernæ*, & ad diem sextam Arietis Hipparcus ad Arati Phænomena l. 2. nu. 3. dixit: *Intelligendum est Zodiaci partitionem ab Arato sic institui, vt à Tropicis, & Aequinoctialibus punctis incipiat, eaq; sint initia Signorum; Eudoxus autem ita diuidit, vt illa puncta media sint*: & paulo post de Arato: *Ex his liquet tropica puncta in signorom initijs ab illo constitui &c. Atque hac ratione Zodiacum Mathematici veteres propemodum omnes, aut pleriq; partiti sunt. Eudoxus autem Tropica puncta, se in medijs collocare signis testatur.* Has opiniones Petauius in Vranologij Dissertationibus l. 2. à cap. 3. ad 7. & l. 6. c. 2. ac 10. duobus modis conciliat; prior est, omnes quidem Astronomos constituisse Cardines æquinoctiorum in mutuis sectionibus Zodiaci, & Aequatoris, Solstitiorum autem in contactibus Zodiaci, & Tropicorum, sed initium Signorum sumpsisse ab Asterismis, sectiones, aut contactu occupantibus, idest ab aliqua insigni eorum stella exempli gratia primum signum Aequatoris, aut Zodiaci à prima stella Arietis, quæ gradibus octo, vel pluribus, aut paucioribus pro diuersitate temporum, & obseruatorum, præcesserit

ſerit ſectionem vernam, idque l. 2. c. 3. confirmat exemplis ab ipſo Hipparcho deſumptis; ita vt aliud ſit dodecatemorium Aequatoris, aut Zodiaci; aliud Signum ſtellatum, & mobile Geminus quoque cap. 1. docet, Herculis temporibus, qui, vt eſt apud Clementem l. 1. Strom. annis 442. ante Iphitum, ideſt ante Chriſtum 1218. Olympicum certamen celebraret, lucidiſſimam, & maximam Cancri ſtellam, ideſt Aſellum Boreum verſatum eſſe circa gradum 22. aut 23. tertij Dodecatemorij, atq; adeo præcedebat contactum Tropicum, ſeu punctum Solſtitij æſtiui gradibus circiter octo. Inde igitur manauit in vulgus Solſtitiũ hoc fieri ſemper in parte octaua ſigni Cancri, at anno ante Chriſti Epocham 1263. Vendelino ſupputante, prima Stella Arietis quindecim gradibus Aequatoris antecedebat ſectionem vernam; inde igitur inualuit æquinoctium vernum in medijs Arietis partibus ſemper fieri, ſeu gradibus 15. poſt initiũ ſigni Arietis. Quæ opinio pertinaciter reſedit, etiã poſt Hipparchum in animis non modò Agricolarum, Nautarumq; ſed etiam Medicorum, & aliorum Semiaſtronomorum, qui vulgo Ephemeridas, & Faſtos proponebant, nec aut ſciebant, aut audebant niti contra torrentem inueteratæ opinionis, etiam ſi aliqui peritiores ſcirent æquinoctia in ſectionibus, Solſtitia in contactibus prædictis initijſq; Signorum Primi mobilis fieri, & Stellas Fixas, vnde ſumpta fuit eorum denominatio, continuè progredi in conſequentia, & à dictis ſectionibus aliter, atq; aliter diſtare. Quam indulgentiam, & cõniuentiam in Faſtorum Concinnatoribus pro altero modo enodandi hanc quæſtionem adducit Petauius; ſed hinc tamen non ſequitur, quòd Scaliger, & Salmaſius cum eo putarunt, Aſtronomos ante Hipparcum affixiſſe Solſtitia, & æquinoctia Ciuilia ad diem perpetuo octauam poſt verum æquinoctium, verumue Solſtitium, & Solſtitium æſtiuum ad diem 8. Iulij, vt contra eos optimè docet Petauius ſupra. Fallax igitur eſt methodus, quàm inde Langius l. 1. de Annis Chriſti c. 12. tradit his verbis. *Quære ad datum tempus, quod Hipparchi ſeculum antecedit, Pleniluunium quod octauam diem Iulij proximè ſequitur, habebis pleniluunium Hecatombæonis, huic ſi quatuordecim dies detrahas, habebis Neomeniã Hecatombæonis. Poſt Hipparchi verò tempora, & vtique ad Iulij Cæſaris immò, & poſtea in XXVI. Iunij Solſtitium, & terminus Hecatombæonis conſtitutum erat.* Sed tutius eſt ex Tabulis Aſtronomicis computare Solſtitium, nec ciuiliter illud vltra 2. dies promouere, & Nouilunia ſi non vera, ſaltem media, aut ciuilia per Epactas, & pro Neomenia Hecatombeonis illam conſtituere, cuius Pleniluniũ proximè Solſtitio ciuili ſuccedit, niſi aliunde ex antiqua obſeruatione notum ſit alterutrum; ſicut notum eſt Solſtitium obſeruatũ ab Euctemone, & Metone, à quo Meton ſuum Cyclum exorſus eſt. Narrat enim Ptolemæus l. 3. Almag. c 2. Metonem, & Euctemonem anno Nabonaſſari 316. die 21. Phamenoth manè obſeruaſſe Solſtitium æſtiuum Abſeunde Magiſtratum gerente Athenis; addit Diodorus Siculus lib. 12. anno 4. *Olympiadis octogeſimæ ſextæ, Præfecto Athenis Apſeude &c. Athenis Meto Pauſaniæ filius, vir magnæ ſingulariſque in Aſtrologia eruditionis, tabulam, quæ nouemdecennalis circuli inſcribitur; expoſuit, eius ingreſſu tertia decima die menſis Scirrhophorionis Athenis item inſtituto*: & poſt laudes huius Cycli ſubdit: *Itaq; ad tempora vſque noſtra Græcorum plerique nouemdecennali tabula, & ratione vſi, nuſquam aberraſſe à veritate deprehenduntur.*

Fuit ille annus, vt ex Olympiade, & anno Nabonaſſarco conſtat, ante Chriſtum 432. & dies 21. Phamenoth incidit in diem Iunij 27. ſequente 28. Nouilunium autem Medium Athenis fuit die 16. Iunij ſeſquihora, & paulo plus poſt mediam noctem, & Pleniluniũ incidit in diem 30. Iunij biduo poſt Solſtitium matutinum; Ergo Hecatombæonis Neomenia fuit non die 16. Iulij, vt malè Scaliger, & Petauius ipſe l. 2. c. 13. in Metonica Tabula, ſed 16. Iunij, vt bene aduertit Langius, hoc eſt prope medium, ſeu diem 13. Scirrhophorionis, vltimi Menſis, & proximè præcedẽtis Hecatombæonem. Proinde à Metonis tempore, ideſt ab anno ante Chriſtum 432. tutò poſſumus inueſtigare Neomeniam Hecatombæonis ſupponendo Solſtitium æſtiuum quarto ante Chriſtum ſeculo in 28. Iunij, & tertio in 27. & ſecundo in 26. & primo in 25. vel 25 ½. At anno 776. ante Chriſtum Solſtitium incidit in diem primam Iulij, & Nouilunium Medium Athenis die 8. Iunij h. 20. m. 38. p. merid. itemque Iulij 8. h. 9. m. 22. Ergo Neomenia Hecatombæonis fuit die Iulij 8. vel ſummum 9.

XI. Quoad ordinem menſium tres ſunt opiniones. *Prima* eſt Keplerí in Rodulphinis folio tabularum 37. Petauij de Doctrina temporum l. 1. c. 10. 11. 12. & l. 4. c. 8. & in Differt. Vranologij l. 6. à c. 2. ad 6. Langij l. 1. de Annis Chriſti c. 12. & Noſtra, in qua hic eſt ordo: *Hecatombæon, Metagitnion, Boedromion, Maemacterion, Pyanepſion, Poſideon, Gamelion, Antheſterion, Elaphebolion, Munychion, Thargelion, Scirrhophorion*. Opinio verò *Secunda* eſt Harpocrationis Grammatici Alexandrini, Suidæ in Vocabulario, Henrici Stephani in Theſauro linguæ Græcæ, Scaligeri de Emendat. temporum pag. 28. & in Iſagogicis Canon. l. 1. & 3. Vbbonis Emmij lib. 1. Chronolog. Claudij Salmaſij in exercit Plinianis pag. 313. 735. 752. Iacobi Tirini in Chronico Sacro c. 4. & Iacobi Viſſeri Armachani c. 1. de Anno Macedonum, & Aſianorum; quæ in omnibus alijs cum prima conſenſit, ſed hoc vno differt, quòd *Pyanepſionem* præponit *Maemacterioni*. Tandem opinio *Tertia* eſt Theodori Gazæ lib. de Menſibus c. 5. & 6. & Gyrardi in Calendario Græco ad finem libri de Annis, & Menſibus, quæ *Antheſterionem* ſexto loco *Poſideonem* ſeptimo, *Gamelionem* octauo collocat; in reliquis cum Prima conſentit. Oportet itaque ſingillatim Primam comprobare. Tertia itaque opinio à Prima hoc tantum differt, quòd *Pyanepſionem Maemacterioni* præponit; at ſecunda Anteſterionem Poſideoni, hunc Gamelioni præmittit; cum Prima Poſideonem Gamelioni, huncque *Anteſterioni* prænumeret.

De tribus primis menſibus nemo dubitat, cum Demoſthenes 3. Olynthiacarum dicat: *Hoc anno iam elapſo, Hecatombæon, Metagitnion, Boedromion, quo menſe vix tandem poſt myſteria decem naues miſiſtis*. Theophraſtus quoque lib. 3. cap. 6. enumerat poſt *Thargelionem Scirrophorionem*, & poſt hunc *Hecatombæonem* ſed lib. 4. cap. 12. docet *Scirrhophorionem* Solſtitio præcedere, *Hecatombæonem* vero ſuccedere; ergo *Hecatombæon* primus erat, & *Scirrhophorion* vltimus. Ariſtoteles lib. 5. Hiſt. Anim. c. 17. ait locuſtas piſces tribus menſibus vterum geſtare *Scyrrophorione, Hecatombæone, & Metagitnione*. Ergo, vt etiam ex Demoſtene vidimus, *Hecatombæoni* ſuccedit *Metagitnion*, & huic *Boedromion*, quod confirmatur ex Ariſtotele l. 6. de hiſt. c. 29. dicente de Ceruis: *Coeunt poſt Arcturi ortum circa Boedromionem, & Maemacterionem*. Arcturus enim oriebatur diebus XI. ante Æquinoctium autumni, teſte Plinio l. 2. c. 46. hoc eſt circa medium Septembris; vnde rectè Theophraſtus ait κεφωνίαν florere *circa Arcturum & Aequinoctium*, & Galenus lib. de Salubrib. de ſemine abietis præmaturo inquit. *Circa Arcturi ortum, quod tempus Septembri apud Romanos reſpondet*. Sed & Eclipſis illa, quæ victoriam Alexandri apud Arbela præceſſit, accidit *Boedromionis decima quinta*, teſte Plutarcho; eam verò Tabulæ Aſtronomicæ ad diem 20. Septembris exhibent, ideoq; Boedromion inijt 6. Septembris. Sicut ergo magna ſui parte *Hecatombæon* Iulio, *Metagitnion* Auguſto, *Boedromion* Septembri reſpondebat, ita *Maemacterion*, quem Ariſtoteles, vt dixi, continuat poſt *Boedromionem*, reſpondebat partim Septembri exeunti partim Octobri, eratq; quartus Menſis; nam idem Ariſtoteles l. 6. de Hiſt. c. 12. ait Coturnices, ac deinde grues in mitiora loca migrare *Boedromione & Maemacterione* menſibus, & c. 11. dixerat ſtellarem piſcem *Coitum inire Maemacterione*, quod ab autumnali Æquinoctio contingere piſcatores Tarentini obſeruarunt, teſte Gaza l. 1. de menſibus c. 5. Quæ vtique præponderare debent Harpocrationi Grammatico Alexandrino, ac Suidæ dicentibus *Maemacterionem* eſſe Quintum menſem; & *Pyanepſionem* Quartum; ſed *Pyanepſionem* Quintum eſſe, & Nouembri magna parte reſpondiſſe colligitur ex Theophraſto aſſerente *Pyanepſione arbutum florere in Attica; & Prunum in Aegypto*, vtrumq; autem euenire menſe ſecundo poſt æquinoctium autumnale atteſtatur Gaza dicto c. 5. At ex Ptolemæo l. 7. c. 3. Timocharis obſeruauit Spicam Lunæ iunctam anno Nabonaſſaris 466. Calippicæ Periodi 48. die 7. Thoth Pyanepſionis ſexta deficientis, ideſt die 25. id autem Aſtronomicæ tabulæ repræſentant die 8. Nouembris anni ante Chriſtum 283. cum dies 1. Thoth inciderit in 2. Nouembris, ergo prima *Pyanepſionis* incidit in Octobris diem 14. aut ciuiliter 15.

Sed

Sed hoc non ostante fuit huic mensis quintus, quia illo anno *Hecatombæonis* Neomenia ciuilis incidit in diē 19. Iunij, & *Metagitnionis* in 19. Iulj, & Boedromionis in 17. Augusti, & *Maemacterionis* in 15. Septembris, vt ex Astronomico calculo Solstitiorum Nouiluniorum supputat Petauius, quem vide lib. 2. de doctrina temporum c. 20. & in Vranolog. l. 6. diss. c. 2.

Possideonem Aristoteles ante Solstitium hybernum collocat l. 5. de histor. animal. c. 9. vbi de Tynnide: *Primus partus circa Posideonem ante brumale Solstitium editur*, at l. 1. Meteor. c. 6. narrat Cometem visum: *Mense Gamelione circa Solstitium hybernum*; ergo ita hyberni sunt hi menses, vt *Posideon* ante Solstitium sit, & *Gamelion* post Solstitium, & ideo Theophrastus de Plantis dixit *Mense Gamelione post Solstitium hybernum*, loquens de secundo sementis tempore. Fallitur ergo Scaliger, dum Posideonem sexto quidem loco enumerat, sed affirmat respondere Ianuario, & totum esse post Brumam; sed peius fallitur Gaza illum septimo loco collocans, quia *Anthesterionem* sexto loco collocat; qui octauo collocandus est, vtpote mensis Verno tempori propior, quàm hyberno siquidem Demosthenes de Corona: dicit decretum Pylagorarum factum: *circa Ver die 16. Anthesterionis.* Ideò Philostratus refert pueros trimos coronatos floribus *Anthesterione*, & Athenæus l. 8. copulat immediatè *Anthesterionem* ante *Elaphebolionem*, quem omnes nono loco recensent. Ad hæc Ptolemæus l. 7. c. 3. ait Anno Calippico 47. & Nabonassari 465. diē 8. *Anthesterionis* fuisse Athyr 39. Ergo *Anthesterion* inijt die 22. Ianuarij, & maiori sui parte Februarium occupauit: proinde merito illum octauum mensem faciunt Harpocration, & Suidas, & *Elaphebolionem* nonum, cuius Neomenia incidit in diē Februarij 23. anno Nabonassaris 454. Si quidem refert Ptolemæus l. 7. c. 3. diem 15. Elaphebolionis desinentem incidisse in diem Tybi 5. ideſt Martij 9. Demosthenes pariter oratione de Parapr. à die 16. Elaphebolionis ad 13. Scirrhophorionis enumerat tres menses, ergo inter hos est *Munychion*, *& Thargelion*. Quandoquidem Aristoteles l. 5. de historia animal. c. 11. numerat hoc ordine *Munychianem, Thargelionem Scirrhophorionem*, & l. 6. c. 11. *Thargelioni Scirrhophorionem* subiungit; & Halicarnasseus l. 1. Antiquit. Captum Ilium ait inclinante iam vere Thargelionis die 23. diebusq; 17. ante Solstitium æstiuum, quare *Thargelion* penultimus mensium Atticorum fuit, & *Scirrhophorion* vltimus; cum à Solstitio æstiuo eiq; Nouilunio proximo *Hecatombæon* iniret. Si quis optat scire, quo die Anni Iuliani retroficti inierit Neomenia Hecatombæonis ab anno ante Christum 330. vsq; ad 254. consulat Petauium l. 2. de Doctrina temp. c. 20.

XII. Intercalationem Græcorū, iam ex Gemino nu. IV. didicimus, quando Octaeteride vsi sunt, fuisse anno 3. 5. 8. antea .n. fuerat altero quoq; anno ex Herodoto, & Gemino quamuis Concluſ. IX. nu. 1. in Cyclo Metonico tres intercalandi ordines proposuerimus. Vnde Macrobij, ac Solini intercalatio ficta, & falsa redarguitur. Fuisse autem intercalationem dierum 30. Idem Geminus supra tradit, & Herodotus, dum ait annis 70. intercalari altero quoque anno, atq; adeo intercalares menses esse 35. & hos continere dies *mille*, *& quinquaginta*; nam si 1050. per 35. diuidas obuenient singulo intercalari dies 30. Porrò Theodorus Gaza lib. de Mensibus c. 19. existimat Intercalarem mensem in fine anni addi solitum post *Scirrhophorionem*, quia Macrobius dicit Athenienses vltimo mensi anni superfluos dies adijcere. Quia verò naturæ consentaneum videtur in fine anni intercalare, & ex altera parte *Posideon* fuit mensis, post quem intercalabatur, vt mox dicemus, ideo Langius l. 1. de Annis Christi c. 12. dicit olim Athenienses à Solstitio hyberno annum iniuisse, quia in illum mensem cadebat Solstitium: Sed Petauius l. 1. de doctr. tempor. c. 12. & in Vranologio l. 6. diss. c. 2. censet *Posideonem* geminatum fuisse intercalarem, quamtumuis mensi sexto, non autem duodecimo adiectum: Quia Ptolemæus l. 4 c. vlt. refert Eclipsim Lunæ factam anno Nabonassaris 367. mense *Posideonis prioris*, ergo successit Posideon posterior, & ille annus fuit intercalaris, & tamen iam Meton suā enneadecateridem à Solstitio æstiuo introduxerat, manente anni capite in Hecatombæonis Neomenia: Annum autem illum, quo captum est Ilium fuisse intercalarē putat Petauius, eo quòd habuerit dies 20. superfluos vltra ordinarios teste Halicarnasseo l. 1. sed hallucinatus est quoad hòc, verba enim Dionysij Halicarnasei sunt hęc. *Ilium captum est inclinante iam verò diebus septemdecim ante Solstitium æstiuum, Thargelionis die octaua deficientis, ideſt XXIII. iuxta numerationem temporis Atticam. Viginti porrò dies supererant ad annum illum explendum post Solsticium.* Nam si diei 23. Thargelionis addas dies 17. incides in diem 10. *Scirrhophorionis*, in qua fuit Solstitium æstiuum, ergo, vt bene computat Dionysius post Solstitium restabant ad cōplendum *Scirrhophorionem* dies 20. erant enim tunc omnes menses tricenarij. At Petauium decepit vocabulum περιττὰι ἡμεραι, vertitq; *superflui dies*, quasi supra ordinarium numerum dierum anni abundantes. Hinc autem si vera narrat Dionysius sequeretur, anno, quo Ilium captum est nempe ante Christum 1182. Solstitiū ciuile incidisse in diem 10. Sirrhophorionis; & Neomeniam Hecatombæonis in diem 20. post Solstitium, fuit autem tunc Solstitium Astronomicum die 2. Iulij, & Nouilunium Ciuile die 19. Iulij, vel à phasi computatum 20. quare non discrepant valde computationes. Sed nondum institutum erat, vt Neomenia Hecatombæonis esset illa, quæ propior erat Solstitio, vel tanta distantia orta est ex intercalato Posideone. Esto nunc Tabella Mensium Atticorum iuxta Primam verioremq; opinionem.

MENSES ATTICI CVM IVLIANIS COMPARATI.

Nomina Græca.	Nomina Latina.	Menses Iuliani Exeuntes, & Currentes.	Anno Interkalari.
Ἑκατομβαιὼν	Hecatombæon	Iunius, & Iulius	
Μεταγειτνιὼν	Metagitnion	Iulius, & Augustus	
Βοηδρομιὼν	Boedromion	Augustus, & September	
Μαιμακτηριὼν	Maemacterion	September, & October	
Πυανεψιὼν	Pyanepsion	October, & Nouember	
Ποσειδεὼν α.	Posideon prior	Nouember, & December	
Ποσειδεὼν β.	Posideon posterior	. . . . .	
Γαμηλιὼν	Gamelion	December, & Ianuarius	Decemb. & Ianuar.
Ἀνθεστηριὼν	Anthisterion	Ianuarius, & Februarius	Ianuar. & Februar.
Ἐλαφηβολιὼν	Elaphebolion	Februarius, & Martius	Februar. & Mart.
Μουνυχιὼν	Munychion	Martius, & Aprilis	Mart. & Aprilis
Θαργηλιὼν	Thargelion	Aprilis, & Maius	Aprilis, & Maius
Σκιῤῥοφοριὼν	Scirrhophorion	Maius, & Iunius	Maius, & Iunius

Ante Solonem, ideſt Annum ante Christum 559. & diu post Menses purè tricenarij, posteà alternis 30. & 29. dierum.

Festa celebriora erant hæc. *Hecatombæone* Hecatombæa, & die 15. Agon Olympicus, die 16. Iudicium de illo. *Boedromionis* initio Boedromia, & die 19. Mysteria magna. *Pyanepsione* Pyanepsia Apollini die 8. Oscophoria, seù Ramalia die 10. Chalceæ Mineruæ die 20. & Mysteria minor die 26. *Posideonis* initio certamen Palladis, & Neptuni, & die 11.

die 11. Alcyonia, & die 14. Brumalia, & Bacchanalia. *Gamelionis* initio Gamelia Iunoni ; & die 3. Minerualia, & die 7. Isidis accessus, & quilibet dies octauus Neptuno Sacer. *Anthesterionis* initio Anthesteria, & altera Bacchanalia ; & die 10. Limna Baccho, & die 14. Chytra. *Elaphebolionis* initio cerui sacrificabantur Dianæ, & Pythici ludi eodem mense, & *Munychionis* initio Munychia Dianæ. Thargelionis initio Sacra Dianæ, & Apollini, die 6. Dianæ Natali, & die 7. Apollinis ; die 23. Ilium destructum, & à die 26. ad finem Apaturia Veneri. *Scirrhophorione* ineunte Schira, ideſt Vmbraculorum Festum in honorem Palladis.

CAPVT XX.

De Anno, & Mensibus Macedonum.

CONCLVSIO XX.

Macedonum Annus Ciuilis, antequam Asia potirentur Lunaris fuit, sed ab Autumnalis Aequinoctij Nouilunio exordiens ; Post Asiæ autem Imperium acquisitum Solaris euasit, & eius menses in vlteriorem sedem promoti sunt, tum occasione nouarum Epocharum, tum postea Iuliano anno recepto.

I. IAm in confirmatione Conclusionis XVIII. ex Gemino, Galeno, Censorino, & Theone didicimus Græcos vniuersim, vel indefinitè, & non tantum Athenienses, Lunari anno vsos esse, & ex Diodoro Siculo, plerosque Græcorum Metonicum Cyclum amplexos esse ; Inter Græcos autem propriè dictos Strabo Macedonam, Thessaliam, Acarnaniam, & Aetoliam numerat, dicens. *His e temporibus magnam partem illius terræ, quæ absq; controuersia Græcia est, Barbari tenent ; Thraces quidem Macedoniam, & Thessaliæ partes ; Thesprotij verò, & Kassopaei Acarnaniæ, & Aetoliæ superiora.* Ergo, & ipsi non secus, atq; Attici, & Achæi Lunari anno vtebantur. Sed tamen à diuersis cardinis Neomenia ineuntes annum ; Nam Attici à Neomenia illa, cuius Plenilunium proximum succedebat Solstitio Aestiuo ; Achæi, ab illa cuius plenilunium proximum succedebat Verno Æquinoctio, vt diximus ibi sub finem num. IX. Macedones autem ab illo Nouilunio, cuius plenilunium proximè succedebat Æquinoctio Autumnali. Zenobius enim in Prouerbijs Centuria 6. n. 30. ait. *Apud Macedonas quippe vltimus anni mensis Hyperberetæus notus est* ; Galenus autem Pergamenus, de Macedonibus mensibus in sua patria vsitatis loquens l. 4. de Valetudine tuenda c. 8. inquit de abiete: *Est itaq; eius pulcherimum semen circa Arcturi emersionem : quo tempore Romæ quidē September mensis vocatus est ; Apud nos verò Pergami Hyperberetæus, Athenis autem Mysteria :* Boedromione porrò Mysteria celebrantur, vt testatur Plutarchus in Alexandro ; Ergo Primus Mensis Macedonum, qui vltimo succedebat, maiori sui parte concurrebat cum Octobri Romanorum, & Maemacterione Athenienſium, atque adeo maior eius pars post Autumnale æquinoctium fuit ; Ordo autem Mensium Macedoniorū apud Aetium in Tetrabiblo serm. III. c. 164. talis est, *Dius, Apellæus, Audinæus, Peritius, Dystrus, Xanthicus, Artemisius, Daesius, Panemus, Lous, Gorpiæus, Hyperberetaeus* ; Dius igitur erat primus mensis circa Autumnum initus : quod confirmatur ex Galeno l. 1. Epidem. aiente. *Si quis didicerit circa initium Dij mensis autumnale Aequinoctium committi, scies hybernum Solstitium futurum post tres menses, ineunte illorum Peritio : hoc enim ipsum apud Macedones significat ; Aequinoctium vernum Artemisio, quemadmodum & æstiuum solstitium Loo. Nam sub initia mensium istorum, Aequinoctia, & Solstitia secundùm Macedones fiunt.* Adstipulatur Plutarchus, qui in Alexandro affirmat, eum natum esse mense *Loo, quem*, ait, *Athenienses Hecatombæonem vocant*, & in Camillo ait, mense *Daesio* Alexandrum conflixisse cum Dario ad Granicum, eumq; vicisse, at in Alexandro idem, & Aelianus l. 2. variæ historiæ c. 20. dicunt, eam victoriam contigisse die 6. Thargelionis ; Prælium enim ad Issum Maemacterione ; ad Gaugamela *Boedromione* ; ad Granicum *Thargelione* gestum est anno ante Christum 334. die 20. Maij, iuxta supputationem Armachani de Anno Macedonum c. 1. Ptolemæus quoq; in Chaldaica Periodo Neomeniam *Apellæi* in Nouembris diem 13. confert, & *Dij* in 11. Octobris, & *Xanthici* in 25. Februarij. Epiphanius autem hæresi 51. Macedonici *Apellæi* diem 16. confert cum 5. Nouembris, ergo tunc *Apellæus* incœpit die circiter 22. Octobris, idemque l. 1. *Gorpiæum* cum Augusto pariat. Quidquod Iosephus Hebræus in Originibus comparat *Xanthicum* mensem, cum *Nisan*, vt l. 1. c. 3. l. 2. c. 6. l. 3. c. 9. & 10. & l. 11. c. 4. Item *Artemisium* cum *Iiar*, vt l. 8. c. 2. & *Hyperberetæum* cum *Tisri*, vt l. 8. c. 3. & *Dium* cum *Marchesuan*, vt l. 1. c. 3. & *Apellæum* cum *Casleu*, vt l. 5. iuxta emendatum Ruffini codicem, itemq; l. 12. c. 7. & 10. & tandem *Dystrum* cum *Adar* duodecimo mense, non (vt est in corruptis Codicibus) *vndecimo*. At de situ respectu tempestatum anni, & ordine mensium Hebraicorum patet ex dictis pro Concluſ. XIII. & de Atticorum, ex dictis pro Concluſ. XVIII. num. 13. ergo verus ordo Macedonicorum Mensium antiquorum, & concursus cum Hebraicis Atticis, & Romanis Mensibus est, vt in subiecto laterculo cernitur.

MENSIVM MACEDONICORVM. Ordo Antiquus, & Situs.

Macedonici Græcè	Macedonici Latinè	Attici qui ab Hecatomb. ineunt.	Hebraici qui à Nisan ineunt.	Romani qui ineunt à Ianuario.
Δῖος	Dius	Maemacterion	Marchesuan	September, et October.
Απελλαῖος	Apellæus	Pyaneption	Chasleu	October, et Nouember.
Αυδυναῖος	Audinæus	Posideon	Tebath	Nouember, et Decemb.
Περίτιος	Peritius	Gamelion	Schebath	December, et Ianuar.
Δύστρος	Dystrus	Anthesterion	Adar	Ianuarius, et Februar.
Ξανθικὸς	Xanthicus	Elaphebolion	Nisan	Februar. et Martius.
Αρτεμίσιος	Artemisius	Munychion	Iiar	Martius, et Aprilis.
Δαίσιος	Daesius	Thargelion	Siuuan	Aprilis, et Maius.
Πανέμος	Panemus	Scirrhophorion	Thamuz	Maius, et Iunius.
Λῶος	Lous	Hecatombæon	Ab	Iunius, et Iulius.
Γορπιαῖος	Gorpiæus	Metagitnion	Elul	Iulius, et Augustus.
Υπερβερεταῖος	Hyperberetæus	Boedromion	Tisri	Augustus, et September.

Ita tamen vt secluſa intercalatione menstrua ; prædictis mensibus plus responderet de Romanorum mense posteriore, quàm de priore plerumque.

II. Verum, quia vt tradit Diodorus Siculus l. 16. ad Annum 2. detinentem Olympiadis CVIII. ideſt ante Christum anno 436. Philippus Rex Macedonum electus fuit dux belli contra Phocenſes ; ille verò in Epistola recitata à Demosthene in Oratione de Corona, scripsit ad Magistratum Peloponnesiorum sic. *Quare armati nobis occurite in Thocide allato commeatu quadraginta dierum hoc Mense Loo ; vt nos agimus, vt autem Athenienses Boedromione,*

vt

vt Corinthij Panemo. Ideo non videtur verum quod diximus, nempe *Loum Hecatombæoni* respondisse, ac sic de cæteris. Petauius l. 1. de Doctrina temporum c. 29. in hoc conflictu putat Macedonibus duo fuisse genera mensium, antiquum quidem Lunarium, qui in Anno Iuliano sursum, ac deorsum promoueretur, recentiorem verò mensium fixorum, ac stabilium, præsertim cùm apud Euagrium, Epiphanium, & Suidam *Xanthicus* Aprili; *Lous* Augusto, *Gorpiæus* Septembri maiori parte respondeat. At Iacobus Vsserius Armachanus Archiep. & Hiberniæ Primas, vir Ecclesiasticæ antiquitatis scientissimus c. 1. de Macedonum, & Asianorum anno Solari, censet antiquitùs quidem *Loum* Macedonicum, *Boedromioni* Attico respondisse, sed post Olympiadem 108. mutationem quandam in mensibus Macedonicis fuisse factam ita vt Macedonici postea Solares euaserint, & *Lous Hecatombæoni* postmodum concurrerit. Sed Langius l. 1. de annis Christi c. 14. communem de *Loi* antiqui concursu cum *Hecatombæone* sententiam sustinet, & cum Philippi Regis dicto conciliat, quia putat Athenienses vsos tricenarijs mensibus, ac post annos 6. intercalasse dies 30. vt Neomenia Hecatombæonis ad Solstitium rediret: proponit quippe Cyclum annorum 40. in quo intercalaretur annis 6. 12. 18. 23. 29. 35. 40. ex quo Cyclo Anno 2. Olympiadis CVIII. ideſt ante Christum 337. Neomenia Ciuilis *Hecatombæonis* incidit in diem 13. Iunij, quia erat annus 23. Cyclo quadragenarij; atque adeo *Boedromionis* initium in 12. Augusti; sed apud Macedones, qui alio Cyclo, vel Cycli initio vtebantur *Lous* illo anno incœpit die 22. Iulij, & ita pars *Loi* coincidit cum *Boedromione*. Cæterùm Cyclus ille quadragenarius gratis fictus est, & à nullo, qui de anno Græcorum scripserit ex antiquis authoribus indicatus; sufficitque ad soluendum hunc nodum dicere, ex diuersitate intercalaris mẽsis, & initio Neomeniæ Ciuilis factum esse, vt *Lous* pluribus quàm 30. diebus incœperit apud Macedones tardiùs, quam *Hecatombæon* apud Athenienses, ita vt *Loi* finis caderet in Boedromionis ineuntis partem: ita prudentissimè Philippus cos ad tempus certum adesse iussit, ideſt illud, quod limitabatur à concursu *Loi* exeuntis, & *Boedromionis ineuntis*. Nulla igitur hinc necessitas mutati anni. Esto postea quando Macedones post Alexandri M. victoriam Asia potiti sunt, cum Asiaticis Annum Solarem assumpserint, imò & situm mensium promouerint; iuxta illud Galeni in 1. Epidem. *Oportet autem menses nõ iuxta Lunam agere sicut multæ in Græcia Ciuitates faciunt, sed iuxta Solem; sicut dixi à Romanis, Macedonibus, nostrisque Asiaticis, & multis alijs gentibus fieri.*

IV. Occasio promouendi mensis videtur fuisse similis illi qua vsus est Alexander M. nam cum Darij duces ad Granicum ingentem aciem instruxissent, & quidam Alexandro suggessissent, non esse moris Regum Macedonum mense *Daesio* educere exercitum, ille pugnandi auidus, & occasionem oblatam arripere volens, correxit eum ritum promulgato edicto, vt alterum Artemisium agerẽt, κελεύσας δεύτερον Ἀρτεμίσιον ἄγειν, vt refert Plutarchus in Camillo; itaque intercalato altero mense, is qui erat *Daesius* euasit *Artemisius* secundus, & sic *Daesius* in sequentis mensis situm promotus est, ac reliqui deinceps, & tandem recepto Anno Solari fixo, fixi & ipsi euasere, sed diuersis nominibus apud diuersos vsurpati, in hoc tamen concordes, quod cõmuni ordine, *Primi secundi* &c. mensis aliquando vtebantur, non secus ac Sacra Scriptura in mensibus Hebraicis, vt multis exemplis eruditè probant, prænominatus Archiepiscopus Armachanus in aureolo libello de Anno Macedonum, & Asianorum, & Langius l. 1. de Annis Christi c. 14. ex quibus accipe sequentem synopsim; cum Romani anni diebus, quibus inibant menses aliorum, quando euasere fixi iuxta Iulianam formam, additis ex Dionysio nominibus à cælestibus signis Zodiaci vsurpatis apud aliquos Astronomos.

MENSES in Forma Anni Macedonici, tandem Solaris, & Fixi.

Communia Nomina.	Nomina ex signis Zodiaci.	Macedonici Antiqui in Europa, Anthiocheni, Pergameni, Ephesij	Macedonici posteriores Syromacedonici Smyrnæi Tyrij.	Cyprij præcipuè Paphij.	Bithynici.	Dier. numerus.	Mensium initia in Anno Romano Communi.
Primus	Ζυγὸς	Δῖος	Ὑπερβερεταῖος	Ἀφροδίσιος	Ἥρεος	30	Sept. 24
Secundus	Σκορπίος	Ἀπελλαῖος	Δῖος	Ἀποογονικὸς	Ἕρμιος	30	Octob. 24
Tertius	Τοξότης	Αὐδυναῖος	Ἀπελλαῖος	Λινικὸς	Μητρῷος	31	Nouemb. 23
Quartus	Αἰγοκέρως	Περίτιος	Αὐδυναῖος	Ἅλως	Διονύσιος	30	Decemb. 24
Quintus	Ὑδροχόος	Δύστρος	Περίτιος	Καισάρειος	Ἡρακλειος	30	Ianuar. 23
Sextus	Ἰχθῦς	Ξανθικὸς	Δύστρος	Σεβαστός	Δῖος	31	Febru. 22
Septimus	Κριὸς	Ἀρτεμίσιος	Ξανθικὸς	Αὐτοκρατορικὸς	Βενδιδαῖος	31	Martij 25
Octauus	Ταῦρος	Δαίσιος	Ἀρτεμίσιος	Δημαρχεξάσιος	Στρατηγικὸς	30	April. 25
Nonus	Δίδυμος	Πάνεμος	Δαίσιος	Πληθυ'ατος	Ἄρειος	31	Maij 25
Decimus	Καρκῖνος	Λᾶος	Πάνεμος	Ἀρχιερεὺς	Περιέπτιος	30	Iunij 25
Vndecimus	Λέων	Γορπιαῖος	Λᾶος	Ἐσθῖος	Ἀφροδίσιος	31	Iulij 25
Duodecimus	Παρθένος	Ὑπερβερεταῖος	Γορπιαῖος	Ρωμαῖος	Αἰμήτριος	30	Augusti 25

V. Reliquarum regionum Græcarum menses equidem omnes nescimus, sed per pauca vestigia eorum habemus indicantia diuersa initia, vel diuersas intercalationes, ex quibus *Panemus* Corinthiorum in prædicta Philippi Epistola committitur cum *Boedromione* Athenienſium, & Lacedemoniorum *Arthemisius* apud Thucydidem l. 5. cum *Elaphebolione* Attico, & Daesius Sicyoniorum cum *Anthesterione* Attico apud Plutarchũ in Arato, & *Panemus* Bocotorum cum *Metagitnione* Attico, in Camillo, & *Panemus* eorumdem desinens cum *Boedromione* incunte apud eundem in Aristide.

Quæ verò gratis, & nullo antiquitatis teste dato, commentus est Scaliger de Periodis Olympica, Attica, Macedonica duplici, Bithynica, Pythica, Thebana, Syracusana, Laconica, Samia &c. securi vno saltu transilimus, vtpotè nullius fundamenti, & satis superque confutata à nostro Petauio lib. 1. de Doctrina Temporum à cap. 13. ad 38. Quando autem Græci Iulianum annum fixum receperint, non constare ait Petauius l. 4. c. 8. imò c. 6. dixerat. *Quando primum introducta est Epocha Seleucidarum, & Alexandrea, Annos Lunares fuisse, sicut Græcorum ferè omnium, & Iudæorum.* At in Vranologij Dissertationibus l. 4. c. 12. fatetur Galeni tempore Macedones, & Asiaticos multos, præcipuè Pergamenos, Iulianum annum fixum, & Solari proximum vsurpasse, id enim planissimè demonstrant Galeni verba in primum Epidemiorum, quem locũ integrum non viderat, & propterea cum Lalamantio negarat tunc temporis Græcos recepisse Annum Iulianum. Floruit autem Galenus anno 130. post Christũ. Nihilominus Theon, qui sub Valente, ac Valentiniano vixit, affirmat plerosque Græcorum iam tunc retinuisse Ciuiles menses Lunares, vt diximus cap. præcedenti ad finem num. III.

CAPVT XXI.

De Romanorum Anno Antiquo à Romulo, & Numa constituto.

CONCLVSIO XXI.

Romanorum Annus antiquus apud aliquos duodecim Mensium fuit; ex Romuli tamen decreto ad decem menses redactus, reliquis duobus in ordinem mensium non admissis; sed intercalarium loco habitis. Postea ex Numæ institutione Lunaris Annus mensium duodecim fuit, sed intercalari Mense Merkedonio dierum modò 22. modò 23. alternis annis inserto ad Solarem Annum exæquatus.

I. DE Duodecumestri Anno attestantur Licinius Macer, qui Ciceroni coæuus fuit, & Fenestella, qui sub Augusto obijt, ait enim Censorinus cap. mihi 8. *Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer, & postea Fenestella statim ab initio XII. Mensium scripserunt.* Dixerat autem cap. 7. *Alium Ferentini, alium Lauinij, item Albani, vel Romani habuerunt annum; omnibus tamen fuit propositum, suos ciuiles annos variè intercalandis mensibus, ad vnum verum illum, naturalemq; corrigere;* quem scilicet ibidem dierum 365. & horarum ferè sex definiuerat. Proinde nihil mirum si priscus ille Romanorum annus in ea colluuione populorum, qui Vrbem recens conditam habitabant, aliquibus, putà Sabinis, qui cum Tito Tatio in Vrbem admissi sunt, fuerit mensium XII. alijs, putà Albanis, & Romuli institutionem sectantibus fuerit mensium X. ita tamen, vt reliquos duos menses extra ordinem adsciuerint, quorum intercalatione annum ciuilem, cum Solari, ac Cælesti anno conciliarent, vt Festos dies ac Ludos ijsdem anni Cælestis tempestatibus repeterent; quod notauit Macrobius l. 1 Saturn. c. 12. dicens: *Hæc fuit à Romulo annua ordinata dimensio, qui annum decem mensium, dierum verò quatuor, & trecentorum habendum esse constituit &c. Sed cum is numerus, neq; Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, nonnunquam vsu eueniebat, vt frigus anni æstiuis Mensibus, & contra calor hyemalibus proueniret, quod vbi contigisset, tantum dierum sine vllo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo Cæli habitus instanti mensi aptus inueniretur;* & c. 13. intercalationis originem Romulo tribuit. Neq; verò multis annis opus fuit ad discernendam anni Romulei à Cælesti anno dissonantiam, nam post tres primos annos decumestres, iam æstiuus mensis euaserat hybernus. Tandem pro duodecumestri anno faciunt, quicunque fatentur Ianuarium fuisse antiquitus primum annĩ mensem, & Februarium vltimum nempe Ouidius 2. Fastorum canens.

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus, vt est, Iani mensis, & ante fuit.
Qui sequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni
Tù quoq; Sacrorum, Termine finis eras.
Primus erat Iani mensis, quia Ianua prima est;
Qui Sacer est imis manibus, imus erat.
Postmodo credun ur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Varro quoque l. 5. de lingua Latina diem 23. Februarij Terminalium festum dictum ait, quod esset anni finis: *Terminalia, quòd is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cum intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur.* Et Cicero 2. de Legibus: *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt:* vbi addit D. Brutum id facere solitum mense Decembri, quòd is erat vltimus mensis in anno scilicet Romuleo. Igitur aliquando Ianuarius fuit primus Mensium duodecim, & Februarius vltimus; nisi forte apud aliquos primus, apud alios penultimus fuit in eadem Vrbe, vnde illa confusio, quam ibidem Plutarchus commemorat: *Sub Romulo inquit mensium nulla ratio constabat nullus ordo, sed alij paucioribus, quàm viginti, alij triginta quinque, alij pluribus etiam diebus censebantur.* Nam & Censorinus c. 9. ait: *Apud Albanos Martius est VI. & XXX. Maius XX. Sextilis duode XXX. September XVI. Tusculanorum Quinctilis dies habet XXXVI. October XXXII. idem October apud Aricinos XXXIX.* Sed licet sub Romulo illa diuersitas fuerit, ex Romuli tamen institutione annus ad decem ordinarios, & nominatos menses redactus fuit initio facto à Martio, quod manifestum est ex sequentibus Scriptoribus.

II. Varro enim, & alij à Censorino laudati cap. 8. expresè id docuerunt; refert enim sic. *Sed magis Iunio Gracho, & Fuluio, & Varroni, & Suetonio, aliisque credendum est, qui X. Mensium putauerunt fuisse annum vertentem, vt tunc Albanis erat, vnde orti Romani X. Menses, dies CCCIV. hoc modo habebant.*

Martius	*XXXI.*	*Sextilis*	*XXX.*
Aprilis	*XXX.*	*September*	*XXX.*
Maius	*XXXI.*	*October*	*XXXI.*
Iunius	*XXX.*	*Nouember*	*XXX.*
Quinctilis	*XXXI.*	*December*	*XXX.*

Quorum quatuor maiores pleni, cæteri sex cani vocabantur. Hactenus Censorinus antea verò Ouidius 1. Fastorum.

Tempora digereret cum Conditor Vrbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo. &c.
Quod satis est vtero Matris dum prodeat infans
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere coniugis vxor
Sustinet in vidua tristia signa domo. &c.
Martis erat primus mensis, Veneriq; secundus,
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius à Senibus, Iuuenum de nomine quartus,
Quæ sequitur numero turba notata fuit.

At 3. Fastorum alias causas adducit, simulq; indicat menses Lunares.

Annus erat decimum cum Luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemos,
Seu quia bis quino fœmina mense parit.

Hinc annus lugendi mortuos, & decem menses pro eodem sumuntur à Cicerone pro Cluentio, Seneca Epist. 63. & de Consol. ad Heluiam c. 16. & in Cod. Theodosiano l. 2. Solinus cap. 3. *Romani in initio annum decem mensium computabant à Martio auspicantes.* Et Macrobius l. 1. Satur. c. 12. *Non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo, annum suum decem habuisse mensibus ordinatum. Qui annus à Martio incipiebat, & conficiebatur diebus CCCIV. vt sex quidem menses, ideſt Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December tricenum essent dierum; quatuor verò, Martius, Maius Quinctilis, October, tricenis & singulis expedirentur:* & paulò infra. *Hæc fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo Marti dicauit, quem mensem anni primum fuisse, vel ex hoc maximè probatur, quod ab ipso quintus Quinctilis, & deinceps pro numero nominabantur.*

III. Hactenus non improbabiliter conciliauimus duas opiniones de Anno Romano vetustissimo ante Numam, nempe Licinij, & Fenestellæ de anno duodecumestri, quibus fauent Varro, Cicero, & Ouidius quatenus Februarium appellant *duodecimum*, aut, vltimum anni mensem, & Ianuarium *primum*, & Plutarchus licet Ianuarium *vndecimum*, & Februarium *vltimum* nominet, & Macrobius quoad intercalationem, & hanc amplexus est Scaliger lib. 2. de emend. Tempor. pag 172. explodens annum decumestrẽ; Altera opinio de Anno Decumestri, sed à Romulo instituto, fuit item Varronis, Ouidij, Iunij, Gracchi, Fuluij, Suetonij, Solini, Macrobij; quam Censorinus prior prætulit cum posset vtramque componere, præsertim cum profiteatur omnibus propositum fuisse annos ciuiles intercalatione mensium ad naturalem annum reducere: Cum duabus hisce opinionibus, duas quoque alteras de ordine mensium adducit Plutarchus q. 19. Romanarum sic: *Antiquitus Martius primus fuit mensis numeratus, quod cum alijs multis indicijs manifestum sit; tum eo præcipuè quod quintus à Martio*

tio mensis Quinctilis; sextus Sextilis, reliquique sic deinceps nominantur vsque ad vltimum, qui December appellatur, numero decimus à Martio. Quæ res nonnullos mouit, vt opinarentur, immò affirmarent, antiquos Romanos non duodecim, sed decem mensibus annum compleuisse. Alij sic tradunt Decembrem à Martio mensem esse Decimum, Ianuarium vndecimum, Februarium duodecimum, quo mense lustrationibus vtuntur, & defunctis parentant anno finiente. Mutato autem ordine Ianuarium primum factum, quod Kalendis Ianuarij Consules primi, eiectis Regibus, Romæ Magistratum inuissent. Probabilius est quod alij dicunt Martium à Romulo homine bellicoso, Martisq; cupido, & qui Martis filius putaretur, cæteris mensibus præpositum esse; Numam verò pacis studiosum & qui ciues à re bellica ad agriculturam traducere optaret, Ianuario principem locum assignasse. In vita autem Numæ, ait de Numa. Ordinem autem mensium immutauit, Martio qui ante primus fuerat tertium tribuens locum, Ianuario primum, Februario secundum, quorum hic vltimus, ille vndecimus Romuli temporibus fuerat. Multi Ianuarium ac Februarium additos reliquis à Numa dicunt: Romanos enim initio decem tantum mensium annum habuisse, & tandem anceps concludit: Mensium à Numa siue additorum, siue transpositorum alter Februarius, quasi lustralis dictus est. Nostra verò opinio est, Romæ antiquitus duas fuisse anni formas iuxta duas sectas, vnam duodecumestrem, in qua Ianuarius primum Februarius vltimum locum habuerint, alteram à Romulo adhærente Albanis sancitam & decumestrē quoad denominationem, & numerationem mensium, à Martio initam, sed duodecumestri reipsa æquiualentem quoad intercalationem paulo post assumptam in fine anni dierū circiter 58. qui æquarentur mensibus Ianuario, & Februario prioris sectæ ideoque visus sit Ianuarius penultimum Februarius vltimum locum obtinere: Numam verò duos hos menses sub diuersa ratione addidisse, & transposuisse. Nam eos recipiens inter ordinarios nominatosq; menses addidit Anno, non Romanorum omnium, sed Romuleo; at Ianuarium in pristinum locum reducens, & Februarium ab vltimo ac & sic sensim ad Pompilianum annum delapsi sumus.

IV. Numa enim Pompilius Romuli annum triplici correctione emendauit, videlicet quoad numerum, & ordinem Mensium: quoad numerum dierum anni, & mensium, & quoad intercalationis modum. Quoad numerum, & ordinem mensium iam ex Plutarcho didicimus duodecim mensibus annum constitutum fuisse, & Ianuario primum, Februario secundum locum à Numa, vt testantur etiam Liuius, Decadis 1. l. 1. Solinus c. 3. & Macrobius l. 1. Saturnal c. 13. esto Censorinus c. 8. dicat: *Posteà siue à Numa, vt ait Fuluius, siue vt Iunius à Tarquinio XII. facti sunt menses, & dies CCCLV. &c.* Quoad numerum dierum anni, & menſum conspirant Solinus, Censorinus, Macrobius Annum factum dierum 355. esto Numa sciret Lunarem annum communem esse dierum 354. sed ob rationem imparis numeri sancitum, vt omnes menses impari numero dierum constarent excepto Februario, ob id infausto: adeoq; Martio, Maio, Quinctili, & Octobri relictos esse dies 31, sed reliquis ex Romuli mensibus, qui fuerant dierum tricenum, detractos singulos dies factosq; dierum 29. ex diebus porrò 6. inde decerptis, & alijs diebus 51. conflatos dies 57. quorum 29. Ianuario, 28. Februario attributi, vt vides in adiecto laterculo.

Menses Numæ, vel Tarquinij.

	D		D
Ianuarius	29	*Quinctilis*	31
Februarius	28	*Sextilis*	29
Martius	31	*September*	29
Aprilis	29	*October*	31
Maius	31	*Nouember*	29
Iunius	29	*December*	29

V. Quoad Interkalationem Pompilianam, vel Tarquinianam consentiunt Solinus, Censorinus, Macrobius locis nuper laudatis, & Plutarchus in Numa, ex vndecim diebus, quibus Lunaris annus à Solari deficit, geminatis conflatum mensem *Mercedinum*, seu *Merkedonium* dierum alternatum 22. & 23. & hunc mensem interkalarem alternis annis addi solitum menſi Februario inter Terminalia & Regifugium, ideſt post diem 23. Februarij, et sic annum interkalarem euasisse alternis dierum 377, et 378. vt festi dies ac ludi quam proximè in eandem anni cælestis tempestatem caderent. Quia verò propter superstitionem illam imparis numeri annus Lunaris vno die abundabat, et annis quaternis, quatuor dies supererant, idcirco emendatione opus fuit, quam aliter Liuius, aliter Varro, aliter Macrobius referunt; Censorinus enim eam non exprimit, contentus dixisse c. 8. *Idque diu factum prusquam sentiretur, annos ciuiles aliquanto naturalibus esse maiores; Quod delictum, vt corrigeretur, Pontificibus datum est negotium, eorumq; arbitrio interkalandi ratio permissa.* At Liuius lib. 1. Cyclum quendam annorum 20. insinuat nempe absoluto decemnouali Cyclo multo ante Metonem Numæ haud incognito: scribit enim de Numa: *Atque omnium primum ad cursum Lunæ in duodecim menses descripsit annum, quem (quia tricenos dies singulis mensibus Luna non explet, desuntque dies solido anno, qui Solstitiali circum agitur orbe) intercalares menses interponendo ita dispensauit, vt vigesimoquoq; anno, ad metam eandem Solis, vnde orti essent, plenis annorum omnium spatijs dies congruerent.* Quare si vigesimo quoque anno, totidem dies nempe 20, eximebantur, aut pro menſe Mercedonio dierum 23. dies tantummodò 3. anno vigesimo intercalabant, satis tolerabilis fuit illa correctio, quam Cicero 2. de Legibus peritè à Numa institutam, sed posterorum Pontificum negligentia dissolutam dicit. Varro autem libro 5. de lingua Latina: *Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cum intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur.* Non quòd singulis annis intercalaribus fieret illa ademptio, sed quod aliquando, nempe illis annis, quibus annus ciuilis annum naturalem Solis excedebat diebus quinque, nempe anno 6. 10. 16. et 20. et ita annis 20. dies viginti, non simul, sed diuersis vicibus adimebantur Macrobius l. 3. Saturn. c 13. non de Numa amplius, sed de Romanis loquens, ait eos imitatione Græcorum interkalasse, sed intercalationem Græcorum nec Solinus, nec Macrobius rectè intellexerunt vt docuimus c. et Concluſ. 18. nu. VI. proinde non est operæ pretium eorum commentitias interkalationes expendere.

VI. Illud potiùs ad Chronologiæ Syntaxim ritè constituendam, disquirendum est, vtrum anni Romani sub Romulo, et Numa, ob dictas interkalationes, æquiualentes fuerint Iulianis dierum $365\frac{1}{4}$. si non singuli saltem summatim, ità vt in summa annorum Vrbis conditæ non sit inde periculum errandi vno integro anno: Nam dies mensium antiquorum, diebus mensium Iulianorum non potuisse omnino congruere certum est ex diuersitate Kalendarij Romulei, et Pompiliani, quam supra indicauimus, et Iuliani, de quo infra. Sed Eclipsium obseruatarum historia, et Canonum Astronomicorum ratio nos hinc extricabit, cum de Vrbis conditæ Epocha disputabimus. Nam de dissidio dierum veteris nouiq; Kalendarij Romanorum plurima suppetunt exempla: Refert Liuius l. 37. Solem defeciſſe Luna sub orbem eius subeunte V. Idus Quintiles L. Scipione, et C. Lælio Cos. Anno Vrbis, Varroniano DLXIV. qui fuit ante Christi Epocham 190. At hoc anno Eclipsis Solis Romæ ex Tab. Astronomicis euenit die 14. Martij Iuliani inter horam 6. et 7. post mediam noctem, deſt diebus 115. ante diem veteris Kalendarij in quo V. Idus Quintilis cecidit in 7. Iulij. Deinde ex Liuio l. 44. nocte præcedente diem 4. Septembris, accidit Lunæ Eclipsis L. Aemilio Paulo, et C. Licinio Crasso Cos. Anno Vrbis Varroniano 586. nempe ante Christi Epocham 168. quo tamen anno Tab. Astronomicæ exhibent Eclipsim Lunæ die 21. Iunij anni Iuliani, nempe diebus 74. ante diem veteris Kalendarij, quod ob vitiosas interkalationes enormiter luxatum correctione Iuliana, vt mox dicetur, instauratum est. Censorinus t men c. 8. putat interkalationibus, ita demum annos correctos fuisse, vt possint accipi pro annis naturalibus: verba eius dabimus cap. sequenti sub finem numer. II.

CAPVT XXII.

De Anuo Iuliano.

CONCLVSIO XXII.

Annus Solaris dierum 365. cum quadrante, seu qui quartoquoq; anno est Bissextilis, & dierum 366. Institutus fuit à C. Iulio Cæsare Dictatore Anno IV. sui Consulatus post annum dierum 445. & ad eam formam redactus, quæ deinceps Romano in Imperio, vsq; ad Annum Christi 1582. vsitata fuit, & recepta ab Ecclesia Romana: Esto eius intercalationem Pontifices successores Cæsaris non satis assecuti, non quarto, sed tertio anno intercalarint diem vnum, donec Augustus hoc emendato errore Iuliani Anni formam instaurauit.

I. QVoniam Anni Iuliani forma, si Gregorianam excipias, omnium præstantissima fuit, quæ in vsum Ciuilem recepta fuerit; præstat quoque in vnum cõferre quæcunq; apud veteres Scriptores ad eam intelligendam, ac illustrandam reperire potuimus; Et primò quidem Plinius l. 18. c. 25. inquit. *Tres autem fuere Sectæ Chaldæa, Aegyptia, Græca; his addidit apud nos quartam Cæsar Dictator, annos ad Solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiæ eius adhibito.* Quamquam ipsummet C. Iulium Cæsarem perfese Astronomiæ peritum fuisse affirmat Firmicus l. 8. c. 5. & Lucanus l. 10. inducit eum sic loquentem:

Media inter prælia semper,
Stellarum, Cælique plagis superisq; vacaui:
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Suetonius in Cæsare: *Fastos correxit iam pridem vitio Pontificum, per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad cursum Solis accommodauit, vt CCCLXV. dierum esset, & intercalatio mense sublato, vnus dies quartoquoque anno intercalaretur. Quo autem magis imposterum è Kalendis Ianuarij nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem, & Decembrem Mensem, interiecit duos alios, fuitq; his annus, quo hæc constituebantur xv. mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Iulius Solinus cap. 2. cum anni Solaris dierum 365. cum quadrante notitiam Græcis, Romanisq; & intercalationem diuersam ascripsisset, post illa verba. *Translata in Sacerdotes intercalandi potestate*, subdit: *Qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtrahebant, tempora, vel augebant: cùm hæc sic forent constituta, moduſq; intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior, vel omnino dissimulatus præteriretur; nonnunquam accidebat, vt menses qui fuerant hyeme transacti, modò in æstiuum, modò in autumnale tempus inciderent. Itaque C. Caesar vniuersam hanc inconstantiam, incisa temporum turbatione composuit, & vt statum certum præteritus acciperet error, dies xxii. & quadrantem simul intercalauit*, & mox: *Ille ergo annus solus CCCCXLIIII. Dies habuit alij deinceps trecentos sexagenos quinos, & quadrantem, & tunc quoque vitium admissum est per Sacerdotes. Nam cum præceptum esset anno quarto, vt intercalarent vnum diem, & oporteret confecto quarto anno id obseruari, antequam quintus auspicaretur; illi incipiente quarto intercalarunt non desinente. Sic per annos sex, & xxx. cum nouem dies tantum sufficere debuisset; xii. sunt intercalati: quod deprehensum Augustus Reformauit, iussitq; annos xii. sine intercalatione decurrere, vt tres illi dies, qui vltra nouenarios temerè fuerant intercalati, hoc modo possent repensari. Ex qua disciplina omnium postea temporum fundata ratio est.* Plutarchus in Cæsare affirmat, eum in Anni emendatione vsum præstantissimis Philosophis, & Mathematicis, esto eius emendationem Cicero vellicarit, vt ibidem refert, sed audiendus Dio Cassius, qui sub annum Christi 230. floruit: lib. 43. *Annum Cæsar ad eum, qui hodieque seruatur, modum constituit, intercalatis septem, ac sexaginta diebus, qui ad summam exactam requirebantur, quamuis alij falsò plures perhibuerint. Diem quoq; illum, qui ex dierum quadrantibus conficitur, ad quartum quoq; annum, tribus in medio annis omissis, apposuit: vt iam ne in horis quidem annorum error, nisi perquam exiguus, incidere possit: qui tantus est, vt intercalatione vnius diei Anni MCCCCLXI. indigeant.* Loquitur de diebus extraordinarijs, nam Mercedonius dierum 23. fuerat ordinariæ intercalationis. Existimauit autem Dio Annum esse dierum 365. hor. 6. minut. 0. sec. 59. & tertior. ferè 6. Quanta verò cautela in hoc vsus sit Cæsar, refert ibidem Dio dicens. *Eam rationem Caesar ipse dum Alexandriæ versaretur, addidicerat*, & tamen subiungit: *Hæc omnia Caesar quæque alia de Republica statuit, non proprio consilio, sed semper communicata prius re cum primoribus Senatus, aut toto aliquãdo Ordine decreuit;* Paulò post Dionem floruit Censorinus, qui capite mihi 8. post illa verba. *Pontificibus datum est negotium, eorumq; arbitrio intercalandi ratio permissa.* Subiungit: *Sed horum plerique, vel ob odium, vel quò quis magistratu citiùs abiret, diutiusue fungeretur, aut publici redemptores, anni magnitudine in lucro, damnoue essent: plus minusue ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendum demandatam vitiosè deprauarũt. Adeoque aberratum est vt C. Cæsar Pontifex Maximus suo III. & M. Aemilij Lepidi Consulatù, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalares dierum LXVII.* (ita legit Manutius non LXVIII.) *inter Mensem Nouembrem, & Decembrem interponeret: cum iam mense Februario dies III. & xx. intercalasset, faceretq; eum annum dierum CDXLV. simul prouidens in futurum, ne iterum erraretur. Nam intercalatio Mense sublato, annum ciuilem ad Solis cursum formauit, itaque diebus CCCLV. addidit x. quos per septem menses, qui dies vndetricenos habebant, ita distribuit, vt Ianuario, & Sextili, & Decembri bini accederent; cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit: ne scilicet religiones sui cuiusque Mensis à loco summouerentur:* & paulò infra: *Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit vt peracto quadriennij circuitu, dies vnus, vbi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur: quod nunc Bissextum vocatur. Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur, ijque consurgunt ex IV. Cæsaris Consulatu. Qui etiam si non optimè, soli tamen ad annum naturæ aptati sunt.* Postremò eodem cap. 8. Annum quo de die Natali scribebat, his notis consignat. *Hic annus (cuius velut index, & titulus quidam est Vlpij, & Pontiani Consulatus) ab Olympiade prima M. est xiv. ex diebus dumtaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebratur; A Roma autem condita CMXCI. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur. Eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est, CCXXCIII. Sed ex die Kal. Ian. vnde Iulius Cæsar, anni à se constituti fecit principium.* Macrobius, qui circa annum Christi 390. florebat claudat hoc agmen l. 1. Saturnal. c. 16. *Verùm*, inquit, *fuit tempus cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, nonnunquam verò per gratiam Sacerdotum, qui Publicanis proferri, vel irritari consulto dies volebant, modò auctio, modò retractio dierum proueniebat: & sub specie obseruationis, emergebat maior confusionis occasio. Sed posteà C. Cæsar omnem hanc inconstantiam temporum, vagam adhuc, & incertam in ordinem statutæ definitionis coegit, adnitente sibi M. Flauio Scriba, qui scriptos dies singulos, ità ad Dictatorem retulit, vt & ordo eorum inueniri facillimè posset, & inuento certus status perseueraret. Ergo C. Cæsar exordium nouæ ordinationis initurus, dies omnes, qui confusionem facere poterant, consumpsit; Eaq; re factum est, vt annus confusionis vltimus in quadringentos quadraginta quatuor dies protenderetur:* Debuit dicere quadraginta quinque. *Post hoc imitatus Aegyptios, solos diuinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus CCCLXV. & quadrante cursum coficit, annum dirigere contendit.* Rursus eodem capite: *Iulius ergo Cæsar decem dies obseruationi veteri superadiecit, vt annum trecenti,*

centi, & LXV, dies quibus Sol lustrat Zodiacum, efficerent: & ne quadrans deesset, statuit, vt quartoquoq; anno Sacerdotes mensibus, ac diebus vnum intercalarent diem, eo scilicet mense, ac loco, quo etiam apud veteres mensis intercalabatur: idest ante quinque vltimos Februarij mensis dies: idque Bissextum censuit nominandum. Dies autem x. quos ab eo additos diximus, hac ordinatione distribuit. In Ianuarium, & Sextilem, & Decembrem binos dies inseruit; in Aprilem autem, Iunium, Septembrem, Nouembrem singulos. Et si autem Annus à Iulio Cæsare electus fuit Solaris, quia tamen, hortatu, vt creditur Sosigenis inchoauit illum à Nouilunio medio, vt ait Zarlinus lib. de anno, & die mortis Christi, vel Nouilunio Ciuili, vt sentiunt cum Io. Stœflerino, & Paulo Forosempronienſi Salmeron. in Prolegom. in Io. & Petauius, fortasse Macrobius eodem cap. 16. dixit: *Sic annum ciuilem Cæsar, habitis ad Lunam dimensionibus constitutum, edicto palam posito publicauit. Et hucusq; error stare potuisset, ni Sacerdotes sibi errorem nouum ex ipsa emendatione fecissent. Nam cùm oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quartoquoq; anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare; illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error VI. & xxx. annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies xii. cum debuerint intercalari nouem. Sed hunc quoq; errorem serò deprehensum correxit Augustus, qui annos xii. sine intercalari die transigi iussit, vt illi tres dies, qui per annos xxx. & VI. vitio Sacerdotalis festinationis excreuerant; sequentibus annis xii. nullo die intercalato, deuorarentur. Post hoc vnum diem secundùm ordinationem Cæsaris quinto quoque incipiente anno intercalari iussit: & omnem hunc ordinem aereæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit.*

II. Ex hactenus recitatis veterum Scriptorum verbis colligimus quid sibi velit Cicero in Epistolis 9. 13. & vltima ad Atticum, dum rogat, ne sibi intercaletur, videlicet ne sibi Prouincia prorogaretur, & lib. 8 epistol. familiar. Cælius dicat: *Leuissimè Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit.* Nempe quia iam obtinuerat ille abusus intercalandi, seu inserendi plures dies, vt aliquibus Magistratus, vel lucrandi tempus prorogaretur. Sed hinc pariter discimus, quam incerta sit annorum illorum, qui correctioni Iulianæ propius præcesserunt quantitas, & syntaxis. Tanta enim Luxatio eius fuerat, vt annus quarti consulatus C. Iulij Cæsaris incœpturus fuerit sub finem Octobris anni Iuliani, nisi Cæsar anno antecedenti præter mensem intercalarem dierum 23. addidisset adhuc dies 67. Iam si ab anno confusionis, qui fuit 46. ante Epocham Christi, & dierum 445. detrahas dies 366. in forma Iuliana Bissextili reliqui sunt dies 79. quare annus Confusionis ad formam Iulianam redactus incœpit anno 47. ante Epocham vsitatam Christi die 14. Octobris, & occupauit totum annum 46. Notat Plutarchus in Mario pugnante hoc contra Cimbros, Solstitium æstiuum incidisse in 3. kal. Augusti, hoc est vno mense, & amplius, tardius quàm in forma anni Iuliani. Denique nobis non constat quandonam incœperint Sacerdotes Romani abuti intercalationis forma Pompiliana, & quibus annis omiserint eam, quibus auxerint, aut contraxerint. Ideo Keplerus in Rodulphinis c. 17. præc. 61. expendens Genesim C. Octauij, qui postea Augustus dictus est, & quem Historici perhibent natum Cicerone, & Lentulo Coss. nempe Anno 63. ante Epocham Christi, nono kal. Octobris, vt diem hunc in forma Iuliana inuestiget, supponit, sed non sine formidine, intercalatum fuisse alternis biennijs dies 22. & 23. Et hinc nonum kal. Octobris Pompiliani incidisse in diem 23. aut 24. Iunij anni Iuliani; at ex Genesi Augusti nati paulo ante Solis ortum sub Capricorni Horoscopo, colligit diem 1. aut 2. Iulij Iuliani. Sed omnia hæc nutant, vt & alia similia illorum temporum. Alia exempla luxati Kalendarij attigimus cap. præcedenti nu. VI. Non obstante hoc dierum dissidio, videtur Censorinus supponere cap. 8. annos ante Iulianum ita fuisse correctos, vt computatis excessibus, & defectibus, possint accipi pro annis naturalibus, & Solaribus, seu Iulianis, saltem in colligenda Summa: dicit enim. *Nam, & priores alij anni, etiam si qui decumestres fuerunt, nec Romæ modò, vel per Italiam, sed & apud gentes omnes, quantum ijdem postea fuere correcti. Itaque cum de aliquo annorum numero hic dicetur, non alios par erit, quàm naturales accipere. Et si origo Mundi in hominum notitiam venisset, inde exordium sumeremus. Nunc vero id interuallum temporis tractabo, quod ἰσοχρόνον Varro appellat.* Igitur, ex Censorini quidem sententia, quando ibidem subdit annum Iulianum CCXXCIII. post Palilia esse Annum CMXCI. Vrbis conditæ, intelligendi sunt anni 990. Iulianis æquiualentes antecessisse, ijsq; completis iniuisse annum 991. in Palilibus anni Iuliani 283. & sic apud Historicos accipiendos esse annos in eorum summa computanda.

III. Redeundo iam ad correctionem Iulianam, ea multas habuit partes; *Primò* enim cum Sosigene, & Flauio Scriba elegit annum Solarem dierum 365 ¼. substituendo illum anno Lunari Pompiliano, eumq; ita concepit, & ordinauit, vt tot dies Mensibus attribuerit, quot nunc numeramus in Kalendario Romano, nempe Ianuario 31. Februario 28. Martio 31. &c. vt ex Censorino, & Macrobio didicimus.

IV. *Secundò*, quia annus tertij ipsius Consulatus ex consuetudine intercalaris erat, vt notat Suetonius, intercalauit Februario mensem Mercedonium dierum 23. vt exprimit Censorinus, intercalauit, inquam, post Terminalia, seu 23. Februarij, & ante vltimos quinque Februarij dies, quia ille erat locus consuetus veteris intercalationis, vt expressè docent Censorinus, & Macrobius. Errant ergo, tum Scaliger l. 4. Emend. temp. tit. 1. dicens. *Cæsar anno confusionis intercalauit primum dies 67. tum Mercedonium parcem;* nam prius intercalauit Mercedonium, non parem, sed disparem; tum Petauius lib. 4. de Doctrina temporum c. 1. qui cùm rectè dixisset Februarium endotercisum fuisse, & ante vltimos quinque ipsius dies intercalatum fuisse Mercedonium, nempe die 4. Decembris anni Iuliani mox in laterculo, sui oblitus ponit Mercedonium post totos dies xxviii. Februarij incuntem die ix. Decembris in forma Iuliana, vel vt Keplerus in Rodulphinis pag. 40. die 10. Decembris.

V. *Tertiò*, Annum nouum voluit inire à Bruma, idest à Nouilunio medio, aut Ciuili, quod proximum erat Solstitio hyberno, iuxta morem antiquum: sic enim intelligendum illud Ouidij 1. Fastorum.

Bruma noui prima est, veterisq; nouissima Solis:
Principium capiunt Phœbus, & Annus idem.

Fuit autem medium Nouilunium Anno 45. ante Christum kalendis Ianuarij Romæ, vt docet Petauius l. 10 c. 59. Iam verò annus nouus, idest IV. Consulatus Cæsaris, etiam posita intercalatione Mercedonij dierum 23. ob vitiosas tamen, vel intermissas præcedentium annorum intercalationes incœpturus erat diebus 67. ante Nouilunium proximè subsecuturum Solstitio hyberno; idcircò non post Decembrē, vt perperam ponit Keplerus in Rodulphinis Tabulis pag. 40. sed inter Nouembrem, & Decembrem, vt disertè affirmant Suetonius, & Censorinus, intercalauit duos menses, vt loquitur Suetonius, seu dies sexaginta sex, vt exprimit Dio, & Censorinus in Codice Manutiano; hinc factum est, vt Annus ille (quem *Confusionis* cum Macrobio appellant Chronologi) ex diebus 355. Anni Pompiliani, & 23. Mensis Mercedonij, & diebus insuper 67. euaserit mensium xv. vt loquitur Suetonius, seu dierum 445. vt expressè Censorinus; ex quibus corrigendi sunt Solinus, eumque secutus Macrobius, & Scaliger, qui habent dies 444. quia putarunt Mercedonium fuisse illo anno dierum 22. vel quia vsi sunt anno Pompiliano dierum 354. & intercalatione Græca ex octennio collecta; sed magis erraùit Manutius in Quæstis per Epist. cap. de rat. intercal. qui additos in Cæsare dies 67. ait, & annum illum facit dierum 443. eo quod in Macrobij corrupto Codice legisset hunc numerum, debuit enim sequi Dionem, & à se ex Dione correctum Censorinum, qui ponunt additos dies 67. & annum dierum 445. Quibus positis facile est reperire in forma Iuliana retroficta, quo die incœpit *Annus Confusionis*, cœpisse enim anno secundo ante primum Iulianum, idest Anno 47. ante vsitatam Epocham Christi constat ex dicendis de nexu Iulianorum cum Epocha Christiana Annus enim Iuliano primo præcedens, idest ante Epocham Christi 46. ex pristina intentione Iulij Cæsaris, vt posteà dicemus, habendus est pro Bissextili, seù dierum 366. qui detracti diebus 445. relinquunt dies 79. quibus si detrahas dies 31. Decembris, & 30. Nouembris, relinquentur dies 18. pertinentes ad Octobrem anni 47. ante Epocham Christi; detractis autem 18. à diebus 31. Octobris relinquuntur dies 13. Octobris elapti ante initiū *Anni Confusionis*, quare *Annus Confusionis* mijt

Anno

Anno 47. ante Epocham Christi die 14. Octobris in forma Iuliana, vt habet Keplerus supra. Sed qui Annum præcedentem Iuliano primo non agnoscunt pro Bisextili, consequenter ponunt initium *Anni Confusionis* die 13. Octobris, vt Petauius lib.4. c.1. Ecce igitur in Laterculo Comparatio Anni Confusionis, seu Pompili—Iuliani, cum Iuliano retrofícto ex nostra Sententia.

MENSES ROMANI.

Menses Pompili—Iuliani.	Dies Mensium.	Initium in Forma Iuliana, Anno ante Christum.		
				Anno
Ianuarius	29	14	Octobr.	47
Februarius	23	12	Nouemb.	
Merkedonius	23	5	Decemb.	An-
Reliquum Febr.	5	.		no
Martius	31	2	Ianuar.	46
Aprilis	29	2	Februar. Bis.	
Maius	31	2	Martij	
Iunius	29	2	Aprilis	
Quintilis	31	1	Maij	
Sextilis	29	1	Iunij	
September	29	30	Iunij	
October	31	29	Iulij	
Nouember	29	29	Augusti	
Inserti	67	27	Septembris	
December	29	3	Decembris	

VI. *Quartò*, Cæsar sublato Mense intercalari, iussit, vt dies vnus, qui ex quatuor quadrantibus consurgebat, quarto quoque anno intercalaretur eo mense, & die, quo intercalari solebat Mensis Mercedonius, nempe inter Terminalia, & Regifugium, seu post diem 23. Februarij, ita tamen, vt bis pronunciaretur dies 24. seu more Romano *Bissexto Kal. Martij*, ideoq; diem illum Bissextum appellauit, vt docent supra Suetonius, Solinus, Dio, Censorinus, Macrobius, quibus adde Ouidium 3. Fastorum canentem.

Is decies senos trecentum, & quinque diebus
Iunxit, & è pleno tempora quarta die.

Sed celebris controuersia est, quinam annus Iulianorum debuerit esse bisextilis ad mentem Iulij Cæsaris, & quibus annis errarint Sacerdotes, & an Augustus in eorum errore corrigendo, illos annos Bisextiles esse iusserit, qui fuissent ex mente C. Iulij. Præcipuam difficultatem ingerit Solinus, dum dicit Cæsarem intercalasse dies xxii. & Quadrantem simul: dubitat enim Petauius l.4. c.2. vtrum sex horas admensus fuerit post mensem Mercedonium, an verò sub finẽ anni confusionis, atque adeo primus Bisextilium ex mente Cæsaris fuerit tertius annus Iulianus, an quartus. Cæterum siue ob auctoritatem Solini, siue alia de causa. 4. Opiniones de modo dictæ intercalationis reperio: quæ tamen omnes supponere debent, idem intercalandum colligi debuisse ex 4. quadrantibus diei, atq; adeo ab vna ad alteram intercalationem debuisse computari annos 4. completos; id quod disertè docent Solinus ibi: *Oporteret confecto quarto anno*; & Censorinus ibi: *Instituit vt peracto quadriennij circuitu dies vnus &c.* & Macrobius ibi: *Nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoq; anno confecto &c.* Dio autem habet: *Ad quartum quemq; annum, tribus in medio omissis, apposuit*. Sed & omnes concedunt diem intercalandum fuisse post diem 23. Februarij, & inde computandos annos 4. vsque ad subsequentem intercalationem.

VII. Prima opinio est, ad mentem C. Iulij Cæsaris debuisse haberi pro Bisextilibus Iulianos annos 1.5.9.13. &c. esto Sacerdotes intercalarint Annis 4.7.10.13.16. & sic vsque ad 37. inclusiuè, intermissam enim iussu Augusti intercalationem, non fuisse resumptam, nisi anno 53. Iuliano. Ita Io. Lucidus de die Passionis Christi c.6. Scaliger lib.4. emendationis temporum, Salianus tomo 6. Annalium An. Mundi 4008. num. 37. & Anno 4052. num.40 & Keplerus in Tabulis Rodulphinis pag.40. Fundamentum eorum est ordo communis Bissextilium, quo per tot sæcula vtitur Romana Ecclesia, & Romanum Imperium, neque enim credibile videtur in hoc recessisse ab ordinatione Augusti, aut Augustum ab ordinatione Iulij Cæsaris, aliunde autem ex Eclipsibus Fastisq; Consularibus certi sumus Annum primum Epochæ Christianæ fuisse Iulianum 46. & primum post Bisextilem, ergo tam secundum Iulium Cæsarem, quàm secundùm Augustum, debuerũt esse Bisextiles Anni Iuliani 45.41. &c. & sic 5. & 1. in progressu autem 49.53. &c.

Secunda opinio fuit Pauli Episcopi Forosemproniensis l.12. Summæ, & Iacobi Kristmanni in Alphraganum à pag. mihi 352. videlicet intercalatum fuisse à Sacerdotibus Annis Iulianis 3.6.9.12. &c. sed debuisse intercalari annis 4.8.12.16. &c. Sed Paulus dicit resumptum Bisextum Anno 49. & inde successisse intercalares 53.57. &c. & Kristmannus resumptum Bisextum anno Iuliano 52. prout postulabat Iulij Cæsaris ordo.

Tertia opinio fuit Baronij in apparatu ad Annales, debuisse esse Bisextiles annos Iulianos 3.7.11.15.19. & ita vsq; ad 39. quia Annus Confusionis non solùm fuit intercalationis, sed præter mensem intercalarem Cæsar intercalauit quadrantem diei, alter verò quadrans collectus fuit in fine anni Confusionis, quare inito Iuliano 3. iam ex 4. quadrantibus collectus fuerat integer dies; Addit tamen Bisextum iussu Augusti resumptum Anno Iuliano 51.

Quarta opinio fuit Petauij l.4. de Doctrina temporum ad finem capitis 3. videlicet debuisse esse ad mentem Cæsaris intercalares annum 1.4.8.12.16. &c. Iulianos, quia in anno Confusionis præter dies solidos intercalarat quadrantem, ideoq; finito triennio, & ineunte anno 4. Iuliano intercalari iusserit; quoniam sex illæ horæ cum tribus alijs quadrantibus, diem complebant, posteà verò, non tertiò vertente, sed quarto, & ineunte quinto voluerit Bisextiles esse annos 8.12.16. &c. Pontifices autem, quod in prima intercalatione tribus exactis annis factum erat, idipsum deinceps fuisse, & intercalasse annis 4.7.10.13. & sic vsq; ad 37. posteà Augustum anno Iuliano 38. decreuisse correctionem, & Bisextum resumpsisse anno Iuliano 53.

VIII. Ne mireris porrò Lector si de hac intercalatiane tam diuersæ, ac tricis plenæ opiniones fuerint, cùm non modo Pontifices Romani, recenti adhuc ordinatione Cæsaris, sed ipsemet Sosigenes secum ipse conflictatus sit; ait enim Plinius l.18. c.25. *Et ea ipsa ratio postea comperto errore, correcta est, ita vt xii. annis continuis nõ intercalaretur, quia caperat sidera annus morari, qui prius antecedebat. Et Sosigenes tribus commentationibus, quanquã diligentior esset cæteris, nõ cessauit tamen addubitare ipse semet corrigendo.*

IX. Nostra verò opinio est debuisse ad mentem Cæsaris Bisextiles esse annos Iulianos 4.8.12.16. &c. sed Pontifices assuetos in computatione dierum ante kalendas, Nonas, & Idus, intercludere vtrumq; terminum, ita intellexisse quartum quenque annum, vt annus 3. Iulianus esset ab anno Confusionis inclusiuè quartus, & sic intercalasse annis Iulianis 3.6.9.12. &c. vsq; ad annum 36. ita vt anno 36. iam duodecies intercalarint, cum oportuerit nouies. Posteà verò Augustum anno Iuliano 38. cum esset Summus Pontifex decreuisse, vt ab hoc anno inclusiuè decurrerent anni 12. sine intercalatione, vt corrigeretur error trium dierum superuacaneè intercalatorum, & insuper horarum 6. absolutis autem annis illis 12. quod euenit anno Iuliano 49. expectasse adhuc alios 4. annos, vt collectis 4. quadrantibus poset Anno 53. Iuliano resumi Bisextum, sicut reipsa resumptum est.

Bisextiles enim non fuisse ad mentem Cæsaris Annum Iulianum 1. vt vult I. & IV. Opinio, nec 3. vt III. Opinio ex eo suadetur, quòd teste Macrobio Cæsar in Anno Confusionis omnes dies consumpsit, qui confusionem facere poterant, & præter dies integros intercalauit etiam quadrantem diei; & Censorinus ait Annum 1. Iulianum fuisse primum annorum ordinatorum, ac deniq; Dio docet intercalandum fuisse quartoquoq; anno, tribus in medio omissis, sine intercalatione, ergo annus 1. Iulianus fuit ordinatissimus, ac simplex Ægyptiorumq; more dierum præcisè 365. sicut & tres primi Iuliani, qui debuerunt decurrere absq; intercalatione, alioquin si vel annus 3. vt vult Baronius, vel 1. & 4. vt vult Petauius debuerunt esse Bisextiles, non debuissent tres anni, sed duo tantum intercedere absq; intercalatione. At si ponamus Cæsarem intercalasse diei quadrantem statim post Mercedonium, idest post diem 27. Decembris

anni

anni 47. ante Christum, siue intelligi voluisse intercalatum statim post diem 23. Februarij anni 46. ante Christum in forma Iuliana retroficti; inde tamen vsque ad 24. Februarij anni I. Iuliani iam effluxerunt dies 365. & quadrans diei in Cœlo, & tandem die 24. Febr. Anni IV. Iuliani quatuor quadrantes effluxerũt, ideoq; tunc fuit intercalandus dies, & sic plana sunt omnia cohærentq; dicta antiquorum Auctorum. Hinc sequitur vt Annus Confusionis fuerit intercalaris, non solũ ex veteri consuetudine, sed præterea ex mente Cæsaris, ita vt retrofingendo annos ad formam Iulianam, annus præcedens Iuliano primo, dierum 366. habendus sit, & eo loco dies vnus intelligendus additus, qui erat sedes propria intercalationis, nempe post 23. Februarij Iuliani.

Præterea, vt testantur Solinus, & Macrobius, Pontifices annis 36. intercalarunt duodecies, at hoc non verificatur in opinione 1. & 4. in ijs enim vltima vitiosarum intercalationum cadit in Annum Iulianum 37. ergo anno 36. nondum intercalassent duodecies; Ergo vt Solini, & Mecrobij assertio sustineatur, nec sine necessitate deseratur, aut ad alienum sensum detorqueatur, dicendum eos intercalasse annis Iulianis 3.6.9 &c. ita enim anno 36. intercalatum fuerit duodecies, cum autem anticiparint vno anno tempus debitum, sequitur debuisse intercalare anno 4.8.12. Iuliano, sic enim anno 36. intercalassent nouies, & sic verificatur alterum Solini, & Macrobij dictum: *Cum oportuisset nouies*, Atque hinc refellitur etiam 3. Opinio, nam si intercalare debebant anno 3.7.11. &c. ergo non annis 36. sed annis 35. intercalare debuissent nouies.

X. Sed præter dictas ratiocinationes habemus ex facto ipso Pontificum, eos intercalasse reipsa anno 3. Iuliano, atq; adeo debuisse 4. Ait enim Macrobius l. 1. Saturnalium capite 16. aliàs 13. *Quoties in currente anno dies coepit, qui adiectus est nundinis; omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit, maximèq; Lepidiano tumultu opinio ista firmata est*; & c. 17. *Omnis autem conuentus vniuersæ multitudinis vitandus existimabatur, quoniam Populus Romanus, exactis etiam regibus, diem hunc Nonarum maximè celebrabat, quem natalem Seruij Tulij existimabant, quia cum incertum esset, quo mense Seruius Tullus natus esset, Nonis tamen natum esse constaret, omnes Nonas celebri notitia frequentabant; Veritos ergo, qui diebus præerant, nequid Nundinis collecta Vniuersitas ob Regis desiderium nouaret, cauisse, vt Nonæ à nundinis segregarentur. Vnde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio, qui fastis præerant: vt cum vellent intercalarent; dummodo eum in medio terminaliorum, vel mensis intercalaris, ita locarent, vt à suspecto die celebritatem auerterent nundinarum.* Habemus ergo ex Macrobio annum illum, quo intercalabatur dies, fuisse Romanorum opinione, infaustum, præsertim, si in illum diem inciderent Nundinæ, & hanc opinionem confirmatam fuisse, quia anno illo, quo Lepidianus tumultus accidit, dies anno adiectus, seu Bisextilis incœpit in Nundinis. Atqui ex Dione, Appiano, & alijs manifestum est Lepidianum tumultum accidisse anno 3. Iuliano, Consulibus Hirtio, & Pansa ob Triumuiratus dissidia, & cædes, ac proscriptiones; quod fatentur Petauius ipse in Chronicho, & Salianus Anno Mundi 4011. ergo anno 3. Iuliano reipsa intercalatum fuit à Pontificibus, atque adeo anteuertentes vno anno, nec expectantes complementum quarti peccarũt, debueruntq; intercalare 4. anno Iuliano &c.

XI. Quoad resumptum Bisextum mihi certum est id factum anno Iuliano 53. qui fuit Epochæ Christi Octauus; cum enim Augustus, teste Macrobio intercalandi ordinem, *æreæ Tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauerit*, nec vspiam apud illos Scriptores antiquos aliam mutationẽ factam in hoc sciamus in Romano Imperio, annum Epochæ Christi 8. fuisse Bisextilem, & ex Eclipsibus Fastisq; Iulianum 53. vtiq; hunc pro Bisextili de facto agnoscere debemus: quod validissimè firmatur, quia Annus Epochæ Christi 364. ex Eclipsibus Fastisq; Consularibus fuit Iulianus 409. Iam vero Anno Christi 364. seu Iuliano 409. constat electum fuisse in Imperatorem Valentinianum, sed de illo paulo post electionem subiungit Marcellinus l. 26. *Accitus, implendiq; negotij præsagus, vt subodorari dabatur, vel somniorum assiduitate, nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarij mensis, tunc illucescens quod aliquoties rei Romanæ cognorat infestum.* Electus est igitur Valentinianus Anno Bisextili, qui in Fastis Consularibus Onuphrij, Cassiodori, Maffeiorum, & Siculis est 409. Iulianus, vnde & Onuphrius l. 3. probat ritè à se ordinatos Fastos, quia in hunc annum 409 cadunt Consules Iouianus, & Varronianus, quibus constat electum fuisse Valentinianum ex Marcellino l. 26. Socrate l. 4. c. 15. Victore, & alijs: ideoq; Baronius ait hunc annum esse clauũ maximum, quo fixa manet hac in parte Chronologia, quia annus Christi 364. quo ponitur electus Valentinianus, fuit Bissextilis, non solùm quoad seriem kalendarij Ecclesiastici, sed etiam quoad ordinem seruatum ab Imperatoribus Romanis post Augustum: Igitur retrocedendo ab Anno 409. sequitur annum 53. Iulianum fuisse Bisextilem, non verò 50. vt voluit antea Baronius, nec 52. vt Kristmannus, sed nec annum 49. vt Paulus Forosempronensis Episcopus. Quia post vltimam vitiosam intercalationem anni 36. & intermissam annis 12. debuerunt expectari adhuc anni 4. vt ex quadrantibus 4. colligeretur dies integer Bisexti instaurandi, quod potuisset quidem fieri anno 52. Iuliano, sed non fuisse factum, ex electione Valentiniani didicimus. Ratio verò ob quam bisextum nouum dilatum fuit in annum 53. est quia anno tantummodo Iuliano 38. Augustus decretum edidit de Correctione Bisexti, & ab hoc anno inclusiuè voluit numerari annos 12. sine intercalatione transigendos, & deinde alios quatuor ad colligendum ex 4. diei quadrantibus diem vnum, mortuo quippe Lepido Augustus anno 33. Iuliano euasit Summus Pontifex, vt narrat Suetonius in Augusto c. 31. vbi addit: *Annum à D. Iulio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum, atq; confusum rursus ad pristinam rationem redegit, in cuius ordinatione sextilem Mensem ex suo cognomine nuncupauit.* At Censorinus cap. mihi 9. inquit. *Quintilis Iulius cognominatus est C. Cæsare V. & M. Antonio Coss. Anno Iuliano secundo; qui autem sextilis fuerat, C. Mario Censorino, & C. Asinio Gallo Coss. in Augusti honorem dictus est Augustus, Anno Augusti XX.* Igitur ille Annus, quo sextilis fuit dictus Augustus, fuit idẽ quo Augustus ordinauit annum, & quo Consules fuere C. Marius Censorinus, & C. Asin. Gallus; & qui fuit Augusti Annus XX. sed dicti Consules ex Fastis Consularibus, & annus Augusti XX. ex Censorino c. 8. concurrunt in Annũ Iulianum 38. & potuisset quidem Augustus hoc anno 38. statuere vt anni 12. intermittendæ intercalationis numerarentur statim post 36. Iulianum, seu ab anno 37. inclusiuè. Sed quia Annus naturalis est dierum 365. Hor. 5. Minut. 48. Sec. 48. atq; adeo annis 36. Pontifices intercalatione sua excesserunt non solum dies 3. sed præterea horas 6. min. 45. sec. 12. quæ colliguntur ex minutis 11. & 12. secundis per 36. ductis, ideo veritati propior fuit correctio Augusti, & ad deuorandum quadrantem illum diei superfluum voluit negligere annum 37. & numerationem annorum 12. inire ab anno 38. inclusiuè. Proinde, & prudenter nos quoq; in Chronologia, & Computo annorum Bisextilium retrocedendo versus Mundi initium, ita sequimur Anni Iuliani formam, vt tamen Bisextiles inuestigemus iuxta ordinationem Augusti retrofictam.

XII. Quod si ad pleniorem Anni Iuliani formam quæras, quo die ciuile Æquinoctium fuerit tempore Iulij Cæsaris, respondeo cum Petauio l. 4. c. 27. fuisse die 25. Martij, quia Medium Æquinoctium ex Tabulis Parisinis fuit Anno 1. Iuliano Martij 24. hora 21. minu. 11. post mediam noctem Romæ, esto verum Æquinoctium fuerit Martij 22. hor. 23. minut. 36. sed de hoc plura Cap. xxx Canone xvj. Supereſt, vt ad vitandas fallacias Bisextilium, quas in Canone Christmanni, Petauij, Kepleri, & aliorum esse censemus; ex dictis suprà, & comprobatis exhibeamus Lectori Canonem nostrum Annorum Cõmunium, & Bisextilium, tum iuxta ordinationem C. Iulij Cæsaris, tum iuxta vitiosam intercalationem Romanorum Sacerdotum ante Augustum, tum denique iuxta instaurationem, & ordinationem Augusti, qua de facto vtimur communiter à seculis pene 17. & quam retrofingimus, quando annos ante Iulium Cæsarem ad Iulianam, seu potius Iulio Augustanam formam accõmodamus, imitantes in hoc Censorinum c. 8. Addemus etiam literas Dominicales, & Feriam kalendarum Ianuarij annis, tum vitiosæ, tum Augustanæ intercalationis, vt vsui esse possint Chronologis. Post canonẽ verò addemus kalendarium desumptum ex marmore Maffeiorum alijsq; fragmentis vetustis, & ex Fastis Ouidij, Columella l. 11. cap. 2. Plinio lib. 18. à c. 26. ad 30. Liuio, Varrone, Plutarcho, Macrobio

cfobio &c. concinnatum opera partim Lilij Gregorij Gyraldi in fine operis de Annis, & Mensibus, partim à nostro Petauio in Vranologio à pag. 102. pro quo videri etiam poteſt Bedas, Aldus Manutius, Io. Rosinus in antiq. Romanis, & Benedictus Arias Montanus libro de Seculis.

TRIPLEX CANON ANNORVM BISSEXTILIVM.

Anni ante Ep. CHRISTI	Anni Iuliani.	Biſſexti ad mentem Iul. Cæſ.	Biſſexti vitioſi de facto.	Litera Dominic.	Feria kal. Ianuar.	Biſsexti Iulio Auguſtani.	Litera Dominic.	Feria kal. Ianuar.
45	1			b	7	B	C b	6
44	2			A	1		A	1
43	3		B	g f	2		g	2
42	4	B		e	4		f	3
41	5			d	5	B	e d	4
40	6		B	c b	6		c	6
39	7			A	1		b	7
38	8	B		g	2		A	1
37	9		B	f e	3	B	g f	2
36	10			d	5		e	4
35	11			c	6		d	5
34	12	B	B	b A	7		c	6
33	13			g	2	B	b A	7
32	14			f	3		g	2
31	15		B	e d	4		f	3
30	16	B		c	6		e	4
29	17			b	7	B	d c	5
28	18		B	A g	1		b	7
27	19			f	3		A	1
26	20	B		e	4		g	2
25	21		B	d c	5	B	f e	3
24	22			b	7		d	5
23	23			A	1		c	6
22	24	B	B	g f	2		b	7
21	25			e	4	B	A g	1
20	26			d	5		f	3
19	27		B	c b	6		e	4
18	28	B		A	1		d	5
17	29			g	2	B	c b	6
16	30		B	f e	3		A	1
15	31			d	5		g	2
14	32	B		c	6		f	3
13	33		B	b A	7	B	e d	4
12	34			g	2		c	6
11	35			f	3		b	7
10	36	B	B	e d	4		A	1
9	37			c	6	B	g f	2
8	38			b	7		e	4
7	39			A	5		d	5
6	40	B		g	6		c	6
5	41			f	3	B	b A	7
4	42			e	4		g	2
3	43			d	5		f	3
2	44	B		c	6		e	4
1	45			b	7	B	d c	5
				A	1		b	7
1	46			g	2		A	1
2	47			f	3		g	2
3	48	B						
4	49			c	4	B	f e	3
5	50			d	5		d	5
6	51			c	6		c	6
7	52			b	7		b	7
8	53		B. Reſumptum	A g	1	B	A g	1

Epochæ Chriſti. Intermiſsum Biſsextum.

KA-

KALENDARIVM ROMANVM CONTRACTVM.

Pars I. pro Numeratione, & Denominatione Dierum Latina, & Antiqua.

	Ianuar.	Febr	Mar.	Apr.	Maij	Iunij	Iulij Quintil	Auguſt. Sextil.	Sept.	Octob.	Nou.	Decēb.
kalendis	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
vi. Nonas	0	0	4	0	2	0	2	0	0	2	0	0
v. Nonas	0	0	3	0	3	0	3	0	0	3	0	0
iv. Nonas	2	2	4	2	4	2	4	2	2	4	2	2
iii. Nonas	3	3	5	3	5	3	5	3	3	5	3	3
Pridie Nonas	4	4	6	4	6	4	6	4	4	6	4	4
Nonis	5	5	7	5	7	5	7	5	5	7	5	5
viii. Idus	6	6	8	6	8	6	8	6	6	8	6	6
vii. Idus	7	7	9	7	9	7	9	7	7	9	7	7
vi. Idus	8	8	10	8	10	8	10	8	8	10	8	8
v. Idus	9	9	11	9	11	9	11	9	9	11	9	9
iv. Idus	10	10	12	10	12	10	12	10	10	12	10	10
iii. Idus	11	11	13	11	13	11	13	11	11	13	11	11
Pridie Idus	12	12	14	12	14	12	14	12	12	14	12	12
Idibus	13	13	15	13	15	13	15	13	13	15	15	13
xix. kalendas	14	0	0	0	0	0	0	14	0	0	0	14
xviii. kal.	15	0	0	14	0	14	0	15	14	0	14	15
xvii. kal.	16	0	16	15	16	15	16	16	15	16	15	16
xvi. kal.	17	14	17	16	17	16	17	17	16	17	16	17
xv. kal.	18	15	18	17	18	17	18	18	17	18	17	18
xiv. kal.	19	16	19	18	19	18	19	19	18	19	18	19
xiii. kal.	20	17	20	19	20	19	20	20	19	20	19	20
xii. kal.	21	18	21	20	21	20	21	21	20	21	20	21
xi. kal.	22	19	22	21	22	21	22	22	21	22	21	22
x. kal.	23	20	23	22	23	22	23	23	22	23	22	23
ix. kal.	24	21	34	23	24	23	24	24	23	24	23	24
viii. kal.	25	22	25	24	25	24	25	25	24	25	24	25
vii. kal.	26	23	26	25	26	25	26	26	25	26	25	26
vi. kal.	27	24	27	26	27	26	27	27	26	27	26	27
Biſsexto kal.	0	24	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
v. kal.	28	25	28	27	28	27	28	28	27	28	27	28
iv. Kal.	29	26	29	28	29	28	29	29	28	29	28	29
iii. Kal.	30	27	30	29	30	29	30	30	29	30	29	30
Pridie Kal.	31	28	31	30	31	30	31	31	30	31	30	31
Menſis ſequentis.												

Excepta prima die, vbi nominantur Kalendæ, intelligendæ ſunt Kalendæ Menſis ſequentis. Vt X. Kalendas in Februario, ſignificat diem 20. Februarij, quia eſt decimus ante Kalendas Martij.

KALENDARIVM ROMANVM cum Feſtis, & Ludis Ethnicorum alijſq; notabilibus.

IANVARIVS.

Dies	
1	Iani feſtum, & Iunonis, & ſacrif. Ioui Æſculapio in inſula Tybris.
4	Votum pro ſalute Principis.
8	Sacrif. Iani.
9	Agonalia & d. 10. media hyems.
11	Carmentalia, Iuturnæ ædes dicata.
12	Compitalia Ioui.
13	Octauius Auguſtus dictus; Prouinciæ in formam redactæ; Tibicines habitu muliebri Vrbem luſtrabant.
15	Carmentalia relata; Porrimæ & Poſtuertæ Sacr.
18	Concordiæ templum à Camillo poſitum.
19	Endotercius & vitioſus dies ex Sen. Conſ.
24	Sementinæ feriæ indici ſolitæ.
27	Caſtori, & Polluci templum ad ſtagnum Iuturnæ.
29	Equiria in Campo Martio.
30	Paci Sacrif.
31	Sacra Dijs penatibus patrijs, & Vrbanis dictis.

FEBRVARIVS.

Dies	
1	Soſpitæ templum dicatum. Lucaria ab Aſyli luco. Ioui Sacrif. bidens.
5	Auguſtus dictus Pater Patriæ.
13	Fauni, & Iouis feſtum. Fabiorum cædes.
15	Lupercalia.
16	Endotercius dies, ſeù intercius.
18	Quirinaliorum ſtultorum feriæ. Fornacalium indictio. Sacra feralia Manibus & Deæ Mutæ.
19	Chariſtia, & ſacra cognatorum.
23	Terminalia, poſtq; Biſſexti locus.
24	Regis frugium.
26	Equiria in Campo Martio.
28	Tarquinij ſuperati.

MARTIVS.

Dies	
1	Matronarum dies feſtus, & Martis Ancyliorum.
6	Veſtæ Sacrum. Auguſt. Pont. Max. factus.
7	Veiouis templum ad duos lucos Aſyli.

12	Equiria apud Tyberim nisi aquæ obstent, alioquin in monte Cœlio.
15	Annæ Perennæ Sacr. C. Cæsaris Parricidium.
17	Liberalia, & Agonia; pueri ingenui togam virilem sumebant.
19	Quinquatria. Mineruæ Natalis; Minerual Magistris solutum.
20	Quinquatria.
21	Quinquatria.
22	Quinquatria.
23	Quinquatria & Tubilustrium.
25	Hilaria, Matris Deum Festa.
27	Matris Deum alijs, & Megalesia Varroni.
30	Iani, Concordiæ, Salutis, Pacis.
31	Lunæ, seu Dianæ sacr. in Auentino.

Dies	APRILIS.
1	Veneris Sacrum, cum floribus. & myrto, item Fortunæ virili.
5	Megalesia Matri Deum, ex Ouidio.
6	Fortunæ publicæ primigeniæ in colle Quirinali.
8	Ludi ob victoriam Cæsaris.
9	Cerealia, Ludi Circenses.
12	Magna Mater Romam adducta.
13	Ioui victori, & Libertati.
15	Fordicidia, seu cædes bouis fordæ.
18	Equiria in Circo Maximo, & vulpium combustio.
20	Palilia Romæ Natalis Varroni, & altera Agonalia.
22	Vinalia priora; Ioui & Veneri.
25	Robigalia.
27	Latinæ Feriæ in monte Sacro.
28	Floralia.
30	Vestæ Palatinæ.

Dies	MAIVS.
1	Laribus præstitibus ara posita. Bonæ Deæ sacra, & Florales Ludi triduo.
9	Lemuria noctu per triduum, & Luminaria.
12	Marti bisultori Sacrum.
15	Argeorum simulachra de ponte in Tyberim deijciebantur. Mercurij natalis; Mercatorum dies festus.
19	Agonia, seu Agonalia, Iano, & Veioui.
22	Vulcani feriæ. Maiæ sacrum. Tubilustrium.
26	Regis frugium alterum.
28	Templum Fortunæ datum.

Dies	IVNIVS.
1	Iunoni Monetæ ædes dicata Carnæ Deæ in Cœlio Montæ, & Marti Sacrum. Tempestati delubrum extra portam Capenam.
4	Bollenæ sacrum Herculi ædes in Circo.
5	Templum Fidei, seu Fidio semipatri.
6	Vertæ Templum dic.
7	Menti Templum dic. Piscatorij Ludi in Campo Martio.
8	Vestæ Sacr. Ara Iouis Piscatoris Asini coronantur.
10	Matralia: Concordiæ ædes Matris Matutæ.
12	Iouis inuicti. Quinquatria Mineruæ.
15	Stercus ex æde Vestæ defertur.
19	Mineruæ in Auentino Sacr.
20	Sumani Sacrum ad Circum max.
22	Flaminius victus à Poenis.
23	Fortis Fortunæ Sacr. Naues coronatæ.
26	Iouis Statoris, & Laris Sacr.
27	Quirini Templum in Colle Quirinali.
29	Herculis, & Mutarum Sacr.
30	Populifugia.

Dies	IVLIVS, olim QVINTILIS.
1	Migratio ex ædibus in alienas ædes conductas.
6	Capitolium incensum sub Sulla.
7	Iunonis Caprotinæ; Ancillarum Festum. Romulus disparuit.
11	Ludi Apollinares.
12	Iulij Cæs. natalis, & hinc nomen mensi.
14	Fortunæ muliebri Templum dic.
15	Castoris, & Pollucis festum Equites Rom. ab æde Honoris equitantur in Capitolium.
18	Clades Allienſis, dies atra.
25	His diebus canes rutilæ sacrificabantur Caniculæ.
28	Neptunalia sub finem mensis.

Dies	AVGVSTI, olim SEXTILIS.
1	Spei festum ad forum Olitorium Marti Templum dic.
3	Feriæ ob victam à Cæsare Hispaniam citer.
5	Saluti Sacrum in Colle Quirinali.
8	Solis indigitis festum in Colle Quirin.
9	Aræ Opis, & Cereris in vico Iugario.
11	Herculi magno custodi in Circo Flamin.
13	Dianæ sacra, cum cursu in nemus Aricinum, & Vortuno festum seruorum, & ancillar.
17	Portunalia ad Pontem Aemylium; Iano Sacr. ad Theatrum. Sabinarum raptus.
18	Consualia.
19	Augusti Imp. mors.
20	Vinalia secunda.
21	Vinalia Rustica ex Varrone.
23	Vulcanalia in Circo Flaminio.
25	Epiconsiuæ in Capitolio.
27	Vulturnalia.
29	Vulcanalia hodie ex Festo.
30	Mundus Cereris patet.
31	C. Cæsaris Germanici Natalis.

Dies	SEPTEMBER.
1	Vulcani Tutela.
2	Augusti victoria Naualis de M. Antonio, & Cleopatra.
8	Titus Vesp. capit Hierosolymam.
13	Præter Max. clauum pangit Capitolium dedicatum.
15	Ludi magni, seu Romani per Quatriduum.
20	Romuli natalis.
23	Augusti natalis.
25	Veneri Sacrum.
30	Epulum Mineruæ, & quo die primum mustum bibebant Metrinæ Medritinalia celeber.

Dies	OCTOBER.
1	Martis Tutela.
4	Mundus Cereris patet *ex Festo*.
15	Mercatores Mercurio Virgilij natalis: sub has dies Marti equus immolabatur, & versus finem mensis Sacrum Liberi, & Vertumni feriæ.

Dies	NOVEMBER.
1	Iouis Epulum hoc mense.
11	Maria clauduntur vsq; ad diem 10. Martij.
16	Ludi plebei per hos dies.
24	Bruma, & Brumalia festa.
27	Dianæ Tutela, & inferiæ Gallis, & Græcis defossis in Foro Boario.

Dies	DECEMBER.
1	Fortunæ muliebris festum translatum.
5	Saunalia.
16	Saturnalia incipiunt, & durant tribus diebus, sed cum sigillarijs septem.
19	Opalia simul cum Saturnalibus.
21	Angeronalia Angeronæ Deæ Herculi, et Cereri.
22	Feriæ, & Ludi Laribus, et Compitalia.
24	Feriæ Iouis, & Laurentinalia.
26	Iuuenales dies, & Ludi.
30	December Saturno sacer, sed Tutelæ Vestæ.

CA-

CAPVT XXIII.

De diuersarum Gentium Annis, & Mensibus; videlicet Aethiopum, Coptitarum, Syrorum, Armenorum, Gallorum, Celtarum, Danorum, Saxonum, Germanorum, Ruthenorum, Moscouitarum, Tartarorum, Sinnensium, Iaponum, Indorum Orientalium, & Occidentalium, Mexici, Peruuij, Chilensisq; Regni.

3 *Aethiopes Abissini, & Coptite* vsi sunt, & hodieq; vtuntur Ægyptiorum anno recentiori, seu Alexandrino dierum 360. & mensibus tricenarijs, addentes in fine anni communis dies 5. vel Bissextilis 6. sed ineunt annum à Decollatione S. Io. Baptistæ, nempe à die 29. Augusti, vt etiam testantur Paulus Episcopus Forosemproniensis in Summa Paulina, & Origanus tomo 1. Ephemer. pag. 38. & Franciscus Aluarez in itinere per Æthiopiam apud Ramusium. Mensium ratio, & nomenclatura recentior est hæc.

Alexandrin. Menses recentiores.	Æthiopum Abissinor. & Elkupti Christianor.	Initia Mensium in Iuliano Anno	Communi.	Bissextili.
Thuth	Matcaram	Augusti	29	30
Pape	Tikmith	Septembris	28	29
Hathur	Hagar	Octobris	28	29
Chiac	Tachsam	Nouembris	27	28
Tube	Tir	Decembris	27	28
Amschir	Iachathith	Ianuarij	26	27
Parmahath	Magabith	Februarij	25	26
Parmude	Miazia	Martij	26	27
Paschun	Ginboth	Aprilis	25	26
Paune	Sene	Maij	25	26
Epip	Hamlt	Iunij	24	25
Mesri	Nahasse	Iulij	24	25
Ei Nisi	Pagomen	Augusti	Prima 24	Intercal 25

2 *Armeni* olim vtebantur forma anni Ægyptij paucis mutatis, de quibus Scaliger lib. 3. pag. 21. sed ab Anno Epochæ Christi 551. vtuntur quidem duodecim Mensibus tricenarijs, cum epactis dierum 5. sed anno Bissextili addunt 6. dies supra 360. & ineunt annum à die 11. Augusti nostri, vt docet Petauius contra Scaligerum. Appendicem autem dierum 5. vel 6. vocant *Aceliacz*. Mensium Armenorum nomina, & initia à dicto Anno 551. sunt huiusmodi *Nauazard* 11. Augusti, *Hori* 10. Septembris, *Sahomi* 10. Octobris, *Dre Thari* 9. Nouembris, *Kagoths* 9. Decembris, *Aracz* 8. Ianuarij, *Malegi* 7. Februarij, *Areki* 9. Martij, *Angi* 8. Aprilis, *Mariri* 8. Maij, *Marcacz* 7. Iunij, *Herodiez* 7. Iulij, & *Aceliacz* 6. Augusti, aut 5.

3 Syri, & Syrogræci, seu Syromacedones, si Petauio adhæremus l. 4. de Doctrina temporum c. 6. olim cum Iudæis anno Lunari vsi sunt, non tamen vulgò Calippica periodo, quæ resedit apud solos Astronomos; post Iulianam autem correctionem Solarem annum receperunt, & Caput anni à Solstitio ad Autumnale Æquinoctium transtulerunt, Iudæos imitati, & Alexandrea Epocha Dhijlkarnaim, seu Aera contractum vsi. Nec Apostoli solùm, eorumq; discipuli nascente Ecclesia, sed etiam Latini Christiani, antequã Alexandrinum Cyclum acceptarint, Iudaicum Cyclum primum, deinde annum Iulianum à die 24. Septembris inibant, & inde vetera Concilia, ac Patres tempora dinumerabant verisimiliter: Scaliger tamen, & cum eo Origanus dicunt Syrogræcos hodieq; annum inire à die 1. Octobris Alphonsini porrò, & reliqui Astronomi Epocham Alexandream adhibentes, vtuntur annis Solaribus Iulianis, vt & plerique Chronologi. De Mensium ordine, ac nominibus videri possunt, Paulus Forosemproniensis Episc. l. 2. qui eorum Calendarium init à die 24. Septembris; vtebantur enim nominibus Iudaicis, seu Syrochaldaicis, & Petauius in Animaduers. ad Epiphanium pag. 387. At verò Albategnius, qui floruit circa Annum CHRISTI 880. in Syria obseruauitq; Stellas Arachtæ, & Antiochiæ, libro de scientia Stellarum cap. 27. & 30. & 32. Mensium Arabicorum, & Persicorum nomina adducit vnà cum Syrocaldaicis, quibus vtitur, sed quantitatem Iulianorum ijs attribuit: ait enim c. 32. *Romanorum autem Mensium nomina, secundùm Græcorum, & Elkupti, seu Coptitarum principia sunt Elul, Zersim primus, Zersim secundus, Kemni primus, Kemni secundus, Subbat verò tribus continuis annis est dierum 28. quarto autem anno 29. & tunc est annus bissextilis; Adhar, Trisan, Hiser, Hontan, Themur, Ab. Omnes ergo anni Romani dies sunt 365. & quarta bissextilis autem 366.* Itaq; *Subbat* respondebat Februario Iuliano, & *Elul* Septembri.

4 *Galli Celtæ Britanni, Saxones, Cymbri, Dani, ac Germani*, si fides habenda est Scaligero l. 2. de emendat. temporum, Bedæ apud ipsum, & Nicolao Mulero de Anno Iudaico c. 1. vsi sunt Anno Lunari dierum 354. sed non merè Lunari, vt Arabes, quidquid dicat Scaliger à Petauio impugnatus l. 2. c. 70. sed subinde intercalationis beneficio dierum 384. Agnouisse enim Cyclum decennoualem populos ad Oceanum Borealem sitos, & ex motu Oceani, seu æstu obseruatum narrat Diodorus Siculus lib. 2. nempe notarũt in Plenilunijs vtriusq; Æquinoctij fieri maiores æstus, quos *Malinas* dixerunt, sicut minores *Ledunas*, vt notat Bedas addens Saxones, & Danos naturalis anni initium sumpsisse à *Malina* Plenilunij autumnalis, licet Ciuiliter à Solstitio hyberno, seu à nocte inter 24. & 25. Decembris; Noctem enim diei præferebant, & loco dierum, noctes numerabant, vt fusiùs docet Cluuerius in Germania Antiqua lib. 1. c. 33. illam verò noctem, quæ erat caput anni vocabant *Modranect*, ideſt *Matrem noctium*. Galli tamen non à Neomenia; sed à prima quadratura initium anni, ac mensium olim auspicati sunt dicente Plinio lib. 16. cap. vlt. de visco, quam Druidæ eligebant: *Ante omnia sexta Luna, quæ principium mensium annorumq; his facit, & seculi post tricesimum annum, quia iam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia.* Cæsar quoq; in Commentarijs affirmat Gallos, Germanosq; vsos anno Lunari, quem tamen non fuisse vagum, sed certa intercalatione anni naturalis, seu Cælestis tempestatibus affixum suadet, inquit Mulerus, vetus appellatio Mensium, vt *Faarmanet*, ideſt mensis nauigationis; *Hoimanet* mensis fœni secandi; & *Trimilchi*, ideſt trinæ mulsionis lactis &c. Tacitus de Germanis refert, eos annum in tres tantum partes diuisisse *hyemem, ver, æstatem*, ignorato autumni nomine, quod Celtis omnibus commune fuisse, & hodieq; in Britannia, vbi nominantur tantummodo *Vvinter* hyems; *Spring* Ver, & *Summer* Æstas aduertit Cluuerius supra deriuans Celtas ab Aschenaze Noemi pronepote, & ibidem ostendit, eos sicut & Slauos diuisisse menses in septimanas. Tandem Menses Saxonum, & Danorum ex Beda à Septembri, seu Aequinoctij autumnalis plenilunio ineuntes, nominabantur ordinatim Saxonum quidem *Halegmonath, Vuinthyr fullith, Blothmonath Giuli*, prior, *Giuli* posterior, *Salmonath, Hethmonath, Thosturmonath Trimilchi, Lida* prior, *Lida* posterior, *Lida* Embolimæus, *Vueidem monath*. Danorum autem, *Fischemaanet, Seemaanet, Slaetmaanet, Christmaanet, Glugmaanet, Bludemaanet, Aormaanet, Faaremaanet, Maimaanet, Hoemaanet, Ornumaanet* Embol. *maanet Hoostmaanet*. Maanet quippe, seu Monath, significat ipsis Mensem, & Lunam.

5 *Ruthenos*, & *Moscouitas* vti Anno prorsus Iuliano dierum 365. & bissextili dierum 366. nominibusq; & quantitate Mensium Romanorũ ait cum Iosepho Scaligero, Origanus parte 1. Ephemeridum c. 2. sed vt ad me scripsit anno 1607. Illustrissimus, ac Reuerendissimus D.D. Theodorus Skuminoroiez Episcopus Gratianopolitanus, & Albæ Russiæ Suffraganeus, Ruteni in Patchate determinando vtuntur Cyclo Alexandrino; sed ille excogitauit ingeniosam methodum, qua salua apparentia Kalendarij veteris, reduci possint ad substantiam Gregoriani Kalendarij; eamq; ad me perscripsit, an autem eam Ruthenis persuaserit, hactenus ignoro.

6 *Tartari*, vt referunt Paulus Venetus l. 2. c. 12. & Scaliger de emend. temp. l. 1. cap. de Anno, Lunarem Annum ineunt à Kalendis Februarij, & intercalant inter eas, & finem Ianuarij noſtri: Diem autem 1. Februarij vocant Feſtum Alborum, quia ſe, & elephantos induunt albis veſtibus.

7 *Indi Orientales* olim annis Lunaribus vtebantur, de quibus Q. Curtius l. 8. ſic: *Menſes in Quindenos deſcripſerunt dies, Anni plena ſpatia ſeruantur, Lunæ curſu notant tempora, non vt pleriq; cum orbem ſidus impleuit, ſed cum ſe curuare cœpit in cornua, & idcirco breuiores habent menſes, qui ſpatium eorum ad hunc Lunæ motum dirigunt.* Scaliger l. 2. emend. temp. cap. de Anno Arabico ſoluto Orbem Lunæ accipit pro Plenilunio, cum poſſit accipi pro Orbe Zodiaci, quem Luna periodico menſe peragit: ſed ſi à prima curuatura in cornu, quæ ante quartum à Synodo diem contingit, vſque ad alteram curuaturam, quæ poſt ſecundam dichotomiam fit, menſem computabant, vtiq; non 15. ſed minimum 18. dies intercedunt; ad anni autem plena ſpatia ſeruãda oporteret menſes in anno fuiſſe 24. quinquaginta dierum, cum appendicibus: Non auſim tamen tedenum meritatis notare Curtium, vt facit Scaliger addens ex litteris Ignatij Patriarchæ Antiocheni ad ſe, Indos Annũ, ac menſes computare à Phaſi illuminationis, et ex Itinerario Nicolai Contij Veneti refert Indos aeram ſuam computare ab Octauiano Cæſare, annumq; CHRISTI 1400. quo Contius ſcribebat, fuiſſe ſecundum Indos 1490. ſed Lunares. Idem tamen Scaliger lib. 5. de Calecutienſium Aera, eos ait computare annos à conditu vrbis Calecut, nempe ab anno Epochæ Chriſti 907. Indorum 984. à Septembri, Hegiræ Mahumetis 297. ſed annos Lunares, ac menſes non à phaſi putare, ſed à Synodo, ſicut reliquos Indos Oriẽtales: Quod confirmat ex Cadamuſto narrante Calecutenſes Anno Domini 1505. conueniſſe ad panegyrim quandam ſolemnem die 25. noſtri Decembris, et eo die Neomeniam computaſſe, quo nimirum accidit Nouilunium medium: ergo non omnes Indi, aut non ſemper à Phaſi, vt ſupra dixerat. Ego in Nicolao de Comitibus latinè reddito, ità de Indis lego: *Annum faciunt duodecim menſium, quos denominant à nominibus 12. Signorum Cæleſtium; Aera eorum diuerſa eſt, maior enim pars ipſorum annos numerat ab Octauiano Imperatore, ſub quo fuit pax vniuerſalis in Mundo, & dicunt annum milleſimum quadringenteſimum nonageſimum, quem nos dicimus milleſimum quadringenteſimum*: Hinc colligitur horum Indorum annos eſse Lunares meros dierũ 354. ſi enim ducti per 1490. faciunt dies 527460. in quibus ſunt anni Romani Iuliani 1444. ab anno 2. Iuliano, quo C. Cæſar occiſus fuit computati, nempe anno 44. ante Epocham Chriſti.

8 *Sinenſium* Annum didicimus ex Maffeo l. 6. hiſt. Ind. Nicolao Trigautio l. 1. hiſtoriæ Sinenſis c. 7. et PP. Auguſtinianis quos abſq; nomine adducit Ioſeph Scaliger l. 2. de emend. temporum titulo de Anno Arabico Maffei verba ſunt: *Annum è Lunaribus periodis duodecim ita conficiunt, vt tertio quoq; anno ad duodecim vnam addant. Principium à Martij menſis Nouilunio auſpicantur: eum diem publica hilaritate concelebrant.* De Neomenia Martij idem aſſerunt dicti Auguſtiniani, addentes omnes Neomenias ibi feſtiuas eſse, ſicut et Plenilunia, ſeq; anno Chriſti 1575. die 20. Auguſti, vtpotè in Plenilunio, exceptos fuiſse ſplendidiſſimo Epulo, et die 3. Septembris Neomeniam celebraſse. Trigautius ait celeberrimũ eſse omnibus Sinis anni recurrentis initium primo Nouilunio, et iterum primo Plenilunio, quæ dicitur feſtiuitas lucernarum, ob accenſas ſinguli in domibus lucernas ingenioſa varietate interpolatas. Sed P. Daniel Bartolus lib. 1. Hiſtoriæ Sinenſis à pag. 60. refert Sinenſes inchoare diem à media nocte, & ad alteram mediam noctem numerare horas 12. æquales, quarum quælibet æquiualet duabus horis Europæis; totum autem diem naturalem diuidi in 100. partes, & quamlibet partẽ in 100. minuta, ita vt dies totus conſtet minutis 10000. *Hebdomadas* conſtare diebus 7. iuxta numerum Planetarum; *Menſes* Lunares eſſe, & alternatim paruos dierum 29. ac magnos dierum 30. *Annum* conſtare Menſibus hiſce 12. ſed quintoquoq; anno intercalatione ſufficienti, Lunarem Annum exæquari Solari Anno, ex obſeruatione Solſtitij hyberni præcognito; *Initium anni* ait eſſe à die intermedio inter Solſtitium hyemale, & Aequinoctium vernum, ideſt à Nouilunio illo, quod eſt propius diei prædictæ, ſeu ingreſſui Solis in 15. gradum Aquarij. Primus menſis dicitur prima Luna, ſecundus ſecunda Luna. Tertius tertia &c. ita dies 10. ſecundi menſis dicitur dies 10. Lunæ ſecundæ, & ſic de cæteris.

9 *Iaponenſium* Annus Lunaris eſt, vt docent Franciſcus Lopez lib. 2. Rerum indicar. cap. 75. Scaliger l. 2. Emend. temp. cap. de anno Arabico, Sacchinus in Hiſtoria Soc. Ieſu par. 3. nu. 115. & Bernardinus Ginnarus in Xauerio Orientali p. 1. l. 1. c. 25. Sed annum Lunarem dierum 354. Emboliſmo interdum faciũt dierum 384. vt initium anni, quod vocant *Sanguan* retineant circa veris initium, quod illi putant incipere à Solis, tranſitu in decimam quintam partem Aquarijs, ideoq; annum ineunt à Nouilunio proximo huic tranſitui, quem ipſi iuxta ſuos canones notant die 7. noſtri Februarij Gregoriani. Narrat verò noſter P. Aloyſius Froes in litteris ex Iaponia datis, ſe illuc aduenisſe Anno Domini 1565. ipſis Kalendis Februarij ipſoq; noui anni initio, fuit enim Nouilunium circa mediam noctem præcedentem, ſed iam Sol tranſierat 22. gradum Aquarij: addit à die 9. primi menſis vſq; ad 15. non licere de morte, aut re triſti mentionem facere.

10 *Mexicanorum* Annus ex Ioſepho Acoſta lib. 6. Hiſtoriæ Indicæ c. 2. Franciſco Lopez Gomara ſupra, & Scaligero l. 3. de Emend. tempor. c. vltimo conſtabat menſibus 18. ſingulis dierum vicenum, adeoq; dierum 360. vt olim Perſarum, reliquos dies quinque anni Solaris Communis in numero dierum anni non habebant, ideoque ceſſantes à ſacrificijs, ſe mutuò inuiſebant, & inebriabant. Annum à die 26. noſtri Februarij inibant, vel, vt ſcribit Petrus Martyr, ab occaſu heliaco Vergiliarum, ideoq; annus hic non videtur fuiſſe ſui initio vagans per omnes anni cæleſtis dies, vt Ægyptius, ſed intercalatione quapiam affixus tempeſtati vernæ, eſto de illis dicat idem Petrus: *Annum menſibus claudunt lunaribus Menſem à Luna nominant Tona; dies autem à Sole Tonaticos; Sol enim eorum idiomate Tonaticus dicitur, alicubi tamen aliter.* Sed Gomara dicit Solem vocari Tonelli; ſicut autem nos hebdomadibus 52. Annum diſtinguimus; ita illi per 13. dies diſtinguebant in partes 28. ſed quia 13. ducti per 28. dies 364. non verò 365. ex annis 13. conſtituerunt periodum minorem, quam quadruplicantes fecerunt Rotam, ſeu Periodum magnam annorum 52. in qua continentur dies 18993. computatis Biſſextilibus, & numerus 13. continetur vicibus 1461. & ſic abſoluto hoc orbe redibant ad idem principium decimatertianæ. Vltima die Rotæ huius ad veſperam frangebant omnia vaſa, & extinguebant omnia lumina expectantes num nocte ſequenti Mundus finiretur, finiturum enim aiebant in fine alicuius talis Rotæ. Sed illuceſſente ſequenti die, læti proſilibant cum feſto tubarum & tympanorum ſono, emptiſq; nouis vaſis, & luminibus à Summo Sacerdote accenſis, ſolemni agmine Templa adibant, gratias agentes Numini, quòd ipſis conceſſiſſet alterum ſeculum, ſecuri Mundum intra annos 52. non finiturum. Addit Gomara, Annum CHRISTI 1551. ab ipſis numerari 1858. ſuæ Epochæ ergo illa inibatur ab anno ante CHRISTVM 306. non 694. vt enormi ſphalmate computat Scaliger, alioquin 694. additi annis 1551. efficerent Mexicanorum annos 2244. Addit Petrus Martyr in Hiſpaniola Inſula Menſes vocari Lunas, & quos nos diceremus tres menſes, illis dici tres Lunas &c.

11 *Peruani*, teſte Ioſepho Acoſta l. 6. Hiſtoriæ Indicæ c. 3. habebant annum conſtantem ex 12. menſibus Lunaribus, ſed reliquos ad Solarem annum dies 11. abſumebant intra illos menſes, inibantq; Annum à Solſtitio hyberno, quod olim accidebat Ianuario, poſtea verò, ob præceſſionem Æquinoctiorum inibant à Decembri. Hoc initium decernebat Rex Ingarum, dictus ob id *Pacacuto*, ideſt Temporum Reformator.

12. Chilenſes denique vt ex noſtris Patribus didici, habent annos Lunares menſium 12. & auſpicantur menſes à prima Lunæ Phaſi.

CAPVT XXIV.

De Anno Arabum, & Mahometanorum.

CONCLVSIO XXIII.

Annus Arabum, Turcarum, & Mahometanorum Ciuilis, est merè Lunaris dierum 354. *& aliquando* 355. *eiusq; initium, vagatur per omnes Iuliani anni dies, nec ad eundem recurrit nisi post annos fere* 30. *Menses autem* 12. *sunt alternatim pleni dierum* 30. *& caui dierum* 29. *inchoanturq; à vespertina prima phasi Lunæ: esto Arabes ante Mahometem Anno Solari Iuliano quondam sint vsi.*

1 DE Anno Arabico, quo Turcæ, Saraceni, Mahometani, & multi Tartarorum vtuntur, tractant in primis Albategnius cap 32. Alfraganus Differentia 1. & in eum Commentator Iacobus Kristmannus in calendario Arabico, & cap. 1. de Rudimentis Astronomicis; Gyraldus lib. de annis, & mensib. pag. 116. Maurolycus opusc. 2. Ioseph Scaliger lib. 2. & 7. de emendat. temporum, Origanus tomo 1. Ephemeridum pag. 36. Nicolaus Mulerus in Tabulis Frisicis pag. 458. Keplerus in Rodulphinis cap. 17. præc. 68. Tabularum pag. 39. & 40. Sed accuratissimè Petauius l. 2. de Doctrina temporum c. 38. & 39. & lib. 4. c. 10. & lib. 7. c. 22. & idem Mulerus in Indice Annorum Arabicorum, & tractatu de Anno Arabico post tractatum de Anno Lunę Solari Iudæorum.

Arabes, Hagarenos & Damascenos vsos esse mensibus tricenarijs, adeoq; anno Solari æquabili colligunt non improbabiliter quidam cum Petauio l. 4. c. 10. eò quòd Simplicius in 5. Physicor. dicat *Arabas, & Damascenos anni principium constituere in Aequinoctio Verno*. Epiphanius autem Hæreli N. Alogorum Mensibus eorum dies 30. tribuat: Scaliger autem addit omnes Orientales edicto Caij Cæsaris recepisse annum Iulianum, tempore autem Epiphanij Vernum Aequinoctium incidebat ciuiliter in diem 22. Martij. Nescio autem vnde Gyraldus hauserit, Arabas annum incipere à Septembri, id enim de Mahometanis falsum est, de Antiquioribus verò Arabibus repugnat Simplicio. Ipse quoq; Scaliger secum pugnat, dum antiquis modò Solarem, modò Lunarem annum attribuit, contra quem plura Petauius supra. Sed reiectis antiquis Arabibus, veniamus ad recentiores, quorum Epocha incœpit Anno CHRISTI 622. vt postea dicemus.

2 Arabum enim horum Annus merè Lunaris est constans 12. Mensibus, Lunaribus ab *Hay*: idest à prima Lunæ phasi vespertina initis, & alternatim dierum 30. & 29. ciuiliter, adeoq; annus ordinarius est dierum 354. Annus verò Abundans dierum 355. nec alia intercalatione vtuntur, ideoque initium Anni Arabici vagatur per omnes anni Solaris Iuliani dies, nec ad eundem diem reuertitur nisi post periodum Arabicam Annorum 30. in qua Periodo anni ordinarij sunt vndeuiginti, reliqui vndecim sunt abundantes per adiectionem vnius diei in fine anni; Sunt autem Abundantes, seu dierum 355. hi. ij. v. vij. x. xiij. xvj. xviij. xxj. xxiv. xxvj. xxix. Etto Scaliger, & Caluisius contra morem Arabum faciant annum trigesimum intercalarem. Reliqui dierum 354. Existimarunt enim Astronomi, Arabum annum Lunarem esse dierum 354. hor. 8. & minut. 48. quæ ducta per 30. efficiunt dies 10631. absque vlla fractione Lunationesq; 30. Cæterùm cum Lunaris annus, vt dixi c. 8. sit dierum 354. hor. 8. minut. 48. sec. 38. Tert. 10. Quart. 6. sequitur annis 95. Arabas vna hora et ampliùs anticipare initium anni sui quàm oporteret, et annis 2280. vno die præuenire Nouilunium. Porrò mense nono Turcæ se macerant ieiunijs, et Neomenia mensis decimi celebrant suum *Beiram*, quod est festum affine nostro Paschati: De erroribus verò quorundam Africanorum ob incertam, vel seriùs animaduersam Lunæ phasim, alijsue de causis, in quos etiã videtur incidisse Leo Africanus apud Ramusium, videndus est Scaliger l. 2. tit. de anno Hegiræ, de qua Hegira esto hic non sit locus Epocharum, anticipatè nobis agendum est, vt simul meliùs intelligatur forma anni Arabici, & eius vsus ex Tabulis mox affeiendis.

3 Epocha Arabum Mohometem sectantium dicta est *Hegira*, vel *Hegirathi* hoc est persecutio, qua exagitatus est Mahometes, seu Muhamedes pseudopropheta, ob nouitatem legis promulgatæ super religione, ac ceremonijs; coactus est enim solum vertere, ac fugere ex *Mecha* vrbe Arabiæ in Ciuitatem *Ietrib*, à qua fuga Mahometani annos numerant, quæ consensu omnium Chronologorum contigit Anno Epochæ Christianæ DCXXII. Mense Iulio. Sed de die est aliqua dissensio. Astronomi enim cum Alfragano, Albategnio, Alphonsinis, & Iordano in praxi Astronomiæ Annos Ismaelitarum, & Turcarum computant ab Idibus, seu die 15. Iulij feria 5. quia in illam incidit verum Nouilunium, sed Arabes ipsi, ac Turcæ, & cum illis Chronologi cum Scaligero, Petauio, Kristmanno, Mulero, & alijs politicè computant à die XVI. Iulij feria 6. inita à vespera præcedente, quia nocte illa, quæ subsecuta est diem 15. fugit ex Mecha, & eadem nocte prima Lunæ Corniculatæ phasis apparuit, à qua proinde Arabes ineunt Neomenias suas, & in fastigijs turrium, ex quibus Lunam nascentem contemplantur, collocant figuram Lunæ Corniculatæ, & feria VI. est illis sacra, sicut Iudæis Sabbatum, & nobis Dominica dies. More tamen Kalendarij Iudaici Nouilunium illud fuit Iulij die 14. hor. 7. scrup. 112. feria 4. sed politicè feria 5. Annus erat Nabonassari 1370. dies 28. koiac. & periodi Iulianæ 5335. à Kalẽdis Ianuarij, sed periodi Iudaicæ 4382. ab Autumno antecedenti. Natus verò erat impurissimus Mahometes anno Christi 570. feria 2. die 12. Rabie prioris, & obijt eadem die eiusdem Mensis, Anno Hegiræ 10. Christi 631. inter 16. & 17. Iunij, vixitq; annos Arabicos solidos 63. ex Chronologo Sarraceno ad calcem Alcorani, & consensu Mahumetanorum, vt asserit Scaliger l. 2. tit. de anno Hegiræ, vbi redarguit scribentes natum esse anno Christi 574. die 21. Septembr. Sahaben 12. feria 2. & mortuum anno 632. Iunij 8. die 12. Rabie prioris feria 2. notat etiam Leonem Africanum, qui licet rectè dicat Mahometem natum die 12. Rabie prioris, ideoq; Gazzulos gentem Libyæ nundinas suas ab hoc die inire, malè tamen ait se his nundinis interfuisse anno Hegiræ 920. Christi 1511. cùm debuerit dicere 1514. & alibi ferè semper erret in comparatione annorum Christi, & Hegiræ. Io. Lucidus, & Gerardus Mercator initium Hegiræ ponunt anno 621. Epochæ Christi, sed erroncè.

4 Porrò quamuis ordinariè primus mensis Arabum, & reliqui disparis numeri sint pleni dierumq; 30. reliqui autem caui dierum 29. exceptis annis abbundantibus, *in* quibus vltimus mensis est dierum 30. aliquando tamen extraordinariè faciunt Turcæ aliquos menses ex plenis cauos, aut ex cauis plenos, ideoque vno alteroue die dissentit calculus ex Tabulis infra dandis deductus à praxi Turcarum, cuius causam ignorare se fatetur Mulerus Opusc. de anno Arabico, sed eam confirmat ex kalendario Turcico misso à D. Cornelio Haga Ordinum Belgij Legato in aula Turcica, & collocato cum nostro anno Iuliano, ex quo infrascripta decerpta sunt.

Anno Hegiræ 1027.	Mensis fuit dierum	Mensis inijt stylo Iuliano		Feria initiali.	Anno Christi 1618.
Zilkaade	30	Octob.	10	7	
Zilhigge	30	Nouemb.	9	1	
An. Hegiræ 1028					
Muharrem	29	Decembr.	9	4	
Sefer	30	Ianuar.	7	5	Anno Christi 1619.
Rabiul-*evvel*	29	Februar.	6	7	
Rabiul-*achir*	29	Mart.	7	1	
Gimnasil-*evvel*	30	April.	5	2	
Gimnasil-*achir*	29	Maij	5	4	
Regeb	29	Iunij	3	5	
Schaaban	30	Iulij	2	6	
Ramazaan	30	Aug.	1	1	
Schevvaal	29	Aug.	31	3	
Zilkaade	30	Sept.	29	4	
Zilhigge	29	Octob.	29	6	
Natalis Mahometi Æquinoctium Muharrem anni 1029	Calc. Turc.	Febr.	17	4	
		Martij	11	5	
		Nouemb.	27	7	

CONCLVSIO XXIV.

Quamuis Astronomi Annos Arabicos Hegiræ idest persecutionis ob nouam superstitionem, ob quam Mahometes fugit ex Mecha Anno Epochæ Christianæ 622. computent à die 15. Iulij in quam incidit Nouilunium; Chronologi tamen cum Turcis & reliquis Mahometanis computant politicè à prima phasi Lunæ diei 16. Iulij inchoata iam ab Occasu Solis præcedente feria sexta, quia illa nocte Pseudopropheta ille fugit ex Mecha.

4 SVpereſt vt ex Epocha, & elementis anni Arabici ſupra explicatis exhibeamus VI. Tabulas pro mutua conuerſione Annorum, Menſium & Dierum Epochæ CHRISTI, & Hegiræ Arabum.

I. Tabula continet menſes Arabicos, duplicemque eorum nomenclaturam, & numerum dierum ſingulo menſi conuenientium, nec non dierum collectorum ab initio anni ad finem cuiuſque menſis, ac tandem menſem diem, ac feriam Anni CHRISTI 622 & 623. quibus incœperunt menſes Arabici anni primi Hegiræ.

II. Tabula in parte ſiniſtra habet annos Iulianos, cum Arabicis, quos Iuliani continent, et diebus horiſq; quibus Iuliani excedunt Arabicos, et cum ferijs à quibus ineunt anni Arabici. Vbi autem additur hæc nota *ab.* indicium eſt anni Arabici *abundantis* ciuiliter. Tabulæ tamen columna ſecunda continet annos, et dies, et horas conflatas ex annis Aſtronomici. *Exempli gratia*, anni duo Iuliani continent annos Arabicos 2. et præterea dies 21. et horas 18. quia duo anni Solares continent dies 730. et horas proximè 12. duo autem Lunares anni dies 708. horaſq; ferè 18. qui ſubtracti diebus 730. horiſq; 12. relinquunt dies 21. h. 18. In quarta verò columna ſunt feriæ, à quibus ineunt anni Arabici. At in dextra parte Tabulæ ſunt anni Arabici abſoluti, et per tricenarios collecti, cum ferijs in quas deſinunt. *Exempli gratia*, annus 30. Arabicus deſinit, in feriam 5. qui ex ſiniſtra parte Tabulæ incœpit à feria 7.

III. Tabula continet in priore columna annos Epochæ CHRISTI, in quorum die 15. Iulij completi ſunt Arabici anni, in columna poſteriore adnotati, cum diebus et horis ad ſequentem annum Arabicum ſpectantibus. *Exempli gratia*. Anno Chriſti 652. die 15. Iulij ad occaſum Solis completi fuerunt Arabici anni 30. et præterea de anno 31. tranſierant dies 326. ac horæ 12.

IV. Tabula continet ſexagenas annorum Arabicorum abſolutorum anno CHRISTI adnotato, et die à Kalendis Ianuarij Iuliani numerato, quem diem exponit Tabula V. de qua mox. *Exempli gratia* annus 60. Hegiræ completus fuit anno Chriſti 680. die 273. à Kalendis Ianuarij incluſiuè, hoc eſt die 29. Septembris, quare die 30. Septembris incœpit annus Hegiræ 61. Parſ. 2. Tabulæ IV. continet annos Arabicos cum defectu dierũ per *m.* vel exceſſu per *pl.* notato, quibus ſuperantur à totidem Romanis, vel eos ſuperant.

V. Tabula continet dies collectos anni Iuliani, quibus ſub titulo menſis congrueuti reſpondet dies talis menſis in ſiniſtima columnella, ſi annus eſt Biſſextilis, vel in ſecunda, ſi eſt communis. *Exempli gratia*. Diei 273. quæ eſt in columna Septembris, procedendo Siniſtrorſum reſpondet Septembris dies 29. in anno Biſſextili, ſed 30. in anno Communi.

VI. Tabula, continet annos Hegiræ ab anno 757. vſque ad 1086. cum annis CHRISTI more Iuliano, et diebus menſium, ac ferijs, in quibus incœperunt anni Hegiræ.

TABVLA I. Anni primi Hegiræ, qui incœpit Anno Chriſti 622.

Ordo	Menſium Arabica	Nomina Turcica	Dier.	Dies Coll.	Incunt. M.	D	Feria
I	Muharram	Muharram	30	30	Iul.	16	6
II	Suphar	Sefer	29	59	Aug.	15	1
III	Rabie 1.	Rabiul-euuel	30	89	Sept.	13	2
IV	Rabie 2.	Rabiul-achir	29	118	Oct.	13	4
V	Giumadi 1	Gimaasil-euuel	30	148	Nou.	11	5
VI	Giumadi 2	Gimaasil-achir	29	177	Dec.	11	7
VII	Regiab	Regeb	30	207	Ian.	9	1
VIII	Sahaben	Sahaaban	29	236	Feb.	8	3
IX	Ramadhan	Ramazan	30	266	Mart.	9	4
X	Schevval	Scherrail	29	295	April.	8	6
XI	Dulkaiadath	Zilkaade	30	325	Maij.	7	7
XII	Dulkagiadath	Zilkigge	29	354	Iun.	5	1
	in anno abundanti		30	355			

TAB. II. Annorum Arabicorum.

Anni Iuliani.	Anni Arab. & D	H		Feriæ.	Anni Arab. abſoluti.	Feriæ
i.	1	10	21	6	30	5
ii.	2	21	18	ab 3	60	3
iii.	3	32	16	1	90	1
iv.	4	43	13	5	120	6
v.	5	54	10	ab 2	150	4
vi.	6	65	7	7	180	2
vii.	7	76	4	ab 4	210	7
viii.	8	87	2	2	240	5
ix.	9	97	23	6	270	3
x.	10	108	20	ab 3	300	1
xi.	11	119	17	1	330	6
xii.	12	130	14	5	360	4
xiii.	13	141	12	ab 2	390	2
xiv.	14	152	9	7	420	7
xv.	15	163	6	4	450	5
xvi.	16	174	3	ab 1	480	3
xvii.	17	185	0	6	510	1
xviii.	18	195	22	ab 3	540	6
xix.	19	206	18	1	570	4
xx.	20	217	16	5	600	2
					630	7

Reſi-

Residuum Tabulæ II.

Anni Iuliani.	Anni Arab.	& D	H		Feriæ.	Anni Arab. absoluti.	Feriæ
xxi.	21	228	13	ab	2	660	5
xxii.	22	239	10		7	690	3
xxiii.	23	250	7		4	720	1
xxiv.	24	261	5	ab	1	750	6
xxv.	25	272	2		6	780	4
						810	2
xxvi.	26	282	23	ab	3		
xxvii.	27	293	20		1	840	7
xxviii.	28	304	17		5	870	5
xxix.	29	315	15	ab	5	900	3
xxx.	30	326	12		7	930	1
						960	6
						990	4
						1020	2
						1050	7
						1080	5
						2010	3
						2040	1
						2070	6
						3000	4

TAB. III. Annor. Coll.

An. Christi labent	Anni Arabi Completi die 15. Iulij cum An.	D.	H.
622	0	0	0
652	30	326	12
682	61	298	15
712	92	270	18
742	123	242	21
772	154	215	0
802	185	187	4
832	216	159	7
862	247	131	10
892	278	103	13
922	309	75	17
952	340	47	20
982	371	19	23
1012	401	346	11
1042	432	318	14
1072	463	290	17
1102	494	262	20
1132	525	235	0
1162	556	207	3
1192	587	179	6
1222	618	151	10
1252	649	123	13
1282	680	95	16
1312	711	67	19
1342	742	39	22
1372	773	12	2
1402	803	338	13
1432	834	310	17
1462	865	282	20
1492	896	254	23
1522	927	227	2
1552	958	199	5
1582	989	171	9
1612	1020	143	12
1642	1051	115	15
1672	1082	87	18
1702	1113	59	22
1732	1154	32	0
1762	1185	4	3
1792	1215	330	15
1822	1256	302	18
1832	1287	174	21
1862	1318	147	0
1892	1349	119	3
1922	1380	91	6

TAB. IV.

Anni Hegiræ	Anni Christi current. à Calend. Ianuarij.		
Collecti	Anni	plus	Dies
60	680	pl.	273
120	738	pl.	351
180	797	pl.	63
240	855	pl.	141
300	913	pl.	218
360	971	pl.	296
420	1030	pl.	8
480	1088	pl.	85
540	1146	pl.	163
600	1204	pl.	240
660	1262	pl.	318
720	1321	pl.	30
780	1379	pl.	108
840	1437	pl.	185
900	1495	pl.	263
960	1553	dl.	340
1020	1612	pl.	53
1080	1670	pl.	130

TAB. IV. pars 2.

Anni Arabum expansi.		
Anni	Minus	Dies
1	m.	11
2	m.	22
3	m.	33
4	m.	44
5	m.	56
6	m.	66
7	m.	76
8	m.	87
9	m.	98
10	m.	109
11	m.	120
12	m.	131
13	m.	141
14	m.	153
15	m.	164
16	m.	174
17	m.	185
18	m.	196
19	m.	207
20	m.	218
21	m.	228
22	m.	240
23	m.	251
24	m.	261
25	m.	272
26	m.	283
27	m.	294
28	m.	305
29	m.	315
30	m.	327

Arabum.	Romanorum Anni		Dies
Anni	Pl. plus	m. minus	
31	30	pl.	27
32	31	pl.	17
33	32	pl.	6
34	33	m.	5
35	34	m.	16
36	35	m.	27
37	36	m.	37
38	37	m.	48
39	38	m.	60
40	39	m.	70
41	40	m.	81
42	41	m.	92
43	42	m.	103
44	43	m.	114
45	44	m.	125
46	45	m.	135
47	46	m.	171
48	47	m.	157
49	48	m.	168
50	49	m.	179
51	50	m.	190
52	51	m.	201
53	52	m.	212
54	53	m.	222
55	54	m.	234
56	55	m.	244
57	56	m.	255
58	57	m.	266
59	58	m.	277
60	59	m.	288

TAB. V. Dierum collectorum Anni Iuliani Communis, & Bissextilis.

Bissext.	Commun.	Ianuar.	Februar.	Martius.	Aprilis.	Maius.	Iunius.	Iulius.	Augustus.	Septēber.	Octōber.	Nouēber.	Decēber.
	1	1	32	60	91	121	152	182	213	244	274	305	335
1	2	2	33	61	92	122	153	183	214	245	275	306	336
2	3	3	34	62	93	123	154	184	215	246	276	307	337
3	4	4	35	63	94	124	155	185	216	247	277	308	338
4	5	5	36	64	95	125	156	186	217	248	278	309	339
5	6	6	37	65	96	126	157	187	218	249	279	310	340
6	7	7	38	66	97	127	158	188	219	250	280	311	341
7	8	8	39	67	98	128	159	189	220	251	281	312	342
8	9	9	40	68	99	129	160	190	221	252	282	313	343
9	10	10	41	69	100	130	161	191	222	253	283	314	344
10	11	11	42	70	101	131	162	192	223	254	284	315	345
11	12	12	43	71	102	132	163	193	224	255	285	316	346
12	13	13	44	72	103	133	164	194	225	256	286	317	347
13	14	14	45	73	104	134	165	195	226	257	287	318	348
14	15	15	46	74	105	135	166	196	227	258	288	319	349
15	16	16	47	75	106	136	167	197	228	259	289	320	350
16	17	17	48	76	107	137	168	198	229	260	290	321	351
17	18	18	49	77	108	138	169	199	230	261	291	322	352
18	19	19	50	78	109	139	170	200	231	262	292	323	353
19	20	20	51	79	110	140	171	201	232	263	293	324	354
20	21	21	52	80	111	141	172	202	233	264	294	325	355
21	22	22	53	81	112	142	173	203	234	265	295	326	356
22	23	23	54	82	113	143	174	204	235	266	296	327	357
23	24	24	55	83	114	144	175	205	236	267	297	328	358
24	25	25	56	84	115	145	176	206	237	268	298	329	359
25	26	26	57	85	116	146	177	207	238	269	299	330	360
26	27	27	58	86	117	147	178	208	239	270	300	331	361
27	28	28	59	87	118	148	179	209	240	271	301	332	362
28	29	29	60	88	119	149	180	210	241	272	302	333	363
29	30	30	61	89	120	150	181	211	242	273	303	334	364
30	31	31		90	121	151	182	212	243	274	304	335	365
31				91		152		213	244		305		366

TAB. VI. Annorum Hegiræ Incuntium Annis CHRISTI Iulianis.

Anni Arabū.	Anni Christi.	D	Feria.	Anni Arabū.	Anni Christi.	D	Feria.	Anni Arabū.	Anni Christi.	D	Feria.
757	1356 Ianu.	5	3	777	1375 Iunij	2	7	797	1394 Octob.	27	3
758	1356 Dec.	25	1	778	1376 Maij	21	4	798	1395	16	7
759	1357	14	5	779	1377	10	1	799	1396	5	5
760	1358	3	2	780	1378 Apr.	30	6	800	1397 Sept.	24	2
761	1359 Nou.	23	7	781	1379	19	3	801	1398	13	6
762	1360	11	4	782	1380	7	7	802	1399	3	4
763	1361 Octob.	31	1	783	1381 Mart.	28	5	803	1400 Aug.	22	1
764	1362	21	6	784	1382	17	2	804	1401	11	5
765	1363	10	3	785	1383	6	6	805	1402	1	3
766	1364 Sept.	28	7	786	1384 Febr.	24	4	806	1403 Iulij	21	7
767	1365	18	5	787	1385	12	1	807	1404	10	5
768	1366	7	2	788	1386	2	6	808	1405 Iunij	29	2
769	1367 Aug.	28	7	789	1387 Ian.	22	3	809	1406	18	6
770	1368	16	4	790	1388	11	7	810	1406	8	4
771	1369	5	1	791	1388 Dec.	31	5	811	1408 Mai.	27	1
772	1370 Iulij	26	6	792	1389	20	2	812	1407	16	5
773	1371	15	3	793	1390	9	6	813	1410	6	3
774	1372	3	7	794	1391 Nou.	29	4	814	1411 Apr.	25	7
775	1373 Iunij	23	5	795	1392	17	1	815	1412	13	4
776	1374	12	2	796	1393	6	5	816	1413	3	2

Resi-

TAB. IV. Residuum.

Anni Arabū.	Anni Christi.	D	Feria.
817	1414 Mart.	23	6
818	1415	13	4
819	1416	1	1
820	1417 Febr.	18	5
821	1418	8	3
822	1419 Ian.	28	7
823	1420	17	4
824	1421 Ian.	6	2
825	1421 Dec.	26	6
826	1422	15	3
827	1423	5	1
828	1424 Nou.	23	5
829	1425 Nou.	13	3
830	1426	2	7
831	1427 Octob.	22	4
832	1428	11	2
833	1429 Sept.	30	6
834	1430	19	3
835	1431	9	1
836	1432 Aug.	28	5
837	1433	18	3
838	1434	7	7
839	1435 Iulij	27	4
840	1436	16	2
841	1437	5	6
842	1438 Iunij	24	3
843	1439	14	1
844	1440	2	5
845	1441 Maij	22	2
846	1442	12	7
847	1443	1	4
848	1444 Apr.	20	2
849	1445	9	6
850	1446 Mart.	29	3
851	1447	19	1
852	1448	7	5
853	1449 Feb.	24	2
854	1450	14	7
855	1451	3	4
856	1452 Ian.	23	1
857	1453	12	6
858	1454	1	3
859	1454 Dec.	22	1
860	1455	11	5
861	1456 Nou.	29	2
862	1457	19	7
863	1458	8	4
864	1459 Octob.	28	1
865	1460	17	6
866	1461	6	5
867	1462 Sept.	26	1
868	1463	15	5
869	1464 Sept.	3	2
870	1465 Aug.	24	7
871	1466	13	4
872	1467	2	1
873	1468 Iulij	22	6
874	1469	11	3
875	1470 Iunij	30	7
876	1471	20	5
877	1472	8	2
878	1473 Maij	29	7
879	1474	18	4
880	1475	7	1
881	1476 Apr.	26	6
882	1477	15	3
883	1478	4	7
884	1479 Mart.	25	5
885	1480	13	2
886	1481	2	6
887	1482 Feb.	20	4
888	1483	9	1
889	1484 Ian.	30	6
890	1485	18	3
891	1486	7	7
892	1486 Dec.	28	5
893	1487 Dec.	17	2
894	1488	5	6
895	1489 Nou.	25	4
896	1490	14	1
897	1491	4	6
898	1492 Octob.	23	3
899	1493	12	7
900	1494	2	5
901	1495 Sept.	21	2
902	1496	9	6
903	1497 Aug.	30	4
904	1498	19	1
905	1499	8	5
906	1500 Iulij	28	3
907	1501	17	7
908	1502	7	5
909	1503 Iunij	16	2
910	1504	14	6
911	1505	4	4
912	1506 Maij	24	1
913	1507	13	5
914	1508	2	3
915	1509 Apr.	21	7
916	1510	10	4
917	1511 Mart.	31	2
918	1512	19	6
919	1613	9	4
920	1514 Febr.	26	1
921	1515	15	5
922	1516	5	3
923	1517 Ian.	24	7
924	1518	13	4
925	1519 Ian.	3	2
926	1519 Dec.	23	6
927	1520	12	4
228	1521	1	1
929	1522 Nou.	20	5
930	1523	10	3
931	1524 Octob.	29	7
932	1525	18	4
933	1526	8	2
934	1527 Sept.	27	6
935	1528	15	3
936	1529	5	1
937	1530 Aug.	25	5
938	1531	15	3
939	1532	3	7
940	1533 Iulij	23	4
941	1534 Iulij	13	2
942	1535	2	6
943	1536 Iunij	20	3
944	1537	10	1
945	1538 Maij	30	5
946	1539	19	2
947	1540	8	7
948	1541 Apr.	27	4
949	1542	17	2
950	1543	6	6
951	1544 Mart.	25	3
952	1545	15	1
953	1546	4	5
954	1547 Feb.	21	2
955	3548	11	7
956	1549 Ian.	30	4
957	1550	20	2
958	1551 Dec.	9	6
959	1551	29	3
960	1552	18	1
961	1553	7	5
962	1554 Nou.	26	2
963	1555	16	7
964	1556	4	4
965	1557 Octob.	24	1
966	1558	14	6
967	1559	3	3
968	1560 Sept.	22	1
969	1561	11	5
970	1562 Aug.	31	2
971	1563	21	7
972	1564	9	4
971	1565 Iulij	29	1
974	1566	19	6
975	1567	8	3
976	1568 Iunij	6	7
977	1569	16	5
978	1570	5	2
979	1571 Maij	26	7
980	1572	14	4
981	1573	3	1
982	1574 Apr.	23	6
983	1575	12	3
984	1576 Mar.	31	7

TAB. IV. Residuum.

Anni Arabū.	Anni Christi.	D	Feria.
985	1577	21	5
986	1578	10	2
987	1579 Feb.	28	7
988	1580	17	4
989	1581 Feb.	5	1
990	1582 Ianu.	26	6
991	1583	15	3
992	1584	4	7
993	1584 Dec.	24	5
994	1585	13	2
995	1586	2	6
996	1587 Nou.	22	4
997	1588	10	1
998	1589 Octob.	31	6
999	1590	20	3
1000	1591	9	7
1901	1592 Sept.	28	5
1002	1593	17	2
1003	1594	6	6
1004	1595 Aug.	27	4
1005	1596	15	1
1006	1597	4	5
1007	1598 Iulij	25	3
1008	1599	14	7
1009	1600	3	5
1010	1601 Iunij	22	2
1011	1602	11	6
1012	1603	1	4
1013	1604 Maij	20	1
1014	1605	9	5
1015	1606 Apr.	29	3
1016	1607	18	7
1017	1608	7	5
1018	1609 Mart.	27	2
1019	1610	16	6
1020	9611	6	4
1021	1612 Febr.	23	1
1022	1613	11	5
1023	1614	1	3
1024	1615 Ian.	21	7
1025	1616	10	4
1026	1616 Dec.	30	2
1027	1617	19	6
1028	1618	9	4
1029	1719 Nou.	28	1
1030	1620	16	5
1031	1621	6	3
1032	1622 Octob.	26	7
1033	1623	15	4
1034	1624	4	2
1035	1625 Sept.	23	6
1036	1626	12	3
1037	1627	2	1
1038	1628 Aug.	21	5
1039	1629	11	3
1040	1630 Iulij	31	7
2041	1631	20	4
1042	1632	9	2
1043	1633 Iunij	28	6
1044	1634	17	3
1045	1635	7	1
1046	1636 Maij	26	5
1047	1637	16	3
1048	1738	5	7
1049	1639 Apr.	24	4
1050	1640	13	2
1051	1641	2	6
1052	1642 Mart.	22	3
1053	1643 Mart.	12	1
1054	1644 Febr.	29	5
1055	1645	17	2
1056	1646	7	7
1057	1647 Ianu.	27	4
1058	1648	17	2
1059	1649	5	6
1060	1649 Dec.	25	3
1061	1650	16	1
1061	1651 Dec.	4	5
1063	1652 Nou.	22	2
1064	1653	12	7
1065	1654	1	4
1666	1655 Octob.	21	1
1067	1656	10	6
1068	1657 Sept.	29	3
1069	1658	19	1
6070	1659	8	6
1071	1660 Aug.	27	2
1072	1661	17	3
1073	1662	6	4
1074	1663 Iulij	26	1
1075	2664	15	6
1076	1665	4	3
1077	1666 Iunij	24	1
1078	1667	13	5
1079	1668	1	2
1080	1669 Maij	22	7
1081	1670	11	4
1082	1671 Apr.	30	1
1083	1672	19	6
1084	1673	8	3
1085	1674 Mart.	28	7
1086	1675	18	5

VSVS TABVLARVM.

CANON I.

Dato die mensis in Anno Iuliano, scire quotus sit dies à Kalendis Ianuarij computatus; & vicissim dato numero dierum à Kal. Ianuarij computato, scire quotus, & cuius mensis dies sit.

SI annus est Bissextilis, quære numerum dierum datum in prima columnella Tabulæ V. nam procedendo versus dexteram, sub mensis dati nomine, reperies dies à kal. collectos; at si annus est Communis, quære numerum dierum datum in 2. columnella, & reliqua fac vt supra. *Exempli* gratia detur *Iulij* dies 15. anno Christi 624. qui fuit Bissextilis; diei enim 15. in prima columnella notato; sub *Iulio* mense respondent dies 197 at si annus fuisset 623. & communis diei 15. in secunda columnella respondent dies 196. Sic vicissim si datus sit dies collectus 196. hic repertus in columna insignita nomine *Iulij* respondet diei 15. si annus sit communis, sed diei 14. Si Bissextilis, ergo dies 196. à Kalendis Ianuarij inclusiuè numeratus, est dies Iulij 15. in anno communi; sed 14. in Bissextili.

CANON II.

Dato Arabici mensis die scire quotus sit dies à Neomenia Muharram computatus, & vicissim, dato numero dierum à dicta Neomenia computato, scire quotus, & cuius mensis Arabici dies sit.

INspice Tabulam I. & præcedentis mensis diebus collectis, adde dies mensis dati: summa enim dabit dies à Neomenia Muharram computatos. *Exempli* gratia detur dies 21. *Regiab.* hunc præcedit *Giumadi* posterior, cui respondent dies collecti 177. adde his 21. fiunt dies 198. à Neomenia Muharram inclusiuè computati. At si dentur dies collecti subtrahe illis proximè minores collectos, & residuum dabit dies mensis subsequentis illum cuius collectos subtraxisti. *Exempli* gratia. Dentur dies collecti 198. nam summa dierum collectorum proximè minor in I. Tabula est 177. & hæc respondet mensi *Giumadi* posteriori demptis ergo 177. summæ 198. restat dies 21. Mensis sequentis, idest *Regiab.*

CA-

CANON III.

Datis Annis Hegiræ, discernere Annos communes dierum 354. *ab abundantibus dierum* 355.

SI anni Hegiræ non excedunt 30. Tabula II. in columnella tertia per notam *ab.* indicabit annos *abundantes*, reliqui enim sunt communes; At si anni dati excedunt 30. his abiectis quoties potes, cum residuo operare vt supra. *Exempli* gratia, detur annus 21. Hegiræ, vel 141. quia ab annis 141. possunt abijci quater anni 30. idest 120. & remanent 21. vterque annus nempe 21. & 141. Hegiræ est *abundans*, & ciuiliter dierum 355.

CANON IV.

Dato Anno Hegiræ, scire Feriam, à qua incæpit, seu in quam incidit prima dies primi mensis Muharram.

INspice Tabulam II. Nam si annus non excedit 30. habebis optatam Feriam in quarta columnella siniſtræ partis; at si annus excedit 30. summe ex dextra parte annos absolutos proximè minores, cum feria, in qua sunt absoluti; & cum residuis annis quære, vt supra feriam initialem; aggregatum enim harum feriarum dabit feriam optatam, nisi excedat 7. alioquin abiectis 7. residuum dabit optatam feriam. *Exempli* gratia; annus Hegiræ sit 804. summa proximè minor in dextra parte Tabulæ II. est 780. huicq; respondet feria 4. deme annis 804 annos 780. restant anni 24 quibus in priori parte respondet feria 1. aggregatum feriarum est 5. ergo annus Hegiræ 804. initium sumpsit à feria quinta.

Quod si annus Hegiræ datus non sit minor annis 757. nec maior annis 1069 in Tabula VI habebis non solum feriam, sed etiam annum Christi, & dies mensis Iuliani, à qua inijt datus annus Hegiræ: vt in exemplo allato, è regione anni Arabici 804. habebis annum Christi 1401. in cuius Augusti die 11. feria 5. incœpit annus 804.

CANON V.

De Anno Hegiræ non minore Annis 757. *nec maiore Annis* 1069. *Scire quo CHRISTI Anno, quoue Mensium Iulianorum die, & qua Feria incæperit, ac desierit Annus Hegiræ.*

COnsule Tabulam VI. in ea enim statim reperies initium anni Arabici dati, & initium anni sequentis, cuius præcedenti die desijt annus antecedens datus. *Exempli* gratia. Annus Arabicus 757. incœpit CHRISTI anno 1356. Ianuarij die 5. feria 3. annus autem subsequens 758. incœpit anno eodem 1356. Decembris 25. feria 1. ergo annus 757. desijt die 24. Decembris feria 7.

CANON VI.

Dato quouis Anno Hegiræ scire Annum Epochæ CHRISTI, diemq; mensis Iuliani, à quo incæpit, & in quem desijt Annus Hegiræ datus.

COnsule Tabulam IV. & si annus datus sit in priore eius parte in prima columna, habebis in secunda columna annum Christianæ Epochæ, & diem à Calendis Ianuarij Iuliani numeratum, in quo desijt, annus Hegiræ datus; quotus autem sit hic dies, & cuius mensis Iuliani, disces per Canonem I. ex Tabula V. si numerus dierū à Calendis Ianuarij computatus excedit numerum dierum anni Arabici ordinarij, vel abundantis, idem annus Hegiræ incœpit eodem Christi anno, & subtractio minoris à maiore dabit diem qui vnitate auctus fuit initium anni Hegiræ. At si dies à Calendis Ianuarij pauciores sint diebus debitis anno Arabico, subtrahendi sunt illi, & residuum subtractum diebus 364. dabit *initium* anni Hegiræ *in* anno præcedenti Iuliano.

I. *Exemplum* annus Hegiræ 120. in Tab. IV. desijt anno Christi 738. die 351. à Calendis Ianuarij, qui per Tabulā V. est dies 17. Decembris, annus verò 120. Arabicus, est ordinarius dierum 354. quibus si demas 351. restant dies 3. & hi subtrhacti diebus 364. relinquunt diem 361. à Calendis Ianuarij anni Christi 737. in quo incœpit annus 120. Heg.

At si annus datus non est in Tabula IV. sume proximè minorem cum annis Christi, & diebus illi congruentibus, & ex 2. parte Tabulæ IV. sume residuos, annos Arabicos cum annis Romanis, & diebus adnotatis, & iunge simul annos Christi, ac Romanos; itemq; dies si vtrisq; adiacent *plus* habebis enim & annum Christi, & diem à Calendis Ianuarij, in quo desijt annus ordinarius Hegiræ, nam si est abundans, desinit die sequenti, quod si summa dierum excedat 365. aut in Bissextili 366. finis anni Arabici cadit in annum sequentem Christi. Quando autem dierum numero adiacet nota vtrisque *mi.* vel vni m. alteri *pl.* quid agendum exemplis melius declarabitur.

I. EXEMPLVM Leunclauius in Historia Turcica affert diploma Sultani Amurathæ datum anno 991. Hegiræ die 27. mensis *Zilhigge*: Quæritur quo anno Christi desierit, & quo die prædictus annus Sic autem stabit paradigma anno igitur 1584. (quia dies 367. annum vulianum faciunt) dieque 2. à Calendis Ianuarij desijt annus Hegiræ 991. si fuit ordinarius, si autem abundans desijt die 3. Ianuarij. At Leunclauius indicat, & consensit Keplerus præc. 68. Rudolphinarum, diem 27. *Zilhigge* fuisse 1. Ianuarij, ergo dies 29. incidit in 3. Ianuarij, & annus fuit quidem abundans, sed die alibi adiecto iuxta praxim indicatam supra nu. 4. At quia annus Hegiræ 992. incæpit die 4. Ianuarij, vt habet Mulerus, & Scaliger l. 7. Emend. Temp. pag. mihi 765. putat Scaliger Io. Leunclauium errasse, & pro die 28. posuisse 27. Zilhigge.

Annus Arab.	Ann. Chri.
960	1513 pl. 340
31	0 pl. 27
991	1583 —— 367
	1584 —— 2

2. EXEMPLVM. Leunclauius in Historia Turcica refert *Constantinopolim oppugnari cœptam à Turcis anno Hegiræ* 857. *die* 17. *Rebiul-evvel* & tandem *captam die* 20. *Mensis Gimaasil-evvel die Martij manè*. At Patriarcha Constantinopolitanus ait accidisse anno Christi 1453. die 29. Maij die Martis, seù feria 3. diluculo. Scaliger autem cum alijs lib. 2. Emend. temporum dubitat num anno 1453. an verò 1452. capta sit, productis vtrimque argumentis, nec se satis extricat. Nos cum Mulero dirimimus litem hac methodo ex Tabula VI, & V. & inuestigando finem anni Hegiræ præcedentis idest 856. Hunc enim reperimus desijsse anno Christi 1453. die 11. Ianuarij, adeoq; annum 857. iniuisse anno 1453 die 12. Ianuarij feria 6. erat enim Cyclus Solis VI. Quāuis idipsum sciri possit per Canonem VI. Porrò ex Tabula I dies collecti ab initio anni Arabici ad diem 20. Mensis *Gimaasil-evvel* sunt 138 qui additi dieb. 11. Ianuarij, dant dies 149. hoc est per Tabulam V. diem 29 Maij prorsus, vt habet Patriarcha; Mirifico consensu cum Leunclauio, eratq; feria 3. Confirmat id Mulerus ex Historia Hungarica, in qua dicitur Vrbem hanc captam die 29. Maij feria 3. ante festum Corporis Christi. At anno Domini 1453. Pascha fuit 1. Aprilis Pentecoste 20. Maij, & festum SS. Sacramenti 31. Maij feria 5. ergo 29. Maij fuit feria 3. iuxta kalendarium vetus.

Anni Heg.	Anni Chr.	Dies
840	1437	pl. 185
16	16	mi. 174
856	1453	11

3 EXEMPLVM. Annales Turcici aiunt Rhodum venisse in potestatem Solimanni. *Anno Hegiræ* 929. *die* 3. *Sefer*. At nostri Scriptores aiunt traditam fuisse Solimanno anno Christi 1522. die 25. Decembr. Methodus id inuestigandi ex Tabula IV. est hæc per finem anni 928. subtractis enim diebus 263. à diebus 305. restant 42. qui subtracti Iuliano anno dierum 365. relinquunt diem 323 numeratum à kalendis Ianuarij anni 1523. idest per V. Tabulam

diem 19. Nouembris, quare die 20. Nouembris incœpit

Anni Heg.	Ann. Chr.	D.	D.
900	1495	pl. 263	365
28	28	mi. 305	42
928	1523	mi. 42	323

Hegiræ annus 929. à quo die inclusiuè ad diem 3. *S-fer*, per I. Tabulam sunt dies 33. ergo 3. *Sefer* coincidit cum die 23. Decembris, quo die Solimanno se dedidere Rhodij feria 3. sed quia biduum illis concessum est ad colligenda vasa, & Sarcinas, non dicitur ingressus Rhodum Solimannus, nisi die 25. feria 5.

CANON VII.

Dato Anno Epochæ Christi excedente Annum 621. scire annum Hegiræ concurrentem, cum eius initio, & fine seù quinam annus Hegiræ in eo desinat, ac incipiat, & quo die anni Iuliani.

SI annus datus sit in columna 2. Tabulæ VI. non est opus alio calculo, alioquin consule Tabulam III. & si in priore columna inuenias annum Christi datum, statim posterior columna dabit Hegiræ annum iam completum, & dies ad annum Hegiræ sequentem spectantes, & completo die 15. Iulij in occasu Solis. Quia verò dies 15. Iulij est dies collecta à Calendis Ianuarij 196. in anno communi, vel 197. in Bissextili, vt patet ex Tab. V. si dies supra reperti, & completi 15. Iulij sint 196. vel in Bissextili 197. annus Hegiræ completus fuit die 31. Decembris anni Christi præcedentis, & alter annus Hegiræ inijt à Calendis Ianuarij sequentib. At si dies completi 15. Iulij sint pauciores quam 196. vel in Bissext. 197. subtrahe his dies completos, & residuum in Tab. V. dabit diem à Calendis Ianuarij computandum, quo desijt annus Hegiræ in posteriori columna repertus; contra si dies completi die 15. Iulij sunt plures quam 196. vel in Bissextili 197. hos illis subtrahe, & residuum subtrahe diebus 365. si annus præcedens fuit communis, vel 366. si Bissextilis, nam relinquetur dies à Calendis Ianuarij anni præcedentis numerata, qua die completus fuit annus Arabicus in posteriori columna repertus, & dies sequens erit initium sequentis anni Arabici. In omnibus porrò casibus si annus Christi est post diem 5. Septembris anni 1582. vt habeas dies anni Gregoriani, debes addere 10. dies.

At si in Tabula III. non adsint Anni Christi dati præcisè, summe ex ea proximè minores, cum annis Arabicis, ac diebus, & horis illis in posteriore columna respondentibus, & residuos annos summe ex Tabula II. & vtrorumq; summa collige, ac reliqua fac vt supra. Sed exemplis Canonem illustremus.

1 EXEMPLVM de quo Canone VI. sit Christi Annus 1584. Quæritur cum quo Herigæ Anno concurrat &c. for-

Ann. Chr.	Ann. Arab.	D.	H.
1582	989	171	9
II. 2	2	21	18
1584	991	193	3

ma calculi est hæc; ex qua colligitur Anno Christi 1584. die 15. Iulij anni veteris, ideſt 25. Anni Gregoriani completos fuisse de Anno Arabico 992. dies 193. & horas 3. erat autem annus 1584. Bissextilis, ergo dies 193. & horæ 3. detrahendæ sunt dieb. 197. & restant dies 193. & horæ 3. detractæ dieb. 197. relinquunt diem Ianuarij 3. in cuius vespera completus est Annus Hegiræ 991. & die 4. Ianuarij ab occasu Solis, vel Gregorianè 14. inijt annus 992. Hegiræ, qui ex dictis Canone II. fuit abundans, seu dierū 355. qui dies additi diei 3. Ianuarij anni Iuliani 1584. faciunt diem 358. in quo desijt annus 992. ideſt diem 23. Decembris, vel Gregorianè diem 2. Iannuarij anni 1585.

2 EXEMPLVM de quo Canone VI. Patriarcha Constantinopoleos scribit Vrbem illam à Turcis captam Christi anno 1453. die 29. Mai manè feria 3. Quæritur Annus

Ann. Chr.	Ann. Arab.	D.	H.
1432	834	310	17
21	21	228	13
1453	855	539	6
	1	354	
	856	185	6

Hegiræ. Forma calculi est hæc, ex qua colliguntur anni Arabici 855. & dies 539. horæq; 6. Sed quia in his diebus continentur dies 354. vnum annum Arabicum efficientes, fuerunt anni Arabici completi 856. & præterea die 15. Iulij anni Christi 1453. transierant de anno 857. dies 185. horæq; 6. quæ detractæ diebus 196. relinquunt dies 10. & horas 18. hoc est politicè diem 11. Ianuarij, in quo completus fuit Arabum annus 856. & ideo annus 857. inijt à die 12. Ianuarij anni 1453. feria 6. quod ipsum docet Tabula VII. ex Mulero sumpta.

3 EXEMPLVM de quo Canone VI. Tradunt enim Historici Rhodum occupatam fuisse à Solimano anno Chri-

Anni Chr.	Anni Arab.	D.	H.
1522	927	227	2

sti 1522. die 25. Decembris. Annus Hegiræ inuestigabitur hac forma calculi expeditissima, quia annus 1522. reperitur præcisè in Tab. III. Ergo diebus 227. H. 2. deme dies 196. respondentes diei 15. Iulij, & restant dies 31. ideſt totus December anni 1521. quare anno 1521. completus fuerat annus Arabicus 927. die vltima Nouembris, & annus 928. initus die 1. Decembris eodem anno. Iam si Arabico anno dierum 354. demes illos dies 31. restant dies 323. numerandi à Calendis Ianuarij anni 1522. ideſt dies 19. Nouembris, quo desijt annus Hegiræ 928. & die 20. inijt annus 929. à quo inclusiuè, vsq; ad diem 25. Decembris sunt dies 35. ideſt per I. Tabulam diei 5. Sefer, qua Solimanus ingressus est Rhodum biduo post conuentionem deditionis cum Magistro Equitum.

CANON VIII.

Dato Anno Epochæ Christi, Mense, ac Die Mensis; scire diem mensis Arabici concurrentem cum die mensis Iuliani, aut Gregoriani; dummodo Annus datus excedat Annos 621.

PRimò per Canonem VII. quære annum Arabicum, quo desijt, & die subsequēti inijt sequens annus Arabicus: Iam si dies mensis Iuliani datus coincidit cum vno ex dictis diebus, erit illa dies vel vltima duodecimi mensis Arabici, vel prima primi. At si dies datus est anterior fine anni Arabici præcedentis, vide quot diebus est anterior, & totidem subtrahe diebus 354. vel (si annus sit abundans) diebus 355. Residuum verò quære in Tabulæ I. columna dierum collectorum, aut proximè minorem numerum; reliqui enim dies spectabunt ad mensem sequentem in eadem Tabula I. si autem dies datus est posterior quot diebus est posterior totidem numera à die 1. Muharram, & consule Tabulam I.

1 EXEMPLVM sit de quo Can. VII. exemplo 2. nempe captæ Constantinopolis anno Christi 1453. Maij 29. Nam per Canonem VII. exemplo 2. annus Hegiræ 856. desijt anno Christi 1453. die 11. Ianuarij, à quā vsq; ad diem 29. Maij sunt dies 138. summa proximè minor in Tab. I. est 118. quæ subducta diebus 138. reliquit dies 20. spectantes ad Mensem *Giumadi* priorem: Ergo vt bene retulit Leunclauius, capta fuit vrbs die 20. *Gimaasil-eevel*, ideſt Giumadi prioris.

2 EXEMPLVM sit de quo Can. VII. Exemplo 3. de Rhodo post conuentiones certas tradita Solimano anno Christi 1522. die 25. Decembris. Nam per illud exemplū agnouimus annum Hegiræ 928. desijsse die 19. Nouembris anni 1522. à quo ad 25. Decembris sunt dies 35. ideſt per Tabulam I. dies 5. *Sefer* anni 929. Arabici.

CA-

CAPVT XXV.

De Anno Veteri Christianorum eorumq; Paschate.

CONCLVSIO XXV.

Licet Christiani iam inde ab Apostolorum tempore in Ciuilibus rebus, illam anni formam vsurparint, quæ communis erat regioni, in qua degebant, & Solarem annum Iulianum, vbi is receptus fuerat, receperint, & diutissimè (excepta Annorum Epocha) retinuerint; In Ecclesiasticis verò computationibus, quoad festa Mobilia Paschatis, & Pentecostes, cum Iudæis Lunari anno sint vsi, immò aliqui in Asia cum Iudæis, quarta decima Luna Pascha celebrare permissi fuerint; Maxima tamen pars Catholicorum iam inde ab initio Ecclesiæ, & porrò Pascha, nec ante vernum Æquinoctium ciuile, nec nisi die Dominica post decimam quartam primi Mensis Lunam celebrauit, & quidem non semel in Plenilunio in Dominicam incidente. Esto ob Cyclorum diuersitatem non omnes Ecclesiæ in eundem diem Paschatis conspirarint, & aliquando per accidens, & præter intentionem cum Iudæis Pascha celebrarint.

1 NEmo Chronologorum, aut Computistarũ, quod sciam in controuersiã vocauit, an veteres Christiani accomodauerint se Ciuili Anno in regionibus illis vsitato, vbi tunc degebant, sed solùm de Epocha annorum, vnde illorum numerum computabant, cùm alij ab initio principatus Imperatorum, alij à SS. Martyribus sub Diocletiano necatis, alij à Natiuitate CHRISTI, alij à Circumcisione ipsius, alij ab Incarnatione eiusdem præcedenti, alij ab Incarnatione, vel Paschate subsequenti annos numerauerint. Sed hac de varietate dicendum erit Libro proprio, cùm de Epochis Christianorum disseretur. Sed neque dubium est, quin Apostoli, eorumq; successores in celebrando Paschate, iuxta Legem Moysis expectarint Lunam decimam quartam illius Mensis, qui erat primus, & verni temporis, & nouarum frugum, atq; adeò Lunares (quoad hoc & festa Mobilia) Menses, & Annos adhibuerint. Vtrum verò plerique illorum celebrarint olim Pascha cum Iudæis, & Quartadecimanis die 14. Lunæ an potiùs die illa Dominica, quæ prima occurrebat post Æquinoctium vernum, & post 14. Lunam primi mensis factum, aut post, dubitari posset. Præsertim cum Scaliger l. 2. de emendat. temporum pag. mihi 150. non dubitarit scribere sic. *In Primordijs Ecclesiæ tum Apostoli, tum qui eos centum annis posteà sequuti sunt, Pascha semper Iudaicè celebrarũt, vt testantur Eusebius, & historia vetus Ecclesiastica, & post omnes Nicephorus Callistus. Sed sub Commodo ü, qui Iudaicè Pascha celebrabant, damnati sunt hæreseos à Victore Romano Episcopo, & alijs quos ipse in synodum conuocauerat.*

2. Cæterùm non sine iniuria in Romanũ Pontificem, & temerè prolata hæc à Scaligero docet Petauius l. 2. de Doctrina Temporum c. 67. Quasi verò voluerit, nedum potuerit Victor damnare hæreseos illos, qui celebrarent Pascha ritu ab Apostolis omnibus, vel maxima parte eorum tradito, & præcipuè à SS. Petro, & Paulo, ipsoq; adeo Christo eorum Magistro. Potiùs ergo ex Victoris decreto concludendum fuit Apostolos, & eorum successores immediatos, quoad maximam partem, nec cum Iudæis, nec cum Quartadecimanis Pascha celebrasse, sed die Dominica post Æquinoctium Vernum, & 14. primi mensis Lunam. Hunc enim ritum ex traditione Apostolica, aut etiam Christo manasse professi sunt Patres, & Concilia in decretis de Paschate: eo quod sicut Hebræi 14. Luna immolabant Agnum, qui erat figura mortis Christi, ita Christianos Pascha celebrare oporteret eo die, quo Christus à mortuis resurrexit, nempe die Dominica, secù vt Hebræi loquebantur, prima Sabbati. Certè Socrates l. 1. c. 6. & Theodoretus l. 1. Histor. Eccl. referunt Epistolam Concilij Nicæni ad fratres Ægypti, Libyæ &c. vbi sic. *Quod autem ad omnium consensum de Sacratissimo Festo Paschatis celebrando attinet, scitote quòd vestris præcibus controuersia de ea re susceptа prudenter, & commodè sedata est; ità vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quiq; Iudæorum consuetudinem ante in eo festo obseruando imitari solebant; iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem morem, quem nos, in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulò secuturi.* Ergo à primis Ecclesiæ temporibus pleræque Ecclesiæ, quas repræsentabant Episcopi Nicænæ Synodi, vnà cùm Romana morem illum Iudæis contrarium obseruabant, exceptis Asiaticis quibusdam, seu Orientalibus. Sed & Constantinus M. Imperator in Epistola, quam refert Eusebius l. 3. de ipsius vita, post damnatum ritum Iudæorum in Paschate celebrando concludit. *Qu propter nihil sit nobis, cum odiosissima Iudæorum turba commune. Nos enim aliam viam à Saluatore traditam accepimus.* Loquitur de ritu Paschatis. S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in omnibus Sermonibus Heortasticis, indicens Pascha celebrandum die Dominica post 14. Lunam primi mensis, inculcat id seruandum secundùm *Euangelicas, vel Apostolicas traditiones*, immò in Epistola ad Innocentium Papam I. scribit. *Sanctum Paschæ mysterium, eiusq; Sacra Solemnitas, sicut est à Saluatore nostro, & ab Apostolis tradita illibata mansisset, si eam quorundam insipientium peruersitas, inter cætera Fidei Sacramenta minimè contaminasset.* Addo huic Epsstolam Protherij Episcopi Alexandrini ad B. Leonem Papam I. in qua loquens de Paschate post 14. Lunam celebrato semper à Romanis, & Alexandrinis, ait: *Oportebat enim, vt ab Alexandrinæ Ecclesiæ præsule talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, quæ ostenderent, magisterio Beatissimi Petri Apostoli Paschalis festi computum ab initio per B. Marcum eius discipulum didicisse Aegyptios, quod etiam constat didicisse Romanos &c.* reliqua vide apud Bedam de ratione temporum c. 42. & in Libello de Æquinoctio; qui libro quoq; 3. Ecclesiasticæ historiæ Anglicanæ introducit Vulphridum iussu Regis disputantem cum Quartadecimanis Scotis (remanserant enim in Anglia, Gallia, Hispania reliquiæ aliquot Quartadecimanorum teste Beda, sicut in Mesopotamia, Cilicia, & Syria, teste S. Athanasio libro de Synodis) dicentemque: *Pascha, quod facimus die Dominico post XIV. Lunam, vidimus Romæ, vbi B. Apostoli Petrus, & Paulus, vixere, docuere passi sunt, & sepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia &c.* Nec ita multo post. *At verò Petrus cum Romæ prædicaret, memor quia Dominus prima Sabbati resurrexit à mortuis, ita Pascha faciendũ intellexit, vt secundùm legem Lunam XIV. primi mensis, æquè sicut Ioannes, orientem ad vesperam semper expectaret, & hac exorta, si Dominica dies (quæ tunc prima Sabbati vocabatur) erat manè ventura, in ipsa vespera Paschа Dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus. Sin autem expectabat aliam Dominicam, vsq; ad XXI. Lunam &c. neq; hæc Euangelica, & Apostolica traditio legem soluit, sed potius adimplet &c. In quam obseruantiam imitandam, omnes S. Ioannis successores in Asia post obitum eius, & omnis per orbem Ecclesia conuersa est: & hoc esse verum Pascha, hoc solùm fidelibus celebrandum Nicæno Concilio non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet Historia:* & lib. 5. eiusdem Historiæ c. 22. refert Epistolam Ceolfridi Abbatis, in qua asseritur Pascha celebrandum post Æquinoctium, & XIV. Lunam mensis primi die Dominica, idq; seruatum esse *ipsi Apostolorum temporibus, maximè Romæ, & in Aegypto.*

3. Valeat igitur Scaliger suo illo figmento, pro quo perperam adducit Eusebium: hic enim l. 5. cap. 23. post relatam opinionem Asiaticorum Episcoporum de celebrando Paschate Luna XIV. in quamcunq; feriam incidisset, subdit: *Cùm eo more celebrandi consuetudo non esset reliquis orbis Ecclesijs, quæ ex Apostolica traditione, ritum illum obseruabant, qui ad hoc vsq; tempus obtinuit.* Et c. 25. adducit Epistolam Irenæi ad Victorem, hortantis, ne propter

pter contrarium Asianorem morem, toleratum ab alijs Pontificibus amore concordiæ puta ab Aniceto, Pio, Hygino, Telesphoro, & Sixto; tot Ecclesias à communione Catholica separet, & addit Polycarpum adhæsisse Ioanni, & quibusdam alijs discipulis Domini. Nicephorus quoque lib. 4. c. 36. et l. 12. c. 33. narrat, Asiaticos Ioannis Apostoli authoritatem præferentes, suum dogma de Paschate tenuisse; reliquos autem omnes Petri, et Pauli authoritatem secutos, contrariam, et antiquiorem sententiam tenuisse.

4. Maneat igitur Christianos veteres demptis aliquot Asiaticis à Romano Pontifice, propter amorem concordiæ toleratis, cum Romana Ecclesia communiter in celebrando Paschate, illum quidem mensem pro primo Verni temporis habuisse, cuius Luna decimaquarta incidebat in diem Æquinoctij Verni aut post illum; iuxta legem Dei datam Moysi, expositamq; à nobis cap. 12. à num. 4. sed non celebrasse Pascha cum Iudæis. Luna XIV. Mensis primi, sed die Dominica proximè sequenti: Esto S. Io. Apostolum celebrantes Pascha XIV. Luna primi mensis in Asia, toleravisse, et Quartadecimanos eius authoritate abusos esse ex Vulfridi verbis num 2. relatis colligi possit, et eum se permissiuè habuisse, ob Iudæos quosdam nuper ad Christum conuersos, doceat Baronius, et Spondanus, ad annum 159. vbi etiam referunt Angelum sub habitu Pastoris apparuisse Hermeti fratri Pij Pontificis, et mandasse, vt Pascha die Dominica celebraretur; qui propterea librum suum inscripsit hoc cognomine. *Pastor*. Antea verò S. Ignatius successor Petri post Euodium in Cathedra Antiochena et Martyr, in Epistola ad Magnesianos, et ad Philipp. Dominicam diem reginam dierum appellant, et consecratam resurrectioni Domini: contestans, si quis cum Iudæis Pascha celebraret, participem fore illorum, qui Christum, et Apostolos occiderunt. Reliqua verò Pontificum, et Conciliorum decreta de Paschate celebrando et die Dominica, et post XIV. Lunam, ne etiam in die Dominico in XIV. Lunam primi Mensis incidente, concurramus cum Iudæis, videri possunt in Baronio supra, et apud Clauium in Cap. 1. ac Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctor. c. 12.

5. *Quartadecimanorum* porrò nomine presse sumpto illi veniunt, qui asserebant Pascha celebrandum esse Quartadecima Luna primi mensis, in quamcunq; feriam incidisset, de quibus Eusebius supra l. 5. à cap. 22. contra quos Pius Papa I. anno Domini 159. decretum edidit de celebrando Paschatæ die Dominico, et Victor Papa anno 198. secùs facientes Ecclesiæ Catholicæ Communione priuauit: quod non ferens Blastus presbyter Romanus ab Ecclesia se Schismaticè separauit, teste Tertulliano de Præscriptionibus c. 53. Latè tamen sumpto hoc nomine Quartadecimani putati sunt quicunq; Pascha celebrabant, aut celebrandū asserebant aliter ac sancitum esset, et seruatum ab Ecclesia Catholica, siue dicerent celebrandum esse certa, et fixa die anni Domini nempe 25. die Martij, vt illi, de quibus Epiphanius hæresi 51. ad quos pertinere videntur, qui dixerunt Pascha celebrandum semper mense Martio Luna 14. de quibus S. Augustinus lib. de hæresibus, niti nomine Martij intellexerunt mensem primùm Verni temporis, seu Nisan sicut intellexit. Eligius Nouiomensis Episcopus homil. 14. dicens. *Christum venisse Hierosolymam tanquam Agnum immolandum Decima die primi mensis, qui apud Hebræos Nisan, apud nos Martius vocatur*. Siue denique dicerent, Pascha celebrandum quidem esse post Æquinoctium Vernum, & die Dominica, sed si dies Dominica coincidisset cum xiv. Luna celebrandum esse, de quibus Gregorius Turonensis, Bedas, & Sigebertus. Pessimè omnium Socrates Nouatianus l. 5. c. 21. dixit celebrandum Pascha pro cuiusq; arbitrio, nulla enim traditione antiqua certè constare, quo die celebrandum sit; adeo supinus fuit hac in re hic sectarius. Minimè autem inter Quartadecimanos, ne latè quidem sumptos censendi sunt, qui in terminis Pascalibus, & ipso Paschati per accidens dissidebant à Romanis, vel Alexandrinis, ob diuersos Cyclos, ac diuersam dispositionem Aurei numeri.

6 *Aequinoctium* autem *Ciuile* in conclusione nominaui, quia nec Deus Hebræis, nec Ecclesia Christianis præcipit obseruantiam æquinoctij Astronomici, siue veri, siue medij, nec alligauit primi mensis determinationem Astronomicis subtilitatibus: præsertim ob diuersas Astronomorum de Anni Solaris magnitudine sententias, sed antea quidem sufficiebat ad sensum notare diem illum, quo dies æquales esse noctibus incipiunt, in quo à vero æquinoctio aberrari potest biduo, triduoue. Æquinoctium autem Medium, & Verum Astronomicū dissidere possunt sesquidie, nunquam verò plus notabiliter. Concilium tamē Nicænum Constantini Magni tempore diem certam Ciuili, & Ecclesiastico Æquinoctio destinauit, nempe xii. Kalendas Aprilis, seu diem xxi. Martij, vt expresse docet S. Ambrosius Epistola 83. ad Episcopos Aemiliæ, Bedas de ratione temporum c. 43. 49. 57. & 60. Non quod Concilij Nicæni Patres putarent tempore CHRISTI Aequinoctium vernum fuisse die 21. Martij, vt sibi finxit Moletius in suo Calendario, sed quia ex Tabulis Astronomicis constabat eo circiter die circa Annum Domini 325. euenire solere æquinoctium. Antea verò Anatolius Laodicensis Episcopus anno 280. & S. Hippolytus Aequinoctium ad diem 22. Martij collocarant, vt testatur Bedas tomo 2. opusculo de Æquinoctio. Ptolemæus autem Alexandriæ anno 140. Domini, obseruarat æquinoctium die 22. Martij. Esto Sosigenes anno 45. ante Christum, siue æquinoctium medium secutus, siue alia de causa in Calendario Cæsaris æquinoctium apposuerit diei 25. Martij, neque enim ex obseruatione id fecit, errasset enim biduo à veritate, sed quia forte inualuerat, apud Agricultores, Cardines anni celebrandos Sole in Octonis signorum partibus, quod insinuat Columella l. 9. c. 14. dicens. *Ab Aequinoctio primo, quod mense Martio circa VIII. Kalendas Aprilis in octaua parte Arietis conficitur, ad exortum Vergiliarum dies verni temporis habentur duodequinquaginta. Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet Solstitia, & Aequinoctia, non octauis, sed primis partibus Signorum confici. Verùm in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi, & Metonis, antiquorumq; fastos Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificijs, quia & notior est ista vetus agricolis concepta opinio, nec Hipparchi subtilitas pinguioribus necessaria est.* Germanicus ipse Cæsar in Arati Phænomena dixit: *Medius est Aequinoctialis, qui octauam partem Arietis tenens Aequinoctium vernum facit*. Denique, & Plinius l. 18. c. 25. Aequinoctium Vernum in octaua parte Arietis, & VIII. Cal. Aprilis adsignat. Et si enim tunc temporis Sol die 25. Martij non in 8. Arietis gradu, sed in 2. aut 3. esset, ita tamen habebat Fastorum veterum ratio. Igitur Sosigenes cum videret ex vna parte communem opinionem vulgi, & ex altera Aequinoctium secundùm Medios motus cadere proximè in diem 25. Martij illud retinendum censuit in Calendario. An autem idem seruarint Hebræi tempore Christi incertum est: & esto id concederetur, non propterea tamen debebant Patres Concilij Nicæni Aequinoctium sui temporis ad 25. Martij reducere, quidquid arbitratus sit Moletius in Calendario suo. Christi tamen tempore Medium æquinoctium erat potius die 23. aut 24. Martij.

7 Dixi etiam in Conclusione Christianos non semel celebrasse Pascha in Plenilunio coincidente in diem Dominicam, quidquid oblatrarit Sethus Caluisius cap. 20. Elenchi contra Calendarium Gregorianum, negans licere Pascha celebrare Luna xv. primi mensis, seu in Plenilunio, egregiè refutatus à nostro Paulo Guldino l. 3. c. 8. & quidem tacito nomine reprobati à Clauio c. 1. Calendarij, & in eius Apologia c. 3. vbi Maestlinum castigauit cunfundentem Lunam xv. cum xiv. & Quartadecimanis accensentem eos, qui in Plenilunio Pascha celebrassent. Immò nunquam opportunius Ecclesia celebrat Pascha, quàm illo die Dominico, qui succedit immediatè Lunæ xiv. & incidit in Lunam xv. primi mensis, seu in plenilunium medium, vt aduertit Clauius, dilatio enim post plenilunium fit solùm, vt expectetur dies Dominica: quod ipsum tetigit Vvlphridus Abbas apud Bedam l. 5. Eccles. Histor. Anglic. c. 22. dicens: *Si ergo fieri posset, vt semper in diem quintumdecimum primi mensis, id est in Lunam XV. Dominica dies incurreret, vno semper eodemq; tempore Pascha celebrare possemus.* Quod ipsum ipsemet Bedas clarissimè confirmat c. 57. 59. 60. & 61. adducta Theophili Alexandrini auctoritate. Rupertus quoque Abbas l. 6. de Diuinis Officijs c. 27. *Diuinæ namque authoritatis est, & ex antiqua lege Moysi traditum, vt non celebretur Pascha ante primi mensis plenilunium, videlicet vbi primum plena Luna post vernale occurrit Aequinoctium.* Consentiq; Durantus in Rationali l. 6. c. 78. & celeberrimi quiq; Computistæ cum Io. à Sacrobosco, Stoflerino, Campano,

pano, ipſoq; Paulo Middelburgenſi lib. 12. Summæ Paulinæ dicente: *Nos ergo in ſupputatione Lunæ Paſchalis, diem oppoſitionis Luminarium vocabimus Lunam XV. quæſi in die Dominico inciderit, eodem die Paſcha celebrandum annotabimus, iuxta canonem à SS. Patribus in Nicæna Synodo inſtitutum.* Et reipſa ita factum eſſe annis 175. docet Clauius cap. 1. Calendarij à pag. 66. quorum ſpecimen aliquod eſto in ſequenti Tabula, vbi Ap. *Aprilem*, & Mar. *Martium* indicat.

Anni Chriſti.	Aureus Numerus	Littera Dominic.	Paſcha in Plenilunio.	
326	4	B	3	Ap.
350	9	G	8	Ap.
401	3	F	14	Ap.
465	10	C	28	Mar.
509	16	D	22	Mar.
560	10	D C	28	Mar.
604	16	E D	22	Mar.
662	17	D	10	Ap.
709	7	F	31	Mar.
760	1	F E	6	Ap.
804	6	G F	31	Mar.
851	16	D	22	Mar.
902	10	C	28	Mar.
953	4	B	3	Ap.
977	9	G	8	Ap.
1001	14	E	13	Ap.
1051	7	F	31	Mar.
1102	1	E	6	Ap.
1150	11	A	16	Ap.
1197	1	E	6	Ap.
1245	11	A	16	Ap.
1299	8	D	19	Ap.
1360	13	E D	5	Ap.
1404	18	F E	30	Mar.
1462	19	C	18	Ap.
1505	5	E	23	Mar.
1539	1	E	6	Ap.
1560	3	G F	14	Ap.
1680	4	C B	3	Ap.
1646	13	G	1	Ap.

8 Poſtremò dixi præter intentionem Eccleſiæ factum eſſe, vt Chriſtiani Paſcha eodem die, ac Iudæi, etiam poſt decreta Patrum celebrarint, ob diuerſitatem Cyclorum, eo quod putarent Lunam eſſe xv. quam Iudæi putabant xiv. Immò aliquando celebrarunt Paſcha ante Iudæos, vt annis 326. 346. 350. 475. 495. Si quis optat Paſchata Chriſtianorum comparata cum Paſchatibus Iudæorum ab Anno Domini 323. vſq; ad 722. conſulat Paulum Guldinum in Refutatione Caluiſij l. 3. c. 7. in eundem enim diem concurrerunt Paſchata Chriſtianorum, & Iudæorum ex nouo horum Kalendario anno Chriſti 326. 3. April. & anno 346. 23. Mart. & 350. 8. April. & 400. 1. Apr. & 475. 5. Apr. & 495. 26. Mart. & 500. 2. Apr. & 602. 15. Apr. & 700. 11. Apr. & 722. 12. Apr.

9 Non eſt autem nobis opus ad Chronologicam ſyntaxim conſtituendam, ac reformandam differere hoc in libro de diuerſitate Cyclorum, quos Chriſtiani diuerſis in Eccleſijs, diuerſiſq; temporibus vſurparunt, de quibus contra Scaligerum plura Petauius l. 2. de Doctina Temporum à c. 59. ad 69. & lib. 6. penè toto. Sed ſufficiet ad rem noſtram aliqua præmittere de Kalendario antiquo, tum Alexandrino, tum Dionyſiano, & Romano. Interim ſolùm monemus diſſidia ferà omnia de die Paſchatis inter Alexandrinos, & Latinos, quæ colligũtur ex Theophane, Cedreno, Gregorio Turonenſi, & alijs accidiſſe Cyclo viii. & xix. vel quoties Luna xiv. amborũ incurrebat in feriam 7. Latini enim aliqui etiam ſi Luna xv. in Dominicam diẽ incideret, nolebãt Paſſionem Domini inchoare ante xiv. Lunã, & ideo differebant Paſcha in alteram Dominicam. Item quoties annus vnis erat communis, alteris Embolimæus. Horum diſſidiorum exempla extant apud Petauium l. 2. c. 65 fuſius diſcuſſa,

Anni Chriſti.	Paſcha Alexandrin.		Paſcha Latinorum.	
360	April.	23	Mart.	26
379	April.	21	Mart.	24
387	April.	25	Mart.	21
417	April.	22	Mart.	25
444	April.	23	Mart.	26
455	Mart.	25	April.	24
463	April.	21	Mart.	24
465	Mart.	28	April.	4

& præcipuè illa, quæ in laterculum coniecimus. Anno quoque 546. vt ex Cedreno colligitur Iuſtinianus iuſſit Paſcha celebrari 8. Aprilis, cum vulgò putaretur celebrandum 1. Aprilis Solis Cyclo 23. Lunæ 15. itaq; ieiunium Quadrageſimale, vi edicti productum eſt vſq; ad dies 53.

CAPVT XXVI.

De Cyclo, & Kalendario Alexandrino.

1 CVm Alexandrinorũ in Aſtronomicis fama eſſet percelebris, ipſiſq; in Eccleſiaſtico computo præluxiſſet Anatolius Alexandrinus Laodiceæ in Syriæ Epiſcopus ſub annum Chriſti 277. Cyclum decemnoualem inſtaurans; Patres Nicæni Concilij Patriarchæ Alexandrino curam Cycli Eccleſiaſtici, & indicendi Paſchatis demandarunt. Alexandrini autem, licet annum Ægyptium aliàs vagum fixerint, & in fine Epagomenarum quarto quoq; anno, diem vnum addiderint, nihilominus annos numerabant ab anno primo Epochæ Diocletiani, nempe Chriſti 284. & primam diem menſis Thoth à die 29. Auguſti Iuliani exorſi ſunt, tribuentes ei Aureum numerum I. cum præcedenti diei 28. tribuiſſent Neomeniam, & Aureum 19. vltima die Epagomenarum. Anno tamen 284. Aureus 19. Romanis durauit vſq; ad finem Decembris. Quare inuento Aureo numero Romani Kalendarij, ille idem cœpit currere Alexandrinis anno præcedente à die 29. Auguſti. Hæc de Epocha. Iam primus poſt Concilium Nicænum Theophilus Alexandrinus Cyclum Paſchalem edidit anno Chriſti 380. Cyclum inquam annorum 437. in quo ſunt Lunares Cycli 23. Solares 15. & præterea anni 17. nec edidit ſolùm, ſed inchoauit anno illo 380. Gratiano V. & Theodoſio Conſulib. quia eo anno currebat aureus numerus I. In eo tamen Cyclo non deſcripſit Paſchata, niſi pro centum annis; Ita de Theophilo ſcripſere Cyrillus in prologo 15. Leo Papa Epiſt. 64. & 65. ad Marcianum, Protherius in Epiſt. ad Leonem, Dionyſius Exiguus in Epiſt. ad Petronium, Marianus Scotus, & Sigibertus in Chronico, & Paulus Middelburg. l. 5. Summæ.

2 Cyrillus autem Alexandrinus prolixitatem Cycli Theophili non probans, reſtrinxit illum ad annos 95. in quibus ſunt 5. Metonici Cycli, illumq; exorſus eſt ab anno Diocletiani 153. ſeu Chriſti 437. quo Aureus numerus 19. currebat, ſed die 29. Auguſti more Alexandrino Aureus I. currere cœpit. Ita docet ipſe Cyrillus in prologo; Dionyſius epiſt. 2. Marianus Scotus ad annum 438. & Sigenyſius epiſt. 2. Marianus Scotus ad annum 438. & Sigebertus ad 437. ſed neque Theophili, multoq; minus Cyrilli Cyclum aptum fuiſſe ad feriarum reuolutionem docet Petauius l. 2. de Doctrina Tempor. c. 67. Anteà tamen Alexandrinos iam inde ab æra Diocletiani aut non multo poſt Cyclo decennouali Aureos numeros cum Neomenijs, & poſtea etiam Epactas illigaſſe docet Petauius l. 6. à c. 1. cum Paulo Epiſcopo Foroſempronienſi, ex quo, & partim ex Guldino libro 5. cap. 6. Kalendarium Alexandrinum exhibemus ſed addidimus alteram columellam dierum Ægyptiorum pro anno Biſſextili vſq; ad diem 24. Februarij. Pro quò aduertendum eſt Alexandrinos anno illo, qui in Kalendario Romano eſt tertius poſt Biſſextilem, in fine ſui anni conſueuiſſe intercalare diem vnam, quam *ſextam Epagomenarum* appellabant, ac proinde occupantem diem

29. Au-

29. Augusti, ideoq; prima dies Thot sequentis anni incidebat in 30. Augusti; & sic intercalationem Romanam præueniebant penè sex mensibus. Colligitur hoc ex S. Ambrosij Epist. 83. vbi asserit, Pascha celebratum fuisse anno 76. Diocletiani ab Alexandrinis die illa Dominica, quæ fuit dies 28. Pharmuti, & Nona kalend. Maij, idest 25. Aprilis. Iam si addas annis Diocletiani annos Christi 283. qui hanc Epocham præcesserunt, fit annus Christi 359. Communis, cui succedit 360. Bissextilis habens Cyclum Luuæ 19. & Solis 5. cum literis B. A. At si annus 76. Diocletiani incœpisset à die 29. Augusti, dies 28. Pharmuti concurrisset cum die 22. Aprilis propter intercalationem Romanam; si verò annus 76. incœpit à die 30. Augusti, dies 27. Pharmuti concurrit cum 22. Aprilis, & dies 28. Pharmuti cum 23. Aprilis.

3 Quod spectat ad aureos numeros, in Kalendario Alexandrino dispositi sunt ita, vt in primo Cyclo vnitas ijs dierum apposita sit, quibus ex canone Mathemathico conuenit nouilunium medium; in 2. autem Cyclo binarius vbi Nouilunium item medium euenire oportet, & sic de alijs, & absoluto Cyclo decemnouali putarunt Nouilunia redire ad eundem diem, perinde ac si post 130. circiter annos Sol non præcederet vno die. Supposuerunt præterea Lunationes alternis plenas, seu dierum 30. & cauas, seu dier. 29. exceptis mensibus, in quibus duæ Lunationes terminantur, earum enim prima est dierum 30. altera 29. sed quia duplicem Cyclum, si Forosempronienſi credimus, habuere Alexandrini vnum Epactalem ac naturalem, alterum Paschalem, & artificialem, & aurei numeri in vltimis quinq; mensibus promoti sunt ob causam à Petauio l. 6. c. 4. allatam; Nos priorem vtpote communem dabimus.

4 Quoad Embolimæos annos licet naturali ordine, seu vt cum Forosempronienſi loquitur Petauius l. 6. c. 6. *Epactali*, Embolimæi sint in decemnouali Cyclo. anni 3. 6. 9. 11. 14. 17. 19. quia in ijs epactarum numerus tricenarium dierum implet, ideoque recentiores Computistæ in reformando Calendario eundem ordinem secuti sunt; antiqui tamen Computistæ, Græci Hebræi, Ægyptij, Latiniq; ipseq; Dionysius Exiguus, & Bedas annum 8. Embolimæum fecerunt, ideoq; in veteribus Cyclis Lunaribus, Iudæorum, Græcorum, Alexandrinorum, & Latinorum pro Embolimæis habiti sunt anni 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.

KALENDARIVM ALEXANDRINVM.

Menses Iuliani.	I. THOTH. Thoth Com.	Biss.	Littera Dom.	Aur. Num.	Epactæ
Aug. 29	1	✝	C	.	.
30	2	1	D	9	28
31	3	2	E	.	.
Sept. 1	4	3	F	17	26
2	5	4	G	6	25
3	6	5	A	.	.
4	7	6	B	14	23
5	8	7	C	3	22
6	9	8	D	.	.
7	10	9	E	11	20
8	11	10	F	.	.
9	12	11	G	19	18
10	13	12	A	8	17
11	14	13	B C	.	.
12	15	14	C D	16	15
13	16	15	D	5	4
14	17	16	E	.	.
15	18	17	F G	13	12
16	19	18	G A	2	11
17	20	19	A	.	.
18	21	20	B	10	9
19	22	21	C D	.	.
20	23	22	D E	18	7
21	24	23	E	7	6
22	25	24	F	.	.
23	26	25	F G	15	4
24	27	26	G A	4	3
25	28	27	A B	.	.
26	29	28	C	12	1
27	30	29	C D	1	0
28	✝	30	D E	9	28

Menses Iuliani.	II. PAOPHI. Paophi Com.	Biss.	Littera Dom.	Aur. Num.	Epactæ
Sept. 28	1	✝	E	9	28
29	2	1	F	.	.
30	3	2	G	17	26
Octob. 1	4	3	A	6	25
2	5	4	B	.	.
3	6	5	C	14	23
4	7	6	D	3	22
5	8	7	E	.	.
6	9	8	F	11	20
7	10	9	G	.	.
8	11	10	A	19	18
9	12	11	B	8	17
10	13	12	C	.	.
11	14	13	C D	16	15
12	15	14	D E	5	14
13	16	15	E F	.	.
14	17	16	F	13	12
15	18	17	F G	2	11
16	19	18	G A	.	.
17	20	19	A B	10	9
18	21	20	B C	.	.
19	22	21	C D	18	7
20	23	22	D E	7	6
21	24	23	E F	.	.
22	25	24	F	15	4
23	26	25	F G	4	3
24	27	26	G A	.	.
25	28	27	A B C D	11	1
26	29	28	E	1	0
27	30	29	E F	.	.
28	✝	30	F G	9	28

III. ATHIR.

Menses Iuliani.	Athir. Com	Athir. Bis.	Lit. Dom.	Au. num	Epactæ.
Oct. 28	1	✠	G	9	28
29	2	1	A	.	.
30	3	2	B	17	26
31	4	3	C	6	25
Nou. 1	5	4	D	.	.
2	6	5	E	14	23
3	7	6	F	3	22
4	8	7	G	.	.
5	9	8	A	11	20
6	10	9	B	.	.
7	11	10	C	19	18
8	12	11	D	8	17
9	13	12	E	.	.
10	14	13	F	16	15
11	15	14	G	5	14
12	16	15	A	.	.
13	17	16	B	13	12
14	18	17	C	2	11
15	19	18	D	.	.
16	20	19	E	10	9
17	21	20	F	.	.
18	22	21	G	18	7
19	23	22	A	7	6
20	24	23	B	.	.
21	25	24	C	15	4
22	26	25	D	4	3
23	27	26	E	.	.
24	28	27	F	12	1
25	29	28	G	1	0
26	30	29	A	.	.
27	✠	30	B	9	28

IV. CHOIAC.

Menses Iuliani.	Choiac. Com	Choiac. Bis.	it. Dom.	Au. num	Epactæ.
Nou. 27	1	✠	B	9	28
28	2	1	C	17	26
29	3	2	D	6	25
30	4	3	E	.	.
Dec. 1	5	4	F	14	23
2	6	5	G	3	22
3	7	6	A	.	.
4	8	7	B	11	20
5	9	8	C	.	.
6	10	9	D	19	18
7	11	10	E	18	17
8	12	11	F	.	.
9	13	12	G	16	15
10	14	13	A	5	14
11	15	14	B	.	.
12	16	15	C	13	12
13	17	16	D	2	11
14	18	17	E	.	.
15	19	18	F	10	9
16	20	19	G	.	.
17	21	20	A	18	7
18	22	21	B	7	6
19	23	22	C	.	.
20	24	23	D	15	4
21	25	24	E	4	3
22	26	25	F	.	.
23	27	26	G	12	1
24	28	27	A	1	0
25	29	28	B	.	28
26	30	29	C	9	0
27	✠	30	D	.	.

V. TIBY.

Menses Iuliani.	Tiby. Com	Tiby. Bis.	Lit. Dom.	Au. num	Epactæ.
Dec. 27	1	✠	D	.	.
28	2	1	E	17	26
29	3	2	F	6	25
30	4	3	G	.	.
31	5	4	A	14	23
Ianu. 1	6	5	B	3	22
2	7	6	C	.	.
3	8	7	D	11	20
4	9	8	E	.	.
5	10	9	F	19	18
6	11	10	G	8	17
7	12	11	A	.	.
8	13	12	B	16	15
9	14	13	C	5	14
10	15	14	D	.	.
11	16	15	E	13	12
12	17	16	F	2	11
13	18	17	G	.	.
14	19	18	A	10	9
15	20	19	B	.	.
16	21	20	C	18	7
17	22	21	D	7	6
18	23	22	E	.	.
19	24	23	F	15	4
20	25	24	G	4	3
21	26	25	A	.	.
22	27	26	B	12	1
23	28	27	C	1	0
24	29	28	D	.	.
25	30	29	E	9	28
26	✠	30	F	17	26

VI. MECHIR.

Menses Iuliani.	Mechir. Com	Mechir. Bis.	Lit. Dom.	Au. num.	Epactæ.
Ianu. 26	1	✠	E	17	26
27	2	1	F	6	25
28	3	2	G	.	.
29	4	3	A	14	23
30	5	4	B	3	22
31	6	5	C	.	.
Febr. 1	7	6	D	11	20
2	8	7	E	.	.
3	9	8	F	19	18
4	10	9	G	8	7
5	11	10	A	.	.
6	12	11	B	16	15
7	13	12	C	5	14
8	14	13	D	.	.
9	15	14	E	13	12
10	16	15	F	2	11
11	17	16	G	.	.
12	18	17	A	10	9
13	19	18	B	.	.
14	20	19	C	18	7
15	21	20	D	7	6
16	22	21	E	.	.
17	23	22	F	15	4
18	24	23	G	4	3
19	25	24	A	.	.
20	26	25	B	12	1
21	27	26	C	1	0
22	28	27	D	.	.
23	29	28	E	9	28
24	30	29	F	.	.
Bis. 24	✠	30	G	17	27

Menſes Iuliani.	VII. PHAMENOTH. Dies	Lit. Dō.	Au.num	Epactæ.
Febr. 25	1	G	17	26
26	2	A	6	25
27	3	B	.	.
28	4	C	14	23
Martij 1	5	D	3	22
2	6	E	.	.
3	7	F	11	20
4	8	G	.	.
5	9	A	19	18
6	10	B	8	17
7	11	C	.	.
8	12	D	16	15
9	13	E	5	14
10	14	F	.	.
11	15	G	13	12
12	16	A	2	11
13	17	B	.	.
14	18	C	10	9
15	19	D	.	.
16	20	E	18	7
17	21	F	7	6
18	22	G	.	.
19	23	A	15	4
20	24	B	4	3
21	25	C	.	.
22	26	D	12	1
23	27	E	1	0
24	28	F	.	.
25	29	G	9	28
26	30	A	17	26

Menſes Iuliani.	VIII. PHARMVTHI. Dies	Lit. Dō.	Au.num.	Epactæ.
Mart. 27	1	B	6	25
28	2	C	.	.
29	3	D	14	23
30	4	E	3	22
31	5	F	.	.
April. 1	6	G	11	20
2	7	A	.	.
3	8	B	19	18
4	9	C	8	17
5	10	D	.	.
6	11	E	16	15
7	12	F	5	14
8	13	G	.	.
9	14	A	13	12
10	15	B	2	11
11	16	C	.	.
12	17	D	10	9
13	18	E	.	.
14	19	F	18	7
15	20	G	7	6
16	21	A	.	.
17	22	B	15	4
18	23	C	4	3
19	24	D	.	.
20	25	E	12	1
21	26	F	1	0
22	27	G	.	.
23	28	A	9	28
24	29	B	.	.
25	30	C	17	25

Menſes Iuliani.	IX. PACHON. Dies	Lit. Dō.	Au.num.	Epactæ.
Apr. 26	1	D	6	25
27	2	E	.	.
28	3	F	14	23
29	4	G	3	22
30	5	A	.	.
Maij 1	6	B	11	20
2	7	C	.	.
3	8	D	19	18
4	9	E	8	17
5	10	F	.	.
6	11	G	16	15
7	12	A	5	14
8	13	B	.	.
9	14	C	13	12
10	15	D	2	11
11	16	E	.	.
12	17	F	10	9
13	18	G	.	.
14	19	A	18	7
15	20	B	7	6
16	21	C	.	.
17	22	D	15	4
18	23	E	4	3
19	24	F	.	.
20	25	G	12	1
21	26	A	1	0
22	27	B	.	.
23	28	C	9	28
24	29	D	.	.
25	30	E	17	26

Menſes Iuliani.	X. PAYNI. Dies	Lit. Dō.	Au.num.	Epactæ.
Maij 26	1	F	9	28
27	2	G	17	26
28	3	A	6	25
29	4	B	.	.
30	5	C	14	23
31	6	D	3	22
Iunij 1	7	E	.	.
2	8	F	11	20
3	9	G	.	.
4	10	A	19	18
5	11	B	8	17
6	12	C	.	.
7	13	D	16	15
8	14	E	5	14
9	15	F	.	.
10	16	G	13	12
11	17	A	2	11
12	18	B	.	.
13	19	C	10	9
14	20	D	.	.
15	21	E	18	7
16	22	F	7	6
17	23	G	.	.
18	24	A	15	4
19	25	B	4	3
20	26	C	.	.
21	27	D	12	1
22	28	E	1	0
23	29	F	.	28
24	30	G	9	.

XI. EPI-

Menſes Iuliani.		XI. EPIPHI. Dies	Lit. Dom.	Aur. num.	Epactæ.
Iunij.	25	1	A	.	.
	26	2	B	14	23
	27	3	C	3	22
	28	4	D	.	.
	29	5	E	11	20
	30	6	F	.	.
Iulij.	1	7	G	19	18
	2	8	A	8	17
	3	9	B	.	.
	4	10	C	16	15
	5	11	D	5	14
	6	12	E	.	.
	7	13	F	13	12
	8	14	G	2	11
	9	15	A	.	.
	10	16	B	10	9
	11	17	C	.	.
	12	18	D	18	7
	13	19	E	7	6
	14	20	F	.	.
	15	21	G	15	4
	16	22	A	4	3
	17	23	B	.	.
	18	24	C	12	1
	19	25	D	1	0
	20	26	E	.	.
	21	27	F	9	28
	22	28	G	.	.
	23	29	A	17	26
	24	30	B	6	25

Menſes Iuliani.		XII. MESORI Dies	Lit. Dom.	Aur. num.	Epactæ.
Iulij.	25	1	C	14	23
	26	2	D	3	22
	27	3	E	.	.
	28	4	F	11	20
	29	5	G	.	.
	30	6	A	19	18
	31	7	B	8	17
Aug.	1	8	C	.	.
	2	9	D	16	15
	3	10	E	5	14
	4	11	F	.	.
	5	12	G	13	12
	6	13	A	2	11
	7	14	B	.	.
	8	15	C	10	9
	9	16	D	.	.
	10	17	E	18	7
	11	18	F	7	6
	12	19	G	.	.
	13	20	A	15	4
	14	21	B	4	3
	15	22	C	.	.
	16	23	D	12	1
	17	24	E	1	0
	18	25	F	.	.
	19	26	G	9	28
	20	27	A	.	.
	21	28	B	17	26
	22	29	C	6	.
	23	30	D	.	25

Anni Diocletiani Intercalares intra Centenarios.

3. 7. 11. 15. 19. 23. 27. 31. 35. 39. 43. 47.

51. 55. 59. 63. 67. 71 75. 79. 83. 87. 91.

93. 99. 103. &c. Reliqui ſunt communes.

Menſes Iuliani.		Epagom. Cō.	Epagom. Biſ.	Littera Dom.	Aur. Num.	Epactæ
Aug.	24	1	1	E	14	23
	25	2	2	F	3	22
	26	3	3	G	.	.
	27	4	4	A	11	20
	28	5	5	B	19	18
	29	✝	6	C	.	.

VSVS KALENDARII ALEXANDRINI.

EXemplum pro ſequentibus Canonibus S. Ambroſius Epiſtola 83. ad Epiſcopos, per Aemiliam conſtitutos ſcribit anno Diocletiani 76. Paſcha celebratum fuiſſe Dominica die Pharmuti 28. Nono Kal. Maij ideſt Aprilis 23. Ibidem ait anno Chriſti 387. Paſcha indictum ab Alexandrinis in 30. Pharmuti ſeu 25. Aprilis.

CANON I.

Annos Alexandrinos, ſeu Diocletiani datos Conuertere in Annum illum Epochæ CHRISTI, in cuius Auguſti die 29. vel ſi Biſſextilis Iulianus ſequitur, die 30. Auguſti incæpit Annus Alexandrinus.

ANno Diocletianæ æræ dato adde annos 283. ſumma dabit annum Epochæ Chriſti in cuius Auguſti die 29. inijt annus Diocletiani, ſi annus Chriſti, non eſt Tertius poſt Biſſextilem, ſeu ſi annus ſequens in forma Iuliana non eſt Biſsextilis; alioquin Alexandrini in fine præcedentis ſui anni intercalarunt diem vnum, & ſexta Epagomenarum occupauit diem 29. Auguſti, ideoq; annus ſequens iniuit à die 30. Auguſti. In Exemplo propoſito anno Diocletiani 76. adde 283. fit Chriſti annus 359. qui eſt 3. poſt Biſsextilem cum annus 360. ſit Biſsextilis, vt Canone III. dicemus; ergo annus 76. Diocletiani incœpit die 30. Auguſti anni 359. Chriſti. Annus autem 77. Diocletiani inijt die 29. Auguſti anni 360. CHRISTI.

CANON II.

Annos Epochæ CHRISTI non pauciores annis 283. conuertere in Annos Alexandrinos, ſeu Diocletiani, cum ipſis ab initio, vel fine Concurrentes.

ANno Epochæ Chriſti dato ſubtrahe annos 282. annus enim, qui reſtat eſt annus Diocletiani incipiens die 29. Auguſti eiuſdem anni, & deſiturus die 28. Auguſti

anni Christi sequentis; nisi annus Christi datus sit tertius post Bisextilem; tunc enim annus Diocletiani incipit die 30. Augusti eiusdem anni; vt euenit in exemplo supra allato: Esto annus Christi 1453. subtractis 282. relinquatur Diocletiani annus 1171. iniens die 29. Augusti anni 1453. quia hic non fuit tertius, sed primus post Bisextilem.

CANON III.

Anno Alexandrino dato, scire, an fuerit Intercalaris, an Communis.

Abiectis omnibus centenarijs, consule Tabellam Intercalarium positam in calce Kalendarij. Vel Conuerte, per Canonem I. annum Alexandrinum in annum Epochæ Christi; deinde annos Christi, abiectis si adsint, omnibus centenarijs, aut etiam millenarijs, diuide per 4. nam si nil restat fractionis, annus Christi est Bisextilis, si restat 1. est primus; si 2. secundus, si 3. Tertius post Bisextilem; Iam si est tertius post Bisext. annus Alexandrinus in eo inijt die 30. Augusti, & annus præcedens apud Alexandrinos fuit intercalaris; reliqui extra hunc casum sunt communes. Sic in priore Exemplo supra, annus Diocletiani 76. incœpit anno Christi 359. à die 30. Augusti, & annus 75. fuit intercalaris, quia abiectis 300. & diuisis 59. per 4. restant in fractione $\frac{3}{4}$. ideſt tertius post Bisextilem.

CANON IV.

Dato Anno Alexandrino, seu Diocletiani Inuenire Cyclum Solis, literam Dominicalem, Aureum numerum, & an Annus sit Communis an Embolimæus.

Conuerso per Canonem I. anno Alexandrino in annum illum Christi, in quo incipit Alexandrinus; adde annis Christi 9. & summam diuide per 28. nam si nulla in quotiente sit fractio, Cyclus Solis anni dati est 28. alioquin Numerator fractionis erit Cyclus Solis quæsitus, cum quo ex Tabella posita cap. IX. num. 3 vel Tabella I. post appendicem Capitis XIII extrahes literam Dominicalem, illa enim seruit pro anno Alexandrino vsq; ad diem 5. *Tiby* ideſt Decembris 31. inclusiuè: deinceps enim Cyclo Solis sequenti vsurpanda est litera sequens in dictis Tabellis, nec mutanda nisi die 24. Februarij posteriori anni Bissextilis.

Deinde ijsdem annis Christi adde vnitatem, & summam diuide per 19. si nulla fractio restat, aureus numerus est 19. si fractio, Numerator fractionis erit aureus numerus quæsitus, sed seruiens anno Alexandrino præcedenti; quibus si addas vnitatem, & abijcias 19. si summa excedat 19. habebis aureum numerum seruientem anno Alexandrino toti. Tandem si aureus numerus sit 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Annus est Embolimæus apud Alexandrinos; reliqui sunt communes.

Exemplum I. de quo ante Canones; annus Diocletiani 76. per Canonem I. inijt anno Christi 359. & quidem per Canonem III. à die 30. Augusti additis 9. fiunt anni 368. quibus diuisis per 28. Quotus est 13 $\frac{4}{28}$. ergo Solis Cyclus 4. eiusq; litera C. seruit toti anno Romano 359. & Alexandrino vsq; ad Tiby 5. seu Decembris 31 inclusiuè; deinceps autem Cyclus Solis est 5. & literæ B A quarum prior seruit vsq; ad 24. Februarij, seu 30. *Mechir*. posterior autem A, vsq; ad reliquum anni, quia annus Christi 360. fuit Bissextilis. Deinde addita vnitate annis Christi 359. fiunt 360. quibus per 19. diuisis, Quotus est 18. $\frac{18}{19}$. Ergo aureus numerus 18. seruit pro toto anno Christi 359. & pro Alexandrino 75. sed Alexandrino 76. debetur 19. vnde colligitur annum hunc, quoad Lunationes Embolimæum fuisse. Eadem Methodo inuenies in 2. Exemplo S. Ambrosij anno Christi 387. incœpisse Diocletiani annum 105. seu à die 30. Augusti, quia erat tertius post Bisextilem, & Cyclum Solis 4. ac literam C. seruisse vsque ad Kalendas Ianuarij, deinceps verò Cyclum 5. & literas B A. Cyclum autem Lunæ fuisse 8. adeoq; annum Embolimæum.

CANON V.

Dato Anno Diocletiani, mense ac die Aegyptio, inuenire mensem ac diem Iulianum, imò & feriam ei respondentem, & vicissim dato Anno Christi non minore annis 283. Mense; ac die Iuliano, inuenire mensem ac diem Aegyptium, seu Alexandrinum feriamq; ipsi respondentem.

Conuersis annis in annos per Canonem I. aut II. & comperto per Canonem III. an annus sit intercalaris, & per Canonem IV. repertis Cyclo Solis cum litera Dominicali, Cycloq; Lunæ, seu aureo numero, Consule Calendarium Alexandrinum his Canonibus præmissum. Prima enim Columella continet dies Mensium Iulianorum; secunda dies mensium Ægyptiorum, quando annus præcedens fuit communis; tertia dies mensium Ægyptiorum, quando annus præcedens dato anno Diocletiani fuit intercalaris, seu Bisextò æquiualens; Quarta columna continet literas Dominicales, ex quibus dices feriam, iuxta distantiam à Litera Dominicali.

Exemplum de quo supra propositum initio Canonum, fuit annus Diocletiani 76. qui per Can. I. incœpit Christi anno 359. ideſt à die 30. Augusti, quia per Canonem III. annus Diocletiani 75. fuit intercalaris, ergo dies 23. Maij coincidit cum 28. *Pharmuthi*, vt habet S. Ambrosius, cui respondet litera A, competens anno 360. post diem 24. Februarij; quare dies 28. Pharmuthi, seu Aprilis 23. fuit feria 1. & dies 24. Aprilis feria 2. & ita deinceps.

CANON VI.

In Kalendario Alexandrino inuenire Nouilunia, & præcipuè Paschalia, ipsamq; diem Paschatis.

Repertis per Canonem IV. Cyclis Lunæ, Solisque & litera Dominicali, quære in kalendarij Alexandrini columna quinta Cyclũ Lunæ, ideſt aureum numerum, dies enim ipsi adscripta est dies Nouilunij ciuilis. Iam si à Nouilunio Phamenoth mensis inclusiuè numerando dies 14. Luna decima quarta cadat ante diem 21. Martij, seu 25. ipsius Phamenoth, illud Nouilunium non est Paschale, sed subsequens Nouilunium; si verò incidat in 21. Martij, vel post, Nouilunium erit Paschale. Deinde si decima quinta dies Nouilunij Paschalis sit Dominica, illa ipsa erit dies legitima Paschatis Christianorum, alioquin expectanda est proximè secutura Dominica.

Exemplum de quo sæpius supra. Anno Diocletiani 76. ideſt inito in anno Christi 359. & quoad menses Paschales concurrente cum anno 360. Aureus numerus Alexandrinorum fuit 19. cui in kalendario respondet dies 9. Phamenoth, & Martij 5. hinc inclusiuè numerando dies 14. deuenitur ad 22. Phamenoth, seu 18. Martij, ergo illud Nouilunium non fuit Paschale. Nouilunium autem Pharmuthi, vt monstrat aureus 19. fuit die 8. Pharmuti, seu 3. Aprilis, inde numerando inclusiuè dies 14. deuenitur ad 22. Pharmuthi, seu 17. Aprilis, quibus adscripta est litera B, at litera Dominicalis eo anno erat A, & hæc in progressu non inuenitur prius, quàm die 28. Pharmuthi, seu 23. Aprilis, ergo Pascha fuit die hoc 23. prorsus, vt scripsit S. Ambrosius.

CAPVT XXVII.

De Kalendario Romano Christianorum vetere vsque ad Gregorianam Reformationem à plerisq; vsitato.

DIxi à plerisque, quia etiam post Nicænum Concilium, immò post introductum Cyclum Dionysianum, aliqui Latinorum in Occidente, si Luna XIV. incidisset in Sabbathum, & diem Æquinoctij, aut post Æquinoctium, nolebant tamen die xv. Lunæ, quamuis esset Dominica dies, celebrare Pascha, quia nolebant celebrare Passionem Domini ante Lunam xiv. & ideo differebant Pascha in alteram Dominicam. Præterea in Embolimæis mensibus à Nicæno Cyclo seu Alexandrino dissidebant, vt videre est apud Petauium l. 2. c. 63. sed maior pars Latinorum occidentalium acceptauit Cyclum Dionysianum, qui tandem apud omnes vsum obtinuit vsque ad Reformationem Kalendarij factam à Gregorio XIII.

2. Dionysius itaque Abbas cognomento *Exiguus*, licet conatus fuisset fulcire Cyclum Cyrilli Alexandrini, postea tamen anno Domini 525. instaurauit Cyclum Victorij annorum 532. nempe consurgentem ex Cyclo Solis 28. ducto per Lunæ Cyclum 19. & quamuis studuerit kalendarium Alexandrinum, quod à die 29. Augusti incipiebat, traducere ad Romani Calendarij initium; noluit tamen annos computare à Diocletiano impio persecutore, sed à Christi Redemptoris nostri Incarnatione, vt ipsemet scribit Epistola 2. ad Petronium. Sed quia cum Alexandrinis volebat aureum numerum I. in principio cycli collocare; anno autem primo Epochæ Christianæ à maioribus tradito currebat, aureus 2. & cyclus Solis x. ideò initium cycli posuit anno 1. ante Epocham Christi, cum verò Epocham auspicari vellet ab Incarnatione Christi, quam putabat anno sequenti factam, huic anno tribuit aureum numerum 2. Aliud est enim initium cycli, aliud Epochæ. Plura de structura Cycli Dionysiani docet Petauius l. 6. de Doctrina Temporum à cap. v. contra Paulum Episcopum Forosempronienſem, quæ nobis minimè ad Chronologicum negotium necessaria sunt; Sufficitq; nobis kalendarium Romanum à Dionysio, & posteà à Beda instauratum exhibere, vt iacet apud eos, & Clauium, eiusq; vsum breuiter indicare, cum à Concilio Nicæno vsq; ad Gregorianam correctionem plurimi Latinorum vsi sint illo.

KALENDARIVM Ecclesiasticum ab anno 327. ad annum Domini 1582.

Cyclus Solis	Literæ Dominic.	Ianuarius.			Februarius.			Martius.			Aprilis.		
		Dies	Lit.	Aur.	Dies	Lit.	Aur.	Dies	Lit.	Aur	Dies	Lit.	Aur.
i.	G F	1	A	3	1	D	.	1	D	3	1	G	.
ii.	E	2	B	.	2	E	11	2	E	.	2	A	11
iii.	D	3	C	11	3	F	19	3	F	11	3	B	.
iv.	C	4	D	.	4	G	8	4	G	.	4	C	19
v.	B A	5	E	19	5	A	.	5	A	19	5	D	8
vi.	G	6	F	8	6	B	16	6	B	8	6	E	16
vii.	F	7	G	.	7	C	5	7	C	.	7	F	5
viii.	E	8	A	16	8	D	.	8	D	16	8	G	.
ix.	D C	9	B	5	9	E	13	9	E	5	9	A	13
x.	B	10	C	.	10	F	2	10	F	.	10	B	2
xi.	A	11	D	13	11	G	.	11	G	13	11	C	.
xii.	G	12	E	11	12	A	10	12	A	2	12	D	10
xiii.	F E	13	F	.	13	B	.	13	B	.	13	E	.
xiv.	D	14	G	10	14	C	18	14	C	10	14	F	18
xv.	C	15	A	.	15	D	7	15	D	.	15	G	7
xvi.	B	16	B	18	16	E	.	16	E	18	15	A	.
xvii.	A G	17	C	7	17	F	15	17	F	7	17	B	15
xviii.	F	18	D	.	18	G	4	18	G	.	18	C	4
xix.	E	19	E	15	19	A	.	19	A	15	19	D	.
xx.	D	20	F	4	20	B	12	20	B	4	20	E	12
xxi.	C B	21	G	.	21	C	1	21	C	.	21	F	1
xxii.	A	22	A	12	22	D	.	22	D	12	22	G	.
xxiii.	G	23	B	1	23	E	9	23	E	1	23	A	9
xxiv.	F	24	C	.	24	F	.	24	F	.	24	B	.
xxv.	E D	25	D	9	25	G	17	25	G	9	25	C	17
xxvi.	C	26	E	.	26	A	6	26	A	.	26	D	6
xxvii.	B	27	F	17	27	B	.	27	B	17	27	E	.
xxviii.	A	28	G	6	28	C	14	28	C	6	28	F	14
		29	A	.				29	D	.	29	G	3
		30	B	14				30	E	14	30	A	.
		31	C	3				31	F	3			

Maius.

Dies	Lit.	Aur.
1	B	11
2	C D	.
3	D	19
4	E	8
5	F	.
6	F G	16
7	A	5
8	B	.
9	C	13
10	C D	2
11	E	.
12	F	10
13	G	.
14	A B	18
15	C	7
16		.
17	D	15
18	D E	4
19	E F	.
20	G	12
21	A	1
22	A B	.
23	C D	9
24	D	.
25	E	17
26	E F	6
27	G	.
28	A	14
29	B	3
30	C	.
31	D	11

Iunius.

Dies	Lit.	Aur.
1	E	.
2	F	19
3	F G	8
4	A	16
5	B	5
6	B C	.
7	C D	13
8	D E	2
9	F	.
10	F G	10
11	A	.
12	A B	18
13	C	7
14	C D	.
15	E	15
16	E F	4
17	G	.
18	G A	12
19	B	1
20	B C	.
21	D	9
22	D E	.
23	F	17
24	F G	6
25	A	.
26	A B	14
27	C	3
28	C D	.
29	E	11
30	F	.

Iulius.

Dies	Lit.	Aur.
1	G	19
2	G A	8
3	B	.
4	B C	16
5	D	5
6	D E	.
7	F	13
8	F G	2
9	A	.
10	A B	10
11	C	.
12	C D	18
13	E	7
14	E F	.
15	G	15
16	G A	4
17	B	.
18	B C	12
19	C D	1
20	D E	.
21	F	9
22	F G	.
23	A	17
24	A B	6
25	C	.
26	C D	14
27	D E	3
28	E F	.
29	G	11
30	G A	19
31	A B	.

Augustus.

Dies	Lit.	Aur.
1	G	8
2	C D	16
3	E	5
4	F	.
5	G	13
6	G A	2
7	B	.
8	B C	10
9	C	.
10	D	18
11	D E	7
12	E F	.
13	F G	15
14	A	4
15	A B	.
16	B C D	12
17	D	1
18	D E	.
19	E F	9
20	F G	.
21	G	17
22	G A	6
23	A	.
24	A B	14
25	B	3
26	B C	.
27	C	11
28	C D	19
29	D	.
30	D E	8
31	E	.

September.

Dies	Lit.	Aur.
1	F	16
2	F G	5
3	A	.
4	A B	13
5	B	2
6	C D	.
7	D E	10
8	E F	.
9	F	18
10	G A	7
11	B	.
12	B C	15
13	C	4
14	D E	.
15	E F	12
16	F G	1
17	G	.
18	A B	9
19	B	.
20	C D	17
21	D	6
22	E F	.
23	F G	14
24	G A	3
25	A	.
26	B C	11
27	C D	19
28	D E	.
29	E	8
30	F G	.

October.

Dies	Lit.	Aur.
1	A	16
2	B	5
3	B C	13
4	C D	2
5	D	.
6	E F	10
7	F G	.
8	G A	18
9	A	7
10	B C	.
11	C D	15
12	D E	4
13	E	.
14	F G	12
15	A	1
16	A B	.
17	B	9
18	C D	.
19	D E	17
20	E F	6
21	F	.
22	G A	14
23	A B	3
24	B C	.
25	C	11
26	D E	19
27	E F	.
28	F G	8
29	G	.
30	A B	16
31	B C	5

Nouember.

Dies	Lit.	Aur.
1	D	.
2	D E	13
3	E F	2
4	F G	.
5	G	10
6	A B	.
7	B C	18
8	C D	7
9	D	.
10	E F	15
11	F G	4
12	G A	.
13	A	12
14	B C	1
15	C D	.
16	D E	9
17	E	.
18	F G	17
19	G A	6
20	A B	.
21	B	14
22	C D	3
23	D E	.
24	E F	11
25	F	19
26	G A	.
27	A B	8
28	B C	.
29	C	16
30	D E	5

December.

Dies	Lit.	Aur.
1	F	13
2	F G	2
3	A	.
4	A B	10
5	B	.
6	C D	18
7	D E	7
8	E F	.
9	F	15
10	G A	4
11	A B	.
12	B C	12
13	C	1
14	D E	.
15	E F	9
16	F G	.
17	G	17
18	A B	6
19	B C	.
20	C D	14
21	D	3
22	E F	.
23	F G	11
24	G A	19
25	A	.
26	B C	8
27	C D	.
28	D E	16
29	E	5
30	F G	.
31	G A	13

VSVS KALENDARII ECCLESIASTICI Romani Antiqui.

CANON I.

Dato Anno Epochæ Christi, inuenire sitne Bissextilis, an Communis, & Cyclum Lunæ, seu Aureum numerum, & Cyclum Solis, ac Literam Dominicalem, & Feriam diei dato Mensis Iuliani respondentem.

PRimò, Annos datos diuide per 4. si nulla fractio in Quotiente restat, Annus ille est Bissextilis; si fractio aliqua, erit Communis, & Numerator fractionis indicabit ordinem post Bissextilem. Esto annus 1452. Christi diuiso hoc numero per 4. Quotiens est 363. absq; fractione, ergo annus 1452. fuit Bissextilis; at annus 1453. fuit primus post Bisextilem, quia Quoties est 363 $\frac{1}{4}$.

Secundò, Annos Christi datos vnitate auctos diuide per 19. si nulla fractio restat in Quotiente, Aureus numerus anni dati est 19. si fractio aliqua supereſt, numerator fractionis est Aureus numerus anni dati. Esto annus 1453. adde 1. fit 1454. hoc diuiso per 19. quotiens est 76. $\frac{10}{19}$. ergo aureus illius anni fuit 10.

Tertiò, Annis Christi datis adde 9. & summam diuide per 28. si nulla fractio restat in quotiente, Solis Cyclus illius anni est 28: si fractio aliqua; Numerator fractionis est Cyclus Solis quæsitus. Sic anno 1453. adde 9. fiunt 1462. quibus diuisis per 28. Quotiens est 52. $\frac{6}{28}$. ergo Cyclus Solis anni 1453. fuit 6. cui in prima Tabella kalendarij præmissi respondet litera G, sed anno 1452. Bissextili Cyclus Solis fuit 5. & prior litera B, posterior à die 24. Februarij fuit litera A.

Quartò, Quære cui diei mensis dati proximè præcedenti diem datum adscripta sit litera Dominicalis, nam si adscripta sit diei datæ, erit illa feria I. seu dies Dominica, alioquin numerando dies ab illo, cui adscripta est litera Dominicalis inclusiuè, vsq; ad diem datum, habebis numerum feriæ illi congruentem. Esto annus 1453. dies 29. Maij, quo à Turcis capta fuit Constantinopolis; litera enim G, huic anno congruens est adscripta diei 27. Maij, inde inclusiuè vsq; ad 29. sunt dies 3. Ergo dies 29. incidit in feriam 3. seu diem Martij.

CANON II.

Nouilunia, & Plenilunia Ciuilia, vel Ecclesiastica, & dies Lunæ respondentes diei Mensis Iuliani datæ in Anno Epochæ Christi dato ante Anni 1582. Octobrem.

PRimò per Canonem I. quære Aureum numerum; & hunc ipsum require in prima columna mensium Kalendarij præmissi, dies enim, qui siniſtrorsum respondet Aureo numero, est dies Nouilunij Ciuilis, seu Ecclesiastici, à quo inclusiuè numerando alios dies habebis ætatem Lunæ, & dies xv. indidem numeratus retroante, aut porrò est dies Plenilunij Ciuilis, seu Ecclesiastici. Sic anno 1453. aureus numerus fuit 10. cui pro die nouilunij respondet in Ianuario dies 14. in Februario dies 12. in Martio 14. in Aprili dies 12. in Maio 12. & ita de reliquis, ideoque Plenilunium Ianuarij fuit die 28. & Februarij 28. & Martij 28. & Aprilis 28. & Maij 26. Proinde dies 29. Maij, quo capta fuit Constantinopolis, fuit dies 18. Lunæ.

CANON III.

Dato Epochæ Christi Anno non excedente annos 1582. Inuenire Nouilunium Paschale, & diem Paschatis, ac reliqua festa Mobilia.

PRimò per Canones duos præcedentes, Quære Cyclos Solis, & Lunæ cum litera Dominicali, & Nouilunium Ecclesiasticum Martij: nam si illud contingat die 8. Martij, aut post diem 8. erit Nouilunium Paschale; si verò ante diem 8. non erit Paschale, sed expectandum est Nouilunium sequens.

Secundò numera à die Nouilunij Paschalis inclusiuè dies 15. nam si decimusquintus dies, incidat in Dominicam diem, vt ex litera Dominicali disces, ille erit dies Paschatis apud plerosq; Latinos vsitatus, aliqui enim in hoc casu, ne Passionem Domini celebrarent XIV. Luna expectabant alteram Dominicam, quæ tamen ab omnibus expectanda fuit, si xv. dies Lunæ non incidebat in diem Dominicam.

Tertiò numera inclusiuè à die Paschatis dies 40, & habebis diem Ascensionis Dominicæ, & hinc dies 10. & habebis Dominicam Pentecostes, & hinc dies 11. & habebis Corpus Christi. Sic anno 1453. quia Nouilunium Martij incidit, vt supra vidimus in diem 14 fuit Paschale, à quo inclusiuè numeratis 15. diebus deuenitur ad diem 28. Martij sed litera G ostendit Pascha die 1. Aprilis; & Ascensionem Maij 10. & Pentecostem Maij 20. & Corpus Domini 31. Maij.

Sed expeditissimè id consequi poteris per Tabulam Paschatis legitimi ponendam infra post kalendarium Gregorianum ante caput xxix. vbi dies Paschæ adnotati sunt ab anno 1. ad 1700.

CAPVT XXVIII.

De Kalendario Gregoriano.

1 NOn est nobis necessarium ad Chronologiam, fusiùs explicare formam, & fundamenta Gregoriani Kalendarij, aut illud propugnare contra Sectarios, alioſue oblocutores. Præstiterunt vtrumq; egregiè tres ex Soc. nostra Clauius in expositione dicti kalendarij, & in eiusdem Apologia contra Mæstlinum; Dionysius Petauius de Doctrina Temporum libro 5. toto, e lib. 6. c. 29. & l. 7. c. 12. & Paulus Guldinus in Refutatione Elenchi contra Gregorianum Kalendarium conscripti à Setho Caluisio, & sanè pro illius commendatione sufficeret non solùm approbatio, & acceptatio facta ab vniuersis penè Principibus, & Academijs Catholicis, sed Dei ipsius suffragium, qui in Miraculis perpetuis, & certo diei anni patrari solitis, se accomodauit diebus Kalendarij Gregoriani, vt in Ebullitione sanguinis S. Ianuarij Neapoli, in virga arida, quam S. Geltrudis Sueciæ in Vigilia Natalis Domini plantauit in horto sui Monasterij, impetrauitq; vt ad honorem triplicis Virginitatis Deiparæ Virginis Mariæ, folia, & breui interuallo flores, & paulo post fructus eadem nocte produceret, quod miraculum etiam diu post Gregorianam correctionem quotannis instaurabatur, nosq; dum Parmæ essemus anno ni fallor 1629. vidimus ramusculum ex ea arbore missum à P. Nigronio ex Aula Viennensi. Cæterum ad Vsum huius kalendarij melius percipiendum, quædam præcipua fundamenta breuissimè præmittemus, & causas reformationis. Quæ ad tria demum capita reuocantur, nempe ad Æquinoctij restitutionem in diem 21. Martij per exemptionem dierum X, ad Nouilunia per Epactas meliùs, quàm per aureos numeros antiquos designanda, et ad Cycli Solaris ordinem nouum ex dierum X. exemptione ortum.

I Cum Pascha ex Dei præscripto, ac Patrum celebrandum sit mense primo verni temporis, et ille sit mensis primus verni temporis, cuius Luna xiv. incidit in Æquinoctium vernum, aut proximè illud subsequitur, dies autem

Æqui-

Æquinoctij verni ciuiliter à Sosigene propter antiquos fastos, & Agricolarum opinionem collocatum esset ad diem 25. Martij, tempore autem Christi accideret die 24. Martij, & tempore Concilij Nicæni, siue anno Christi 325, vel 327. obseruatum esset fieri die 21. Martij, propterea Patres illius Concilij illud statuerunt in kalendario ad diem 21. Martij, & ex eo terminos Paschales determinarunt. Sed quia Sosigenes assumpsit annum Solarem dierum 365. & horarum 6. quibus horis quadriennio collectis, vnum diem addendum quarto quoque anno censuit post *sextam Kalendas Martij*, pronunciando etiam die sequenti, iterum seu *bis sexto kal. Martij*, vnde *Bissextilis* anni cognomentum ortum est; reuera autem annus Solaris breuior est, nempe iuxta nostram in Astronomia reformata sententiam, dierum 365. h. 5. min. 48. sec. 48. desuntq; ad horas 6. minuta 11. & secunda 12. quæ annis quatuor efficiunt minuta 44. & secunda 48. ideo quarto quoq; anno Iuliano Sol ad initium Arietis reuertitur totidem Minutijs citiùs, quàm in anno Iuliano supponatur. Iam si annis 4. Præcedunt Æquinoctia in cœlo, Æquinoctium ciuile Iulianum Minutis horarijs 44. & secundis 48. vtique annis 113. $\frac{3}{4}$. præcedunt vno integro die, & annis 341. diebus 3. & annis 1257. quot sunt à Concilio Nicæno ad Gregorianam correctionem, præcessio illa euasit dierum 11. Esto iuxta Alphonsinam anni quantitatem, quam Reformatores Kalendarij secuti sunt, euaserit dierum 10. Iamq; Astronomi etiam ante Tychonem obseruarant Æquinoctium fieri multis diebus ante 21. Martij; ipse verò Tycho anno 1584. illud obseruauit die 9. Martij hora 21. min. 39. post merid. & anno 1585. die 10. Martij hor. 3. min. 19. vt refert tom. 1. progymn. pag. 13. Hinc factum est, vt omnes Lunationes, quarum dies xiv. incidebat ante 21. Martij, reiectæ sint tanquam non Paschales, cùm tamen omnes illæ quæ

Anni Christi.	Aequinoctium Vernum Martij.
0	24
325	21
439	20
553	19
667	18
781	17
895	16
1009	15
1223	14
1237	13
1351	12
1465	11
1579	10

incidebant in Æquinoctij diem verum, aut, post, essent Paschales; Æquinoctium enim fiebat circa dies, quos vides in hoc laterculo. Proinde sæpius accidit, vt Pascha celebratum sit 7. diebus tardiùs, quàm oportebat, immò non rarò diebus 28. & aliquando 35. tardius, vt accidit eo ipso seculo correctionis, annis 1565. 1568. 1576. & 1579.

Huic igitur errori, qui futuris seculis crescere adeò poterat, vt Natalis Christi incideret in tempus vernum; occursum est, exemptis ex Octobri anni 1582. decem diebus, & die 5. Octobris numerata tanquam 15. vnde factum est, vt Æquinoctij dies anno sequenti non 11. sed 21. diem Martij occuparit; anno enim illo 1582. iam omnia discussa erant à Mathematicis ad correctionem necessaria, & iam consensum per literas dederant Principes, & Respublicæ, ac pleræque Academiæ Catholicæ, & inter 5. ac 15. Octobris non erant tot festi dies Sanctorum, quot in alijs multis mensibus, & minori cum perturbatione facta est eo mense mutatio; Quemadmodum ad minus perturbanda Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ kalendaria, in quibus Pascha ex 21. die Martij, iuxta Nicæni Concilij decreta determinatum erat, placuit Æquinoctium reducere ad diem potius 21. Martij, quam aut ad 24. vt erat Christi tempore, aut retinere illud ad diem 11. Martij in quo repertum fuerat tempore correctionis Gregorianæ; Ne autem Aequinoctium retrocederet, vt antea, iussum fuit, vt ex 4. centenarijs annis vnus tantum Bissextilis esset, vt tribus diebus omissis compensaretur præcessio, quæ annis circiter 400. est totidem dierum.

3. Præcessio quoq; Nouiluniorum fuit altera causa reformandi Kalendarij. Iam enim per quatuor dies citius contingebant, quàm per aureos numeros in veteri kalendario indicabantur; ideoque sæpe Pascha dilatum fuit vltra quàm oportebat. Qui error maior deinceps euasisset, adeo, vt Pascha in ipsum diem Nouilunij relapsum esset, nisi ei occursum esset. Causa huius præcessionis Lunaris est, quia in Cyclo Metonico ab Alexandrinis, & postea à Latinis recepto, supponitur annis 19. Solaribus Iulianis Nouilunia reuerti ad idem ciusdem mensis dieiq; & horæ momentum, fierique Lunationes 235. præcisè, dando vnicuiq; Lunationi ciuiliter & alternis dies 30. & 29. sed reuera mensis Lunaris medius est dierum 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. & Tert. 10. vt nos censemus vel Tert. 11. vt Prutenicæ Tabulæ, quas elegerunt Reformatores kalendarij, ideoq; in annis 19. Solaribus Iulianis, computatis Bissextilibus continentur dies 6939. horæq; 18. at Lunationes, mediæ 235. exigunt duntaxat dies 6939. horasq; 16. min. 32. sec. 28. Tert. 5. vel iuxta nos horas 16. min. 32. sec. 24. Ter. 10. Vnde fit, vt peractis annis 19. Solaribus Iulianis, Nouilunia media anticipent hora 1. min. 27. sec. 31. Tert. 55. & iuxta nos aliquanto plus; atq; adeo post 4. Cyclos Metonicos, seu annos 76. præcedant horis 5. min. 50. sec. 7. Tert. 40. ac tandem annis 312. $\frac{1}{2}$. integro ferè die, & annis 1250. quatriduo toto citiùs quàm indicant Aurei numeri kalendarij veteris, suppositione prædicta falsa innixi; Huic verò vitio occursum est, non per 30. kalendaria, vt poterat, sed per vnicum disponendo in eo Epactas, loco Aureorum; sunt enim Epactæ dies, qui post mensem Decembrem supersunt post vltimam Lunationem, vsque ad finem anni; vt si fingamus Calendis Ianuarij fieri Nouilunium, Lunationes 12. idest annus Lunaris dierum 354. absoluetur Decembris die 20. & ad finem anni restabunt dies 11. spectantes ad decimam tertiam Lunationem; sequenti autem anno Lunationes 12. computata illa, quæ inijtà die 20. Decembris, absoluentur die 9. Decembris, & supererunt ad finem anni Epactæ dierum 22. demum anno 3. absoluentur 12. Lunationes die 28. Nouembris, & Lunatio decimatertia dierum 30. absoluetur die 28. Decembris, quare restabunt Epactæ 3. & ità deinceps. Ideo annus 3. Cycli est embolimæus: succeduntq; sibi epactæ hoc ordine 11. 22. 3. 14. 25. 6. 17. 28. 9. 20. 1. 12. 23. 4. 15. 26. 7. 18. 29. 10. 21. 2. 13. 24. 5. 16. 27. 8. 19. 30. vel 0. Ita tamen dispositæ sunt in kalendario, vt Nouilunia Ecclesiastica plerumq; posteriora sint veris, aut etiam medijs Nouilunijs, vt Ecclesia securior sit de transacta Luna 14. in qua non licet ei Pascha celebrare cum Iudæis. Quod si alia, in quæstione facti errauit, ob suppositionem Aequinoctij, & Lunationum Metonicarum quasi nulla vtrinque Præcessio contingeret, id fuit per accidens, & ex ignoratione bona fide perseuerante. Cætera de artificio Epactarum videri possunt apud Clauium à cap. 9. ad 13. & à cap. 17. ad 20. & Petauium l. 5. à cap. 9.

4 Tertium caput Reformationis quoad ordinem literarum Dominicalium, oritur necessario, ex primo capite. Exemptis enim diebus 10. ab Octobri anni 1582. sequitur, vt feria diei 15. Octobris substituti pro die 5. non potuerit esse eadem quæ diei 5. cum feriarum Cyclus hebdomadarius sit, nec die 10. sed 7. euoluto redeat ad eandem feriã. Quare cum anno 1582. Cyclus Solis esset 23. ideoq; litera Dominicalis G, dies 5. incidit in feriam sextam, & dies 15. incidisset in feriam 2. sed abiectis 10. diebus incidit in feriam 6. & sic diei 15. pro litera A, attribuenda fuit litera E, ac reliquarum deinceps dierum literæ variandæ, sicut & annis illis, quibus alioquin Bisextilibus intermittenda est intercalatio.

5 Ad eruditionem historicam Lectoris adde, vitium kalendarij veteris iam inde ab anno 1260. detectum esse, quo Io. de Sacrobosco, & deinde Io. de Saxonia, Robertusque Lincolniensis Episcopus regulas quasdam scripserunt pro reformando Kalendario, vt fecerunt postea Petrus Philumena, Nicolaus Gregoras, & anno 1372. Isaacius Argyrus, & in Concilio Constantiensi Petrus de Aliaco Cardinalis, & Episcopus Cameracensis anno 1414. & in Concilio Basileæ Nicolaus Cardinalis Cusanus annis 1436. &

1439.

1439. & postea anno 1460. Deinde Io. Regiomantanus à Sixto IV. ad id negotij Romam euocatus, obijt anno 1476. Romæ sepultusq; est in Pantheone. Postea errores Kalendarij delati rursus sunt ad Leonem X. & Concilium Lateranense anno 1513. & 1518. scripsitq; tunc ad Leonem X. Paulus Middelburgensis Episcopus Forosempronienſis suam Summam, vt & Io. Stoeflerinus, Albertus Pighius, & Io. Ekius, rogantes eum & Maximilianum II. Imp. vt hoc negotium susciperent, suam formam reformationis exhibentes, quam postea imminente Concilio Tridentino exhibuit, ex sua intentione Petrus Pitatus, & Lucas Gauricus, alijque rogantes Pium IV. vt in hanc Reformationem incumberet. Itaq; ex eius nutu decreta fuit hæc Reformatio in Concilio Tridentino; eaq; occasione Campanus, Iosephus Moletius, Iosephus Zarlinus, sua de hoc scripta euulgarunt. Conuocatis tandem Romam harum rerum peritioribus, & per decennium discursis diuersis formulis, visa est præferenda illa, quam duo fratres Aloysius, & Antonius Lilius Veronenses excogitarant. Proinde Gregorius XIII. Anno 1577. Compendium Lilianæ formæ transmisit ad Principes Christianos, Respublicasq; & Academias Catholicas; quare cum tandem mirro consensu anno 1582. respondissent placere sibi eam formam, non est visum vlterius differre Reformationem. Superuiuenti porrò inter cæteros Christophoro Clauio Soc. nostræ mandatum est à Clemente VIII. vt explicaret prædictam formam, quod præstitit egregio volumine; respondens in fine Francisco Vietæ, qui aliam formam cum titulo Gregoriano Kalendarij ediderat. Ex eo igitur potissimum subijciemus Kalendarium Gregorianum, addemusq; illas Tabulas, quas ad Chronologicum negotium, necessarias, vel percommodas arbitramur, aliquas ex nostra industria illis inferentes. Post Kalendarium autem subiungemus Tabulam Paschatis legitimi ab anno 1. Christi, vsque ad annum 1700.

CALENDARIVM GREGORIANVM.

Ianuarius.				Februarius.				Martius.				Aprilis.			
Dies mens	L.D	Epa.		Dies mens	L.D.	Epa.		Dies mens	L.D.	Epa.		Dies mens	L.D.	Epa.	
1	A	*		1	d	29		1	d	*		1	g	29	
2	b	29		2	e	28		2	e	29		2	A	28	
3	c	28		3	f	27		3	f	28		3	b	27	
4	d	27		4	g	26	xxv.	4	g	27		4	c	26	xxv.
5	e	26		5	A	24	xxv.	5	A	26		5	d	24	xxv.
6	f	25	xxv.	6	b	23		6	b	25	xxv.	6	e	23	
7	g	24		7	c	22		7	c	24		7	f	22	
8	A	23		8	d	21		8	d	23		8	g	21	
9	b	22		9	e	20		9	e	22		9	A	20	
10	c	21		10	f	19		10	f	21		10	b	19	
11	d	20		11	g	18		11	g	20		11	c	18	
12	e	19		12	A	17		12	A	19		12	d	17	
13	f	18		13	b	16		13	b	18		13	e	16	
14	g	17		14	c	15		14	c	17		14	f	15	
15	A	16		15	d	14		15	d	16		15	g	14	
16	b	15		16	e	13		16	e	15		16	A	13	
17	c	14		17	f	12		17	f	14		17	b	12	
18	d	13		18	g	11		18	g	13		18	c	11	
19	e	12		19	A	10		19	A	12		19	d	10	
20	f	11		20	b	9		20	b	11		20	e	9	
21	g	10		21	c	8		21	c	10		21	f	8	
22	A	9		22	d	7		22	d	9		22	g	7	
23	b	8		23	e	6		23	e	8		23	A	6	
24	c	7		24	f	5		24	f	7		24	b	5	
25	d	6		25	g	4		25	g	6		25	c	4	
26	e	5		26	A	3		26	A	5		26	d	3	
27	f	4		27	b	2		27	b	4		27	e	2	
28	g	3		28	c	1		28	c	3		28	f	1	
29	A	2						29	d	2		29	g	*	
30	b	1						30	e	1		30	A	29	
31	c	*						31	f	*					

Maius.

Dies	L.D.	Epa.	
1	b	28	
2	c	27	
3	d	26	
4	e	25	xxv.
5	f	24	
6	g	23	
7	A	22	
8	b	21	
9	c	20	
10	d	19	
11	e	18	
12	f	17	
13	g	16	
14	A	15	
15	b	14	
16	c	13	
17	d	12	
18	e	11	
19	f	10	
20	g	9	
21	A	8	
22	b	7	
23	c	6	
24	d	5	
25	e	4	
26	f	3	
27	g	2	
28	A	1	
29	b	*	
30	c	29	
31	d	28	

Iunius.

Dies	L.D.	Epa.	
1	e	27	
2	f	26	xxv.
3	g	24	xxv.
4	A	23	
5	b	22	
6	c	21	
7	d	20	
8	e	19	
9	f	18	
10	g	17	
11	A	16	
12	b	15	
13	c	14	
14	d	13	
15	e	12	
16	f	11	
17	g	10	
18	A	9	
19	b	8	
20	c	7	
21	d	6	
22	e	5	
23	f	4	
24	g	3	
25	A	2	
26	b	1	
27	c	*	
28	d	29	
29	e	28	
30	f	27	

Iulius.

Dies	L.D.	Epa.	
1	g	26	
2	A	25	xxv.
3	b	24	
4	c	23	
5	d	22	
6	e	21	
7	f	20	
8	g	19	
9	A	18	
10	b	17	
11	c	16	
12	d	15	
13	e	14	
14	f	13	
15	g	12	
16	A	11	
17	b	10	
18	c	9	
19	d	8	
20	e	7	
21	f	6	
22	g	5	
23	A	4	
24	b	3	
25	c	2	
26	d	1	
27	e	*	
28	f	29	
29	g	28	
30	A	27	
31	b	26	

Augustus.

Dies	L.D.	Epa.	
1	c	24	xxv.
2	d	23	
3	e	22	
4	f	21	
5	g	20	
6	A	19	
7	b	18	
8	c	17	
9	d	16	
10	e	15	
11	f	14	
12	g	13	
13	A	12	
14	b	11	
15	c	10	
15	d	9	
17	e	8	
18	f	7	
19	g	6	
20	A	5	
21	b	4	
22	c	3	
23	d	2	
24	e	1	
25	f	*	
26	g	29	
27	A	28	
28	b	27	
29	c	26	
30	d	25	
31	e	24	

September.

Dies	L.D.	Epa.	
1	f	23	
2	g	22	
3	A	21	
4	b	20	
5	c	19	
6	d	18	
7	e	17	
8	f	16	
9	g	15	
10	A	14	
11	b	13	
12	c	12	
13	d	11	
14	e	10	
15	f	9	
16	g	8	
17	A	7	
18	b	6	
19	c	5	
20	d	4	
21	e	3	
22	f	2	
23	g	1	
24	A	*	
25	b	29	
26	c	28	
27	d	27	
28	e	26	xxv.
29	f	24	xxv.
30	g	23	

October.

Dies	L.D.	Epa.	
1	A	22	
2	b	21	
3	c	20	
4	d	19	
5	e	18	
6	f	17	
7	g	16	
8	A	15	
9	b	14	
10	c	13	
11	d	12	
12	e	11	
13	f	10	
14	g	9	
15	A	8	
16	b	7	
17	c	6	
18	d	5	
19	e	4	
20	f	3	
21	g	2	
22	A	1	
23	b	*	
24	c	29	
25	d	28	
26	e	27	
27	f	26	
28	g	25	xxv.
29	A	24	
30	b	23	
31	c	22	

Nouember.

Dies	L.D.	Epa.	
1	d	21	
2	e	20	
3	f	19	
4	g	18	
5	A	17	
6	b	16	
7	c	15	
8	d	14	
9	e	13	
10	f	12	
11	g	11	
12	A	10	
13	b	9	
14	c	8	
15	d	7	
16	e	6	
17	f	5	
18	g	4	
19	A	3	
20	b	2	
21	c	1	
22	d	*	
23	e	29	
24	f	28	
25	g	27	
26	A	26	xxv.
27	b	24	xxv.
28	c	23	
29	d	22	
30	e	21	

December.

Dies	L.D.	Epa.	
1	f	20	
2	g	19	
3	A	18	
4	b	17	
5	c	16	
6	d	15	
7	e	14	
8	f	13	
9	g	12	
10	A	11	
11	b	10	
12	c	9	
13	d	8	
14	e	7	
15	f	6	
16	g	5	
17	A	4	
18	b	3	
19	c	2	
20	d	1	
21	e	*	
22	f	29	
23	g	28	
24	A	27	
25	b	26	
26	c	25	xxv.
27	d	24	
28	e	23	
29	f	22	
30	g	21	
31	A	20	xix.

TA-

TABVLA PASCHATIS LEGITIMI ab Anno 1. CHRISTI vulgari, ad Annum 1700.
Primus Numerus Annos Christi, alter Paschatis diem Martio, aut Aprili.

1	M	27	71	A.	7	141	A.	10	211	A.	14	281	M.	27	351	M.	31	421	A.	3
2	A.	16	72	M	22	142	A.	2	212	A.	5	282	A.	16	352	A.	19	422	M.	26
3	A.	8	73	A.	11	143	A.	22	213	M.	28	283	A.	1	353	A.	11	423	A.	15
4	M	23	74	A.	3	144	A.	6	214	A.	17	284	A.	20	354	M.	27	424	A.	6
5	A.	12	75	A.	23	145	M	29	215	A.	2	285	A.	12	355	A.	16	425	A.	19
6	A.	4	76	A.	7	146	A.	18	216	A.	21	286	M.	28	356	A.	7	426	A.	1
7	A.	24	77	M	30	147	A.	3	217	A.	13	287	A.	17	357	M.	23	427	A.	
8	A.	8	78	A.	19	148	M	25	218	M.	29	288	A.	8	358	A.	12	428	A.	22
9	M	31	79	A.	4	149	A.	19	219	A.	18	289	M.	24	359	A.	4	429	A.	7
10	A.	20	80	M	26	150	M	30	220	A.	9	290	A.	13	360	A.	23	430	M.	30
11	A.	5	81	A.	15	151	A.	19	221	M.	25	291	A.	5	361	A.	8	431	A.	19
12	M	27	82	M	31	152	A.	10	222	A.	14	292	A.	24	362	M.	31	432	A.	3
13	A.	16	83	A.	20	153	M	26	223	A.	6	293	A.	9	363	A.	20	433	M.	26
14	A.	8	84	A.	11	154	A.	5	224	M.	28	294	A.	1	364	A.	4	434	A.	15
15	M	24	85	A.	3	155	A.	7	225	A.	10	295	A.	21	365	M.	27	435	M.	31
16	A.	12	86	A.	16	156	M	29	226	A.	2	296	A.	5	366	A.	16	436	A.	19
17	A.	4	87	A.	8	157	A.	11	227	A.	22	297	M.	28	367	A.	10	437	A.	11
18	A.	24	88	M	30	158	A.	3	228	A.	6	298	A.	17	368	A.	2	438	M.	27
19	A.	9	89	A.	19	159	A.	23	229	M.	29	299	A.	2	369	A.	12	439	A.	16
20	M	31	90	A.	4	160	A.	14	230	A.	18	300	M.	24	370	M.	28	440	A.	1
21	A.	20	91	M	27	161	M	30	231	A.	3	301	A.	13	371	A.	17	441	M.	23
22	A.	5	92	A.	15	162	A.	19	232	M.	25	302	A.	5	372	A.	8	442	A.	12
23	M	28	93	M	31	163	A.	11	233	A.	14	303	A.	18	373	M.	31	443	A.	4
24	A.	16	94	A.	20	164	M	26	234	A.	6	304	A.	9	374	A.	13	444	A.	23
25	A.	1	95	A.	12	165	A.	15	235	A.	19	305	A.	1	375	A.	5	445	A.	8
26	A.	21	96	M	27	166	A.	7	236	A.	10	306	A.	14	376	M.	27	446	M.	31
27	A.	13	97	A.	16	167	M	23	237	A.	2	307	A.	6	377	A.	16	447	A.	20
28	M	28	98	A.	8	168	A.	11	238	A.	22	308	M.	28	378	A.	1	448	A.	11
29	A.	17	99	M	24	169	A.	3	239	A.	7	309	A.	17	379	A.	21	449	M.	27
30	A.	9	100	A.	12	170	A.	23	240	M.	29	310	A.	2	380	A.	12	450	A.	16
31	M	25	101	A.	4	171	A.	8	241	A.	18	311	A.	22	481	M.	28	451	A.	8
32	A.	13	102	A.	24	172	M	30	242	A.	5	312	A.	13	382	A.	17	452	M.	28
33	A.	5	103	A.	9	173	A.	19	243	M.	26	313	M.	29	383	A.	19	453	A.	12
34	M	28	104	M	31	174	A.	4	244	A.	14	314	A.	18	384	M.	24	454	A.	14
35	A.	10	105	A.	20	175	M	27	245	M.	30	315	A.	10	385	A.	13	455	A.	24
36	A.	1	106	A.	5	176	A.	15	246	A.	19	316	M.	25	386	A.	5	456	A.	8
37	A.	21	107	M	28	177	M	31	247	A.	11	317	A.	14	387	A.	25	457	M.	31
38	A.	6	108	A.	16	178	A.	20	248	M.	26	318	A.	6	388	A.	9	458	A.	20
39	M	29	109	A.	8	179	A.	12	249	A.	15	319	M.	22	389	A.	1	459	A.	5
40	A.	17	110	M	24	180	A.	3	250	A.	7	320	A.	10	390	A.	21	460	M.	27
41	A.	9	111	A.	13	181	A.	19	251	M.	23	321	A.	2	391	A.	6	461	A.	16
42	M	25	112	A.	4	182	A.	8	252	A.	11	322	A.	22	392	M.	28	462	A.	1
43	A.	14	113	A.	24	183	M.	38	253	A.	2	323	A.	7	393	A.	17	463	A.	21
44	A.	5	114	A.	9	184	A.	16	254	A.	23	324	M.	29	394	A.	2	464	A.	12
45	A.	25	115	A.	1	185	A.	4	255	A.	8	325	A.	18	395	M.	25	465	M.	28
46	A.	10	116	A.	20	186	M.	27	256	M.	30	326	A.	3	396	A.	13	466	A.	17
47	A.	2	117	A.	5	187	A.	16	257	A.	19	327	M.	26	397	A.	5	467	A.	9
48	A.	21	118	M	28	188	M.	31	258	A.	11	328	A.	14	398	A.	18	468	M.	31
49	A.	6	119	A.	17	189	A.	20	259	M.	27	329	A.	6	399	A.	10	469	A.	13
50	M	29	120	A.	1	190	A.	12	260	A.	15	330	A.	19	400	A.	1	470	A.	5
51	A.	18	121	A.	21	191	M.	28	261	A.	7	331	A.	11	401	A.	14	471	M.	28
52	A.	2	122	A.	13	192	A.	16	262	M.	23	332	A.	2	402	A.	6	472	A.	16
53	M	25	123	M	29	193	A.	8	263	A.	12	333	A.	22	403	M.	29	473	A.	1
54	A.	14	124	A.	17	194	M.	24	264	A.	3	334	A.	7	404	A.	17	474	A.	21
55	M	30	125	A.	9	195	A.	13	265	A.	23	335	M.	30	405	A.	2	475	A.	6
56	A.	18	126	A.	25	196	A.	4	266	A.	8	336	A.	18	406	A.	22	476	M.	28
57	A.	10	127	A.	14	197	A.	24	267	M.	31	337	A.	3	407	A.	14	477	A.	17
58	M	26	128	A.	5	198	A.	9	268	A.	19	338	A.	6	408	M.	29	478	A.	9
59	A.	1	129	M	28	199	A.	1	269	A.	4	339	A.	15	409	A.	18	479	M.	25
60	A.	6	130	A.	10	200	A.	20	270	M.	27	340	M.	30	410	A.	10	480	A.	13
61	M	29	131	A.	2	201	A.	5	271	A.	16	341	A.	19	411	M.	26	481	A.	5
62	A.	11	132	A.	21	202	M.	28	272	M.	31	342	A.	11	412	A.	14	482	A.	25
63	A.	3	133	A.	6	203	A.	17	273	A.	20	343	M.	27	413	A.	6	483	A.	10
64	A.	2	134	M	29	204	A.	8	274	A.	12	344	A.	15	414	M.	22	484	A.	1
65	A.	14	135	A.	18	205	M.	24	275	M.	28	345	A.	7	415	A.	11	485	A.	21
66	M	30	136	A.	9	206	A.	13	276	A.	16	346	A.	23	416	A.	2	486	A.	6
67	A.	19	137	M	25	207	A.	5	277	A.	8	347	A.	12	417	A.	22	487	M.	29
68	A.	10	138	A.	14	208	A.	24	278	M.	31	348	A.	3	418	A.	7	488	A.	17
69	M	26	139	A.	6	209	A.	9	279	A.	13	349	A.	23	419	M.	30	489	A.	2
70	A.	15	140	A.	25	210	A.	1	280	A.	4	350	A.	8	420	A.	18	490	M.	25

Reſiduum Tabulæ Paſchalis.

491	A.	14	561	A.	7	631	M.	24	701	A.	3	771	A.	7	841	A.	17	911	A.	21
492	A.	5	562	A.	9	632	A.	12	702	A.	23	772	M.	29	842	A.	2	912	A.	12
493	A.	18	563	M.	25	633	A.	4	703	A.	8	773	A.	18	843	A.	22	913	M.	28
494	A.	10	564	A.	13	634	A.	24	704	M.	30	774	A.	3	844	A.	13	914	A.	17
495	M.	26	565	A.	5	635	A.	9	705	A.	19	775	M.	26	845	M.	29	915	A.	9
496	A.	14	566	M.	28	636	M.	31	706	A.	4	776	A.	14	846	A.	18	916	M.	24
497	A.	6	567	A.	10	637	A.	20	707	M.	27	777	M.	30	847	A.	10	917	A.	13
498	M.	29	568	A.	1	638	A.	5	708	A.	15	778	A.	19	848	M.	25	918	A.	5
499	A.	11	569	A.	21	639	M.	28	709	M.	31	779	A.	11	849	A.	14	919	A.	25
500	A.	2	570	A.	6	640	A.	16	710	A.	20	780	M.	26	850	A.	6	920	A.	9
501	A.	22	571	M.	29	641	A.	8	711	A.	12	781	A.	15	851	M.	22	921	A.	1
502	A.	14	572	A.	17	642	M.	24	712	A.	3	782	A.	7	852	A.	10	922	A.	21
503	M.	30	573	A.	19	643	A.	13	713	A.	19	783	M.	25	853	A.	2	923	A.	6
504	A.	18	574	M.	25	644	A.	4	714	A.	8	784	A.	11	854	A.	22	924	M.	28
505	A.	10	575	.	14	645	A.	24	715	M.	31	785	A.	2	855	A.	7	925	A.	17
506	M.	26	576	A.	5	646	A.	9	716	A.	16	786	A.	23	856	M.	29	926	A.	2
507	A.	15	577	A.	25	647	A.	8	717	A.	4	787	A.	8	857	A.	18	927	M.	25
508	A.	6	578	A.	10	648	A.	20	718	M.	27	788	M.	30	858	A.	3	928	A.	13
509	M.	22	579	A.	2	649	A.	5	719	A.	16	789	A.	19	859	M.	26	929	A.	5
510	A.	11	580	A.	21	650	M.	28	720	M.	31	790	A.	11	860	A.	14	930	A.	18
511	A.	3	581	A.	6	651	A.	17	721	A.	20	791	M.	27	861	A.	6	931	A.	10
512	A.	22	582	M.	29	652	A.	1	722	A.	12	792	A.	15	862	A.	19	932	A.	1
513	A.	7	583	A.	18	653	A.	21	723	M.	28	793	A.	7	863	A.	11	933	A.	14
514	M.	30	584	A.	2	654	A.	13	724	A.	16	794	M.	23	864	A.	2	934	A.	6
515	A.	19	585	M.	25	655	M.	29	725	A.	8	795	A.	12	865	A.	22	935	M.	29
516	A.	3	586	A.	14	656	A.	17	726	M.	24	796	A.	3	866	A.	7	936	A.	17
517	M.	26	587	M.	30	657	A.	9	727	A.	13	797	M.	23	867	M.	30	937	A.	2
518	A.	15	588	A.	18	658	M.	25	728	A.	4	798	A.	8	868	A.	8	938	A.	22
519	M.	31	589	A.	20	659	A.	14	729	A.	24	799	M.	31	869	A.	3	939	A.	14
520	A.	19	590	M.	26	660	A.	5	730	A.	9	800	A.	19	870	M.	26	940	M.	29
521	A.	11	591	A.	15	661	M.	28	731	A.	1	801	A.	4	871	A.	15	941	A.	18
522	A.	3	592	A.	6	662	A.	10	732	A.	20	802	M.	27	872	M.	30	942	A.	10
523	A.	16	593	M.	29	663	A.	2	733	A.	5	803	A.	16	873	A.	19	943	M.	26
524	A.	7	594	A.	11	664	A.	21	734	M.	28	804	M.	31	874	A.	11	944	A.	14
525	M.	30	595	A.	3	665	A.	6	735	A.	17	805	A.	20	875	M.	27	945	A.	6
526	A.	19	596	A.	22	666	M.	29	736	A.	8	806	A.	12	876	A.	15	946	M.	22
527	A.	4	597	A.	14	667	A.	18	737	M.	24	807	M.	28	877	A.	7	947	A.	11
528	M.	26	598	M.	30	668	A.	9	738	A.	13	808	A.	16	878	M.	23	948	A.	2
529	A.	15	599	A.	19	669	M.	25	739	A.	5	809	A.	8	879	A.	12	949	A.	22
530	M.	31	600	A.	10	670	A.	14	740	A.	24	810	A.	31	880	A.	3	950	A.	7
531	A.	20	601	M.	26	671	A.	6	741	A.	9	811	A.	13	881	M.	23	951	M.	30
532	A.	11	602	A.	15	672	A.	25	742	A.	1	812	A.	4	882	A.	8	952	A.	18
533	M.	27	603	A.	7	673	A.	10	743	A.	14	813	M.	27	883	M.	31	953	A.	3
534	A.	16	604	M.	22	674	A.	3	744	A.	5	814	A.	16	884	A.	19	954	M.	26
535	A.	8	605	A.	11	675	A.	22	745	M.	28	815	A.	1	885	A.	11	955	A.	15
536	M.	23	606	A.	3	676	A.	6	746	A.	17	816	A.	20	886	M.	27	956	A.	6
537	A.	12	607	A.	23	677	M.	29	747	A.	2	817	A.	12	887	A.	16	957	A.	19
538	A.	4	608	A.	7	678	A.	18	748	A.	21	818	M.	28	888	A.	7	958	A.	11
539	A.	24	609	M.	30	679	A.	3	749	A.	13	819	A.	17	889	M.	23	959	A.	3
540	A.	8	610	A.	19	680	M.	25	750	M.	29	820	A.	8	890	A.	12	960	A.	22
541	M.	31	611	A.	4	681	A.	14	751	A.	18	821	M.	24	891	A.	4	961	A.	7
542	A.	20	612	M.	26	682	M.	30	752	A.	9	822	A.	13	892	M.	23	962	M.	30
542	A.	5	613	A.	15	683	A.	19	753	M.	25	823	A.	5	893	A.	8	963	A.	19
543	M.	27	614	M.	31	684	A.	10	754	A.	14	824	A.	24	894	M.	31	964	A.	3
545	A.	16	615	A.	20	685	M.	26	755	A.	6	825	A.	9	895	A.	20	965	M.	26
546	A.	8	616	A.	11	686	A.	15	756	M.	28	826	A.	1	896	A.	4	966	A.	15
547	M.	24	617	A.	3	687	A.	7	757	A.	10	827	A.	12	897	M.	27	967	M.	31
548	A.	12	618	A.	10	688	M.	29	758	A.	2	828	A.	5	898	A.	16	968	A.	19
549	A.	4	619	A.	8	689	A.	11	759	A.	22	829	M.	28	899	A.	10	969	A.	11
550	A.	24	620	M.	30	690	A.	3	760	A.	6	830	A.	17	900	A.	2	970	M.	27
551	A.	9	621	A.	19	691	A.	23	761	M.	29	831	A.	2	901	A.	12	971	A.	16
552	M.	31	622	A.	4	692	A.	14	762	A.	18	831	M.	24	902	M.	28	972	A.	7
553	A.	20	623	M.	27	693	M.	31	763	A.	3	833	A.	13	903	A.	17	973	M.	23
554	A.	5	624	A.	15	694	A.	19	764	M.	25	834	A.	5	904	A.	8	974	A.	12
555	M.	28	625	M.	31	695	A.	11	765	A.	14	835	A.	18	905	M.	31	975	A.	4
556	A.	16	626	A.	20	696	M.	26	766	A.	6	836	A.	9	906	A.	13	976	M.	23
557	A.	1	627	A.	12	697	A.	15	767	A.	19	837	A.	1	907	A.	5	977	A.	8
558	A.	21	628	M.	27	698	A.	7	768	A.	10	838	A.	14	908	M.	27	978	M.	31
559	A.	13	629	A.	16	699	M.	23	769	A.	2	839	A.	6	909	A.	16	979	A.	20
560	M.	28	630	A.	8	700	A.	11	770	A.	22	840	M.	28	910	A.	1	980	A.	11

Residuum Tabulæ Paschalis.

981	M.	27	1051	M	31	1121	A.	10	1191	A	14	1261	A	24	1331	M	31	1401	A.	3
982	A.	16	1052	A.	19	1122	M	26	1192	A	5	1262	A	9	1332	A.	19	1402	M	26
983	A.	8	1053	A.	11	1123	A.	15	1193	M	28	1263	A	1	1333	A.	4	1403	A.	15
984	M.	23	1054	A.	3	1124	A.	6	1194	A	10	1264	A	20	1334	M	27	1404	M	30
985	A.	12	1055	A.	16	1125	M	29	1195	A	12	1265	A	5	1335	A.	16	1405	A.	19
986	A.	4	1056	A.	17	1126	A.	11	1196	A	21	1266	M	28	1336	M	31	1406	A.	11
987	A.	24	1057	M	30	1127	A.	3	1197	A	6	1267	A	17	1337	A.	20	1407	M	27
988	A.	8	1058	A.	19	1128	A.	22	1198	M	29	1268	A	8	1338	A.	12	1408	A.	15
989	M.	31	1059	A.	4	1129	A.	14	1199	A	18	1269	M	24	1339	M	28	1409	A.	7
990	A.	20	1060	M	26	1130	M	30	1200	A	9	1270	M	31	1340	A.	16	1410	M	23
991	A.	5	1061	A.	15	1131	A.	19	1201	M	25	1271	A	15	1341	A.	8	1411	M	13
992	M.	27	1062	M	31	1132	A.	10	1202	A	14	1272	A	24	1342	M	31	1412	A.	3
993	A.	16	1063	A.	20	1133	M	26	1203	A	6	1273	A	9	1343	A.	23	1413	A.	23
994	A.	1	1064	A.	11	1134	A.	15	1204	A	25	1274	A	1	1344	A.	4	1414	A.	8
995	A	21	1065	M	27	1135	A.	7	1205	A	10	1275	A	14	1345	M	27	1415	M	31
996	A.	12	1066	A.	16	1136	M	22	1206	A	2	1276	A	5	1346	A.	16	1416	A.	19
997	M.	28	1067	A.	8	1137	A.	11	1207	A	22	1277	M	28	1347	A.	1	1417	A.	11
998	A.	17	1068	M	23	1138	A.	3	1208	A	6	1278	A	17	1348	A.	20	1418	M	27
999	A.	9	1069	A	12	1139	A.	23	1209	M	29	1279	A	2	1349	A.	11	1419	A.	16
1000	M	31	1070	A.	4	1140	A.	7	1210	A	18	1280	A	21	1350	M	28	1420	A.	7
1001	A.	13	1071	A.	24	1141	M	30	1211	A	3	1281	A.	13	1351	A.	17	1421	M	23
1002	A.	5	1072	A.	8	1142	A.	19	1212	M	25	1282	M	29	1352	A.	8	1422	A.	12
1003	M	28	1073	M	31	1143	A.	4	1213	A	14	1283	A.	18	1353	M	24	1423	A.	14
1004	A.	16	1074	A.	20	1144	M	26	1214	M	30	1284	A.	9	1354	A.	13	1424	A.	23
1005	A.	1	1075	A.	5	1145	A	15	1215	A	19	1285	M	23	1355	A.	5	1425	A	8
1006	A.	21	1076	M	27	1146	M	31	1216	A	10	1286	A.	14	1356	A.	24	1426	M	31
1007	A.	6	1077	A.	16	1147	A	20	1217	M	26	1287	A.	6	1357	A.	19	1427	A.	20
1008	M	28	1078	A.	8	1148	A	11	1218	A	15	1288	M	28	1358	A.	1	1428	A.	4
1009	A.	17	1079	M	24	1149	A	3	1219	A	7	1289	A.	10	1359	A.	21	1429	M	27
1010	A.	9	1080	A.	12	1150	A	16	1220	M	26	1290	A.	2	1360	A	5	1430	A.	16
1011	M	25	1081	A.	4	1151	A	8	1221	A	11	1291	A.	22	1361	M	28	1431	A.	10
1012	A.	13	1082	A.	24	1152	M	30	1222	A	3	1292	A.	6	1362	A.	17	1432	A.	2
1013	A.	5	1083	A.	9	1153	A	19	1223	A	23	1293	M	29	1363	A.	2	1433	A.	12
1014	A.	25	1084	M	31	1154	A	4	1224	A	14	1294	A.	18	1364	M.	24	1434	M	28
1015	A.	10	1085	A.	20	1155	M	27	1225	M	30	1295	A.	3	1365	A.	13	1435	A.	17
1016	A.	1	1086	A.	5	1156	A	15	1226	A	19	1296	M	26	1366	A.	5	1436	A.	8
1017	A.	21	1087	M	28	1157	M	31	1227	A	11	1297	A.	14	1367	A.	18	1437	M	31
1018	A.	6	1088	A.	16	1158	A	20	1228	M	26	1298	A.	16	1368	A.	9	1438	A.	13
1019	M	29	1089	A.	1	1159	A	12	1229	A	15	1299	A.	19	1369	A.	1	1439	A.	5
1020	A.	17	1090	A.	21	1160	M	27	1230	A	7	1300	A.	10	1370	A.	14	1440	M	27
1021	A.	2	1091	A.	13	1161	A	16	1231	M	23	1301	A.	2	1371	A.	6	1441	A.	16
1022	A.	25	1092	M	28	1162	A	8	1232	A	11	1302	A.	22	1372	M	28	1442	A.	1
1023	A.	14	1093	A.	17	1163	M	24	1233	A	3	1303	A.	7	1373	A.	17	1443	A.	21
1024	A.	5	1094	A.	9	1164	A	12	1234	A	23	1304	M	29	1374	A.	2	1444	A.	12
1025	A.	8	1095	M	25	1165	A	4	1235	A	8	1305	A.	18	1375	A.	22	445	M	28
1026	A.	10	1096	A.	13	1166	A	24	1236	M	30	1306	A.	3	1376	A.	13	1446	A.	17
1027	M	26	1097	A.	5	1167	A	9	1237	A	19	1307	M	26	1377	M	29	1447	A.	9
1028	A.	14	1098	M	28	1168	M	31	1238	A	4	1308	A.	14	1378	A.	18	1448	M	24
1029	A.	6	1099	A.	10	1169	A	20	1239	M	27	1309	M	30	1379	A.	10	1449	A.	13
1030	M	29	1100	A.	1	1170	A	5	1240	A	15	1310	A.	19	1380	M	25	1450	A.	5
1031	A.	11	1101	A.	21	1171	M	28	1241	M	31	1311	A.	12	1381	A.	14	1451	A.	25
1032	A.	2	1102	A.	6	1172	A	16	1242	A	20	1312	M	26	1382	A.	6	1452	A.	9
1033	A.	22	1103	M	29	1173	A	8	1243	A	12	1313	A.	15	1383	M	22	1453	A.	1
1034	A.	14	1104	A.	17	1174	M	24	1244	A	3	1314	A.	7	1384	A.	10	1454	A.	21
1035	M	30	1105	A.	9	1175	A	13	1245	A	19	1315	M	23	1385	A.	2	1455	A.	6
1036	A.	18	1106	M	25	1176	A	4	1246	A	8	1316	A.	11	1386	A.	22	1456	M	28
1037	A.	10	1107	A.	14	1177	A	24	1247	M	31	1317	A.	3	1387	A.	7	1457	A.	17
1038	M	26	1108	A.	5	1178	A	9	1248	A	16	1318	A.	23	1388	M	29	1458	A.	2
1039	A.	15	1109	A.	21	1179	A	1	1249	A	4	1319	A.	8	1389	A.	18	1459	M	25
1040	A.	6	1110	A.	10	1180	A	20	1250	M	27	1320	M	30	1390	A.	3	1460	A.	13
1041	M	22	1111	A.	2	1181	A	5	1251	A	16	1321	A.	19	1391	M	26	1461	A.	5
1042	A.	11	1112	A.	21	1182	M	28	1252	M	31	1322	A.	11	1392	A.	14	1462	A.	18
1043	A.	3	1113	A.	6	1183	A.	17	1253	A.	20	1323	M	27	1394	A.	6	1463	A.	10
1044	A.	22	1114	M	29	1184	A.	1	1254	A.	12	1324	A.	15	1393	A.	19	1464	A.	1
1045	A.	7	1115	A.	18	1185	A.	21	1255	M	28	1325	A.	7	1395	A.	12	1465	A.	14
1046	M	30	1116	A.	2	1186	A.	13	1256	A.	6	1326	M	23	1396	A.	2	1466	A.	6
1047	A.	19	1117	M	25	1187	M	29	1257	A.	18	1327	A.	12	1396	A.	22	1467	M	29
1048	A.	3	1118	A.	14	1188	A.	17	1258	M	24	1328	A.	3	1397	A.	7	1468	A.	17
1049	M	26	1119	M	30	1189	A.	9	1259	A	13	1329	A.	23	1399	M	30	1469	A.	2
1050	A.	15	1120	A.	18	1190	M	25	1260	A.	4	1330	A.	9	1400	A.	18	1470	A.	21

Reſiduum Tabulæ Paſchalis.

1471	A.	14	1511	A.	20	1551	M	29	1581	M	26	1611	A.	3	1641	M	31	1671	M	29
1472	M	29	1512	A.	18	1552	A.	17	1582	A.	15	1612	A.	22	1642	A.	20	1672	A.	17
1473	A.	18	1513	M	27	1553	A.	2	1583	A.	10	1613	A.	7	1643	A.	5	1673	A.	2
1474	A.	10	1514	A.	6	1554	M	25	1584	A.	1	1614	M	30	1644	M	27	1674	M	25
1475	M	26	1515	A.	15	1555	A.	14	1585	A.	11	1615	A.	19	1645	A.	16	1675	A.	14
1476	A.	14	1516	M	23	1556	A.	5	1586	A.	6	1616	A.	3	1646	A.	1	1676	A.	5
1477	A.	6	1517	A.	12	1557	A.	18	1587	M	29	1617	M	26	1647	A.	21	1677	A.	18
1478	M	28	1518	A.	4	1558	A.	10	1588	A.	17	1618	A.	15	1648	A.	12	1678	A.	10
1479	A.	11	1519	A.	24	1559	M	16	1589	A.	2	1619	M	31	1649	A.	4	1679	A.	2
1480	A.	2	1520	A.	8	1560	A.	14	1590	A.	22	1620	A.	19	1650	A.	17	1680	A.	21
1481	A.	22	1521	M	31	1561	A.	6	1591	A.	14	1621	A.	11	1651	A.	9	1681	A.	6
1482	A.	7	1522	A.	20	1562	M	29	1592	M	29	1622	M	27	1652	M	31	1682	M	29
1483	M	30	1523	A.	5	1563	A.	11	1593	A.	18	1623	A.	16	1653	A.	13	1683	A.	18
1484	A.	18	1524	M	27	1564	A.	2	1594	A.	10	1624	A.	7	1654	A.	5	1684	A.	2
1485	A.	3	1525	A.	16	1565	A.	22	1595	M	26	1625	M	30	1655	M	28	1685	A.	22
1486	M	26	1526	A.	1	1566	A.	14	1596	A.	14	1626	A.	10	1656	A.	16	1686	A.	14
1487	A.	15	1527	A.	21	1567	M	30	1597	A.	6	1627	A.	4	1657	A.	1	1687	M	30
1488	A.	6	1528	A.	12	1568	A.	8	1598	M	22	1628	A.	23	1658	A.	21	1688	A.	18
1489	A.	19	1529	M	28	1569	A.	10	1599	A.	11	1629	A.	15	1659	A.	13	1689	A.	12
1490	A.	12	1530	A.	17	1570	M	26	1600	A.	2	1630	M	31	1660	M	28	1690	M	26
1491	A.	3	1531	A.	9	1571	A.	15	1601	A.	23	1631	A.	20	1661	A.	17	1691	A.	15
1492	A.	12	1532	M	31	1572	A.	6	1602	A.	7	1632	A.	11	1662	A.	9	1692	A.	6
1493	A.	7	1533	A.	13	1573	M	22	1603	M	30	1633	M	27	1663	M	25	1693	M	22
1494	M	30	1534	A.	5	1574	A.	11	1604	A.	18	1634	A.	16	1664	A.	13	1694	A.	11
1495	A.	19	1535	M	28	1575	A.	3	1605	A.	10	1635	A.	8	1665	A.	5	1695	A.	3
1496	A.	3	1536	A.	16	1576	A.	22	1606	M	26	1636	M	23	1666	A.	25	1696	A.	22
1497	M	28	1537	A.	1	1577	A.	7	1607	A.	15	1637	A.	12	1667	A.	10	1697	A.	7
1498	A.	15	1538	A.	21	1578	M	30	1608	A.	6	1638	A.	4	1668	A.	1	1698	M	30
1499	M	31	1539	A.	6	1579	A.	19	1609	A.	19	1639	A.	24	1669	A.	21	1699	A.	19
1500	A.	19	1540	M	28	1580	A.	3	1610	A.	10	1640	A.	8	1670	A	6	1700		
1501	A.	11	1541	A	17															
1502	M	27	1542	A.	9															
1503	A.	16	1543	M	25															
1504	A.	7	1544	A.	13															
1505	M	23	1545	A.	5															
1506	A.	12	1546	A.	25															
1507	A.	4	1547	A.	10															
1508	A.	23	1548	A.	1															
1509	A.	8	1549	A.	21															
1510	M	31	1550	A.	6															

CAPVT XXIX.

De Periodis, & Epochis Fictis ob commoditatem inuestigandi quouis Anno proposito Solis Lunæque Cyclos, ad Nouilunia Feriasq; & alios Characteres Annorum inueniendos.

PRætermissa Iudaica periodo, de qua satis diximus Cap. 14. in Appendice num. 3. qua falsò supponitur in ea, Mundum conditum anno 3761. ante vulgarem CHRISTI Epocham, celebris est Periodus Constantinopolitana, & Antiochena annorum 7980. Ducto, enim Solis Cyclo 28. per Lunæ Cyclum 19. fit Victoris, seu Dionysij Exigui periodus annorum 532. quibus absolutis, reuertuntur Aurei numeri ad eandem diem & feriam; ductis verò 532. per 15. qui est Cyclus Indictionum, fit Periodus annorum 7980. Constantinopolitani enim Indictiones inire cœperunt à Calendis Septembris anni Christi 312. quo Constantinus Magnus vicit Maxentium, esto alij eas ab Hadriano, aliqui ab 8. Calendas Octobris auspicarentur, nec Antiocheni cum Constantinopolitanis consentirent, vt fusiùs docet Langius lib. 1. de annis Christi c. 8. quia verò Romani à sequentibus kalendis Ianuarij computabant Indictiones, indidem Iosephus Scaliger lib. 5. de emendat. temporum c. 2. hanc periodum iniuit, appellauitq; *Iulianam*, ob formam anni Iuliani. Hanc Periodum ad characteres Chronologicos, ac Syntaxim Chronologiæ vtilissimam censuere hactenus Chronologi, quia si notum sit quotus sit annus quilibet propositus in hac periodo; & diuidatur per 28. & per 19. & per 15. inuenitur statim Cyclus Solis, & Lunæ, & Indictio congruens anno proposito, & ex his Characteribus dignoscitur connexio vera annorum. Quæ facilitas non reperitur in Epochis incertis, aut retrogrado calculo, puta in annis ante Christum. Sed oportet hanc ipsam Periodum imaginariam connectere cum aliqua celebri, & nota Epocha determinata, nec vlla in toto Orbe celebrior est, quàm Epocha vulgata Christi Saluatoris nostri, qui est Alpha, et Omega, & principium, ac finis à quo omnia, & in quem omnia ordinantur. Anno autem primo Epochæ Christi currebat à Calendis Ianuarij Cyclus Solis X, & Lunæ II. & Indictio, si tunc in vsu fuisset, esset IV. Qui tres characteres nulli anno Periodi Iulianę conueniunt nisi anno 4714. eo enim diuiso per 28. Quotiens est 168. $\frac{10}{28}$. indicans euolutos iam esse Cyclos Solares 168. & de 169. currere decimum. Rursus diuisis 4714. per 19. Quotiens est 248. $\frac{2}{19}$. ergo absoluti erant ab initio periodi Iulianæ Cycli Lunares 248. & de 249. currebat secundus. Tandem diuisis 4714. per 15. Quotiens indicat absolutas annorum quindenas 314. $\frac{4}{15}$. & illi anno primo Christi conuenire Indictionem 4. Cùm ergo ante Epocham Christi, absoluti fuerint de Iuliana periodo anni 4713. Si addantur hi anno Christi 312. fiet annus Periodi Iulianæ 5025. quo diuiso per 28. & inde per 19. & tandem per 15. inuenitur huic anno conuenire Cyclus Solis XI. Lunæ XI. Indictio 0. seu 15. absoluta, ideoq; hoc anno initium nouæ periodi Indictionum à Calendis Septembris desumptum est. Quanti porrò faciant vsum Periodi huius Petauius l. 7. de doctrina temporum à c. 7. ad 9. & in dissertationibus Vranologij lib. 8. can. 2. & in Rationario temporum parte 2. c. 4. Langius l. 1. de annis Christi c. 8. alijq; mirum dictu, nedum Scaliger supra.

2 Ego tamen, pace tantorum virorum, in hac Iuliana Periodo nouos aliquos agnosco, videoq; aliam longè meliorem vsurpari posse: *Primò* enim, licet hæc Periodus duratura sit vsque ad Epochæ Christianæ annum 3267. quantum fortasse Mundus non durabit, & anno 3268. rursus incœpturus sit triplex ille Cyclus Solis, Lunæ, & Indictionum ab vnitate, tamen cum ante Christum non complectatur, nisi annos 4713. non satisfacit inuentioni Characterum pro annis illis, quos aliqui Mundo tribuunt pluresquàm 4713. ante Christum, cum aliqui numerent pluresquam 7000. Et ipsa Aera Constantinopolitana Græcorum numeret annos 5508. Aera verò Alexandrina 5492. ante Christum, vt fatetur ipsemet Petauius l. 8. Vranologij can. 2. capitis 13. *Secundò* quorsum quæso vsus Indictionum in annis antecedentibus annum Christi 312. nullus certè. *Tertiò* ipsa periodi *Iulianæ* appellatio admonere debebat de Bissextilibus annis discernendis à communibus, qui sanè character non minus necessarius est Chronologis ad annos Iulianos versùs initium Mundi retro computandos, & in illis vsurpandas literas feriarum Indices, quàm alij characteres. Iam verò initium Periodi Iulianæ debebat sumi ab anno tertio ante Bissextilem proximè futurum; & tamen sumptum est ab anno quarto. Et si enim diuidendo 7980. per 4. vltimus annus huius periodi definit in Bissextilem, quia tamen annus Christi primus fuit huius periodi 4714. & aliunde constat in forma Iuliana fuisse primum post Bissextilem, si diuidatur 4714. per 4. Quotiens est 1178. $\frac{2}{4}$. euaditq; secundus post Bissextilem. Vt igitur consentiat hic character cum veritate, oportet annos periodi Iulianæ mutilare vna vnitate, & residuum diuidere per 4. vt discernatur quotus sit à Bissextili præterito annus. Hæc igitur Regula potiùs tradenda fuit, quàm quæ de Indictionibus ante Christum.

3 Nos igitur, vt habeamus periodum longè maiorem, & annis Mundi, immò antemundanis abundè satisfacientem, elegimus periodum annorum 10108. quæ fit multiplicando quadratum Cycli Metonici, ideſt numeri 19. qui est 361. per Solis Cyclum 28. & idem obtinetur, si periodus Victoriana annorum 532. ducatur per 19. in hac enim continentur Cycli Solis 361. qui est numerus quadratus Cycli Lunaris; Lunares autem Cycli 532. quanta est periodus Victoriana, seu Dionysiana. Quia tamen non est constructa ex tribus simplicibus Cyclis, sequitur, vt in ea sint anni 19. quibus recurrunt ijdem characteres primò anno Christi debiti nempe Cyclus Solis X. & Lunæ II. nempe anni huius Periodi 460. 992. 1524. 2056. 2588. 3120. 3652. 4184. 4716. 5248. 5780. 6312. 6842. 7374. 7906. 8438. 8970. 9502. 10034. Ex his tamen elegimus annum 7374. vtpote abundè satisfacientem opinionibus de Mundi annis ante Christum et memoratu facilem. Neque verò periculum est confusionis in Chronologia, in qua controuersia ex Cyclis Lunæ Solisque deducenda, versari solet inter annos sibi vicinos, non autem interuallo annorum 532. inter se distantes. Hanc autem Periodum appellaui *Solisaueam*, eo quod Solis cyclus 28. multiplicatus per quadratum Aurei numeri, qui est 361. eam producat, et de hac ante Christi Epocam transacti sunt anni 7373. Porrò Periodi huius anni dati si diuidantur per 28. et iterum per 19. et tandem mutilati vnitate diuidantur per 4. habebitur Cyclus Solis, deinde Lunæ, postremo distantia à Bissextili præterito iuxta Canones tradendos capite sequenti post Tabulas.

CA-

CAPVT XXX.

In quo Tabulæ quædam vniuersales, & necessariæ, aut perutiles ad Characteres Chronologicos; post quas sequuntur Canones, seu Regulæ pro Vsu Tabularum harum.

I. TABVLA EPOCHARVM CELEBERRIMARVM.

Epochæ.		Anni ante Christ.	Anni Periodi Iulianę	An. Period. Solisaureę
Mundi di conditi iuxta.	Alphonsinos	6984	.	390
	Græcos Cõstant.	5508	.	1866
	Alexandrinos	5492	.	1882
	Eusebium	5200	.	2174
	Iudæos	3761	953	3613
Olympiadum Iphisi initium		776	3938	6598
Vrbis iuxta Varronem		753	3961	6621
Vrbis ex fastis capitolinis		752	3962	6622
Nabonassari		747	3967	6627
Alexandri M. Mors		324	4390	7050
Aera Seleucidarum		312	4402	7062
Iulianorum Primus		45	4669	7329
Augustani Aegiptiaci.		30	4684	7344

Epochæ.	Anni Christi.	Anni Periodi Iulianę	An. Period. Solisaureę
Annus I. Epochæ vulgaris CHRISTIANORVM.	1	4714	7374
Censorini Scribentis	238	4951	7611
Diocletiani Aera	284	4997	7657
Indictionum initium	312	5025	7685
Concilium Nicænum	325	5038	7698
Hegira Arabum	622	5335	7995
Iezdagirdæ Persarum	632	5345	8005
Caroli M. Imperatoris	800	5513	8173
Hierosolyma capta à Gottifredo	1099	5812	8472
Constantinopolis capta à Turcis.	1453	6166	8826
Correctio Gregoriana kal.	1582	6295	8955

II. TABVLA ANNORVM BISSEXTILIVM.

Anni ante Christum. Bissextiles.			Anni Epochæ Christi Bissextiles.			In forma Gregoriana Anni Christi Centesimi.			
						Communes.	Communes.	Communes.	Bissextiles
1	101	2601	4	100	2600	1700	1800	1900	2000
5	201	2701	8	200	2700	2100	2200	2300	2400
9	301	2801	12	300	2800	2500	2600	2700	2800
13	401	2901	16	400	2900	2900	3000	3100	3200
17	501	3001	20	500	3000	3300	3400	3500	3600
21	601	3101	24	600	3100	3700	3800	3900	4000
25	701	3201	28	700	3200	4100	4200	4300	4400
29	801	3301	32	800	3300	4500	4600	4700	4800
33	901	3401	36	900	3400	4900	5000	5100	5200
37	1001	3501	40	1000	3500	5300	5400	5500	5600
41	1101	3601	44	1100	3600	5700	5800	5900	6000
45	1201	3701	48	1200	3700	6100	6200	6300	6400
49	1301	3801	52	1300	3800	6500	6600	6700	6800
53	1401	3901	56	1400	3900	6900	7000	7100	7200
57	1501	4001	60	1500	4000	7300	7400	7500	7600
61	1601	4101	64	1600	4100	7700	7800	7900	8000
65	1701	4201	68	1700	4200	8100	8200	8300	8400
69	1801	4301	72	1800	4300	8500	8600	8700	8800
73	1901	4401	76	1900	4400	8900	9000	9100	9200
77	2001	4501	80	2000	4500	9300	9400	9500	9600
81	2101	4601	84	2100	4600	9700	9800	9900	10000
85	2201	4701	88	2200	4700				
89	2301	4801	92	2300	4800				
93	2401	4901	96	2400	4900				
97	2501	5001 &c.	100	2500	5000				

Pro Annis quibus intermissum fuit reipsa Bissextum, vide cap. 22. num. 12.

Omnes centenarij, & Millenarij in forma Iuliana sunt Bissextiles.

Abiectis omnibus Centenarijs, & Millenarijs ab Anno dato ante Christum, vel post, si reliquus annus est in prima columna est Bissextilis, alij omnes sunt Communes.

III. TA-

III. TABVLA Aureorum Numerorum ante CHRISTI Epocham.

Anni hi centesimi &c. integri sunt, & ab Calendis Ianuarij, vsq; ad 31. Decembris conuenit illis Aureus numerus in linea A. B. sub ipsis locatus.

Anni Centesimi, & Millesimi ante CHRISTVM.																								
7600	7700	7800	7900	8000	8100	8200	8300	8400	8500	8600	8700	8800	8900	9000	9100	9200	9300	9400	5700	5800	5900	6000	6100	6200
3800	3900	4000	4100	4200	4300	4400	4500	4600	4700	4800	4900	5000	5100	5200	5300	5400	5500	5600	6300	6400	6500	6600	6700	6800
1900	2000	2100	2200	2300	2400	2500	2600	2700	2800	2900	3000	3100	3200	3300	3400	3500	3600	3700	6900	7000	7100	7200	7300	7400
0	100	200	300	400	500	600	700	800	900	1000	1100	1200	1300	1400	1500	1600	1700	1800	7500					

Anni Expansi.						
1	20	39	58	77	96	
2	21	40	59	78	97	
3	22	41	60	79	98	
4	23	42	61	80	99	+
5	24	43	62	81		
6	25	44	63	82		
7	26	45	64	83		
8	27	46	65	84		
9	28	47	66	85		
10	29	48	67	86		
11	30	49	68	87		
12	31	50	69	88		
13	32	51	70	89		
14	33	52	71	90		
15	34	53	72	91		
16	35	54	73	92		
17	36	55	74	93		
18	37	56	75	94		
19	38	57	76	95		

A	ii.	xvi	xi	vi	i.	xv	x	v	xix	xiv	ix	iv	xviii	xiii	viii	iii	xvii	xii	B	vii
	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11		6
	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10		5
	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9		4
	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8		3
	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7		2
	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6		1
	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5		19
	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4		18
	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3		17
	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2		16
	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1		15
	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19		14
	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18		13
	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17		12
	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16		11
	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15		10
	4	18	13	8	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14		9
	3	17	12	7	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13		8
	2	16	11	6	1	15	10	5	19	14	9	4	18	13	8	3	17	12		7

Anni Expansi ante CHRISTI Epocham seruiunt etiam pro expansis post Centesimos, & Millesimos.

In serie A. B. sunt Aurei Numeri conuenientes Annis ante CHRISTVM Centesimis, & Millesimis. Sic Anno 100. & 2000. & 3900. &c. conuenit idem numerus Aureus XVI.

Annis Expansis, nec pertinentibus ad vllum Centesimum, aut Millesimum conuenit Aureus numerus in prima columna dextrorsum positus sub Centesimo 0. idest nullo. Si Annis ante CHRISTVM 1. 20. 39. 58. 77. & 96. conuenit idem Aureus Numerus I. Annis autem 2. 21. 40. 59. 78. & 97. conuenit idem Aureus 19. & sic de cœteris.

Annis Expansis pertinentibus ad aliquem Centesimum, vel Millesimum conueniunt Aurei Numeri, dextrorsum notati sub suis quiq; Centesimis, aut Millesimis. Sic Anno ante CHRISTVM 101. 120. 139. 158. 177. 196. conuenit idem Aureus numerus 15. quia notatus est sub anno 100. e regione dictorum expansorum, immò idem 15. conuenit ijsdem expansis sub Anno 2000. 3900. 5800. & 7700. &c.

IV. TABVLA Numerorum Aureorum pro Annis Epochæ CHRISTI.

Anni CHRISTI Expansi.					
1	20	39	58	77	96
2	21	40	59	78	97
3	22	41	60	79	98
4	23	42	61	80	99
5	24	43	62	81	+
6	25	44	63	82	
7	26	45	64	83	
8	27	46	65	84	
9	28	47	66	85	
10	29	48	67	86	
11	30	49	68	87	
12	31	50	69	88	
13	32	51	70	89	
14	33	52	71	90	
15	34	53	72	91	
16	35	54	73	92	
17	36	55	74	93	
18	37	56	75	94	
19	38	57	76	95	

Anni Centesimi, & Millesimi Epochæ CHRISTI.

0	100	200	300	400	500	600	700	800	900	1000	1100	1200	1300	1400	1500	1600	1700	1800
1900	2000	2100	2200	2300	2400	2500	2600	2700	2800	2900	3000	3100	3200	3300	3400	3500	3600	3700
3800	3900	4000	4100	4200	4300	4400	4500	4600	4700	4800	4900	5000	5100	5200	5300	5400	5500	5600
5700	5800	5900	6000	6100	6200	6300	6400	6500	6600	6700	6800	6900	7000	7100	7200	7300	7400	7500

A i.	vi	xi	xvi	ii	vii	xii	xvii	iii	viii	xiii	xviii	iv	ix	xiv	xix	v	x	xv
2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16
3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17
4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18
5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19
6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1
7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2
8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3
9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4
10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5
11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6
12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7
13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8
14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9
15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10
16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11
17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12
18	4	9	14	19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13
19	5	10	15	1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14
1	6	11	16	2	7	12	17	3	8	13	18	4	9	14	19	5	10	15

Annis Expansis nullum ante se centesimum, aut millesimum habentibus, respondent dextrorsum in prima columna sub A. Aurei Numeri. Sic CHRISTI Anno 1. 20. 39. 58. 77. & 96. conuenit idem Aureus 2. Anno verò 6. 25. 44. 63. & 82. Aureus 7.

Annis Centesimis, aut Millesimis, conuenit Aureus numerus, sub illis positus in serie A. B. Sic Annis CHRISTI 100. 2000. 3900. & 5800. conuenit Aureus Numerus VI. Annis autem 1700. 3600. 5500. 7400. conuenit idem Aureus Numerus *X*.

Annis Expansis, sed habentibus ante se Centesimum, aliquem, aut Millesimum, conueniunt Aurei illi Numeri, qui Annis expansis dextrorsum respondent sub Centesimis suis, aut Millesimis. Sic Anno CHRISTI 101. 2001. 3901. 5801. conuenit Aureus 7. qui conuenit etiam Anno 120. 2020. 3920. 5820. Item Anno 139. 2039. 3939. 5839. Item Anno 158. 2058. 3958. 5858. &c.

V. TABVLA Nouiluniorum Ciuilium Tempore Christi, cum diebus addendis pro Nouilunijs ante CHRISTVM, vel demendis pro Nouilunijs post CHRISTVM in Anno Iuliano.

Aureus Num.	Ianuarij.	Februar.	Mar.	Apr.	Maij	Iun.	Iul.	Aug.	Sept.	Octo ber.	Noueb.	Deceb.
I	24	21	24	22	22	20	20	18	17	16	15	14
II	13	11	13	11	11	9	9	7	6	5	4	3
III	2	1	2	1. 30	30	28	28	26	25	24	23	22
IV	21	19	21	19	19	17	17	15	14	13	12	11
V	10	8	10	8	8	16	6	4	3	3	1	1. 30
VI	29	27	29	27	27	25	25	23	22	21	20	19
VII	18	16	18	16	16	14	14	12	11	10	9	8
VIII	7	5	7	6	5	4	3	2. 31	30	29	28	27
IX	26	24	26	24	24	22	22	20	19	18	17	16
X	15	13	15	13	13	11	11	9	8	7	6	5
XI	4	3	4	3	2	1 30	30	29	27	26	25	24
XII	23	21	23	21	21	19	19	17	16	15	14	13
XIII	12	10	12	10	10	8	8	6	5	4	3	2
XIV	31	0	1. 31	29	29	27	27	25	24	23	22	21
XV	20	18	20	18	18	16	16	14	13	12	11	10
XVI	9	7	9	7	7	5	5	3	2	2. 31	30	29
XVII	28	26	28	26	26	24	24	22	21	20	19	18
XVIII	17	15	17	15	15	13	13	11	10	9	8	7
XIX	6	4	6	4	4	3	2. 31	29	28	27	26	25

IN ANNIS Ante Christum. CHRISTI Anni	Adde Deme Dies
313	1
626	2
939	3
1252	4
1565	5
1878	6
2291	7
2604	8
2917	9
3230	10
3543	11
3856	12
4169	13
4482	14
4795	15
5108	16
5411	17
5724	18
6037	19
6350	20
6663	21
6976	22
7289	23
7602	24

VI. TABVLA Epactarum Conuenientium Aureis Numeris Annorum CHRISTI ab Annis ad Annos inclusiuè.

Ab Anno Ad Annum.	0 319	320 799	800 1099	1100 1399	1400 ad 4. Octob. 1582	5. Octob. 1582 1699	1700 1899	1900 2199	2200 2299	2300 2399
Aurei	Epactæ	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.	Ep.
I	7	8	9	20	11	1	*	29	28	27
II	18	19	20	21	22	12	10	10	9	8
III	29	*	1	2	3	23	22	21	20	19
IV	10	11	12	13	14	4	3	2	1	*
V	21	22	23	24	25	15	14	13	12	11
VI	2	3	4	5	6	26	25	24	23	22
VII	13	14	15	16	17	7	6	5	4	3
VIII	24	25	26	27	28	18	17	16	15	14
IX	5	6	7	8	9	29	28	27	26	25
X	16	17	18	19	20	10	9	8	7	6
XI	27	28	29	*	1	21	20	19	18	17
XII	8	9	10	11	12	2	1	*	29	28
XIII	19	20	21	22	23	13	12	11	10	9
XIV	*	1	2	3	4	24	23	22	21	20
XV	11	12	13	14	15	5	4	3	2	1
XVI	22	23	24	25	26	16	15	14	13	12
XVII	3	4	5	6	7	27	26	25 ✝	24	23
XVIII	14	15	16	17	18	8	7	6	5	4
XIX	25 ✝	26	27	28	29	19	18	17	16	15

A die 5. Octobris Anni 1582. Epactæ sunt Gregorianæ, quas si quis optat in forma Anni Iuliani; augere debet dies X. quos Gregorius XIII. detraxit. Sic currente Aureo Numero XII. Anno 1664. Epacta Gregoriana est 2. sed Iuliana 12. & ita de alijs.

VII. TABVLA Nouiluniorum perpetua per Epactas inueniendorum.

Epactæ	Ianu.	Febr.	Mar.	Apr.	Maij.	Iunij	Iulij.	Aug.	Sept.	Octob.	Nouēb	Decēb.	Anni Com.
*seu 30	1.31	0	1.31	29	29	27	27	25	24	23	22	21	Anni Embol.
xxix	2	1	2	1.30	30	28	28	26	25	24	23	22	
xxviii	3	2	3	2	1.31	29	29	27	26	25	24	23	
xxvii	4	3	4	3	2	1.30	30	28	27	26	25	24	
xxvi	5	4	5	4	3	2	1.31	29	28	27	26	25	
xxv	6	5	6	5	4	3	2	1.30	29	28	27	26	
25	6	4	6	4	4	2	2.31	30	28	28	26	26	
xxiv	7	5	7	5	5	3	3	1.31	29	29	27	27	
xxiii	8	6	8	6	6	4	4	2	1.30	30	28	28	
xxii	9	7	9	7	7	5	5	3	2	1.31	29	29	
xxi	10	8	10	8	8	6	6	4	3	2	1.30	30	
xx	11	9	11	9	9	7	7	5	4	3	2	1.31	Indif.
xix	12	10	12	10	10	8	8	6	5	4	3	2	
xviii	13	11	13	11	11	9	9	7	6	5	4	3	
xvii	14	12	14	12	12	10	10	8	7	6	5	4	
xvi	15	13	15	13	13	11	11	9	8	7	6	5	
xv	16	14	16	14	14	12	12	10	9	8	7	6	Anni Communes.
xiv	17	15	17	15	15	13	13	11	10	9	8	7	
xiii	18	16	18	16	16	14	14	12	11	10	9	8	
xii	19	17	19	17	17	15	15	13	12	11	10	9	
xi	20	18	20	18	18	16	16	14	13	12	11	10	
x	21	19	21	19	29	17	17	15	14	13	12	11	
ix	22	20	22	20	20	18	18	16	15	14	13	12	
viii	23	21	23	21	21	19	19	17	16	15	14	13	
vii	24	22	24	22	22	20	20	18	17	16	15	14	
vi	25	23	25	23	23	21	21	19	18	17	16	15	
v	26	24	26	24	24	22	22	20	19	18	17	16	
iv	27	25	27	25	25	23	23	21	20	19	18	17	
iii	28	26	28	26	26	24	24	22	21	20	19	18	
ii	29	27	29	27	27	25	25	23	22	21	20	19	
i	30	28	30	28	28	26	26	24	23	22	21	20	

Quando Epacta XIX. & Aureus Numerus 19. concurrunt, aliud Nouilunium incidit in 31. Decemb.

VIII. TABVLA Literarum Dominicalium, & Feriarum initio Mensium Anni Iuliani conuenientium.

Cyclus Solis.	Literæ Dominic.	Ian.	Feb.	Mar.	Apr.	Maij	Iunij	Iulij	Aug.	Sept.	Oct.	Nou.	Dec.
		Ferię	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.	Fer.
i	G F	2	5	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
ii	E	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
iii	D	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
iv	C	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
v	B A	7	3	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
vi	G	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
vii	F	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
viii	E	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
ix	D C	5	1	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
x	B	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
xi	A	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
xii	G	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
xii	F E	3	6	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
xiv	D	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
xv	C	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
xvi	B	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
xvii	A G	1	4	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
xviii	F	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
xix	E	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
xx	D	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
xxi	C B	6	2	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
xxii	A	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
xxiii	G	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
xxiv	F	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
xxv	E D	4	7	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
xxvi	C	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
xxvii	B	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
xxviii	A	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6

IX. TABVLA Cyclorum Solis, pro Annis ante CHRISTI Epocham.

Dextra, & Superior pars Tabulæ continet Annos Centesimos, & Millesimos currentes ante vulgarem Christi Epocham; Pars sinistra, & inferior Annos expansos; Pars Dextra, & Inferior Cyclos Solis.

7000	7100	7200	7300	7400	7500	7600
6300	6400	6500	6600	6700	6800	6900
5600	5700	5800	5900	6000	6100	6200
4900	5000	5100	5200	5300	5400	5500
4200	4300	4400	4500	4600	4700	4800
3500	3600	3700	3800	3900	4000	4100
2800	2900	3000	3100	3200	3300	3400
2100	2200	2300	2400	2500	2600	2700
1400	1500	1600	1700	1800	1900	2000
700	800	900	1000	1100	1200	1300
0	100	200	300	400	500	600
Anni Expansi.						
A 10	22	[6	18	2	14	26 B
9	21	5	17	1	13	25
8	20	4	16	28	12	24
7	19	3	15	27	11	23
6	18	2	14	26	10	22
5	17	1	13	25	9	21
4	16	28	12	24	8	20
3	15	27	11	23	7	19
2	14	26	10	22	6	18
1	13	25	9	21	5	17
28	12	24	8	20	4	16
27	11	23	7	19	3	15
26	10	22	6	18	2	14
25	9	21	5	17	1	13
24	8	20	4	16	28	12
23	7	19	3	15	27	11
22	6	18	2	14	26	10
21	5	17	1	13	25	9
20	4	16	28	12	24	8
19	3	15	27	11	23	7
18	2	14	26	10	22	6
17	1	13	25	9	21	5
16	28	12	24	8	20	4
15	27	11	23	7	19	3
14	26	10	22	6	18	2
13	25	9	21	5	17	1
12	24	8	20	4	16	28
11	23	7	19	3	15	27
10	22	6	18	2	14	26

1	29	57	85
2	30	58	86
3	31	59	87
4	32	60	88
5	33	61	89
6	34	62	90
7	35	63	91
8	36	64	92
9	37	65	93
10	38	66	94
11	39	67	95
12	40	68	96
13	41	69	97
14	42	70	98
15	43	71	99
16	44	72	100
17	45	73	
18	46	74	
19	47	75	
20	48	76	
21	49	77	
22	50	78	
23	51	79	
24	52	80	
25	53	81	
26	54	82	
27	55	83	
28	56	84	

Annis expansis sub nullo Centesimo, aut Millesimo, contentis, respondent Cycli Solis dextrorsum in prima columna sub A. positis; sic Annis 1. 29. 57. & 58. conuenit idem Cyclus 9. & Annis 2. 30. 58. & 86. Cyclus 8. &c.

Annis Centesimis, aut Millesimis conueniunt Cycli Solis sub illis positi in serie A B. sic Annis 700. 1400. 2100. &c. conuenit Cyclus idem 10. & Annis 100. 800. 1500. 2200. &c. Cyclus 22.

Annis expansis sub Centesimis, aut Millesimis, conueniunt Cycli positi dextrorsum è regione Expansorum sub suis Centesimis, aut Millesimis, sic Annis 701. 729. 757. 785. conuenit Cyclus 9. & Annis 101. 129. 157. & 185. Cyclus 21.

X. TABVLA Cyclorum Solis, pro Annis Epochæ CHRISTI.

Dextra, & Superior pars Tabulæ habet Annos Centesimos, & Millesimos Christi. Sinistra, & inferior Annos expansos; Dextra & Inferior Cyclos Solis.

Anni Expansi.				4900	5000	5100	5200	5300	5400	5500
				4200	4300	4400	4500	4600	4700	4800
				3500	3600	3700	3800	3900	4000	4100
				2800	2900	3000	3100	3200	3300	3400
				2100	2200	2300	2400	2500	2600	2700
				1400	1500	1600	1700	1800	1900	2000
				700	800	900	1000	1100	1200	1300
				0	100	200	300	400	500	600
				A 9	25	13	1	17	5	21 B
1	29	57	85	10	26	14	2	18	6	22
2	30	58	86	11	27	15	3	19	7	23
3	31	59	87	12	28	16	4	20	8	24
4	32	60	88	13	1	17	5	21	9	25
5	33	61	89	14	2	18	6	22	10	26
6	34	62	90	15	3	19	7	23	11	27
7	35	63	91	16	4	20	8	24	12	28
8	36	64	92	17	5	21	9	25	13	1
9	37	65	93	18	6	22	10	26	14	2
10	38	66	94	19	7	23	11	27	15	3
11	39	67	95	20	8	24	12	28	16	4
12	40	68	96	21	9	25	13	1	17	5
13	41	69	97	22	10	26	14	2	18	6
14	42	70	98	23	11	27	15	3	19	7
15	43	71	99	24	12	28	16	4	20	8
16	44	72	100	25	13	1	17	5	21	9
17	45	73		26	14	2	18	6	22	10
18	46	74		27	15	3	19	7	23	11
19	47	75		28	16	4	20	8	24	12
20	48	76		1	17	5	21	9	25	13
21	49	77		2	18	6	22	10	26	14
22	50	78		3	19	7	23	11	27	15
23	51	79		4	20	8	24	12	28	16
24	52	80		5	21	9	25	13	1	17
25	53	81		6	22	10	26	14	2	18
26	54	82		7	23	11	27	15	3	19
27	55	83		8	24	12	28	16	4	20
28	56	84		9	25	13	1	17	5	21

Annis expansis, nullos habentes ante se Centesimos, aut Millesimos, conueniunt Cycli Solis dextrorsum notati in prima columna sub A. sic Annis CHRISTI 1. 29. 57. & 85. conuenit idem Cyclus 10. & Anno 2. 30. 58. & 86. Cyclus 11. &c.

Annis Centesimis, aut Millesimis conueniunt Cycli sub ipsis notati in serie A B. sic Annis 100. 800. 1500. 2200. &c. conuenit idem Cyclus 25. & Annis 200. 900. 1600. &c. idem Cyclus 13. &c.

Annis expansis habentibus ante se Centesimos, aut Millesimos, conueniunt Cycli notati è regione Expansorum annorum sub Centesimis, aut Millesimis suis. Sic Annis 101. 129. 157. 185. conuenit idem Cyclus 26. & Annis 202. 230. 258. 286. idem Cyclus 15. &c.

XI. TABVLA Litterarum Dominicalium ab Anno 1582. CHRISTI post Correctionem.

	8100	8200	8400 8300	8500	8600	8800 8700	8900
Seruit hæc Tabula ab Anni 1582. die 5. Octobr. & deinceps esto linea quinta literarum seruiat etiam ante Correctionem Gregorianam.	7200 7100	7300	7400	7600 7500	7700	7800	8000 7900
	6200	6400 6300	6500	6600	6800 6700	6900	7000
	5300	5400	5600 5500	5700	5800	6000 5900	6100
	4400 4300	4500	4600	4800 4700	4900	5000	5200 5100
	3400	3600 3500	3700	3800	4000 3900	4100	4200
	2500	2600	2800 2700	2900	3000	3200 3100	3300
Cycli Solis.	1600 1582	1700	1800	2000 1900	2100	2200	2400 2300
Cycli Solis. I II III IV	B c A g f	C d b A g	D c c b A	E f d c b	F ✠ g c d c	G A f e d	A b g f e
V VI VII VIII	D e c b A	E f d c b	F g e d c	G A f e d	A b g f e	B c A g f	C d b A g
IX X XI XII	F g e d c	G A f e d	A b g f e	B c A g f	C d b A g	D e c b A	E f d c b
XIII XIV XV XVI	A b g f e	B c A g f	C d b A g	D e c b A	E f d c b	F g e d c	G A f e d
XVII XVIII IX XX	C d b A g	D e c b A	E f d c b	F g e d c	G A f e d	A b g f e	B c A g f
XXI XXII XXIII XXIV	E f d c b	F g e d c	G A f e d	A b g f e	B c A g f	C d b A g	D e c b A
XXV XXVI XXVII XXVIII	G A f e d	A b g f e	B c A g f	C d b A g	D e c b A	E f d c b	F g e d c

Literæ Columnæ quintæ vbi ✠, seruiunt perpetuò etiam ante correctionem, reliquæ solum à die 5. Octobris Anni 1582. Christi, quæ dies euasit 15. Dato igitur Cyclo Solis, in annis, & diebus ante Correctionem Gregorianam, è regione ipsius inuenies in columna ✠ literam Dominicalem; sic anno 1582. currebat Cyclus xxiii. cui respondet Litera g, vsq; ad 5. Octobris anni 1582. deinceps enim eidem Cyclo in prima columna, litera C, quæ etiam conuenit annis 1600. 2500. 3400. 4300. 5300. &c. Datis autem Cyclis annorum post Correctionem respondent Literę positæ sub annis centesimis millesimisq; sic anno 1700. Cyclus Solis est I. cui respondent *C. d.* sed quia non erit Bissextilis respondet litera sinisterior, seu prior nempe C. at anno 2100. Cyclus Solis erit 9. cui, quia erit Bissextilis, literæ duæ conuenient *C. d.* & anno 2104. Cyclus Solis erit 13. cui conueniet litera g.

XII. TA-

XII. TABVLA Epactarum Astronomicarum Mediarum pro Nouilun. & Plenil.

ANNI Periodi Solisaur.	ANNI Ante Christ.	Radices Epactarum. D.	H.	M.	S.
0	7374	12	1	22	30
1	7373	22	16	33	51
373	7001	25	10	25	57
1373	6001	11	12	54	15
2373	5001	27	4	6	37
3373	4001	13	6	34	54
4373	3001	28	21	47	15
5373	2001	15	0	15	32
6373	1001	1	2	43	50
6473	901	26	7	14	19
6573	801	21	23	0	44
6673	701	17	14	47	10
6773	601	13	6	33	5
6873	501	8	22	20	1
6973	401	4	14	6	26
7073	301	0	5	52	52
7173	201	25	10	23	21
7273	101	21	2	9	46
7373	1	16	17	56	12

Anni Epochæ Christi completi. Solis aurei.	CHR.	Radices Epactarum. D.	H.	M.	S.
7373	0	16	17	56	12
7374	1	27	9	7	34
7473	100	12	9	42	37
7573	200	8	1	29	3
7673	300	3	17	15	28
7773	400	29	21	45	57
7873	500	24	13	32	23
7973	600	20	5	18	48
8073	700	15	21	5	14
8173	800	11	12	51	39
8273	900	7	4	38	5
8373	1000	2	20	24	29
8473	1100	28	0	54	57
8573	1200	23	16	41	22
8673	1300	19	8	27	48
8773	1400	15	0	14	13
8873	1500	10	16	0	39
8973	1600	6	7	47	4
9073	1700	1	23	33	30
9173	1800	27	4	4	8
9273	1900	22	19	50	24
9473	2000	18	11	36	29

Tempus computatur à Meridie præcedenti, & Annus init à meridie vltimo Decembris Bononiæ.

Anni Christi sunt completi, sicut & Periodi solis aureæ Immo, & ante Christum si descendendo computentur. Sic Annus I. ante Christum completus fuit in meridie illo vltimo Decembris, in quo incœpit primus Christi.

Anni Iuliani soluti, & coll.		Epactæ. D.	H.	M.	S.
	1	10	15	11	22
	2	21	6	22	44
	3	2	8	50	2
B	4	14	0	1	24
	5	24	15	12	46
	6	5	17	40	5
	7	16	8	51	26
B	8	28	0	2	48
	9	9	2	30	7
	10	19	17	41	29
	11	0	20	8	47
B	12	12	11	20	9
	13	23	2	3	31
	14	4	4	58	50
	15	14	20	10	12
B	16	26	11	21	33
	17	7	13	48	52
	18	18	5	0	14
	19	28	20	11	36
B	20	10	22	38	54
	24	24	22	40	18
	28	9	9	57	39
	32	23	9	59	4
	36	7	21	16	25
	40	21	21	17	49
	44	6	8	35	10
	48	20	8	36	34
	52	4	19	53	55
	56	18	19	55	19
	60	3	7	12	40
	64	17	7	14	4
	68	1	18	31	25
	72	15	18	32	49
	76	0	5	50	16
	80	14	5	51	34
	84	28	5	52	58
	100	25	4	30	29
	200	20	20	19	54
	300	16	12	3	20
	400	12	3	49	45
	500	7	19	36	10
	600	3	11	22	36
	700	28	15	53	4
	800	24	7	39	30
	900	19	23	25	55
	1000	15	15	12	21
	2000	1	17	40	38
	3000	17	8	52	59
	4000	3	11	21	17
	5000	19	2	23	38
	6000	5	5	1	55
	7000	20	20	14	16
	8000	6	22	42	34
	9000	22	13	54	55
	10000	8	16	23	12

Omnes competentur Anno Bissextili ab Anno 24.

Menses Anni Commun.	Epactæ. D.	H.	M.	S.
Ianu.	1	11	15	57
Febru.	29	11	15	57
Mart.	1	9	47	50
April.	1	21	3	47
Mai.	3	8	19	44
Iun.	3	19	35	41
Iul.	5	6	51	38
Auguſt.	6	18	7	35
Sept.	7	5	23	31
Octob.	8	16	39	28
Nouemb.	9	3	55	25
Decemb.	10	15	11	22

Anni Biſſextil.	Epactæ. D.	H.	M.	S.
Ianuar.	1	11	15	57
Febr.	0	22	31	54
Mart.	2	9	47	50
April.	2	21	3	47
Mai.	4	8	19	44
Iun.	4	19	35	41
Iul.	6	6	51	38
Aug.	7	18	7	35
Septemb.	8	5	23	31
Octob.	9	16	39	28
Nouemb.	10	3	55	27
Decemb.	11	15	11	22

Nouilun.	Reuolutiones Nouilun. D.	H.	M.	S.
1	29	12	44	3
2	59	1	28	6
3	88	14	12	10
4	118	2	56	13
5	147	15	40	16
6	177	4	24	19
7	206	17	8	22
8	236	5	52	25
9	265	18	36	29
10	295	7	20	32
11	324	20	4	35
12	354	8	48	38
13	383	21	32	41

Plenilun.	Reuolutiones Plenilunioru. D.	H.	M.	S.
1	14	18	22	2
2	44	7	9	1
3	73	19	50	8
4	103	8	34	11
5	132	21	18	14
6	162	10	2	17
7	191	22	46	21
8	221	11	30	24
9	251	0	14	27
10	280	12	58	30
11	310	1	42	33
12	339	14	26	37
13	369	3	10	40

XIII. TA-

XIII. TABVLA Epactarum Ciuilium Aureis Numeris congruentium pro Nouilunijs Ciuilibus, rariſſimè vno die integro differentibus à Nouilunijs Medijs Aſtronomicis.

Aurei Numeri Annorum ante CHRISTVM.

Anni ante Chriſtum.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	EPACTAE.																		
ad 313	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24
ad 626	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23
ad 934	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22
ad 1252	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21
ad 1565	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20
ad 1878	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19
ad 2186	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18
ad 2509	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17
ad 2813	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16
ad 3136	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15
ad 3440	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14
ad 3763	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13
ad 4067	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12
ad 4390	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11
ad 4694	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10
ad 5017	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9
ad 5321	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8
ad 5624	19	*	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7
ad 5928	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	*	11	22	3	14	25	6
ad 6251	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5

XIV. TABVLA Æquinoctiorum, & Solſtitiorum Aſtronomicorum.

Tempore apparenti, à Meridie BONONIÆ, in Italia, Anniſq; Iulianis.

ANNI BISSEXT.

Periodi Solis aureæ	Ante CHRIST.
1	7373
29	7345
929	6445
1829	5545
2729	4645
3629	3745
4529	2845
5429	1945
6329	1045
7229	145
7329	45
7373	1

ÆQVINOCTIA RADICALIA.

Menſes	D.	H.	M.
Maij	18	15	4 3/5
Maij	18	9	51
Maij	11	9	51
Maij	4	9	51
April.	27	9	51
April.	20	9	51
April.	13	9	51
April.	6	9	51
Martij	30	9	51
Martij	23	9	51
Martij	22	15	51
Martij	22	6	58

Menſes	D.	H.	M.
Nouemb.	21	5	57 3/5
Nouemb.	21	0	44
Nouemb.	14	0	44
Nouemb.	7	0	44
Octob.	31	0	44
Octob.	24	0	44
Octob.	17	0	44
Octob.	10	0	44
Octob.	3	0	44
Septemb.	26	0	44
Septemb.	25	6	4
Septemb.	24	21	51

Period. Solis aureæ / Anni CHRIST.

Period. Solis aureæ	Anni CHRIST.
7373	0
8129	756
9029	1656
9927	2556
10829	3456
11729	4356
12629	5256
13529	6156

ÆQVINOCTIA.

	D.	H.	M.
Martij	22	6	58
Martij	16	9	51
Martij	9	9	51
Martij	2	9	51
Februarij	23	9	51
Februarij	16	9	51
Februarij	9	9	51
Februarij	2	9	51

	D.	H.	M.
Septemb.	24	21	51
Septemb.	19	0	44
Septemb.	12	0	44
Septemb.	5	0	44
Auguſti	29	0	44
Auguſti	22	0	44
Auguſti	15	0	44
Auguſti	8	0	44

ANNI

Periodi Solis aureæ	Anni CHRIST.
1	7373
29	7345
929	6445
1829	5545
2729	4645
3629	3745
4529	2845
5429	1945
6329	1045
7229	145
7329	45
7373	1

SOLSTITIA RADICALIA.

Menſes	D.	H.	M.
Auguſti	19	14	40 3/5
Auguſti	19	9	27
Auguſti	12	9	27
Auguſti	5	9	27
Iulij	29	9	27
Iulij	22	9	27
Iulij	15	9	27
Iulij	8	9	27
Iunij	1	9	27
Iunij	24	9	27
Iunij	23	14	47
Iunij	23	7	19

Menſes	D.	H.	M.
Februarij	18	15	40
Februarij	18	10	26
Februarij	11	10	26
Februarij	4	10	26
Ianuarij	28	10	26
Ianuarij	21	10	26
Ianuarij	14	10	26
Ianuarij	7	10	26
Decemb.	31	15	15
Decemb.	24	15	15
Decemb.	23	20	35
Decemb.	23	13	6

Periodi Solis aureæ / Anni CHRISTI

Periodi Solis aureæ	Anni CHRISTI
7373	0
8129	756
9029	1656
9929	2556
10829	3456
11629	4356
12629	5256
13529	6156

SOLSTITIA.

	D.	H.	M.
Iunij	23	7	19
Iunij	17	9	27
Iunij	10	9	27
Iunij	3	9	27
Maij	27	9	27
Maij	20	9	27
Maij	13	9	27
Maij	6	9	27

	D.	H.	M.
Decemb.	23	13	6
Decemb.	17	15	15
Decemb.	10	15	15
Decemb.	3	15	15
Nouemb.	26	15	15
Nouemb.	19	15	15
Nouemb.	12	15	15
Nouemb.	5	15	15

AEQVATIO ADDENDA.

Poſt Biſsextilem Anno	D.	H.	M.	Sec.
I	0	5	48	48
II	0	11	37	36
III	0	17	26	24

In forma Gregoriana poſt Anni 1582. CHRISTI Octobrem Addendi ſunt quouis Anno dies 10. & illis Centeſimis, quibus Biſsextum intermittetur, addendi dies 11.

Anni collecti / Aequatio ſubtrahenda.

Anni collecti B.	D.	H.	M.	Sec.
4	0	0	44	48
8	0	1	29	36
12	0	2	14	24
16	0	2	59	12
20	0	3	44	0
24	0	4	28	48
28	0	5	13	36
32	0	5	58	24
36	0	6	43	12
40	0	7	28	0
44	0	8	12	48
48	0	8	57	36
52	0	9	42	24
56	0	10	27	12
60	0	11	12	0
64	0	11	56	48
68	0	12	41	36
72	0	13	26	24
76	0	14	11	12
80	0	14	56	0
84	0	15	40	48
88	0	16	25	36
92	0	17	10	24
96	0	17	55	12
100	0	18	40	0
104	0	19	24	48
108	0	20	9	36
112	0	20	54	24
116	0	21	39	12
120	0	22	24	0
124	0	23	8	48
128	0	23	53	36
132	1	0	38	24
136	1	1	23	12
140	1	2	8	0
144	1	2	52	48
148	1	3	37	36
152	1	4	22	24
156	1	5	7	12
160	1	5	52	0
164	1	6	36	48
168	1	7	21	36
172	1	8	6	24
176	1	8	51	12
180	1	9	36	0
184	1	10	20	48
188	1	11	5	36
192	1	11	50	24
196	1	12	35	12
200	1	13	20	0
300	2	8	0	0
400	3	2	40	0
500	3	21	20	0
600	4	16	0	0
700	5	10	40	0
800	6	5	20	0
900	7	0	0	0
1000	7	18	40	0
2000	15	13	20	0
3000	23	8	0	0

Oēs hi Anni terminantur Biſſextili.

CANON I.

Annos ante Christi Epocham, vel Epochæ Christi conuertere in Annos Periodi Soliſaureæ, vel Iulianæ; & hos viciſsim in illos.

1 ANnos ante Epocham Christi, quos ſuppono non excedere 7373. ſubtrahe annis 7374. Reſidui enim erunt Anni Periodi Soliſaureæ, iam cap. 29. num. 3. explicatæ. *Vt*, ſi detur annus 776. ante Christi Epocham, in quo incœperunt Olympiades inſtauratæ ab Iphito, ſi annis 7374. ſubtrahas 776. reſtabit annus 6598. Periodi Solisaureæ concurrens ſe toto, cũ anno 776. ante Chriſtum. Viciſſim annos Periodi Solis aureæ, non excedentes 7373. ſubtrahe annis 7374. reſtabunt anni ante Epocham Christi. *Vt*, ſi annos 6598. ſubtrahas annis 7374. reſtabit annus 776. ante Epocham Christi.

2 Annis verò Epochæ vſitatæ Christi datis, adde 7373. & fient anni Periodi Solis aureæ; contra verò annis Periodi Solis aureæ datis, & excedentibus 7373. ſubtrahe annos 7373. & reſtabunt anni Epochæ Christi. *Vt*, ſi anno 238. Christi dato, quo Cenſorinus aureum de die natali libellum ſcribebat, addas 7373. fit annus 7611. Periodi Solis aureæ, & viciſſim, ſi annis 7611. demas 7373. fit annus Epochæ Christi 238.

3 Annos ante Epocham Christi, ſi non excedant 4713. ſubtrahe annis 4714. & remanebunt anni Periodi Iulianæ; Viciſſim ſi annos Periodi Iulianæ non excedentes 4713. ſubtrahes annis 4714. reſtabunt anni ante Epocham Christi. *Vt*, ſi annos 776. ſubtrahas annis 4714. reſtant anni 3938. Periodi Iulianæ, & viciſſim, ſi annos hos 3938. demas annis 4714. reſtant anni 776. ante Epocham Christi.

4 Annis verò Epochæ Christi datis adde 4713, fientq; Anni Periodi Iulianæ, & viciſſim, annis Periodi Iulianæ datis deme 4713. dummodo hos excedant, & reſtabunt anni Epochæ Christi. *Vt*, ſi dentur anni Christi 238. additis 4713. fiunt anni 4951. Periodi Iulianæ, & his viciſſim demendo 4713. remanent anni Christi 238.

CANON II.

Datos annos Christi, vel ante Epocham Christi diſcernere an in forma Anni Iuliani, aut Gregoriani ſint Communes an Biſſextiles.

IN II. Tabula, prima columna annorum ante Chriſtum, & prima annorum Christi continet annos expanſos Biſſextiles; Reliquæ duæ Annos centeſimos vel milleſimos cum vnitate in annis ante Chriſtum, vel rotundis poſt Chriſtum, qui ſunt Biſſextiles. Reliqui ſubintelliguntur communes, ſed in forma Gregoriana poſiti ſunt centeſimi, & milleſimi, tam Communes, quam Biſſextiles; Exempli gratia annus 776. ante Chriſtum fuit communis, quia abiectis centenarijs annus 76. non eſt in prima columna, at, quia 77. eſt ibi, ſi annus datus eſſet 777. eſſet Biſſextilis. Sic annus Christi 238. fuit communis, quia annus 38. non eſt in prima columna ſub annis Christi, at quia ibi eſt annus 36. ſi annus datus fuiſſet 36. vel 136. vel 236. &c. eſſet Biſſextilis.

Aliter abſq; Tabula, annos Christi diuide per 4. ſi in Quotiente nil fractionis reſtet, annus datus eſt Biſſextilis in forma Iuliana; alioquin numerator fractionis dabit annum poſt Biſſextilem. In forma verò Gregoriana terni quique ex centeſimis, incipiendo ab anno 1700. incluſiuè erunt Communes, & quartus quiſque centeſimorum Biſſextilis. Sic annis 236. Christi diuiſis per 4. Quotus eſt 59. abſq; fractione, ergo ille fuit Biſſextilis. Sed annis 238. diuiſis per 4. Quotus eſt 59. $\frac{2}{4}$. ergo ille annus fuit Communis, & ſecundus poſt Biſſextilem.

Annos verò ante Chriſtum datos, conuerte per Canonem I. in annos Periodi Soliſaureæ, & his deme vnitatem, reſiduumq; diuide per 4. & reliqua vt ſupra exequere. Vt ſi detur ante Chriſtum annus 776. nempe Periodi Soliſaureæ 6598. dempta vnitate, & diuiſis 6597. per 4. Quotiens eſt 1649. $\frac{1}{4}$. ergo ex numeratore fractionis patet annum 776. fuiſſe Communem, & primum poſt antecedentem Biſſextilem.

Reipſa tamen aliqui anni fuerunt circa Christi ortum, quibus intermiſſum fuit iuſſu Auguſti Imper. Biſſextum, de quibus conſulenda eſt Tabella poſita capite 22. poſt numerum 12.

CANON III.

Aureum numerum, ſeu Cyclum Lunæ inueſtigare pro Annis Epochæ Christi, vel ante Epocham Christi.

PRimò id promptiſſimè inuenies per Tabulas III. & IV. & regulas in calce earum. *Vt* dato anno ante Chriſtum 776. in Tabula III. inuenies è regione anni 76. ſub anno 700. Aureum numerum 5. anno 776. conuenientem; at dato anno Christi 34. in IV. Tabula inuenies è regione illius in prima columna ſub A. aureum numerum 16. & dato anno 1453. Christi, inuenies è regione anni 53. ſub anno 1400. aureum numerum 10.

Secundò abſque Tabellis idem aſſequeris, ſi annis Christi addas vnitatem, & ſummam diuidas per 19. Quotiens enim abſq; fractione, indicabit Aureum 19. at ſi adſit fractio, Numerator fractionis erit ipſemet Aureus numerus. Et idem conſequeris, ſi quoſuis annos ſiue Christi, ſiue ante Chriſtum conuertas per Canonem I. in annos Periodi ſiuè Soliſaureæ, ſiue Iulianæ, & alterutros diuidas per 19. & reliqua facias vt ſupra. Sic annis Christi 34. vel 1453. vnitate auctis, & diuiſis 35 ac 1454. per 19. Quotiens eſt ibi 1. $\frac{16}{19}$. hic 76. $\frac{10}{19}$. ergo Aureus numerus ibi eſt 16. hic 10. Annis verò ante Chriſtum 776. conuertis in Periodi Soliſaureæ annos 6598. hiſq; diuiſis per 19. Quotiens eſt 347. $\frac{5}{19}$. ergo Aureus illius numerus fuit 5.

CANON IV.

Cyclum Solis inuenire pro Annis ante Christi Epocham, vel Epochæ Christi.

PRimò id ſtatim aſſequeris per Tabulas IX. & X. & Regulas in earum calce poſitas. Sic pro Anno 776. ante Chriſtum in Tab. IX. è regione anni 76. ſub anno 700. inuenies Cyclum Solis 18. At pro anno Christi 34. in Tab. X. è regione anni 34. ſub A. inuenies Cyclum Solis 15. & pro anno Christi 1453. è regione anni 53. ſub anno 1400. inuenies Cyclum Solis 6.

Secundò idem abſolues, ſi annis Christi addas 9. & ſummam diuidas per 28. vel ſi quoſuis annos conuertas per Canonem I. in annos Periodi Soliſaureæ, aut Iulianæ, & horum alterutros diuidas per 28. Nam Quotiens fractione carens in vtroq; caſu indicabit Cyclum Solis eſse 28. Alioquin numerator fractionis erit ipſemet Cyclus Solis. Sic addendo 9. Anno Christi 34. fiunt 43. quibus per 28. diuiſis Quotiens eſt 1. $\frac{15}{28}$. ergo Cyclus Solis fuit 15. item additis 9. anno 1453. fiunt 1462. quibus diuiſis per 28. quotiens eſt 52. $\frac{6}{28}$. ergo Cyclus Solis 6. Demum annis 776. ante Chriſtum conuerſis in annos 6598. Periodi Soliſaureæ, hiſq; diuiſis per 28. quotiens eſt 234. $\frac{6}{28}$. ergo Cyclus Solis tunc fuit 6.

CANON V.

Cyclo Solis dato pro quouis Anno Epochæ Christi, vel ante Epocham Christi, inuenire Literam Dominicalem ſeu indicem Feriæ.

PRo annis ante Chriſtum, vel Epochæ Christi in forma Iuliana, conſule Tabulam noſtram VIII. nam in eius prima columna ſunt Cycli Solis, & è regione ipſorum in ſecunda columna ſunt Literæ Dominicales ipſis conuenientes, quarum prior, vbi duæ ſunt notatæ, ſeruit in anno Biſsextili vſq; ad 24. Februarij priorem, deinceps verò ſeruit poſterior litera. Sic Cyclo Solis I. litera G. ſeruit à Calendis Ianuarij, vſq; ad 24. Febr. deinceps vero litera F.

cum ergo per Canonem IV. Anno ante Christum congruat Solis Cyclus 18. eius litera per Tab. VIII. est F. & anno Christi 34. Cyclo Solis 15. competit litera C. et anno 1453. Cyclo Solis 6. litera G.

Pro annis autem Gregorianis ab anni Christi 1582. die 5. Octobris, consulenda est Tabula XI. in qua è regione Cycli Solis respondent sub suis centesimis, aut millesimis annis Literæ Dominicales, vt exemplis ibidem docuimus. In eadem tamen Tabula, columna sexta, quæ insignita est crucicula ✝, seruit pro annis, et diebus ante correctionem. Exempli gratia anno 1582. Cyclus Solis fuit xxiii. cui in columna sexta conuenit litera g. vsq; ad diem 5. Octobris, sed eidem Cyclo in secunda columna sub anno 1582. respondet litera C. vsurpanda à die 5. Octob. quæ euasit 15.

CANON VI.

Data Litera Dominicali, inuenire Feriam tum initialem cuiusq; mensis, iuxta datum Cyclum Solis, tum Feriam cuiq; diei Anni Iuliani, aut Gregoriani.

IN Tabula VIII. habes è regione Cycli Solis, sub vnoquoq; mense anni Iuliani numerum feriæ conuenientis kalendis mensis. Sic quia anno ante Christum 776. Cyclus Solis fuit 18. Ianuarius inccepit feria 3. et Februarius 6. et Iunius 7. et Iulius 2. etc. Item quia anno Christi 34. Cyclus Solis fuit 15. Ianuarius inijt feria 6. Februarius, et Martius 2. Aprilis 5. etc.

Pro reliquis autem diebus cuiusuis anni siue Iuliani, siue Gregoriani datis, consule Calendarium, quod habetur in Breuiario Romano, vel Kalendarium vtrumlibet à nobis exhibitum cap. 17. ad finem numeri, vel ad finem capitis 18. et vide an dici datæ mensis dati, sit adnotata litera Dominicalis, tunc enim dies data erit Dominica, seu feria prima, alioquin numerando dies à die proximè præcedenti, cui affixa est litera Dominicalis, vsque ad diem datum inclusiuè, inuenies feriam huic conuenientem. *Exempli* gratia, quia Anno ante Christum 776. Litera Dominicalis fuit F. Mensis autem Iunij diei 2. adnotata est in kalendario Romano litera F. ergo dies 2. Iunij fuit feria 1. at inde inclusiuè vsq; ad diem 8. sunt feriæ 7. ergo dies 8. Iunij incidit in feriam 7. Anno autem 34. Christi litera Dominicalis fuit C. quæ in Martio affixa est diebus 7. 14. 21. et 28. omnes ergo illi dies coinciderunt in feriam primam, seu Dominicam, dies autem 8. 15. 22. et 29. in feriam secundã etc.

CANON VII.

Dato Aureo numero, inuenire Epactas Ecclesiasticas, Ciuilesue conuenientes Annis Epochæ Christi, vel ante Christum.

PRo annis Epochæ Christi consule Tabulam VI. in ea enim è regione Aurei numeri in prima columna notati, dextrorsum respondet Epacta Ecclesiastica conueniens anno inter annos in fronte Tabulæ notatos incluso. *Sic*, quia annus Christi 34. cui conuenit Aureus numerus xvi. includitur inter annos 0. & 319. in secunda columna notatos, Epacta numero xvi. respondens est 22. At quia anno Christi 1453. Aureus numerus fuit x. & annus ille pertinet ad columnam sextam, quia includitur inter annos 1400. & 1582. ideo in hac columna, è regione Aurei x. reperitur Epacta 20. Deinceps autem à die 5. Octobris anni 1582. Epactæ sunt Gregorianæ, quæ diebus 10. augendæ sunt, si quis Iulianas optat. Sic anno 1600. Aureo numero V. respondet Epacta 15. Gregoriana, quæ esset 25. Iuliana.

Pro annis autem ante Christi Epocham, confer te ad Tabulam xiii. in ea enim notati sunt Aurei numeri in fronte, & sub ipsis Epactæ respondentes annis inclusis inter annos ante Christum notatos in prima columna. Sic quia anno ante Christum 776. per canonem III. congruit Aureus numerus 5. & ille annus includitur inter annos 626. & 934. ante Christum, si in serie Epactarum intra hos annos dextrorsus positarum procedas sub Aureo 5. nempe in columna sexta, inuenies Epactam 18. conuenientem anno 776.

Memineris autem pro Epacta 30. scribi solere hanc notam *.

CANON VIII.

Epactas Astronomicas ex Medijs motibus Luminarium inuenire pro Annis Epochæ Christi, vel ante illam.

EPactæ quas exhibuimus in Tabula VI. sunt Epactæ Ecclesiasticæ, quæ plerunq; vt postea dicemus exhibent Nouilunia vno alteroue die tardius, quam in Cœlo contingant; Epactæ autem exhibitæ in Tabula XIII. sunt Epactæ Ciuiles, aliquanto propius indicantes Nouilunia; sed vt vtrasq; examinare possit Chronologus, si hoc expedire iudicauerit ad Chronologicum aliquem characterem confirmandum, aut emendandum, consulenda est Tabula XII. ad cuius faciliorem vsum pro annis ante Christum, conuertere oportet eos per I. Canonem in annos Periodi Solisaureæ. Deinde accipienda est Radix Epactarum conueniens anno proximè minori in Tabula reperto, & pro reliquis annis completis tamen, seu vna vnitate minoribus anno dato, accipiendæ sunt Epactæ annis solutis, aut collectis conuenientes; Summa enim si non excedat dies 29. horas 12. minuta 44. secunda 3. *i.* deest Lunationem mediam, erit Epacta conueniens anno dato; at si excedat, subtrahenda est semel, aut quoties potest Lunatio prædicta, & residuum erit Epacta quæsita.

Exemplo præceptum illustrabitur. Annus ante Christum 776. per Canonem I. est Periodi Solisaureæ annus 6598. annus huius periodi proximè minor in Tabula est 6573. cui respondet Epacta radicalis dier. 21. hor. 23. min. 0. sec. 44. ab hoc anno ad 6598. currentem, vel ineuntem interceserunt anni completi 24. quorum in Tabella Annorum collectorum Epacta est d. 24. hor. 22. min. 40. sec. 18. summa

	D.	H.	M.	S.
Anni 6573. Radix	21	23	0	44
Anni 24. Compl.	24	22	40	18
Summa	46	21	41	2
Lunatio Media	29	12	44	3
Epacta Anni 776.	17	8	56	59

horum cum radice, positis pro horis 24. vno die, est dier. 46. hor. 21. min. 41. sec. 2. quibus si demas Lunationem mediam, restat pro anno ante Christum 776. Epacta Astronomica dierum 17. hor. 8. min. 56. sec. 59. vt videre est in forma calculi hic adiecta; cum per Canonem VII. reperta sit dierum 17. absq; appendice horarum, vtpote ciuilis.

Alterum *Exemplum* pro anno Christi 34. Radix proximè præcedens, cum annis completis 33. dabit Epactam anni

ANNI	D.	H.	M.	S.
0 Radix	16	17	56	12
32	23	9	59	4
1	10	15	11	22
Summa	50	19	6	38
Lunatio	29	12	44	3
Restat Epacta	21	6	22	35

34. Et nempe dier. 21. hor. 6. min. 22. sec. 35. esto Epacta Ecclesiastica per Canonem VII. & Tabulam VI. reperta, sit dier. 22. quia Epactæ Ecclesiasticæ dissentiũt ab Astronomicis aliquando vno die, & ad summam sesquidie, plerumq; tamen Nouilunia per Epactas Ecclesiasticas indicata succedunt Nouilunijs Astronomicis, tam veris, quam medijs, vt securius Pascha celebretur post 14. Lunam, & vitetur concursus cum Iudæis. Sed iam veniendum est ad inuentionem Nouiluniorum.

CA-

CANON IX.

Nouilunia, & Plenilunia media inuenire pro Annis, ac Menſibus Iulianis, ac Gregorianis ante Chriſti Epocham, & poſt.

SI Anni dati ſunt Epochæ Chriſti vtere illis; ſi verò ante Chriſtum, conuerte illos in annos Periodi Soliſaureæ; deinde ex Tabula xii. collige Epactas tum Radicis proximè præcedentis, tum annorum reliquorum, completorum, tum menſium completorum Anni Communis, aut Biſſextilis; & earum ſummam ſubtrahe proximè maiori ſummæ Reuolutionum Nouiluniorum, vel Pleniluniorum; Reſiduum enim dabit diem, horam, &c. Nouilunij, aut Plenilunij medij in menſe propoſito. Sed poſt correctionem Gregorianam demendi ſunt dies 10.

Exemplum 1. Sit anno, de quo ſupra ante Chriſtum 776. ideſt Periodi Soliſaureæ 6598. & quæratur Nouilunium, ac Plenilium medium menſis Iunij in Anno Iuliano Communi. Forma calculi eſt inſtituenda, vt cernis in laterculo

Anni	D.	H.	M.	S.
6573 Rad.	21	23	0	44
24 Completi	24	22	40	18
Maij Completi	3	8	19	44
Summa	50	6	0	46
Reuolut. Nouil.	59	1	28	6
Nouilunium	8	19	27	20
Reuolut. Plenil.	73	19	50	8
Plenilunium.	23	13	49	22

hic adiecto. Summa enim dier. 50. hor. 6. &c. ſubtracta à Nouiluniorum Reuolutione proximè maiori, ideſt à diebus 59. hor. 1. &c. relinquet pro Nouilunio medio Iunij diem 8. hor. 19. min. 27. ſec. 20. à meridie reſpectu noſtri meridiani Bononienſis. Eadem verò ſumma dier. 50. hor. 6. &c. Subtracta Reuolutioni Pleniluniorum proximè maiori, videlicet diebus 73. hor. 19. &c. relinquet pro Plenilunio Medio Iunij diem 23. hor. 13. m. 49. ſec. 22. poſt meridiem.

Exemplum 2. Sit Annus Chriſti 34. & menſis Martius: Forma calculi ordinanda eſt, vt vides in hoc laterculo.

Anni	D.	H.	M.	S.
Radix 0	16	17	56	12
32 Compl.	23	9	59	4
1 Compl.	10	15	11	22
Febr. Compl.	29	11	15	57
Summa	80	6	22	35
Reuolut. Nouil.	88	14	12	10
Nouilunium	8	7	49	35
Reuolut. Plenil.	103	8	34	11
Plenilunium	23	2	11	36

Summa enim Epactarum 80. hor. 6. min. 22. ſec. 35. ſubtracta proximè maiori Reuolutioni Nouiluniorum, & deinde Pleniluniorum, relinquet Nouilunium medium die Martij 8. hor. 7. min. 49. ſec. 35. & Plenilunium medium Martij die 23. hor. 2. min. 11. ſec. 36.

CANON X.

Nouilunia Ciuilia inuenire per Aureos Numeros ante, & poſt Epocham Chriſti.

PRimò inuento Aureo numero per Canonem III. quære in Tabula V. Nouilunia menſium tempore Chriſti ab Aureo numero indicata; *Secundò* diebus Nouilunij ſic repertis Adde, ſi anni ſunt ante Chriſtum; deme ſi poſt; tot dies, quot notati ſunt in vltima columna, iuxta Annos à Chriſti tempore diſtantes; & incides in diem Nouilunij ciuilis eiuſdem aut ſequentis menſis. *Eſto* annus ante Chriſtum datus 776. cuius Aureus numerus fuit V. huic autem tempore Chriſti conuenit Nouilunium Iunij die 6. Sed quia annus 776. propior eſt anno ante Chriſtum 626. eſto includatur inrer 626. & 939. notatos in penultima columna Tabulæ V. & huic interuallo reſpondent dies 2. addendi ſunt hi diei 6. & Nouilunium ciuile cadit in diem 8. & aliquot horas vltra pertinetq; ferè ad diem 9.

CANON XI.

Nouilunia Ciuilia, ſeu Eccleſiaſtica inuenire per Epactas Ciuiles, aut Eccleſiaſticas.

NOuiliunia ante Chriſtum voco *Ciuilia*, quæ verò poſt Chriſtum inquirere ſolita eſt Eccleſia Catholica, in gratiam Paſchatis, appello *Eccleſiaſtica*; Quære igitur per Canonem VI. Epactam dato anno congruentem, & eam require in prima columna Tabulæ VII. procedendo enim dextrorſum, è regione Epactæ, inuenies ſub ſingulis menſibus diem Nouilunij quæſiti. Sic quia per Canonem VIII. Anno 776. ante Chriſtum conuenit Epacta xviii. huic in Tab. VII. reſpondent Nouilunia in Ianuario dies 13. in Iunio 9. quæ tamen plerumq; ſuccedunt Nouilunijs medijs, & veris: ideoque ſecluſa quæſtione Paſchatis, melius eſt aſſumere diem antecedentem, vt in caſu noſtro diem Ianuarij 12. & Iunij 8. pro Nouilunio Ciuili Anno autem Chriſti 33. per Canonem VII. reperta fuit Epacta xxii. cui in Tabula VII. reſpondet pro Martij Nouilunio Eccleſiaſtico dies 9. ergo abiecta vnitate Nouilunium ciuile fuit die 8.

CANON XII.

Nouilunia Eccleſiaſtica, quibus vſa eſt maxima pars Catholicorum à tempore Concilij Nicæni, vſq; ad Gregorianam Correctionem Kalendarij inuenire per Aureos numeros.

AVreum numerum per Canonem III. repertum, require in kalendario Romano vetere, poſito capite 27. vbi etiam eius vſum docuimus Canone II. ibi tradito; dies enim cuiuſq; menſis reſpondens è regione Aureo numero, erit dies Nouilunij quæſiti. Sic ibidem pro anno 1453. quo currebat Aureus 10. reperimus Nouilunium Martij die 14. ſed memento poſt Concilium Nicænum Nouilunia hac methodo reperta, tardius euenire ita vt iam Anno 1500. quatriduo tardius euenirent, quàm media nedum Vera Nouilunia. Oportet tamen Chronologum hac methodo vti, quando ex Nouilunio Eccleſiaſtico, præſertim Paſchali, aut Feſtis Mobilibus apud aliquem Hiſtoricum notatis, vult inquirere quotus ſit ille annus Chriſti. Reliqua vide dicto Canone II. et III. capitis 27.

CANON XIII.

Dominicam Paſchalem inuenire, ſiue celebratam à tempore Concilij Nicæni, vſq; ad correctionem Kalendarij Gregorianam, ſeu celebrandam ante, & poſt dictam Correctionem. Quod ipſum ſtatim exhibet Tabula Paſchalis poſita in fine Capitis XXVIII. ab Anno 1. Chriſti ad 1700.

PRo Paſchate reipſa celebrato à maxima parte Catholicorum vſque ad Correctionis annum 1582 quære per Canonem XII. Nouilunium Martij in vetere Kalendario; Nam ſi contigit poſt diem 7. Martij illud fuit Nouilunium Paſchale & prima Dominica occurrens poſt diem xiv. Lunæ fuit Paſchalis; At ſi Nouilunium Martij contigit die 7. Martij, vel ante; expectandum fuit ſubſequens

No-

Nouilunium Martij, aut Aprilis, & prima Dominica occurrens post xiv. Lunæ diem fuit Paschatis. Pro Paschate autem verius celebrando Quære per Canonem XI. Nouilunium Ecclesiasticum Martij, & reliqua obserua vt modò dixi. Litera porrò Dominicalis per Canonem V. reperta indicabit diem Dominicã. Exemplum, esto in anno Christi 1453. de quo supra: nam per Canonem XII. Nouilunium Martij in Kalendario vetere fuit die 14. Martij, adeoque fuit Paschale, inde autem numeratis diebus 14. inclusiuè, Luna xiv. incidit in diem 27. Martij; cui in Kalendario attributa est litera B. At illo Anno per Canonem V. conuenit litera G, non prius occurrens quam die 1. Aprilis ergo Pascha celebratum est die 1. Aprilis.

At si per Canonem xi. et Epactas Tabulæ vi. mediante Aureo numero, qui fuit x. quæras Epactam quæ fuit xx. et in Tabula VII. Nouilunium Martij vero, ac medio Nouilunio propius fuit die 2. Martij; à quò inclusiuè numerando dies 14. Luna xiv. incidit in 24. Martij, et dies sequens nempe 25. Martij debuit esse Paschalis, quia die 25. assignata est litera Dominicalis G. Proinde Ecclesia erranit non in quæstione iuris, sed facti, quia ob Nouilunium seriùs monstratum à Kalendario constructo ab Alexandrinis, putauit primam Dominicam post Lunam xiv. fuisse die 1. Aprilis; et eodem kalendario vsa est Constantinopolitana Ecclesia vsque ad vrbem eam à Turcis captam: eo enim anno 1453. celebrauit Pascha 1. Aprilis, et festum Corporis Christi apud eos incidit in diem 31. Maij, ante quod feria 5. die 29. captam vrbem narat Patriarcha Constantinopolitanus. Quare si Chronologus, vellet hunc annum stabilire ex Paschate per Nouilunia media, vel Epactas Gregorianas, longè aberraret.

Id ipsum accidisset hoc anno 1664. quo hæc scribimus, currente Aureo 12. et Cyclo Solis 21. Literaq; Dominicali Iuliano more B, post diem 24. Februarij, et Epacta Iuliana item 12. Nam kalendarium vetus exhibet Nouilunium Paschale die 22. Martij, et Pascha die 10. Aprilis: At Epacta Iuliana exhibet Nouilunium Paschale die 19. Martij, et Paschalem Dominicam die Aprilis 3. ideſt Gregoriano stylo die 13.

CANON XIV.

Pascha Iudæorum ex Kalendario Hebræorum Recentiori, & ex Vetere inuestigare.

1 PRo Paschate Iudaico à temporibus Constantini Magni, vel ab Anno Christi 344. Consule dicta cap. 14. et eius Appendicem, Tabulasq; et Canones post illam adiectos. Quamuis Mulerus et pauci quidam putent eosdem Canones idemque kalendarium inseruire posse, iam inde à tempore Mosis, quod tamen plerique negant nosq; cum illis.

2 Pro Paschate autem ab Exodi tempore vsq; ad Christi Passionem, aut vsq; ad Constantinum Magnum inuestigando, negleximus Cyclos Gamalielis, quos nimis magnifecit Paulus Episcop. Forosempronienſis 2. parte Summæ c.8.eo quod translatio illa feriarum, et alia indicent, illos Cyclos esse nouitium inuentum, et authoritatis captandæ causa vulgatos sub nomine Gamalielis; Itaque putamus eligendam vnam ex duabus regulis, quas cap. 12. nu. 7. cum Langio exposuimus; videlicet, vt ille sit Nisan, seu Mensis Paschalis, cuius Nouilunium medium incidat ante Æquinoctium medium Verni Temporis, diebus non pluribus, quam 14. inclusiuè computatis; Aut certè cuius dies 14. Lunæ à prima Phasi inclusiuè computata incidat in Æquinoctium medium aut Ciuile, vel post primæ Phasis momentum, ideſt à vero Nouilunio horis 27. ½. Alioquin, si Luna 14. altero ex his modis inuenta antecedat diem Aequinoctijs, expectandum est subsequens Nouilunium, & eius dies 14. pro Paschate Iudæorum.

3 Possumus etiam Nouilunia per Aureos, vel Epactas inquirere iuxta Canonem X. vel XI. & diem sequentem tribuere primæ Phasi pro Neomenia Hebraica cum prima Phasis Lunæ raro in diem veri Nouilunij primum, aut quarum cadat, frequentissimè autem in diem 2. & aliquando in 3. iuxta dicta libro 4. Almagesti Noui cap. 3. Nam, & Arabes, vt suam primam Neomeniam certius à Phasi Lunæ auspicentur ita ordinarunt eius inuentionem in Tabulis, vt plerumque Neomenia *Mitharram*, biduo ferè succedat Nouilunio medio, nedum vero. Sic initium Hegiræ incidit Anno Christi 622. in diem 16. Iulij feria 6. cum tamen Nouilunium medium fuerit die 13. hor. 16. post meridiem; & Anno Christi 1631. Neomenia *Muharram* incidit in die 20. Iulij, & tamen Nouilunium medium fuit die 18. Iulij hora ferè 6. post nostrum meridiem. Nam si hoc modo inuenta Neomenia, dies 14. inde computata inclusiuè, adhuc incidat ante Vernum Æquinoctium duobus, vel pluribus diebus, certi erimus non fuisse ex se Paschalem. Esto si dies 14. Lunæ ita computata cadat in diem Æquinoctij, aut in immediatè subsequentem non continuo certi simus an apud antiquos Hebræos fuerit Paschalis.

Sed quia Langius & non pauci supponũt tempore Christi Æquinoctium ciuile fuisse apud Hebræos quoque affixum die 25. Martij Iuliani, hoc autem merito reuocari potest in dubium; ideo ad Neomeniam Paschalem per prædictas Regulas tres inquirendam, præmittendi sunt Canones de Æquinoctijs.

CANON XV.

Aequinoctia, & Solstitia Vera quouis Anno ante Epocham Christi, vel post inuestigare.

CVm ex obseruationibus Bononiæ factis, & quidẽ multis, deprehenderimus interuallum ab Aequinoctio Verno ad Solstitium Aestiuum solere esse dierum 93. & minutorum horariorum 36. hinc ad Aequinoctium Autumni dierum 93. hor. 15. minut. 17. hinc ad Brumam dierum 89. hor. 14. m. 31. & hinc ad Vernum Aequin. dierum 88. hor. 23. min. 24. sec. 48. & iuxta dicta lib. 1. Astronomiæ Reformatæ cap. 4. Annus Astronomicus Solaris non sit dierum 365. horaramq; 6. sed dierum 365. hor. 5. min. 48. sec. 48. ideoq; præcessio Aequinoctiorum, & Solstitiorum annua sit minut. 11. sec. 12. sequitur eam annis quibusq; Nongentis euadere dierum 7. præcisè, & vnius diei præcessionem requirere solum Annos Iulianos 128. ¾. esto Clauius cap. 3. Kalendarij, & Petauius lib. 7. de Doctrina Temporum c. 10. maiusculam quantitatem Anni sectantes, requirant annos ferè 134. His positis, & electis anni punctis cardinalibus Anno Domini 1656. obseruatis, construximus Tabulam xiv. pro inueniendis Astronomicis, ac veris, seu in Cœlo apparentibus Aequinoctijs, ac Solstitijs, cuius vsus est huiusmodi.

Si anni dati sunt Epochæ Christi, non est necesse illos conuertere in alios, sed si sint ante Epocham Christi expedit ad calculum deorsum progressiuum, eos per I. Canonem conuertere in Annos Periodi Solisaureæ. Deinde accipienda est Radix Aequinoctij aut Solstitij, de quo est quæstio assignata annis proximè in Tabula xiv. præcedentibus annum datum, & dextrorsum Aequinoctium conueniens reliquis annis completis à Radice vsque ad annum datum, si is est Bisextilis; subtracta enim Aequatione, relinquetur tempus veri Aequinoctij, aut Solstitij, à meridie Bononiensi computatum. At si annus datus non sit Bisextilis, numerandi sunt anni completi à Radice, vsque ad Bisextilem illum, qui proximè præcessit anno dato, & eorum Aequatio subtrahenda est Radicali Aequinoctio: sed postmodum ex infima parte sinistra Tabulæ xiv. extrahenda est Aequatio addenda prout annus tibi datus fuerit primus, vel secundus, vel tertius post Bisextilem; ea enim addita Aequinoctio aut Solstitio iam per priorem Aequationem reperto, dabit correctum tempus Aequinoctij, vel Solstitij.

EXEMPLVM 1. Sit annus qrimus Olympiadum, ideſt 776. ante Epocham Christi, qui per Canon. I. est Periodi Solisaureæ 6598. & per Canonem II. fuit primus post Bisextilem; annus in Tabula proximè minor notatus est Periodi Solisaureæ 6329. cui cõuenit Radicale Aequinoctium Vernum Martij die 30. hor. 9. min. 51. & Solstitium Aestiuum Iulij 1. hor. 9. min. 27. Bisextilis autem proximè præcedens anno 776. dato fuit 777. Ideſt Periodi Solisaureæ 6597. ab anno autem Radicis 6329. ad annum 6597. sunt anni 268. quorum Aequatio conflata ex Aequatione annorum 200. & 28. est dier. 1. hor. 18. min. 33. sec. 36. & hæc sub-

ſubtracta radici exhibet Aequinoctium die Martij 28.h.15. m. 17. ſec. 24. & Solſtitium Iunij die 29. hor. 14. min. 53. ſec. 24. ſed vtriq; addenda eſt Aequatio conueniens Anno 1. poſt Biſſextilem nempe hor. 5. min. 48. ſec. 48. adeoq; Correctum Aequinoctium fuit Martij die 28.hor. 21. m. 6. ſec. 12. & Solſtitium Iunij die 29. hor. 20. min. 42. ſec. 12. poſt noſtrum meridiem.

EXEMPLVM alterum: ſit Annus Chriſti 34. qui fuit ſecundus poſt Biſſextilem: Aequinoctium Radicale proximè in Tabula præcedens fuit Martij d. 22. hor. 6. min. 58. ſed à Radice 0. ad Biſſextilem proximè præcedentem anno dato, nempe ad annum 32. ſunt anni 32. quorum Æquatio d. 0. hor. 5. min. 58. ſec. 24. ſubtracta Radicali Æquinoctio, relinquit dies 22. hor. 0. min. 59. ſec. 36. ſed his addenda eſt Æquatio anni 2. poſt Biſſextilem, nempe hor. 11. min. 37. ſec. 36. & prodit Correctum tempus Æquinoctij dies 22. Martij hor. 12. min. 37. ſec. 12.

Aduertat vero Lector nos l. 3. Almageſti Noui improbaſſe annorum inæqualitatem & Anomaliam præceſſionis Æquinoctiorum.

CANON XVI.

Aequinoctium Vernum Ciuile, aut Eccleſiaſticum ab Hebræis tempore Chriſti, & antea obſeruatum probabiliter definire.

PRimò certum eſt apud peritiſſimos quoſq; Computiſtas; nec Deum, nec Eccleſiam in Æquinoctij die in Kalendario notando, voluiſſe adſtringere Sacrarum Ceremoniarum præſides, nedum plebem regulis Aſtronomiæ, cuius perpauci periti ſunt, nec voluiſſe vt attenderent ad Motus Solis Veros, quiob diuerſas opiniones Aſtronomorum, valde diuerſi ſunt. Id enim fuiſſet magna occaſio diſcordiæ, cum alij vnam; alij aliam ſectam contentioſè ſequi, & propugnare ſtuduiſſent. Sicut etiam prudenter in quouis Kalendario non habetur palàm ratio horarum, & ſcrupulorum, ſed dierum dumtaxat integrorum ex horis 24. vel proximè conſurgentium. Idcirco Campanus in principio ſui computi maioris ſcribit: *Computum eſſe ſcientiam numerationis, & diuiſionis temporum ſecundum vulgares obſeruantias.* addens tamen cap. 15. *Computiſtas veris Lunationibus, propter earum difficilem varietatem, Aſtronomis relictis, de mediis ſolùm propter earum vniformitatem negotiatos eſſe.* Quod ipſum docet Io. Stoffler inus propoſ. 34. Calendarij Romani, & Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis lib. 10. dicens. *Eccleſia Romana in Paſchali ſupputatione non obſeruat motus diuerſos, vel extremos propter ipſorum varietatem, ſed medios duntaxat, & vniformes*; Immò Clauius in Calendario cap. 4. dixit. *Non enim Eccleſia tam accuratis, ſubtilibuſq; Aſtronomorum præceptis vnquam aſtricta fuit; cùm neque Hebræis ipſis, quibus omnia ceremonialia erant, præceptum fuerit, vt verum aut medium Aequinoctium in Paſchæ ſolemnitate obſeruarent, ſed tantum tempus, quo dies, iudicio ſenſus, noctibus æquales fiunt, quod quidem triduum, aut quatriduum ſine magna differentia complecti ſolet.* Et paulo poſt addit Moyſen, licet Solaris Lunariſq; curſus peritiſſimum, locutum tamen fuiſſe ad ſenſum vulgi Aſtronomiæ ignari, cum ad vniuerſum cætum filiorum Iſrael loquens ex DEI præſcripto dixit *Obſerua menſem Abib, ideſt nouarum frugum, & verni primum temporis*, ita vt ritu vulgari, ac penè ruſtico, indicium Verni temporis voluerit eſſe nouitatem frugum in ea regione germinantium.

Secundò; Illud quoq; certiſſimum eſt Æquinoctia & Solſtitia intra vnum diem coerceri non poſſe. Nam ſi exempli gratia contingat anno Biſſextili in meridie diei 20. Martij; continget ſequenti anno Iuliano, circa occaſum ſequentem Solis, & ſequenti anno circa mediam noctem, & ſequenti hunc anno, circa ortum Solis diei 20. Præterea, ne admiſſa quidem Anomalia Aequinoctiorum à Copernico introducta, poteſt Aequinoctium Medium à Vero diſſidere pluſquam ſeſquidie, immò ne integrum quidem ſeſquidiem, vt fuſe & perſpicuè oſtendit Clauius cap. 7. Calendarij Cum ergo in Calendario ad vulgi captum ordinando, dies vnus Aequinoctio ciuili deputandus fuerit, qui non niſi euidenti mutatione facta poſt vnum, aut alterum ſeculum, remoueri in alterum diem debuerit; ſatius fuit illum eligi diem, qui à vero, vel ſaltem medio Aequinoctio, non quidem pluſquam biduo deſtaret, ſed tamen vero, aut medio Aequinoctio potius ſuccederet, quàm præcederet: Sic enim certius vulgo conſtaret de veris initio, & diei æqualitate cum nocte iam factis. Idcirco enim etiam Iulius Cæſar, & Soſigenes licet ſcirent ſuo tempore vernum Aequinoctium verum non excedere diem Martij 23. ſi quidem per noſtrum canonem xv. Anno primo Iuliano ideſt 45. ante Chriſtum, accidit die 22. Martij hora 15. &c. poſt meridiem, illud tamen ciuiliter retinuerunt in die 25. Martij, vt ex Plinio, & Columella docuimus cap. 25. n. 6. Immo Ouidius tertio Faſtorum ſatis docet ingreſſum Solis in Arietem eo tempore incidiſſe in 22. aut 23. Martij, et tamen Aequinoctium ciuile in diem 25. prolatum: canit enim de quinto, & vltimo die Quinquatriorum Minerualium ideſt die 23. Martij ſic.

Nunc potes ad Solem ſublato dicere vultu;
Hic here Frixeæ vellera preſſit ouis.
Tres vbi Luciferos veniens præmiſerit Eos
Tempora nocturnis æqua diurna feret.

Potuit temen moueri Cæſar, et Soſigenes ad diem eundem retinendum, ex eò quòd Eudoxus, eundem diem Aequinoctio tribuerat; ſed Eudoxus verum Aequinoctium ex obſeruationibus propius attigerat; nam cum floruerit circa annum 368. ante Chriſtum, vt ex Olympiadicis annis à Diogene Laertio colligimus; illo anno per noſtrum Canonem xv. Aequinoctium Vernũ contigit die 25. hora $3.\frac{1}{4}$. poſt meridiem. Tandem Patres ipſi Nicæni, et Alexandrini anno 325. Chriſti, quamuis verum Aequinoctium eueniret die 19. Martij hora 19. $\frac{1}{4}$. poſt meridiem; hoc eſt politicè die 20. tamen melius cenſuerunt Aequinoctio deputare diem 21. vt ſecuriores eſſent de Paſchate celebrando poſt factum Aequinoctium, et Vernũ tempus iam initum. Nihil ergo verisimilius eſt quàm Hebræos quoq; olim Aequinoctio ciuili aſſignaſſe diem illum, qui altero minimùm die, aut etiam biduo ſuccederet poſt verum Aequinoctiũ: quando nimirum vmbra gnomonis non percurrens lineam æquinoctialem horologiorum, ſenſibiliter oſtendebat Solem iam tranſgreſſum eſſe æquatorem, aut quando aduertebatur noctem breuiorem factam eſſe die per ſemiquadrantem horæ. His poſitis abſoluemus problema Canone hoc præmiſſum per ſequentem Regulam.

3 Ad datum annũ circa tempora Chriſti, vel ante, inquire per Canonem xv. diem Aequinoctij Verni Bononiæ, eique adde horas 2. & habebis Aequinoctij verum tempus in Palæſtina: deinde huic ipſi adde diem vnum, immò duos præſertim quando vltra dies fuerint horæ 12. vel pluręs, & habebis veriſimillimè æquinoctium ciuile illo tempore vulgò obſeruatum. Eſto Exemplum I. Exodi tempore, quod Salianus ponit anno ante Chriſti Epocham 1510. Eo enim anno per Canonem xv. nempe Soliſaureæ anno 5864. & tertio poſt Biſsextilem Aequinoctium verum fuit Bononiæ Aprilis die 3. hor. 18. min. 40. poſt merid. ſed in Palæſtina die 3. hor. 20. min. 40. Ergo æquinoctium Ciuile probabilius die 5. Aprilis, quam die 4.

Alterum Exemplum Anno Epochæ Chriſti 34. Aequinoctium verum fuit Bononiæ die 22. Martij hor. 12. min 37. ſec. 12. ex dictis in fine Canonis xv. Ergo in Palæſtina die 22. hor. 14. min. 37. atq; adeo ciuiliter die potius 24. quam 23. iam enim è primo Iuliano anno intercurrerant anni ferè 90. Ideoq; abſq; vlla neceſſitate ſupponitur ab aliquibus tempore Chriſti Aequinoctium in Palæſtina eodem die retentum, quo illud Iulius Cæſar, & Soſigenes collocarant, nempe die 25. Martij: Quod valde notari velim pro Paſchate CHRISTI tempore celebrato: de quo plura ſuo loco DEO Dante.

LIBER SECVNDVS

De Connexione Insigniorum Epocharum Temporis Cum Epocha CHRISTI vsitata.

Adiectis Tabulis pro Annis OLYMPIADVM, VRBIS, NABONASSARI, ALEXANDRI M. & IEZDAGIRDÆ, cum Epocha CHRISTI nectendis.

PRÆMONITIO.

Propter affinitatem quam habent Canones, & Tabulæ huius libri, cum Tabulis, & Canonibus Libri Primi, & ad Artificium Chronologiæ simul ac iunctim tradendum, censui hoc libro præmittendas Epochas Annorum insigniores, ideſt exordia, vnde Anni computantur, esto earum fundamenta plerunq; nondum sint declarata, sed declaranda, & comprobanda sint sequentibus libris.

CAPVT I.

SYNOPSIS EPOCHARVM.

Anni ante Christi Epocham	Anni pars qua ineunt.	*Epochæ Annorum Insigniores, & Certiores.*
7374	Kal. Ian.	*Periodi Solisaureæ* continentis annos 10108. initium, vel Epocha ficta Antemundana, de qua vide l. 1. c. 29. nu. 3. & cap. 30. Canone 2. ac 3.
5634	Maij 2.	Mundi Epocha probabilior nobis. Vide lib. 7. cap. 5.
5509	kal. Sept.	*Constantinopolitanæ* Periodi annorum 7980. Epocha Mundana ficta, & vsitata ab Ecclesia Constantinopolitana, Imperatorib. Orientis in Edictis, Chronico Alexandrino, & plerisq; Græcis Scriptoribus; quorum tamen aliqui à Martio computant.
5493	kal. Sept. vel Æquinoct. Verno.	*Alexandrina* Mundi Epocha, à Panodoro Ægypti Monacho instituta, & adhibita à S. Maximo, & Georgio Monachis, Iulio Africano, Theophane, ac Nicephoro. Esto in vero anno Nati CHRISTI dissentiant.
5200	Ab Autumno.	*Eusebiana* Mundi Epocha, licet certiores putet Annos Abrahami, quam Mundi.
4714	kal. Ian.	*Iulianæ Periodi* Epocha Mundi ficta ratione Cycli, à Iudæis recentioribus de qua l. 1. c. 14. in Appendice nu. 3.
3378		Diluuium Noeticum iuxta 70. Interpretes absolutum.
2528		At iuxta Hebraicã & nunc Vulgatã.

Anni ante Christi Epocham	Anni pars qua ineunt.	
1796		*Diluuium Ogygium* de quo lib. 3. cap. 1. nu. 4.
1514		*Diluuium Deucalioneum* de quo lib. 3. cap. 1. nu. 6.
1481		*Troia* condita à Dardano de qua lib. 4. cap. 1. nu. 6.
1194		Troiani Belli initium, annis 10. ante excidium.
1184	Æstate.	*Troiæ* incendium, & excidium, de quo lib. 4. cap. 1.
1071	1. Hecatõbeonis.	*Archontes* perpetui Athenis loco Regum; lib. 3. cap. 1. num. 12.
776	Iulij 8.	*Olympias* prima ab Iphito instaurata, de quo lib. 5. cap. 2.
775	1. Hecatomb.	*Archontes* decennales Athenis incipiunt lib. 3. cap 1. nu. 12.
753	21. April.	*Roma condita*, iuxta Varronem, & plurium Romanor. sententiam, lib. 4. c. 2.
752	21. April.	*Roma condita*, iuxta Dionysium Halicarnass. & eius sectatores l. 4. c. 2. nu. 11.
751	21. April.	*Roma condita* iuxsa Fastos Capitolinos, vt probabitur l. 4. c. 2. nu. 16.
747	26. Febr.	*Nabonassari* initium Regnandi Babylone, de quo lib. 3. cap. 5.
686	1. Hecatomb.	*Aarchontes* annui Athenis lib. 3. c. 1. nu. 12.
605		*Captiuitas* Iudæorum Babylonica de qua lib. 6. cap. 11.
559		*Cyri* initium Regni, de quo lib. 5. cap. 4. nu. 3.
536		*Cyri* initium Imperij, de quo lib. 5. cap. 6.
530		*Cambysis* initium Regni, de quo lib. 5. cap. 7.
522		*Darij Hystaspidis* initium Regni, de quo lib. 5. cap. 7.
508		*Reges* Romæ expulsi, & *primi Consules* introducti, lib. 4. c. 3.

Ma-

Anni ante Christi Epocham	Anni pars qua incunt.	
490	Aestate.	*Marathonia* Græcorum de Persis victoria duce Miltiade de qua lib. 3. c. 3. nu. 7.
480	Vere.	Xersis transitus in Græciam, lib. 3. cap. 3. nu. 8.
481	23. Sept.	*Salaminia* victoria naualis Græcorum de Persis, duce Themistocle, & deinde fuga Xersis in Asiam lib. 3. cap. 3. nu. 8.
453		*Danielis* Hebdomadum initium, de quo lib. 6. cap. 12.
431	Veris initio.	*Peloponnesiaci* Belli initium lib. 3. cap. 3. nu. 12.
371	5. Hecat.	*Leuctrica* victoria Epaminõdæ Thebani de Cleombroto Lacedemonæ l. 3. c. 3. nu. 15.
		Roma à Gallis capta.
330	1. Hecat.	Calippicæ Periodi annus 1. de quo lib. 3. cap. 10. & Monarchiæ Macedonum in Asia Dario extincto, & Babylone capta ab Alexandro M. l. 3. c. 4. n. 6.
324	12. Nouẽbr.	Philippi Ariadæi Epocha ab Alexandri obitu, licet obierit sub initium æstatis lib. 3. cap. 4.
312	1. Nisan.	*Græcorum* Aera Iudaica, qua vtitur liber primus Machabæorum: de qua l. 3. c. 7. nu. 2. & 4.
312	1. Tisri vel idib. Octob.	*Seleucidarum* Aera in Syria, seu Alexandri Dhilkarnain, qua vtitur Liber Secundus Machabæorum; vide lib. 3. cap. 7. à nu. 4.
311	Idib. Oct.	*Chaldæorum* Aera Babylone, lib. 3. cap. 7. nu. 3.
285	initio Apr	*Dionysij* Astrologi æra, & Ptolemæi Philadelphi initium, & Translatio LXX. interpretum hoc, aut sequenti anno: vide lib. 3. c. 5. nu. 3. & c. 6.
264	Vere.	*Punicum Bellum* primum lib. 4. c. 6.
254	1. Hecatom.	II. *Periodi Calippi* annus primus lib. 3. cap. 10. nu. 4.
218		Punicum Bellum II. lib. 4. c. 6.
178	1. Hecatom.	III. Periodi Calippi annus primus lib. 3. cap. 10. num. 5.
149		*Punicum bellum* III. lib. 4. c. 6.
49	Octobri.	*Antiochena* Aera, qua vtitur Euagrius & alij; vide lib. 3. c. 11.
47	14. Octob	Initium *Anni Confusionis*, de quo l. 1. cap. 22. nu. 2.
45	kal. Ianu.	*Iulianus* annus primus lib. 1. c. 22. & l. 4. c. 3. sub finem.
43	29. Aug.	*Augusti* anni à primo Consulatu lib. 4. c. 7. n. 3.
&	27. Nou.	Ijdem à Triumuiratu lib. 4. cap. 7. nu. 3.
38	kal. Ianu.	*Augusti Aera Hispanica*, de qua lib. 4. c. 7. n. 4.
31	2. Sept.	*Actiaca* victoria Augusti, de qua lib. 4. c. 7. nu. 5.
30	29. Aug.	*Augustani* Aegyptiorum anni, à morte Cleopatræ lib. 4. cap. 7. nu. 6.
27	kal. Ianu.	*Augustani* anni Romæ, quãdo Octauianus dictus est Augustus lib. 4. c. 7. n. 7.

Anni Epochæ Christi.	Anni pars qua incunt.	
1	kal. Ianu.	EPocha Christi, vulgo vsitata, seu Aera Dionysiana Cyclo Solis X. Lunæ II. Indict. IV. litera B, & 1. dies Ianuar. feria 7.
28		*Euangelij* promulgatio, & prædicatio S. Io. Baptistæ.

Anni Epochæ Christi.	Anni pars qua incunt.	
284	17. Sept.	*Diocletiani* Aera & *Coptitarum a SS. Martiribus* de qua lib. 4. cap. 10. à num. 17.
312	kal. Sept.	*Indictionum* Constantinianarum initium lib. 4. c. 16.
	25. Dec.	*Indictionum* Pontificiarum initium lib. 4. c. 16.
325		*Concilium Nicænum* eodem anno cœptum, & absolutum.
330	11. Maij.	*Constantinopolis* Encænia, seu dedicatio vrbis Deiparæ Virgini per Constantinum M. vnde aera Constantinopolitana lib 3. c. 11. nu. 2.
395	Ianu. 17.	*Imperij* Romani diuisio in Occidentale, quod Honorio, & Orientale, quod Arcadio delatũ est à Theodosio M. tunc mortuo lib. 4. cap. 11. nu. 14.
476	24. Aug.	*Imperij* Romani in Occidente finis, relegato *Augustulo*, & regnare incipiente in Italia *Odoacre* lib. 4. c. 12. num. 4.
622	16. Iulij.	*Hegira* Arabum, à Mahometis fuga, feria 6. vespere, de qua lib. 1. cap. 24. à nu. 2.
632	16. Iunij.	*Iezdagirdæ* nex feria 3. & inde Persarum Epocha, de qua lib. 1. c. 18.
800	25. Dec.	*Imperij* Romani instauratio in Occidente, & Caroli Magni coronatio lib. 4. c. 15.
1079	14. Martij	*Gelalæa* Persarum Epocha, & anni fixi ad Aequinoctium Vernum electio l. 1. c. 18.
1453	29. Maij.	*Constantinopolis* capta à Turcis, & Imperij Occidentalis Christianorum finis lib. 4. cap. 13. nu. 2.
1582	Octob. $\frac{5}{15}$.	Kalendarij Reformatio Gregoriana de qua lib. 1. cap. 28.

CAPVT II.

Index Canonum sequentium, & Tabularum pro Annis infrascriptis connectendis cum Epocha Christi.

Canon.	
i.	MVndi anni Eusebiani.
ii.	Mundi anni iuxtà Ecclesiam Constantinopolitanam.
iii.	Mundi anni iuxta Ecclesiam Alexandrinam.
iv.	Mundi anni Iudaici.
v.	Troiæ excidium.
vi.	Olympiades ab Iphito instauratæ.
vii.	Vrbis Romæ anni Varroniani.
viii.	Vrbis Romæ anni Capitolini, & Dionysiani.
ix.	CHRISTI Epochæ conuersio in Vrbis annos.
x.	Nabonassari Aera, & anni.
xi.	Nabonassari anni, menses, & dies.
xii.	Periodorum Calippi anni.
xiii.	Philippi, seu à morte Alexandri anni.
xiv.	Syro-Græcorum Aera, & Chaldæorum.
xv.	Græcorũ Aera duplex in libris Machabæorum.
xvi.	Dionysij Astrologi, Philadelphi, & Traslationis LXX. Epocha.
xvii.	Antiochena Epocha.
xviii.	Iuliani anni.
xix.	Augusti anni Imperij, Actiaci Augustiniani in Aegypto, &
xx.	Aera Augusti Hispanica.
xxi.	Consulum anni.

Canon.	
xxii.	Imperatorum post Augustum anni in Occidente, in Oriente.
xxiii.	Diocletiani Aera, vel coptitarum à SS. Martiribus.
xxiv.	Constantinopolis dedicatæ à Constantino anni.
xxv.	Hegiræ, seu Arabum Epocha.
xxvi.	Iezdagirdæ anni, & prior Epocha persica.
xxvii.	Iezdagirdici anni menses, ac dies.
xxviii.	Galilæa Persarum Epocha.
xxix.	Indorum præcipue Calecutensium Epocha.
xxx.	CHRISTIANÆ Epochæ vulgaris discrimen à vero CHRISTI anno 1. per diuersas notas Chronologicas.

Tabulę	
i.	Olympiadum, & Vrbis conditæ.
ii.	Nabonassari, & deinde Alexandri Magni.
iii.	Mensium Aegyptiorum, & Iulianorum, cum diebus collectis.
iv.	Iezdagirdæ annorum, cum mensibus Persicis, & diebus collectis.

CANONES PRO VSV SEQVENTIVM TABVLARVM

Et conuersione Epocharum insigniorum, in Epocham CHRISTI vsitatam ante vel post.

Periodi *Iulianæ, & Solisaureæ* conuersionem in Annos ante, vel post Epocham CHRISTI iam docuimus lib. 1. cap. 30. Canone I. & II. eò igitur recurrat Lector.

CANON I.

Mundi Annos Eusebianos conuertere in Annos ante, vel post Epocham Christi Eusebio autem adhæsit Martyrologium Romanum.

SI anni Mundi in Eusebij Chronico pauciores sunt annis 5200. subtrahe illos annis 5200. & habebis annos ante Christi Epocham inchoatos ab antecedenti Autumno, & currentes vsq; ad Autumnum anni ex subtractione nati. *Exempli* causa detur annus Mundi 5158. quo imperare cœpit Augustus, hic subtractus annis 5200. relinquit annum 42. ante Epocham Christi, sed antecedenti autumno anni 43. inchoatum. At si anni Mundi Eusebiani excedunt 5200. subtrahe illis annos completos 5199. & residui erunt anni Christi, exempli causa, dentur anni Mundi 5228. in Eusebio, deme illis 5199. remanet annus Christi 29.

CANON II.

Mundi Annos iuxta Ecclesiam Constantinopolitanam conuertere in annos ante, vel post Epocham Christi. Idemq; præstare de annis Mundi ex nostra opinione.

SI anni dati sunt pauciores annis 5509. illos his subtrahe, & habebis annos ante Christum inchoatos à Kalendis Septembris anni præcedentis. Exempli gratia dentur anni Mundi Constantinopolitani 5508. hos subtrahe annis 5509. restabit annus 1. ante Epocham Christi inchoatus tamen à Kalendis Septembris anni 1. ante Ep. Christi, à quibus incœpit Mundi annus 5509. concursurus per 8. vltimos menses sui, cum prioribus 8. Mensibus anni primi Epochæ Christi.

At si anni dati sunt 5509. vel plures, subtrahe illis 5508. & habebis annos Christi concurrentes à Kalendis Ianuarij vsque ad sequentis Septembris Kalendas, cum dato anno Mundi inito iam antea à præcedentibus kalendis Septembris. Exempli gratia, detur annus Mundi 5509. subtrahe illi 5508. restat annus primus Christi concurrens cum Mundi anno 5509. vsque ad diem 1. Septembris inde enim concurrit cum 5510. At ex nostra opinione si annus Mundi non excedit 5635. subtrahe illum annis 5635. & restabit annus ante Epocham Christi, at si excedit 5634. subtrahe annis datis annos 5634. & restabit annus Epochæ Christi.

CANON III.

Mundi Annos, iuxta Ecclesiam Alexandrinam conuertere in Annos ante, vel post Christum.

SI anni dati sunt pauciores quàm 5493. illos his subtrahe, habebisq; annos ante Epocham Christi concurrentes à Kal. Ianuarij, vsque ad 1. Septembris cum dato anno Mundi, at si anni dati sunt 5493. vel plures, subtrahe illis completos 5492. & habebis annos Epochæ Christi, reliqua, vt supra Canone II.

CANON IV.

Mundi Annos Iudaicos conuertere in Annos ante, vel post Epocham Christi.

Vide lib. 1. cap. 14. in Appendice, & post eius Tabulas Canonem primum.

CANON V.

Annos ante vel post Troiæ excidium datos, conuertere in Annos ante Epocham Christi.

SI anni dentur ante excidium Troiæ adde illos annis 1184. si verò dentur anni post excidium Troiæ, subtrahe illos annis 1184. & habebis annos ante Epocham Christi concurrentes ex æstiuis diebus cum annis datis.

CA-

CANON VI.

Olympiadum Annos datos conuertere in Annos ante, aut post Epocham Christi.

PRimò id promptissimè fit per Tabulam I. huius libri in ea enim è regione anni cuiusq; ad suam Olympiadem pertinentis, habetur in 3. columna annus ante, vel post Epocham Christi, in cuius æstate, à Neomenia propiore Solstitio Aestiuo incipit datus annus Olympiadicus, & completus est die antecedenti annus præcedens Olympiadicus. *Exempli* gratia datus sit annus 1. Olympiadis CXIV. in cuius initio, vel prope initium eius mortuus est Alexander Magnus, & Eusebius asserit, è regione eius inuenies annum 324. ante Epocham Christi, hoc igitur anno à prædicta Neomenia incœpit Olympias centesima decimaquarta, seu eius primus annus, ante dictam vero Neomeniam currebat adhuc annus quartus Olympiadis centesimæ decimætertiæ incohatus à dicta Neomenia anni 325. ante Epoch. Christi.

Aliter absq; Tabula, Olympiadibus datis deme vnitatem, vt habeas Olympiadas completas, & residuum multiplica, per 4. summæ autem inde natæ, adde annos reliquos, si vltra Olympiades aliqui dati sint, sed completos: Iam si summa tota minor est annis 776. subtrahe illam annis 776. & relinquetur annus ante Epochm Christi, in cuius Neomenia æstiua incipit annus datus Olympiadis. Si verò summa tota non est minor annis 776. sed illis æqualis, aut maior subtrahe illi Olympiadicos completos ante Christum 775. & relinquetur annus Epochæ Christi, à cuius Neomenia æstiuo Solstitio propiore incœpit annus datus datæ Olympiadis. Exemplis præceptum clarum fiet.

1. *Exemplum*. Datus sit, vt supra annus primus Olympiadis CXIV. idest Olympias ipsa 114. dempta vnitate restant completæ Olympiades 113. quibus per 4. ductis, fit summa annorum completorum 452. hæc subtracta annis 776. relinquit annum 324. ante Ep. Christi, in cuius Neomenia æstiua iacœpit Olympias 114.

2 *Exemplum*. Datus sit Olympiadis CXIII. annus 4. dempta vnitate restant Olympiades completæ 112. quibus per 4. ductis, fit summa annorum 448. cui addes annos tres completos: fit tota summa annorum 451. Hæc subtracta annis 776. relinquit annum 325. à cuius Neomenia æstiua incœpit annus 4. Olympiadis 113.

3. *Exemplum*. Detur Olympias CXCV. nempe eius annus primus; dempta vnitate restant completæ Olympiades 194. quibus ductis per 4. fiunt anni 776. ergo his subtrahe 775. & relinquetur annus primus Epochæ Christi, à cuius Neomenia æstiua incœpit Olympias 195.

4. *Exemplum*. Detur Olympiadis CCII. Annus 4. dempta vnitate restant Olympiades completæ 201. quibus per 4. ductis fit summa annorum 804. adde his annos completos 3. & fit tota summa annorum 807. cui subtrahe 775. & restat annus 32. Epochæ Christi, in cuius Neomenia æstiua incœpit annus 4. Olympiadis 202.

CANON VII.

Vrbis Romæ Annis datis secundum Varronem, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi à cuius die 21. Aprilis, incœpit datus vrbis Annus.

PRimò promptissimè id fit per Tabulam I. huius libri, in cuius Columnella secunda sunt Vrbis anni, & è regione eorum in tertia columnella sunt anni ante Epocham Christi, vel post, intra quos die 21. Aprilis incœpit Vrbis annus datus Varronianus. *Exempli* gratia, si detur Vrbis annus primus, hic incœpit 21. Aprilis, Iuliano Stylo, anni 753. ante Epocham Christi. Rursus si detur annus Vrbis 753. hic incœpit anno 1. ante Christi Epocham, & completus est anno primo Epochæ Christi die 21. Aprilis, à quo die cœpit annus Vrbis 754.

Aliter absque Tabula, si anni Vrbis dati pauciores sunt annis 754. subtrahe illos annis 754. restabitq; annus ante Epocham Christi, intra quem die 21. Aprilis incœpit Vrbis annus datus. At si anni Vrbis pares sunt, vel plures annis 754. subtrahe illis annos completos 753. & habebis annum Epochæ Christi, intra quem die 21. Aprilis incœpit Vrbis annus datus. Exemplis illustrabitur præceptum.

1. *Exemplum*. Detur Varroniano Stylo Vrbis annus 246. quo exacti sunt Reges, & instituti primi Consules, hic subtractus annis 754. relinquit annum 508. ante Epocham Christi, in cuius 21. Aprilis incœpit Vrbis annus 246. ex Varronis sententia.

2. *Exemplum*. Detur Vrbis annus 753. hic subtractus annis 754. relinquit annum 1. ante Ep. Christi intra quem à die 21. Aprilis incœpit Vrbis ann. 753.

3. *Exemplum*. Detur Vrbis annus 754. subtrahe his annos 753. restat annus 1. Epochæ Christi, in quo die 21. Aprilis incœpit Vrbis annus 754.

4. *Exemplum*. Detur Vrbis annus 1083. quo Constantinus Magnus dedicauit nouam Romam seu Constantinopolim Deiparæ Virgini Mariæ, die 11. Maij: subtrahe annis 1083. annos 753. restat Epochæ Christi annus 330. quo incœperat iam à die 21. Aprilis annus Vrbis veteris 1083.

CANON VIII.

Vrbis Annos Varronianos conuertere in Arbis Annos Capitolinos, aut Dionysianos, idest suppositos à Dionysio Halicarnasseo.

HAnc regulam, in qua multi errarunt, trademus, cum suis fundamentis libro 4. cap. 2. à nu. 16. ad 19. suppositis Fastis Consularibus ritè ordinatis ibi autem ostendemus in primo anno Vrbis, Dionysium vnico anno, Capitolinas verò tabulas duobus annis deficere à Varrone, et Serius illud initium inchoare. Regula porro hæc esto. Varronianis Vrbis annis deme vnitatem, restabit Dionysianus Vrbis annus, pro Capitolinis autem iuxta nostros Fastos Consulares, Varronianis annis à primò vsque ad 306. inclusiuè sumptum deme *binarium*, at ab anno 307. inclusiuè ad annum 394. inclusiuè deme *ternarium*; Rursus ab anno 395. inclusiuè ad annum 429. inclusiuè, deme *binarium*; Tandem ab anno 430. inclusiuè ad annum vsq; 765. inclusiuè deme *vnitatem*, & habebis annos Vrbis Capitolinos, & cauè à falsis regulis aliorum.

CANON IX.

Annos ante Epocham Christi non excedentes annum 753. & quotcunq, Annos Epochæ Christi conuertere in Annos Vrbis Varronianos.

ANnos ante Epocham Christi (dummodo non excedant 753. subtrahe annis 754. & restabit Vrbis annus incipiens die 21. Aprilis anni dati; annis autem Epochæ Christi datis adde annos 753. fiet annus Vrbis eo anno incipiens die 21. Aprilis.

1. *Exempl.* Detur annus ante Epocham Christi 45. qui fuit annus primus Iulianus, hic subtractus annis 754. relinquit annum Vrbis 709. initum à die 21. Aprilis anni 45. ante Epocham Christi.

2. *Exemplum*. Detur annus Epochæ Christi 330. quo Constantinus Magnus Constantinopolim dedicauit Deiparæ Virgini Mariæ additis annis 753. fit annus Vrbis 1083. initus die 21. Aprilis anni 330.

CANON X.

Datis Annis Nabonassari, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, & diem mensis in forma Iuliana in quo incœpit ille Annus Nabonassari.

VTrumq; statim obtinebis, per nostram II. Tabulam in eius enim columna prima sunt anni Nabonassari, in secunda dies mensis Iuliani, respõdens primæ diei *Thoth* primi mensis Aegyptiorum, & in tertia annus ante Epocham Christi, vel post, in quo incœpit datus annus Nabonassari. *Exempli* gratia datus sit annus Nabonassari 425. è regione eius videbis diem 12. *Nouembris* annumque ante Epocham Christi 324. hoc igitur anno prima dies *Thoth* incidit in diem 12. Nouembris. Sic anno Nabonassari 986. respondet Iunij dies 25. Anni Christi 238. quo die incœpit annus ille 986.

CANON XI.

Dato Anno Nabonaſsari eiuſq; menſe Aegyptio, ac die inuenire, Annum ante, vel poſt Epocham Chriſti, & diem menſis Iuliani reſpondentem diei Menſis Aegyptij.

PRimò per Canonem X. inquire annum ante, vel poſt Epocham Chriſti, ac diem menſis Iuliani, in quo incœpit annus Nabonaſſari datus, & obſerua vtrum annus ille, aut ſubſequens ſit Biſſextilis, quod diſces ex litera B. *Secundò* in Tabula 3. quære dies collectos reſpondentes tum diei datæ menſis Ægyptij in ſuperiori Tabulæ parte, tum in inferiori dies collectos reſpondentes diei menſis Iuliani, in quo incœpit annus Nabonaſsari, & vtroſq; dies collectos iunge in vnam ſummam, cui deme vnitatem, reſiduum enim (ſi non excedit dies 365. vel in anno Biſſextili 366. dabit in inferiore tabula dies collectos, quibus in ſiniſtra parte ſub titulo anni communis reſpondet dies menſis Iuliani congruens diei datæ menſis Aegyptij. At ſi ſumma excedit dies 365. vel in anno Biſſextili 366. his à ſumma detractis, cum reſiduo quære dies collectos anni Iuliani ſubſequentis, & diem menſis Iuliani anni ſubſequentis ad quem pertinet dies menſis Aegyptij.

1. *Exemplum.* Detur dies 5. menſis *Paophi* anni Nabonaſſari 425. quem annum iam per Canonem x. diximus incœpiſſe à die 12. Nouembris anni 324. ante Chriſtum communis, cui diei in inferiori parte Tabulæ III. reſpondent in ſuperiori parte Tabulæ III. reſpondent dies collecti 316. diei autem 5. *Paophi* in additi diebus 316. faciunt ſummam dierum 351. dempta igitur vnitate, diebus 350. in inferiori parte tabulæ ſub Decembri repertis, reſpondet in anno communi dies 16. *Decembris*, anni 324. ergo in hanc incidit dies 5. *Paophi*.

2. *Exemplum.* Detur idem annus 425. Nabonaſſari, ſed dies 10. menſis Aegyptij *Mechir*. Iam per Canonem x. conſtitit annum 425. Nabonaſſ. incœpiſſe die 12. *Nouembris*, anni 324. ante Epocham Chriſti, diei autem 10. *Mechir* reſpondent in III. Tabula ſuperiori dies collecti 160. & diei 12. *Nouembris* in inferiori parte, dies collecti 316. ſumma dierum vtrinque collectorum eſt 476. ſed dempta vnitate 475. annus autem 324. fuit communis, dierumque 365. qui detrahendi ſunt diebus 475. & reſtant dies collecti 110. pertinentes ad ſequentem annum ante Chriſtum, nempe annum 323. qui & ipſe communis fuit dies autem collecti 110. in inferiori parte Tabulę III. reperiuntur in columna *Aprilis*, & è regione illorum dies 20. ergo dies 10. *Mechir* anni 425. Nabonaſſari, incidit in diem 20. *Aprilis* anni 323. ante Epocham Chriſti.

3. *Exemplum.* Detur annus Nabonaſſari 764. & dies 15. menſis Athyr primò per Canonem x. inuenies annum illum incœpiſſe die 19. *Auguſti* anno Chriſti 16. Biſſextili; deinde in Tabula III. dies 15. *Athyr* reſpondent dies collecti 75. & diei 19. *Auguſti* in anno Biſſextili dies 232. ſumma dierum collectorum eſt 307. ſed dempta vnitate reſtant 306. in inferiori parte Tabulæ III. reperiuntur in Columna *Nouembris*, & è regione illorum in ſiniſtra columna ſub anno Biſſextili dies prima. Ergo concludes diem 15. Athyr anni Nabonaſſ. 764. incidiſſe in kalendas Nouembris anni 16. Epochæ Chriſti.

4. *Exemplum.* Detur Nabonaſſari annus 471. & dies 25. *Tybi* menſis. Primò in Tabula II. inuenio annum hunc incœpiſſe die prima Nouembris anni ante Chriſti Epocham 278. Communis, ſed quem ſequitur Biſſextilis; diei autem 25. *Tybi* reſpondent in Tab. III. collecti dies 145. at diei 1. Nouembris in anno communi reſpondent dies collecti 305. ſumma itaque collectorum dierum eſt 450. ſed vnitate abiecta ſunt 449. quibus ſubtrahendi ſunt 365. & reſtant dies 84. his autem ſub Martio in anno Biſſextili cuiuſmodi fuit annus ſubſequens, reſpondet dies 24. Ergo dies 25. *Tybi* anni 471. Nabonaſsari incidit in diem 24. Martij anni 277. ante Epocham Chriſti.

CANON XII.

Dato Anno Periodi primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ Calippi inuenire Annum ante Epocham Chriſti; in quo à Neomenia Hacatombæonis, ſeu priore Solſtitio æſtiuo, incœpit datus Annus Calippicus.

LIbro 3. capite 10. oſtendemus *Primam* Periodum Calippi incœpiſſe anno ante Chriſti Epocham 330. *Secundam* verò anno 254. & *Tertiam* anno 178. ſemper à Neomenia propiore Solſtitio æſtiuo, dato igitur anno cuiuſuis Periodi deme vnitatem, & reſiduum ſubtrahe illi anno, quo data Periodus incœpit, habebis enim annum ante Epocham Chriſti in quo incœpit annus Calippicus datus. *Exempli* cauſa, ſi detur annus 46. primæ periodi, ſubtrahe annis 330. annos 45. & reſtat annus 285. ante Epochã Chriſti, in cuius Neomenia æſtiua incœpit annus 46. *primæ* periodi; At ſi detur annus 46. *ſecundæ* periodi, ſubtrahe annos 45. annis 254. & reſtabit annus ante Epocham Chriſti 209.

Quod ſi dentur præterea dies menſis Ægyptij, quære in Tabula II. annum Nabonaſsari reſpondentem anno ante Epocham Chriſti eiuſq; initium, & reliqua operare, vt in Canone xi.

CANON XIII.

Dato Anno Philippico, ſeu ab obitu Alexandri Magni, & die Menſis Aegyptij, inuenire Annum ante, vel poſt Epocham Chriſti, diemque Menſis Iuliani congruentem.

PRimò in Tabula II. ab anno 425. Nabonaſsari, deinceps in 2. columna inuenies annos ab obitu Alexandri, ſicut in prima annos Nabonaſsari, & in tertia diem menſis Iuliani, in quo incipit vterque Annus more Ægyptio, & in quarta annum ante vel poſt Epocham Chriſti; *ſecundò* per Canonem xi. inquire diem menſis Iuliani, & annum congruentem diei menſis Ægyptij datæ.

1. *Exemplum.* Detur Alexandri annus 12. & dies 20. *Thoth*. Nam in Tabula II. inuenies anno 12. ab obitu Alexandri reſpondere hinc annum Biſsextilem ante Epocham Chriſti 313. inde Nabonaſsari 436. & vtrumq; annum, ſcilicet Nabonaſsareum, & Alexandreum incœpiſse die 9. *Nouembris*, cui in Tab. III. inferiori in anno Biſsextili reſpondent dies collecti 314. in ſuperiori autem diei 20. *Thoth* dies collecti 20. ſumma dierum collectorũ eſt 334. dempta ergo vnitate, iuxta dicta Canone xi. reſtant dies 333. quibus in anno Biſsextili reſpondet dies 28. *Nouembris* in quam ſcilicet incidit dies 20. menſis *Thoth*.

CANON XIV.

Dato Anno Aeræ Seleucidarum Syro-Græcorum, ſeu Dhilkarnaim, & Aeræ Chaldaicæ inuenire Annum ante Epocham Chriſti, à cuius Idibus Octobris, vel circiter incœpit datus Annus Syro-Græcorum, vel Chaldæorum.

LIbro 3. c. 7. oſtendemus Seleucidarum Aeram incœpiſse anno ante Epocham Chriſii 312. Chaldaicam autem eorundem anno 311. ab Octobri, eiuſue Idibus. Datis igitur annis Syro-Græcorum, vel Chaldæorum, deme vnitatem, & reſiduum ſubtrahe illic annis 312. hic 311. relinquetur enim annus ante Epocham Chriſti in cuius Octobri cœpit annus datus.

Exemplum. Detur annus Syro-Græcorum 149. dempta vnitate reſtat annus 148. qui ſubtractus annis 312. relinquit annum 164. ante Epocham Chriſti, à cuius Octobri incœpit annus 149. At ſi annus 149. datus eſset Chaldæorum.

rum, detractis 148. anno 311. remaneret annus 163. ante Christi Epocham.

CANON XV.

Datis Græcorum Annis in libris Machabæorum recensitis, inuenire Annum ante Epocham Christi in quo incæpit datus Annus Græcorum.

DEme vnitatem annis Græcorum datis, & residuum subtrahe annis 312. relinquetur enim annus ante Epocham Christi, à cuius mense *Nisan* annos computat liber primus Machabæorum à subsequenti verò *Tisri* liber secundus Machabæorum. Vt ostendemus l. 3. c. 7. à nu. 4.

Exemplum. Detur Græcorum annus 149. quo mortuus Antiochus Illustris narratur lib. 1. Machab. c. 6. versu 16. dempta vnitate, restat annus 148. quo subducto annis 312. remanet annus 164. ante Christi Epocham, à cuius Nisan more Iudaico incœpit annus 149. Græcorum in Syria; sed quia Antiochus ille mortuus est, eiq; successit Eupator inter Nisan, & Tysri, liber autem secundus Machabæorum numerat annos Syro Græcorum more Syriaco à Tysri sequenti circa initium Octobris, ideo illum eundem annum, quo Antiochus Eupator successit Antiocho Illustri mortuo, numerat annum tantummodo 148.

CANON XVI.

Anno dato secundum Dionysium Astrologum, seu à Philadelphi primo initio, inuenire Annum ante Epocham Christi, in quo incæpit ille Annus.

ANno dato deme vnitatem, residuumq; subtrahe annis 285. relinquetur enim annus ante Epocham Christi, in quo incœpit annus datus Ptolemæi Philadelphi, qui cœpit regnare in Ægypto circa initium Aprilis anni 285. vnde, & Dionysius Astrologus Epocham suam apud Ptolemæum Astronomum iniuit, iuxta dicenda lib. 3. cap. 5. nu. 3.

Exemplum. Detur annus Dionysianus, vel Philadelphi 25. subtrahe igitur non 25. sed 24. annis 285. & restat annus 261. ante Epocham Christi, à cuius Aprili incœpit annus ille 25.

De Epocha Laodicenorum, Tyriorum, Edessenorum, & Ascalonitarum.

EX S. Gregorio Turonensi lib. 1. historiæ Francorum cap. 32. & Eusebio in Chron. Annus Epochæ Christi 277. quo Alemanni excurrere in Gallias, & à Probo Imperatore victi sunt fuit Laodicenorum annus 324. Tyriorum 402. Edessenorum 588. & Ascalonitarum 380. Ergo Laodicenorum Epocha incœpit à verno tempore anni 48. ante Christi Epocham; Tyriorum autem anno 125. ante Epoc. Christi; Edessenorum autem cum Seleucidis ab Octobri anni 311. ante Epocham Christi; Denique Ascalonitarum anno 103. ante Ep. Christi.

CANON XVII.

Dato Anno Aeræ Anthiochenæ, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi, à cuius Octobri incæpit datus Annus.

ANtiochena Aera, qua Euagrius, & quidam alij vtuntur in historia Ecclesiastica init ab Octobri anni 49. ante Epocham Christi, vt ostendam lib. 3. cap. 11. ergo si annus Antiochenus datus non excedit 49. deme illi vnitatem, & residuum subtrahe annis 49. restabit enim annus ante Epocham Christi, à cuius Octobri Antiochenus iniuit. *Exempli* gratia; Detur annus 12. Antiochenus; subtrahe annos 11. annis 49. restat annus 38. ante ep. Christi, à cuius Octobri incœpit annus 12. Antiochenus.

At si annus datus excedit 49. subtrahe 49. anno dato, & remanebit annus Epochæ Christi, à cuius Octobri incœpit annus datus Antiochenus. Esto in aliquibus Historicis reperiatur inconstantia & error, sed hoc non debet derogare veræ, & ordinariæ regulæ. *Exempli* gratia. Detur annus Antiochenus 378. quo Constantinus dedicauit Romam nouam Deiparæ Virgini, subtractis 49. restat Epochæ Christianæ annus 329. à cuius Octobri cœpit Antiochenus annus 378. sed quia dedicatio illa facta est subsequente Maio die 11. ideo incidit in annum 330. Epochæ Christi, labente adhuc anno 378. Antiocheno.

CANON XVIII.

Datis Annis Iulianis, inuenire Annos ante, vel post Epocham Christi ineuntes cum illis à Kalendis Ianuarij.

ANnus primus Iulianus, idest eorum quos C. Iulius Cæsar instituit dierum 365. cum quarto quoq; bissextili incœpit à Kalendis Ianuarij, anni 45. ante Epocham Christi vt ostendemus lib. 4. c. 3. sub finem Corollario I. Itaq; si annus datus non excedit 45. deme illi vnitatem, & residuum subtractum annis 45. dabi annum ante Christum concurrentem se toto cum anno dato Iuliano. *Exempli* gratia, detur Iulianus annus 8. subtrahe 7. annis 45. restat annus 38. ante Epocham Christi.

At si annus datus excedit 45. subtrahe illi 45. restabitq; annus Epochæ Christi totus concurrens cum Iuliano dato. *Exempli* gratia, detur Iulianus annus 283. quo Censorinus scripsit aureum libellum suum de die Natali, huic si subtrahas annos 45. remanebit annus Epochæ Christi 238. à cuius kalendis Ianuarij incœpit annus Iulianus 283.

CANON XIX.

Datis Annis Imperij Augusti, vel ab Actiaca Victoria, vel à morte M. Antonij, & Cleopatræ computatis, inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi in quo dati Anni incœperunt.

EX ostendendis l. 4. c. 7. anni Imperij Augusti ineunt à primo eius Consulatu, vel à Triumuiratu, & die 27. Nouembris eiusdem anni 43. ante Epoch. Christi, Actiaca verò victoria contigit die 2. Septembris anni 31. ante Epoc. Christi, & mors M. Antonij, & Cleopatræ anno sequenti idest 30. die 29. Augusti vnde Ægyptij Augustanos annos numerabant. Igitur si annus datus non excedit *Imperatorius* quidem 43. *Actiacus* autem 31. Augustanus verò 30. deme illi vnitatem, & residuum subtrahe annis Imperatorijs 43. vel Actiacis 31. vel Augustanis 30. & habebis annum ante Epocham Christi, quo incœpit annus datus à diebus iam nominatis.

1 *Exemplum*. Detur Augusti annus Imperij 43. dempta vnitate subtrahe 42. ipsis 43. restat annus ante Christi Epocham 1. seu primus in quo die 19. Augusti incœpit annus 43. Augusti Imperatoris à primo eius Consulatu numeratus; & die 27. Nouembris annus, item 43. Imperij Augusti sed à Triumuiratu numeratus.

2. *Exemplum*. Detur annus 57. Imperij Augusti, huic subtrahe 43. remanebit annus 14. Epochæ Christi quo Augustus obijt die 19. Augusti mensis, qua inturus erat annum 57. imperij à Consulatu primo numeratum, & die 27. Nouembris iniuisset annum 57. à Triumuiratu: quare obijt expletis exactè annis 56. à Consulatu primo, & labente anno 56. è Triumuiratu.

3. *Exemplum*. Detur annus 31. *Actiacus*, subtrahe huic 30. restat ante Epocham Christi annus vnus seu primus à cuius die 2. Septembris incœpit annus 31. Augusti Imperatoris.

4 *Exemplum*. Detur Annus 45. Actiacus, subtrahe illi 31. & restat Annus 14. Epochæ Christi, quo Augustus obijt die 19. mensis Augusti, labente Anno 44. ab Actiaca victoria, & inturus annum 45. si ad diem 2. Septembris peruenisset.

5 *Exem-*

5 *Exemplum.* Detur *Auguſtanus* Aegyptiorum Annus 30. demptis 29. reſtat Annus primus ante Epocham Chriſti, in quo die 29. Auguſti incœpit Auguſtanus annus 30.

6 *Exemplum.* Detur Annus 44. Auguſtanus; ſubtrahe illi 30. reſtat Annus 14. Epochæ Chriſti, in quo die 29. Auguſti incœpit Annus 44. Auguſtanus, ſed quia Imp. Auguſtus obijt die ante hunc 10. ideo habebatur adhuc 43. Auguſtanus apud Aegyptios.

CANON XX.

Datis Annis Aeræ Hiſpanæ Auguſti, inuenire Annum ante, vel poſt Epocham Chriſti, quo à Kal. Ianuarij incœpit Annus datus dictæ Aeræ.

AEra hæc incœpit in Hiſpania Anno 38. ante Epocham vulgarem Chriſti, vt oſtendam l. 4. c. 7. num. 4. eſto alij quoq; extra Hiſpaniam illa vſi ſint. Iam ſi huius Aeræ annus datus non excedit 38. deme illi vnitatem reſiduumq; ſubtrahe annis 38. & habebis Annum ante Epocham Chriſti ei reſpondentem. *Exempli* gratia detur Aeræ huius annus 21. deme annis 38. non 21. ſed 20. habebis annum 18. ante Epocham Chriſti.

At ſi Aera data excedit 38. ſubtrahe illi annos 38. & reſtabit Annus Ep. Chriſti quæſitus: vt ſi detur Aera 363. qua celebratum eſt Concilium Nicænum, detractis 38. remanet Annus Epochæ Chriſti 325.

CANON XXI.

Datis Conſulibus Romanis, inuenire Annum ante, vel poſt Epocham CHRISTI, quo iniuerunt Conſulatum.

LIbro 4. c. 3. & 4. iaciemus fundamenta ordinandi rectè Faſtos Conſulares, & c. 5. ipſos Faſtos exhibebimus ab Anno 508. ante Epocham Chriſti, vſq; ad Annum 541. Epochæ Chriſti, cum annis huius Epochæ: illuc ergo recurrat Lector.

CANON XXII.

Datis Annis Imperatorum Romanorum, vel in toto Orbe Romano, vel Occidente, aut in Oriente poſt Auguſtum; Inuenire Annum Epochæ CHRISTI eis congruentem.

LIbro 4. exhibebimus Imperatorum Annos, & eorum initia, cum fundamentis ſuis, capite quidem 8. à *Tiberio* ad *Traianum*, & c. 9. ab *Hadriano* ad *Macrinum*, & cap. 10. ab *Aiagabalo* ad *Diocletianum*, & cap. 11. à *Conſtantio Chloro* ad *Theodoſium Magnum*, & cap. 12. ab *Honorio* ad *Auguſtulum* in Occidente, & cap. 13. ab *Arcadio*, vſq; ad *Conſtantinum XVI.* & vltimum in Oriente, & cap. 15. à *Carolo Magno*, vſque ad *Ferdinandum III.* datis ergo cuiuſuis Imperatorum ibi recenſitorum Annis deme vnitatem, & reſiduum adde illi Anno, quo conſignauimus initium Imperatoris nominati, & habebis Annum Epochæ Chriſti, quo Annus datus dati Imperatoris incœpit à die in Catalogo ibi aſſignata.

Exemplum. Anno 15. Imperij Tyberij Cæſaris S. Io. Baptiſta cœpit prædicare Baptiſmum Pœnitentiæ, vt narrat S. Lucas c. 1. Euangelij ſui; At lib. 1. c. 8. conſignauimus initium Tiberij die 19. Auguſti Menſis anni 14. Epochæ Chriſti, deme igitur Tiberij anno 15. vnitatem, & remanent 14. qui additi anno 14. initiali Tiberij, efficiunt annum 28. Epochę Chriſti, in cuius die 19. Auguſti incœpit annus 15. Tiberij, quare ſi ante diem 19. Auguſti cœpta eſt illa prædicatio; puta vere exeunte, vel æſtate, oportet eam incidiſſe in annum 29. Epochæ Chriſti.

CANON XXIII.

Datis Annis Diocletiani, vel à SS. Martyribus ſub eo paſsis, inuenire Annum Epochę CHRISTI, quo datus Annus incœpit.

EX dicendis lib. 4. c. 10. à num. 17. conſtabit Diocletianum initiſſe Imperium die 17. Septembris Anni 284. Epochæ Chriſti, ſed Coptitas more Aegyptio computare annos à SS. Martyribus, à die 29. Auguſti, eiuſdem Anni, eſto perſecutio poſtea incœperit: deme igitur vnitatem Annis vtrislibet datis, & reſiduum adde Annis 284. Fiet enim Annus Epochæ Chriſti, in quo incœpit datus annus Diocletiani à die 17. Septembris, Copticus autem, ſeù à SS. Martyribus à die 29. Auguſti.

Exemplum. Detur Annus 29. Diocletiani, quo infeliciſſimè, & priuatus obijt impijſſimus ille Tyrannus; dempta vnitate, reſtat annus 28. qui additus annis 284. facit annum Epochæ Chriſti 312. in cuius 17. Septembris incœpit annus 29. Diocletiani, ſed die 29. Auguſti incœperat annus 29. Coptitarum, ſeu à SS. Martyribus.

CANON XXIV.

Dato Anno Encæniorum, ſeu Dedicationis Vrbis Conſtantinopolis factæ à Conſtantino Magno inuenire Annum Ep. CHRISTI; quo incœpit datus Annus à die xi. Maij.

ANno Encæniorum horum, ſeu, vt vocant Conſtantinopolis, deme vnitatem, & reſiduũ adde anno 330. habebis enim annum Chriſti, quo à die 11. Maij incœpit datus annus. *Exempli* gratia, quando à Turcis capta eſt Conſtantinopolis die 29. Maij currebat annus dedicatæ Conſtantinopolis 1124. dempta vnitate, reſtant 1123. qui additi annis 330. faciunt annum Chriſti 1453. hoc igitur anno, die 11. Maij incœperat annus 1124. à dedicatione vrbis huius.

CANON XXV.

Annos, menſes, ac dies Arabum ſeu Hegiræ conuertere in Annos Chriſti, menſes, ac dies Iulianos. Vide lib. 1. cap. 24.

CANON XXVI.

Dato Anno Perſico à Iezdagirda computato inuenire Annum Epochæ Chriſti, ei congruentem, & diem, quo incœpit annus Perſicus.

LIbro 5. vndecimo capite oſtendemus Iezdagirdam Regem Perſarum occiſum fuiſſe ab Othomannis anno Epochæ Chriſti 632. die 16. Iunij feria 3. & inde Perſas computaſſe annos ſuos ciuiles vſq; ad annum Chriſti 1080. libro autem 1. c. 18. docuimus annum Perſarum ante annum Chriſti 1080. fuiſſe dierum 365. abſq; intercalatione Biſſext. menſeſq; tricenarios, cum Appendice in fine dierum 5. quos *Muſteraka* vocant. Datis ergo annis Iezdagirdicis deme vnitatem, & reſiduum adde annis 632. habebis enim annum Epochæ Chriſti, in quo incœpit annus Iezdagirdicus datus. Quamuis idipſum extrahere poſſis ex noſtra Tabula IV. in qua ſunt poſiti anni quiq; quaterni ſecundum progreſſum Biſſextilium annorum, & ibidem ſunt poſiti dies menſium Iulianorum quibus incœperunt anni Perſici, qui dies ſeruit etiam reliquis tribus annis ſequentibus.

1 *Exemplum.* Detur annus Iezdagirdæ 169. quo Carolus Magnus creatus eſt Imperator Occidentis, nam in Tabula IV. videbis annum 169. Perſicum incœpiſſe Maij die 5. anni 800. Epochæ Chriſti, quo pariter die incœperunt anni Perſici 170. 171. 172.

2 *Exem-*

2 *Exemplum*. Detur annus Iezdagirdæ 82. qui non est in Tabula VI. sed proximè minor 81. incœpit die 27. Maij, anni 712. Christi, ergo annus 82. incœpit die 27. Maij; sed anni 713. Christi, & sic de alijs.

CANON XXVII.

Dato Anno, mense, ac die Persico Iezdagirdæ inuenire Annum Christi mensemq; ac diem Iulianum ei congruentem.

EXpediendus est hic Canon eo prorsus modo, quo Canon XI. in comparando anno, mense, ac die Nabonassari, cum anno Epochæ Christi, mense, ac die Iuliano: nisi quod debes dies collectos Mensium Iulianorum excipere quidem ex Tabula 3. inferiori; at dies collectos mensium Persicorum ex dextra parte Tabulæ IV.

Exemplum. Detur Iezdagirdæ annus 169. & dies 24. mensis Persici Octaui idest *Abenmech*. Primò enim in Tab. iv. inuenimus annum 169. incœpisse anno 800. Christi die 5. *Maij*, cui in inferiori parte Tabulæ iii. Annoq; Bissextili respondent dies collecti 126. in dextra verò parte Tabulæ iv. dici 24. mensis *Abenmech* respondent dies collecti 234. qui additi collectis 126. efficiunt dies collectos Iulianos 360. His autem in anno Bissextili, & in Tabula III. inferiori repertis sub *Decembri* respondet dies 25. Decembris, quo nimirum Carolus Magnus coronatus est Romæ Imperator & hic dies fuit apud Persas 24. mensis *Abenmech*.

CANON XXVIII.

Dato Anno Persarum Gelalæo, inuenire Annum Epochæ Christi, in quo, à die Aequinoctij Verni incipit datus annus Gelalæus.

LIbro 5. in proprio de hoc capite idest 11. ostendemus Persas anno Christi 1079. nouam Epocham inchoasse a die 14. Maij, quo fuit ipsis Æquinoctium Vernum, & elegisse annum fixum ad formam anni Iuliani intercalando vnum diem quarto quoq; anno, iuxta dicta etiam lib. 1. c. 18. Dato igitur anno Gelalæo, deme vnitatem, & residuum adde annis 1079. consurget enim annus Epochæ Christi, in quo à die Æquinoctij verni incipit datus annus Gelalæus habita ratione præcessionis Æquinoctiorum.

Exemplum. Detur annus Gelalæus 504. dempta vnitate, restat 503. qui additus anno 1079. efficit annum Christi 1582. Quo Gregorius xiii. Reformauit kalendarium Romanum, currente anno 504. Reformationis Gelaleæ in Persia, vtpote inito ab Aequinoctij die 2. Martij.

CANON XXIX.

Datis Annis Indorum præcipuè Calecutensium inuenire Annum ante, vel post Epocham Christi eis congruentem.

QVia Epocha hæc nomine quidem ab Augusto, reipsa verò incipit ab anno primo Iuliano, eadem regula hic adhibenda, quæ in annis Iulianis iuxta Canonem xviii.

CANON XXX.

Annos Christi, à diuersis Chronologis, aut Historicis numeratos discernere ab Annis Christi; vulgò vsitatis seu Dionysianæ Christi Aeræ.

HOc discrimen haberi non potest, nisi ex aliqua alia nota Chronologica, alioue charactere, præcipuæ autem notæ sunt anni *Olympiadum*, *Vrbis* conditæ, *Nabonassari*, *Alexandri*, *Consulum*, & *Augusti* Imperatoris. Has igitur in infrascripta Synopsi apponemus, vt ex his colligi possit an annus Christi primus in diuersis Chronologis Historicisue consignatus concurrat cum primo anno Epochæ vulgaris Christianorum, an verò vno vel pluribus annis præcedat, vel subsequatur, Addemusq; etiam annorum 5. præcedentium notas.

ANNO *Quinto* ante vulgarem Epocham Christi.
Consules fuere *C. Cæsar Octauianus XII.* & *L. Cornelius Sulla*.
Currebant verò à Kalendis Ianuarij, Anni infranominati, nempe.

Olympiadis CXCIII. annus 3. vsque ad diem 7. Iulij, & inde incœpit annus 4. Olympiadis 193.
Vrbis conditæ annus Varronianus DCCXLVIII. vsque ad 21. Aprilis, & inde incœpit annus 749.
Nabonassari annus DCCXLIII. vsque ad diem 24. Augusti, & inde incœpit annus 744.
Alexandri Magni ab obitu annus CCCXIX. vsq; ad diem 24. Augusti, & inde incœpit annus 320.
Seleucidarum, seu *Syrogræcorum* annus CCCVII. vsq; ad Octobris 15. & inde incœpit annus 308.
Iulianus annus XLI. à Kalendis Ianuarij ad finem vsque.
Augusti Imperatoris annus à Triumuiratu XXXVIII. vsq; ad diem 27. Nouemb. & inde incœpit annus 39.
Aeræ Augusti Hispanicæ annus XXXIV. à Kal. Ianuarij vsque ad finem.
Actiacus annus XXVII. vsque ad diem 2. Septembris, & inde incœpit annus 28.
Augustanus Ægyptiorum annus XXVI. vsque ad diem 29. Augusti, & inde incœpit annus 27.
Cyclus Solis V. Lunæ XVI. Litera Dominic. B. A. Ianuarij 1. feria 7.

ANNO *Quarto* ante Epocham vulgarem Christi.
Consules fuere *C. Caluisius Sabinus II.* & *L. Passienus Rufus*.
Currebant verò à Kal. Ianuarij Anni infranominati, nempe.

Olympiadis CXCIII. annus 4. vsq; ad diem 26. Iunij, & inde cœpit annus 1. Olympiadis 194.
Vrbis conditæ annus Varronianus DCCXLIX. vsq; ad 21. Aprilis, & inde cœpit annus 750.
Nabonassari annus DCCXLIV. vsq; ad 24. Augusti, & inde cepit annus 745.
Alexandri M. ab obitu annus CCC*XX*. vsque ad 24. Augusti, & inde cœpit annus 321.
Seleucidarum annus CCCVIII. vsque ad Idus Octobr. & inde cepit annus 309.
Iulianus annus XLII. à Kal. Ianuarij, vsque ad finem anni.
Augusti Imperatoris annus à Triumuiratu XXXIX. vsque ad 27. Nouemb. & inde cepit annus 40.
Aeræ Aug. Hispanicæ annus 35. à kal. Ianuar. vsq; ad finẽ.
Actiacus annus *XX*VIII. vsque ad 2. Septemb. & inde incepi tannus 29.
Augustanus annus XXVII. vsque ad 29. Augusti; & inde cepit annus 28.
Cyclus Solis VI. Lunæ XVII. Litera Dominic. G. Ianuarij 1. Dies Feria 2.

ANNO *Tertio* ante vulgarem Epocham Christi.
Consules fuere *Cn. Cornelius Lentulus*, & *M. Valerius Messalinus*.
Currebant autem à Kal. Ianuarij, Anni infranominati, nempe.

Olympiadis CXCIV. annus 1. vsque ad 16. Iunij, & inde cepit annus 2. Olympiadis 194.
Vrbis conditæ annus DCCL. vsq; ad 21. April. & inde cepit annus 751.

Na-

Nabonaſſari annus DCCVL. vſq; ad 24. Auguſti, & inde cępit ann. 746.
Alexandri M. ab obitu annus CCCXXI. vſq; ad 24. Aug. & inde cępit annus 322.
Seleucidarum annus CCCIX. vſque ad idus Octobris, & inde cępit annus 310.
Iulianus annus IIVL. vſque ad finem anni.
Auguſti Imperatoris annus à Triumuiratu XL. vſq; ad 27. Nouemb. & inde cępit annus 41.
Aeræ Hiſpanicæ annus XXXVI. à kal. Ianuarij vſq; ad finẽ.
Actiacus annus XXIX. vſque ad 2. Septemb. & inde cępit annus 30.
Auguſtanus annus XXIIX. vſq; ad 29. Auguſti, & inde cœpit annus 29.
Cyclus Solis VII. Lunæ XVIII. Litera F. & 1. Ianuar. fer. 3.

ANNO *Secundo* ante vulgarem Epocham Chriſti. Conſules fuere *C. Cæſar Octauianus XIII. & M. Plautius Siluanus.* Currebat verò à Kal. Ianuarij, Anni infranominati, nempe.

Olympiadis CXCIV. Annus 2. vſq; ad diem 4. Iulij, & inde cępit annus 3. Olympiadis 194.
Vrbis conditæ annus Varronianus DCCLI. vſq; ad 21. April. & inde, cępit annus 752.
Nabonaſſari annus DCCIVL. vſque ad 24. Aug. & inde cępit annus 747.
Alexandri M. ab obitu annus CCCXXII. vſq; ad 24. Auguſti, & inde cępit annus 323.
Seleucidarum annus CCCX. vſque ad Idus Octobr. & inde cępit annus 311.
Iulianus annus XXXXIV. vſq; ad finem anni.
Auguſti Imperatoris annus à Triumuiratu XLI. vſq; ad 27. Nouembr. & inde cępit annus 42.
Aeræ Hiſpanicæ annus XXXVII. vſque ad finem anni.
Actiacus annus XXX. vſq; ad 2. Septembr. & inde cępit annus 31.
Auguſtanus annus XXIX. vſq; ad 29. Auguſti, & inde cępit annus 30.
Cyclus Solis VIII. Lunæ XIX. Litera E. & 1. Ianuarij fer. 4.

ANNO *Primo* ante vulgarem Epocham Chriſti. Conſules fuere *Coſſus Cornel. Lentulus, & L. Calpurnius Piſo.* Currebat verò à Kal. Ianuarij infranominati Anni, nempe.

Olympiadis CXCIV. annus 3. vſq; ad 22. Iunij, & inde cępit annus 4. Olympiadis 194.
Vrbis conditæ annus Varronianus DCCLII. vſque ad 21. April. & inde cępit annus 753.
Nabonaſſari annus DCCIIIL. vſque ad 23. Auguſti, & inde cępit annus 748.
Alexandri M. ab obitu annus CCCXXIII. vſq; ad 23. Auguſti, & inde cępit annus 324.
Seleucidarum annus CCCXI. vſque ad Idus Octobris, & inde cępit annus 312.
Iulianus annus VL. à kal. Ianuar. vſq; ad finem anni.
Auguſti Imperatoris annus à Triumuiratu IIIVL. vſque ad 27. Nouembr. & inde cępit annus 43.
Aeræ Hiſpanicæ annus XXXIIX. a Kal. Ianuarij vſque ad finem anni.
Actiacus annus XXXI. vſq; ad 2. Septembris, & inde cępit annus 32.
Auguſtanus annus Ægyptior. XXX. vſque ad 29. Auguſti, & inde cępit ann. 31.
Cyclus Solis IX. Lunæ I. Litera Dominicalis D. C. & 1. Ianuarij feria 5.

ANNO *Primo* Epochæ vulgaris Chriſti. Conſules fuere *C. Iulius Cæſar Auguſti nepos, & L. Aemilius Paullus.* Currebat autem à Kalendis Ianuarij, Anni infranominati, nempè.

Olympiadis CXCIV. annus 4. vſq; ad 11. Iunij, & inde cępit annus 1. Olympiadis 195.
Vrbis conditæ annus Varronianus DCCLIII. vſq; ad 21. April. & inde cępit annus 754.
Nabonaſſari annus DCCIIL. vſq; ad 23. Auguſti, & inde cępit annus 749.
Alexandri M. ab obitu annus CCCXXIV. vſq; ad 23. Auguſti, & inde cœpit annus 325.
Seleucidarum annus CCCXII. vſq; ad Idus Octobris, & inde cœpit annus 313.
Iulianus annus XXXXVI. à Kal. Ianuarij vſq; ad finem anni.
Auguſti Imperatoris à Triumuiratu annus XXXXIII. vſque ad 27. Nouemb. & inde cœpit annus 44.
Aeræ Hiſpanicæ annus XXXIX. à Kal. Ianuarij vſq; ad finem anni.
Actiacus annus XXXII. vſq; ad 2. Septemb. & inde cœpit annus 33.
Auguſtanus Ægyptiorum annus XXXI. vſq; ad 29. Auguſti, & inde cœpit annus 32.
Cyclus Solis erat X. Lunæ II. Litera Dominicalis B. & 1. Ianuarij feria 7.

Ex Præmiſſis Characteribus, Conſulibus præſertim & Olympiadum annis colligo opiniones infraſcriptas.

CHRISTVM. Natum Anno.	Circumci ſũ Anno.	Ponunt, licet quoad aliquas notas, minus cohærenter loquantur.
VI	V	M. Antonius Cappellus; Io. Keplerus.
V	IV	Io. Dekerius, & inclinat Petauius.
IV	III	Irenæus, Tertullianus, Seuerus Sulpicius, Iulianus Pomerius, licet reduci poſſint ad ſequentem opinionem, nec repugnat Henricus Philippi.
III	II	Clemens Alexandrinus, Zonaras, Caſſiodorus, Contius, Ioſeph Scaliger, Baronius, Toletus, Salmeron, Codomanus, Torniellus, Spondanus, Serrarius, Samerius, Voſſius, Sethus Caluiſius, Langius & inclinat Henricus Philippi, ac Vbbo Emmius.
II	I	Euſebius, Pontacus, Hermannus Contractus, Ado, Cuſpinianus, Genebrardus, Marianus Scotus, Onuphrius Panuinus, Sigonius, Temporarius, Copernicus, Functius, Buntingus, Heluicus, Mercator, Maldonatus, Pererius, Mariana, Salianus.
I	0	Kalendarium Romanum, & Eccleſia Romana in Martyrologio, & in Breuiarijs, Chriſtiani ferè omnes, Paulus Oroſius, Dionyſius Exiguus Abbas, Beda, Petrus de Aliaco, Io. Lucidus, Paulus Middelburgicus, Petrus Pitatus, Alexander Scultetus, Bellarminus, Grandamicus, & demum Petauius concedit eam defendi poſſe Secluſa authoritate Ioſephi, & Dionis.

Anni ante vulgarem Epocham CHRISTI.

I. TA-

I. TABVLA OLYMPIADVM, ET VRBIS ROMÆ,

iuxta Varronis Romanorumq; Sententiam incipientium Anno Epochæ vulgaris CHRISTI ante, vel post assignato ✣. Incipiunt autem Olympiadici Anni à Neomenia Hecatombæonis primi mensis Atticorum, seu illa, quæ propior est Solstitio Æstiuo ✣. Vrbis autem Anni incipiunt à festo Palilium, idest à die 21. Aprilis.

Olympiadum.	Anni.	Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
1	1		776
	2		775
	3		774
	4		773
2	1		772
	2		771
	3		770
	4		769
3	1		768
	2		767
	3		766
	4		765
4	1		764
	2		763
	3		762
	4		761
5	1		760
	2		759
	3		758
	4		757
6	1		756
	2		755
	3		754
	4	1	753
7	1	2	752
	2	3	751
	3	4	750
	4	5	749
8	1	6	748
	2	7	747
	3	8	746
	4	9	745
9	1	10	744
	2	11	743
	3	12	742
	4	13	741
10	1	14	740
	2	15	739
	3	16	738
	4	17	737
11	1	18	736
	2	19	735
	3	20	734
	4	21	733
12	1	22	732
	2	23	731
	3	24	730
	4	25	729
13	1	26	728
	2	27	727
	3	28	726
	4	29	725
14	1	30	724
	2	31	723
	3	32	722
	4	33	721
15	1	34	720
	2	35	719
	3	36	718
	4	37	717
16	1	38	716
	2	39	715
	3	40	714
	4	41	713
17	1	42	712
	2	43	711
	3	44	710
	4	45	709
18	1	46	708
	2	47	707
	3	48	706
	4	49	705
19	1	50	704
	2	51	703
	3	52	702
	4	53	701
20	1	54	700
	2	55	699
	3	56	698
	4	57	697
21	1	58	696
	2	59	695
	3	60	694
	4	61	693
22	1	62	692
	2	63	691
	3	64	690
	4	65	689
23	1	66	688
	2	67	687
	3	68	686
	4	69	685
24	1	70	684
	2	71	683
	3	72	682
	4	73	681
25	1	74	680
	2	75	679
	3	76	678
	4	77	677
26	1	78	676
	2	79	675
	3	80	674
	4	81	673
27	1	82	672
	2	83	671
	3	84	670
	4	85	669
28	1	86	668
	2	87	667
	3	88	666
	4	89	665
29	1	90	664
	2	91	663
	3	92	662
	4	93	661
30	1	94	660
	2	95	659
	3	96	658
	4	97	657
31	1	98	656
	2	99	655
	3	100	654
	4	101	653
32	1	102	652
	2	103	651
	3	104	650
	4	105	649
33	1	106	648
	2	107	647
	3	108	646
	4	109	645
34	1	110	644
	2	111	643
	3	112	642
	4	113	641
35	1	114	640
	2	115	639
	3	116	638
	4	117	637
36	1	118	636
	2	119	635
	3	120	634
	4	121	633

Olympiadum. Anni.		Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
37	1	122	632
	2	123	631
	3	124	630
	4	125	629
38	1	126	628
	2	127	627
	3	128	626
	4	129	625
39	1	130	624
	2	131	623
	3	132	622
	4	133	621
40	1	134	620
	2	135	619
	3	136	618
	4	137	617
41	1	138	616
	2	139	615
	3	140	614
	4	141	613
42	1	142	612
	2	143	611
	3	144	610
	4	145	609
43	1	146	608
	2	147	607
	3	148	606
	4	149	605
44	1	150	604
	2	151	603
	3	152	602
	4	153	601
45	1	154	600
	2	155	599
	3	156	598
	4	157	597
46	1	158	596
	2	159	595
	3	160	594
	4	161	593
47	1	162	592
	2	163	591
	3	164	590
	4	165	589
48	1	166	588
	2	167	587
	3	168	586
	4	169	585
49	1	170	584
	2	171	583
	3	172	582
	4	173	581
50	1	174	580
	2	175	579
	3	176	578
	4	177	577
51	1	178	576
	2	179	575
	3	180	574
	4	181	573
52	1	182	572
	2	183	571
	3	184	570
	4	185	569
53	1	186	568
	2	187	567
	3	188	566
	4	189	565
54	1	190	564
	2	191	563
	3	192	562
	4	193	561
55	1	194	560
	2	195	559
	3	196	558
	4	197	557
56	1	198	556
	2	199	555
	3	200	554
	4	201	553
57	1	202	552
	2	203	551
	3	204	550
	4	205	549
58	1	206	548
	2	207	547
	3	208	546
	4	209	545
59	1	210	544
	2	211	543
	3	212	542
	4	213	541
60	1	214	540
	2	215	539
	3	216	538
	4	217	537
61	1	218	536
	2	219	535
	3	220	534
	4	221	533
62	1	222	532
	2	223	531
	3	224	530
	4	225	529
63	1	226	528
	2	227	527
	3	228	526
	4	229	525
64	1	230	524
	2	231	523
	3	232	522
	4	233	521
65	1	234	520
	2	235	519
	3	236	518
	4	237	517
66	1	238	516
	2	239	515
	3	240	514
	4	241	513
67	1	242	512
	2	243	511
	3	244	510
	4	245	509
68	1	246	508
	2	247	507
	3	248	506
	4	249	505
69	1	250	504
	2	251	503
	3	252	502
	4	253	501
70	1	254	500
	2	255	499
	3	256	498
	4	257	497
71	1	258	496
	2	259	495
	3	260	494
	4	261	493
72	1	262	492
	2	263	491
	3	264	490
	4	265	489
73	1	266	488
	2	267	487
	3	268	486
	4	269	485
74	1	270	484
	2	271	483
	3	272	482
	4	273	481
75	1	274	480
	2	275	479
	3	276	478
	4	277	477
76	1	278	476
	2	279	475
	3	280	474
	4	281	473
77	1	282	472
	2	283	471
	3	284	470
	4	285	469
78	1	286	468
	2	287	467
	3	288	466
	4	289	465

Olympiadum. Anni.		Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
79	1	290	464
	2	291	463
	3	292	462
	4	293	461
80	1	294	460
	2	295	459
	3	296	458
	4	297	457
81	1	298	456
	2	299	455
	3	300	454
	4	301	453
82	1	302	452
	2	303	451
	3	304	450
	4	305	449
83	1	306	448
	2	307	447
	3	308	446
	4	309	445
84	1	310	444
	2	311	443
	3	312	442
	4	313	441
85	1	314	400
	2	315	439
	3	316	438
	4	317	437
86	1	318	436
	2	319	435
	3	320	434
	4	321	433
87	1	322	432
	2	323	431
	3	324	430
	4	325	429
88	1	326	428
	2	327	427
	3	328	426
	4	329	425
89	1	330	424
	2	331	423
	3	332	422
	4	333	421
90	1	334	420
	2	335	419
	3	336	418
	4	337	417
91	1	338	416
	2	339	415
	3	340	414
	4	341	413
92	1	342	412
	2	343	411
	3	344	410
	4	345	409
93	1	346	408
	2	347	407
	3	348	406
	4	349	405
94	1	350	404
	2	351	403
	3	352	402
	4	353	401
95	1	354	400
	2	355	399
	3	356	398
	4	357	397
96	1	358	396
	2	359	395
	3	360	394
	4	361	393
97	1	362	392
	2	363	391
	3	364	390
	4	365	389
98	1	366	388
	2	367	387
	3	368	386
	4	369	385
99	1	370	384
	2	371	383
	3	372	382
	4	373	381
100	1	374	380
	2	375	379
	3	376	378
	4	377	377
101	1	378	376
	2	379	375
	3	380	374
	4	381	373
102	1	382	372
	2	383	371
	3	384	370
	4	385	369
103	1	386	368
	2	387	367
	3	388	366
	4	389	365
104	1	390	364
	2	391	363
	3	392	362
	4	393	361
105	1	394	360
	2	395	359
	3	396	358
	4	397	357
106	1	398	356
	2	399	355
	3	400	354
	4	401	353
107	1	402	352
	2	403	351
	3	404	350
	4	405	349
108	1	406	348
	2	407	347
	3	408	346
	4	409	345
109	1	410	344
	2	411	343
	3	412	342
	4	413	341
110	1	414	340
	2	415	339
	3	416	338
	4	417	337
111	1	418	336
	2	419	335
	3	420	334
	4	421	333
112	1	422	332
	2	423	331
	3	424	330
	4	425	329
113	1	426	328
	2	427	327
	3	428	326
	4	429	325
114	1	430	324
	2	431	323
	3	432	322
	4	433	321
115	1	434	320
	2	435	319
	3	436	318
	4	437	317
116	1	438	316
	2	439	315
	3	440	314
	4	441	313
117	1	442	312
	2	443	311
	3	444	310
	4	445	309
118	1	446	308
	2	447	307
	3	448	306
	4	449	305
119	1	450	304
	2	451	303
	3	452	302
	4	453	301
120	1	454	300
	2	455	299
	3	456	298
	4	457	297

Olympiadum.	Anni.	Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
121	1	458	296
	2	459	295
	3	460	294
	4	461	293
122	1	462	292
	2	463	291
	3	464	290
	4	465	289
123	1	466	288
	2	467	287
	3	468	286
	4	469	285
124	1	470	284
	2	471	283
	3	472	282
	4	473	281
125	1	474	280
	2	475	279
	3	476	278
	4	477	277
126	1	478	276
	2	479	275
	3	480	274
	4	481	273
127	1	482	272
	2	483	271
	3	484	270
	4	485	269
128	1	486	268
	2	487	267
	3	488	266
	4	489	265
129	1	490	264
	2	491	263
	3	492	262
	4	493	261
130	1	494	260
	2	495	259
	3	496	258
	4	497	257
131	1	498	256
	2	499	255
	3	500	254
	4	501	253
132	1	502	252
	2	503	251
	3	504	250
	4	505	249
133	1	506	248
	2	507	247
	3	508	246
	4	509	245
134	1	510	244
	2	511	243
	3	512	242
	4	513	241
135	1	514	240
	2	515	239
	3	516	238
	4	517	237
136	1	518	236
	2	519	235
	3	520	234
	4	521	233
137	1	522	232
	2	523	231
	3	524	230
	4	525	229
138	1	526	228
	2	527	227
	3	528	226
	4	529	225
139	1	530	224
	2	531	223
	3	532	222
	4	533	221
140	1	534	220
	2	535	219
	3	536	218
	4	537	217
141	1	538	216
	2	539	215
	3	540	214
	4	541	213
142	1	542	212
	2	543	211
	3	544	210
	4	545	209
143	1	546	208
	2	547	207
	3	548	206
	4	549	205
144	1	550	204
	2	551	203
	3	552	202
	4	553	201
145	1	554	200
	2	555	199
	3	556	198
	4	557	197
146	1	558	196
	2	559	195
	3	560	194
	4	561	193
147	1	562	192
	2	563	191
	3	564	190
	4	565	189
148	1	566	188
	2	567	187
	3	568	186
	4	569	185
149	1	570	184
	2	571	183
	3	572	182
	4	573	181
150	1	574	180
	2	575	179
	3	576	178
	4	577	177
151	1	578	176
	2	579	175
	3	580	174
	4	581	173
152	1	582	172
	2	583	171
	3	584	170
	4	585	169
153	1	586	168
	2	587	167
	3	588	166
	4	589	165
154	1	590	164
	2	591	163
	3	592	162
	4	593	161
155	1	594	160
	2	595	159
	3	596	158
	4	597	157
156	1	598	156
	2	599	155
	3	600	154
	4	601	153
157	1	602	152
	2	603	151
	3	604	150
	4	605	149
158	1	606	148
	2	607	147
	3	608	146
	4	609	145
159	1	610	144
	2	611	143
	3	612	142
	4	613	141
160	1	614	140
	2	615	139
	3	616	138
	4	617	137
161	1	618	136
	2	619	135
	3	620	134
	4	621	133
162	1	622	132
	2	623	131
	3	624	130
	4	625	129

Olympiadum. Anni.		Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
163	1	626	128
	2	627	127
	3	628	126
	4	629	125
164	1	630	124
	2	631	123
	3	632	122
	4	633	121
165	1	634	120
	2	635	119
	3	636	118
	4	637	117
166	1	638	116
	2	639	115
	3	640	114
	4	641	113
167	1	642	112
	2	643	111
	3	644	110
	4	645	109
168	1	646	108
	2	647	107
	3	648	106
	4	649	105
169	1	650	104
	2	651	103
	3	652	102
	4	653	101
170	1	654	100
	2	655	99
	3	656	98
	4	657	97
171	1	658	96
	2	659	95
	3	660	94
	4	661	93
172	1	662	92
	2	663	91
	3	664	90
	4	665	89
173	1	666	88
	2	667	87
	3	668	86
	4	669	85
174	1	670	84
	2	671	83
	3	672	82
	4	673	81
175	1	674	80
	2	675	79
	3	676	78
	4	677	77
176	1	678	76
	2	679	75
	3	680	74
	4	681	73
177	1	682	72
	2	683	71
	3	684	70
	4	685	69
178	1	686	68
	2	687	67
	3	688	66
	4	689	65
179	1	690	64
	2	691	63
	3	692	62
	4	693	61
180	1	694	60
	2	695	59
	3	696	58
	4	697	57
181	1	698	56
	2	699	55
	3	700	54
	4	701	53
182	1	702	52
	2	703	51
	3	704	50
	4	705	49
183	1	706	48
	2	707	47
	3	708	46
	4	709	45
184	1	710	44
	2	711	43
	3	712	42
	4	713	41
185	1	714	40
	2	715	39
	3	716	38
	4	717	37
186	1	718	36
	2	719	35
	3	720	34
	4	721	33
187	1	722	32
	2	723	31
	3	724	30
	4	725	29
188	1	726	28
	2	727	27
	3	728	26
	4	729	25
189	1	730	24
	2	731	23
	3	732	22
	4	733	21
190	1	734	20
	2	735	19
	3	736	18
	4	737	17
191	1	738	16
	2	739	15
	3	740	14
	4	741	13
192	1	742	12
	2	743	11
	3	744	10
	4	745	9
193	1	746	8
	2	747	7
	3	748	6
	4	749	5
194	1	750	4
	2	751	3
	3	752	2
	4	753	1

Olympiadum. Anni.		Vrbis Anni.	Anni Epoch. CHRISTI
195	1	754	1
	2	755	2
	3	756	3
	4	757	4
196	1	758	5
	2	759	6
	3	760	7
	4	761	8
197	1	762	9
	2	763	10
	3	764	11
	4	765	12
198	1	766	13
	2	767	14
	3	768	15
	4	769	16
199	1	770	17
	2	771	18
	3	772	19
	4	773	20
200	1	774	21
	2	775	22
	3	776	23
	4	777	24
201	1	778	25
	2	779	26
	3	780	27
	4	781	28
202	1	782	29
	2	783	30
	3	784	31
	4	785	32
203	1	786	33
	2	787	34
	3	788	35
	4	789	36

Olympiadum.	Anni.	Vrbis Anni	Anni Epochæ CHRISTI
204	1	790	37
	2	791	38
	3	792	39
	4	793	40
205	1	794	41
	2	795	42
	3	796	43
	4	797	44
206	1	798	45
	2	799	46
	3	800	47
	4	801	48
207	1	802	49
	2	803	50
	3	804	51
	4	805	52
208	1	806	53
	2	807	54
	3	808	55
	4	809	56
209	1	810	57
	2	811	58
	3	812	59
	4	813	60
210	1	814	61
	2	815	62
	3	816	63
	4	817	64
211	1	818	65
	2	819	66
	3	820	67
	4	821	68
212	1	822	69
	2	823	70
	3	824	71
	4	825	72
213	1	826	73
	2	827	74
	3	828	75
	4	829	76
214	1	830	77
	2	831	78
	3	832	79
	4	833	80
215	1	834	81
	2	835	82
	3	836	83
	4	837	84
216	1	838	85
	2	839	86
	3	840	87
	4	841	88
217	1	842	89
	2	843	90
	3	844	91
	4	845	92
218	1	846	93
	2	847	94
	3	848	95
	4	849	96
219	1	850	97
	2	851	98
	3	852	99
	4	853	100
220	1	854	101
	2	855	102
	3	856	103
	4	857	104
221	1	858	105
	2	859	106
	3	860	107
	4	861	108
222	1	862	109
	2	863	110
	3	864	111
	4	865	112
223	1	866	113
	2	867	114
	3	868	115
	4	869	116
224	1	870	117
	2	871	118
	3	872	119
	4	873	120
225	1	874	121
	2	875	122
	3	876	123
	4	877	124
226	1	878	125
	2	879	126
	3	880	127
	4	881	128
227	1	882	129
	2	883	130
	3	884	131
	4	885	132
228	1	886	133
	2	887	134
	3	888	135
	4	889	136
229	1	890	137
	2	891	138
	3	892	139
	4	893	140
230	1	894	141
	2	895	142
	3	896	143
	4	897	144
231	1	898	145
	2	899	146
	3	900	147
	4	901	148
232	1	902	149
	2	903	150
	3	904	151
	4	905	152
233	1	906	153
	2	907	154
	3	908	155
	4	909	156
234	1	910	157
	2	911	158
	3	912	159
	4	913	160
235	1	914	161
	2	915	162
	3	916	163
	4	917	164
236	1	918	165
	2	919	166
	3	920	167
	4	921	168
237	1	922	169
	2	923	170
	3	924	171
	4	925	172
238	1	926	173
	2	927	174
	3	928	175
	4	929	176
239	1	930	177
	2	931	178
	3	932	179
	4	933	180
240	1	934	181
	2	935	182
	3	936	183
	4	937	184
241	1	938	185
	2	939	186
	3	940	187
	4	941	188
242	1	942	189
	2	943	190
	3	944	191
	4	945	192
243	1	946	193
	2	947	194
	3	948	195
	4	949	196
244	1	950	197
	2	951	198
	3	952	199
	4	953	200
245	1	954	201
	2	955	202
	3	956	203
	4	957	204

Olympiadum.	Anni.	Vrbis Anni	Anni Epochæ CHRISTI
246	1	958	205
	2	959	206
	3	960	207
	4	961	208
247	1	962	209
	2	963	210
	3	964	211
	4	965	212
248	1	966	213
	2	967	214
	3	968	215
	4	969	216
249	1	970	217
	2	971	218
	3	972	219
	4	973	220
250	1	974	221
	2	975	222
	3	976	223
	4	977	224
251	1	978	225
	2	979	226
	3	980	227
	4	981	228
252	1	982	229
	2	983	230
	3	984	231
	4	985	232
253	1	986	233
	2	987	234
	3	988	235
	4	989	236
254	1	990	237
	2	991	238
	3	992	239
	4	993	240
255	1	994	241
	2	995	242
	3	996	243
	4	997	244
256	1	998	245
	2	999	246
	3	1000	247
	4	1001	248
257	1	1002	249
	2	1003	250
	3	1004	251
	4	1005	252
258	1	1006	253
	2	1007	254
	3	1008	255
	4	1009	256
259	1	1010	257
	2	1011	258
	3	1012	259
	4	1013	260
260	1	1014	261
	2	1015	262
	3	1016	263
	4	1017	264
261	1	1018	265
	2	1019	266
	3	1020	267
	4	1021	268
262	1	1022	269
	2	1023	270
	3	1024	271
	4	1025	272
263	1	1026	273
	2	1027	274
	3	1028	275
	4	1029	276
264	1	1030	277
	2	1031	278
	3	1032	279
	4	1033	280
265	1	1034	281
	2	1035	282
	3	1036	283
	4	1037	284
266	1	1038	285
	2	1039	286
	3	1040	287
	4	1041	288
267	1	1042	289
	2	1043	290
	3	1044	291
	4	1045	292
268	1	1046	293
	2	1047	294
	3	1048	295
	4	1049	296
269	1	1050	297
	2	1051	298
	3	1052	299
	4	1053	300
270	1	1054	301
	2	1055	302
	3	1056	303
	4	1057	304
271	1	1058	305
	2	1059	306
	3	1060	307
	4	1061	308
272	1	1062	309
	2	1063	310
	3	1064	311
	4	1065	312
273	1	1066	313
	2	1067	314
	3	1068	315
	4	1069	316
274	1	1070	317
	2	1071	318
	3	1072	319
	4	1073	320
275	1	1074	321
	2	1075	322
	3	1076	323
	4	1077	324
276	1	1078	325
	2	1079	326
	3	1080	327
	4	1081	328
277	1	1082	329
	2	1083	330
	3	1084	331
	4	1085	332
278	1	1086	333
	2	1087	334
	3	1088	335
	4	1089	336
279	1	1090	337
	2	1091	338
	3	1092	339
	4	1093	340
280	1	1094	341
	2	1095	342
	3	1096	343
	4	1097	344
281	1	1098	345
	2	1099	346
	3	1100	347
	4	1101	348
282	1	1102	349
	2	1103	350
	3	1104	351
	4	1105	352
283	1	1106	353
	2	1107	354
	3	1108	355
	4	1109	356
284	1	1110	357
	2	1111	358
	3	1112	359
	4	1113	360
285	1	1114	361
	2	1115	362
	3	1116	363
	4	1117	364
286	1	1118	365
	2	1119	366
	3	1120	367
	4	1121	368
287	1	1122	369
	2	1123	370
	3	1124	371
	4	1125	372

Olympiadum.	Anni.	Vrbis Anni	Anni ante Epoch. CHRISTI
288	1	1126	373
	2	1127	374
	3	1128	375
	4	1129	376
289	1	1130	377
	2	1131	378
	3	1132	379
	4	1133	380
290	1	1134	381
	2	1135	382
	3	1136	383
	4	1137	384
291	1	1138	385
	2	1139	386
	3	1140	387
	4	1141	388
292	1	1142	389
	2	1143	390
	3	1144	391
	4	1145	392
293	1	1146	393
	2	1147	394
	3	1148	395
	4	1149	396
294	1	1150	396
	2	1151	398
	3	1152	399
	4	1153	400
295	1	1154	401
	2	1155	402
	3	1156	403
	4	1157	404
296	1	1158	405
	2	1159	406
	3	1160	407
	4	1161	408
297	1	1162	409
	2	1163	410
	3	1164	411
	4	1165	412
298	1	1166	413
	2	1167	414
	3	1168	415
	4	1169	416
299	1	1170	417
	2	1171	418
	3	1172	419
	4	1173	420
300	1	1174	421
	2	1175	422
	3	1176	423
	4	1177	424
301	1	1178	425
	2	1179	426
	3	1180	427
	4	1181	428
302	1	1182	429
	2	1183	430
	3	1184	431
	4	1185	432
303	1	1186	433
	2	1187	434
	3	1188	435
	4	1189	436
304	1	1190	437
	2	1191	438
	3	1192	439
	4	1193	440
305	1	1194	441
	2	1195	442
	3	1196	443
	4	1197	444
306	1	1198	445
	2	1199	446
	3	1200	447
	4	1201	448
307	1	1202	449
	2	1203	450
	3	1204	451
	4	1205	452
308	1	1206	453
	2	1207	454
	3	1208	455
	4	1209	456
309	1	1210	457
	2	1211	458
	3	1212	459
	4	1213	460
310	1	1214	461
	2	1215	462
	3	1216	463
	4	1217	464
311	1	1218	465
	2	1219	466
	3	1220	467
	4	1221	468
312	1	1222	469
	2	1223	470
	3	1224	471
	4	1225	472
313	1	1226	473
	2	1227	474
	3	1228	475
	4	1229	476
314	1	1230	477
	2	1231	478
	3	1232	479
	4	1233	480
315	1	1234	481
	2	1235	482
	3	1236	483
	4	1237	484
316	1	1238	485
	2	1239	486
	3	1240	487
	4	1241	488
317	1	1242	489
	2	1243	490
	3	1244	491
	4	1245	492
318	1	1246	493
	2	1247	494
	3	1248	495
	4	1249	496
319	1	1250	497
	2	1251	498
	3	1252	499
	4	1253	500
320	1	1254	501
	2	1255	502
	3	1256	503
	4	1257	504
321	1	1258	505
	2	1259	506
	3	1260	507
	4	1261	508
322	1	1262	509
	2	1263	510
	3	1264	511
	4	1265	512
323	1	1266	513
	2	1267	514
	3	1268	515
	4	1269	516
324	1	1270	517
	2	1271	518
	3	1272	519
	4	1273	520
325	1	1274	521
	2	1275	522
	3	1276	523
	4	1277	524
326	1	1278	525
	2	1279	526
	3	1280	527
	4	1281	528
327	1	1282	529
	2	1283	530
	3	1284	531
	4	1285	532
328	1	1286	533
	2	1287	534
	3	1288	535
	4	1289	536
329	1	1290	537
	2	1291	538
	3	1292	539
	4	1293	540

Olympiadum. Anni.		Vrbis Anni	Anni Epochæ CHRISTI
330	1	1294	541
	2	1295	542
	3	1296	543
	4	1297	544
331	1	1298	545
	2	1299	546
	3	1300	547
	4	1301	548
332	1	1302	549
	2	1303	550
	3	1304	551
	4	1305	552
333	1	1306	553
	2	1307	554
	3	1308	555
	4	1309	556
334	1	1310	557
	2	1311	558
	3	1312	559
	4	1313	560
335	1	1314	561
	2	1315	562
	3	1316	563
	4	1317	564
336	1	1318	565
	2	1319	566
	3	1320	567
	4	1321	568
337	1	1322	569
	2	1323	570
	3	1324	571
	4	1325	572
338	1	1326	573
	2	1327	574
	3	1328	575
	4	1329	576
339	1	1330	577
	2	1331	578
	3	1332	579
	4	1333	580
340	1	1334	581
	2	1335	582
	3	1336	583
	4	1337	584
341	1	1338	585
	2	1339	586
	3	1340	587
	4	1341	588
342	1	1342	589
	2	1343	590
	3	1344	591
	4	1345	592
343	1	1346	593
	2	1347	594
	3	1348	595
	4	1349	596
344	1	1350	597
	2	1351	598
	3	1352	599
	4	1353	600
345	1	1354	601
	2	1355	602
	3	1356	603
	4	1357	604
346	1	1358	605
	2	1359	606
	3	1360	607
	4	1361	608
347	1	1362	609
	2	1363	610
	3	1364	611
	4	1365	612
348	1	1366	613
	2	1367	614
	3	1368	615
	4	1369	616
349	1	1370	617
	2	1371	618
	3	1372	619
	4	1373	620
350	1	1374	621
	2	1375	622
	3	1376	623
	4	1377	624
351	1	1378	625
	2	1379	626
	3	1380	627
	4	1381	628
352	1	1382	629
	2	1383	630
	3	1384	631
	4	1385	632
353	1	1386	633
	2	1387	634
	3	1388	635
	4	1389	636
354	1	1390	637
	2	1391	638
	3	1392	639
	4	1393	640
355	1	1394	641
	2	1395	642
	3	1396	643
	4	1397	644
356	1	1398	645
	2	1399	646
	3	1400	647
	4	1401	648
357	1	1402	649
	2	1403	650
	3	1404	651
	4	1405	652
358	1	1406	653
	2	1407	654
	3	1408	655
	4	1409	656
359	1	1410	657
	2	1411	658
	3	1412	659
	4	1413	660
360	1	1414	661
	2	1415	662
	3	1416	663
	4	1417	664
361	1	1418	665
	2	1419	666
	3	1420	667
	4	1421	668
362	1	1422	669
	2	1423	670
	3	1424	671
	4	1425	672
363	1	1426	673
	2	1427	674
	3	1428	675
	4	1429	676

II. TABVLA ANNORVM NABONASSARI,

& deinde ab Alexandri Magni obitu Philippicorum.

Incipientium à Meridie Babylone, vel Alexandriæ Ægypti, Diei, & Menſis iuxta adſcripti, in forma Iuliani Anni ante, vel poſt vſitatam Epocham CHRISTI.

Nabonaſſari Anni.	Incipiunt 1. die Thoth, ſeu	Anno ante Epocham CHRISTI	
0	Febru. 26	749	B
0	26	748	
1	26	747	
2	26	746	
3	Febr. 25	745	B
4	25	744	
5	25	743	
6	25	742	
7	Febr. 24	741	B
8	24	740	
9	24	739	
10	24	738	
11	Priore. 24	737	I
12	23	736	
13	23	735	
14	23	734	
15	23	733	P
16	22	732	
17	22	731	
18	22	730	
19	22	729	B
20	21	728	
21	21	727	
22	21	726	
23	21	725	B
24	20	724	
25	20	723	
26	20	722	
27	20	721	B
28	19	720	
29	19	719	
30	19	718	
31	19	717	E
32	18	716	
33	18	715	
34	18	714	
35	18	713	B
36	17	712	
37	17	711	
38	17	710	
39	Febr. 17	709	B
40	16	708	
41	16	707	
42	16	706	
43	16	705	B
44	15	704	
45	15	703	
46	15	702	
47	15	701	B
48	14	700	
49	14	699	
50	14	698	
51	14	697	B
52	13	696	
53	13	695	
54	13	694	
55	13	693	B
56	12	692	
57	12	691	
58	12	690	
59	12	689	E
60	11	688	
61	11	687	
62	11	686	
63	11	685	I
64	10	684	
65	10	683	
66	10	682	
67	10	681	B
68	9	680	
69	9	679	
70	9	678	
71	9	677	B
72	8	676	
73	8	675	
74	8	674	
75	8	673	B
76	7	672	
77	7	671	
78	7	670	
79	Febr. 7	669	B
80	6	668	
81	6	667	
82	6	666	
83	6	665	B
84	5	664	
85	5	663	
86	5	662	
87	5	661	B
88	4	660	
89	4	659	
90	4	658	
91	4	657	B
92	3	656	
93	3	655	
94	3	654	
95	3	653	B
96	2	652	
97	2	651	
98	2	650	
99	Febr. 2	649	B
100	1	648	
101	1	647	
102	1	646	
103	Febr. 1	645	B
104	Ianu. 31	644	
105	31	643	
106	31	642	
107	Ianu. 31	641	B
108	30	640	
109	30	639	
110	30	638	
111	30	637	B
112	29	636	
113	29	635	
114	29	634	
115	29	633	B
116	28	632	
117	28	631	
118	28	630	

Nabonasſari Anni.	Incipiunt 1. die Thoth, ſeu	Anno ante Epocham CHRISTI
119	Ianu. 28	629 B
120	27	628
121	27	627
122	27	626
123	27	625 B
124	26	624
125	26	623
126	26	622
127	26	621 B
128	25	620
129	25	619
130	25	618
131	25	617 B
132	24	616
133	24	615
134	24	614
135	24	613 B
136	23	612
137	23	611
138	23	610
139	23	609 B
140	22	608
141	22	607
142	22	606
143	22	605 B
144	21	604
145	21	603
146	21	602
147	21	601 B
148	20	600
149	20	599
150	20	598
151	20	597 B
152	19	596
153	19	595
154	19	594
155	19	593 B
156	18	592
157	18	591
158	18	590
159	18	589 B
160	17	588
161	17	587
162	17	586
163	17	585 B
164	16	584
165	16	583
166	Ianu. 16	582
167	Ianu. 16	581 B
168	15	580
169	15	579
170	15	578

Nabonasſari Anni	Incipiunt 1. die Thoth, ſeu	Anno ante Epocham CHRISTI
171	Ianu. 15	577 B
172	14	576
173	14	575
174	14	574
175	14	573 B
176	13	572
177	13	571
178	13	570
179	13	569 B
180	12	568
181	12	567
182	12	566
183	12	565 B
184	11	564
185	11	563
186	11	562
187	11	561 B
188	10	560
189	10	559
190	10	558
191	10	557 B
192	9	556
193	9	555
194	9	554
195	9	553 B
196	8	552
197	8	551
198	8	550
199	8	549 B
200	7	548
201	7	547
202	7	546
203	7	545 B
204	6	544
205	6	543
206	6	542
207	6	541 B
208	5	540
209	5	539
210	5	538
211	5	537 B
212	4	536
213	4	535
214	4	534
215	4	533 B
216	3	532
217	3	531
218	3	530
219	3	529 B
220	2	528
221	2	527
222	2	526

Nabonaſſari Anni	Incipiunt 1. die Thoth, ſeu	Anno ante Epocham CHRISTI
223	2	525 B
224	1	524
225	1	523
226	Ianu. 1	522
227	Ianu. 1	✠521
228	Dec. 31	521 B
229	31	520
230	31	519
231	31	518
232	30	517 B
233	30	516
234	30	515
235	30	514
236	29	513 B
237	29	512
238	29	511
239	29	510
240	28	509 B
241	28	508
242	28	507
243	28	506
244	27	505 B
245	27	504
246	27	503
247	27	502
248	26	501 B
249	26	500
250	26	499
251	26	498
252	25	497 B
253	25	496
254	25	495
255	25	494
256	24	493 B
257	24	492
258	24	491
259	24	490
260	23	489 B
261	23	488
262	23	487
263	23	486
264	22	485 B
265	22	484
266	22	483
267	22	482
268	21	481 B
269	21	480
270	21	479
271	21	478
272	20	477 B
273	20	476
274	20	475
275	20	474

Nabonasari Anni.	Incipiunt 1. die Thoth, seu	Anno ante Epocham CHRISTI
276	Dec. 19	473 B
277	19	472
278	19	471
279	19	470
280	18	469 B
281	18	468
282	18	467
283	18	466
284	17	465 B
285	17	464
286	17	463
287	17	462
288	16	461 B
289	16	460
290	16	459
291	16	458
292	15	457 B
293	15	456
294	15	455
295	15	454
296	14	453 B
297	14	452
298	14	451
299	14	450
300	13	449 B
301	13	548
302	13	447
303	13	446
304	12	445 B
305	12	444
306	12	443
307	12	442
308	11	441 B
309	11	440
310	11	439
311	11	438
312	10	437 B
313	10	436
314	10	435
315	10	434
316	9	433 B
317	9	432
318	9	431
319	9	430
320	8	429 B
321	8	428
322	8	427
323	8	426
324	7	425 B
325	7	424
326	7	423
327	7	422
328	Dec. 6	421 B
329	6	420
330	6	419
331	6	418
332	5	417 B
333	5	416
334	5	415
335	5	414
336	4	413 B
337	4	412
338	4	411
339	4	410
340	3	409 B
341	3	408
342	3	407
343	3	406
344	2	405 B
345	2	404
346	2	403
347	2	402
348	1	401 B
349	1	400
350	1	399
351	Dec. 1	398
352	Nou. 30	397 B
353	30	396
454	30	395
355	30	394
356	29	393 B
357	29	392
358	29	391
359	29	390
360	28	389 B
361	28	388
362	28	387
363	28	386
364	27	385 B
365	27	384
366	27	383
367	27	382
368	26	381 B
369	26	380
370	26	379
371	26	378
372	25	377 B
373	25	376
374	25	375
375	25	374
376	24	373 B
377	24	372
378	24	371
379	24	370
380	Nou. 23	369 B
381	23	368
382	23	367
383	23	366
384	22	365 B
385	22	364
386	22	363
387	22	362
388	21	361 B
389	21	360
390	21	359
391	21	358
392	20	357 B
393	20	356
394	20	355
395	20	354
396	19	353 B
397	19	352
398	19	351
399	19	350
400	18	349 B
401	18	348
402	18	347
403	18	346
404	17	345 B
405	17	344
406	17	343
407	17	342
408	16	341 B
409	16	340
410	16	339
411	16	338
412	15	337 B
413	15	336
414	15	335
415	15	334
416	14	333 B
417	14	332
418	14	331
419	14	330
420	13	329 B
421	13	328
422	13	327
423	13	326
424	12	325 B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anno ante Epoch. CHRISTI.	
425	1	Nou 12	324	
426	2	12	323	
427	3	12	322	
428	4	11	321	B
429	5	11	320	
430	6	11	319	
431	7	11	318	
432	8	10	317	F
433	9	10	316	
434	10	10	315	
435	11	10	314	
436	12	9	313	B
437	13	9	312	
438	14	9	311	
439	15	9	310	
440	16	8	309	B
441	17	8	308	
442	18	8	307	
443	19	8	306	
444	20	7	305	B
445	21	7	304	
446	22	7	303	
447	23	7	302	
448	24	6	301	B
449	25	6	300	
450	26	6	299	
451	27	6	298	
452	28	5	297	B
453	29	5	296	
454	30	5	295	
455	31	5	294	
456	32	4	293	B
457	33	4	292	
458	34	4	291	
459	35	4	290	
460	36	3	289	B
461	37	3	288	
462	38	3	287	
463	39	3	286	
464	40	2	285	B
465	41	2	284	
466	42	2	283	
467	43	2	282	
468	44	Nou. 1	281	F
469	45	1	280	
470	46	1	279	
471	47	Nou. 1	278	
472	48	Oct. 31	277	B
473	49	31	276	
474	50	31	275	
475	51	31	274	
476	52	30	273	B
477	53	Oct. 30	272	
478	54	30	271	
479	55	30	270	
480	56	29	269	B
481	57	29	268	
482	58	29	267	
483	59	29	266	
484	60	28	265	B
485	61	28	264	
486	62	28	263	
487	63	28	262	
488	64	27	261	B
489	65	27	260	
490	66	27	259	
491	67	27	258	
492	68	26	257	B
493	69	26	256	
494	70	26	255	
495	71	26	254	
496	72	25	253	B
497	73	25	252	
498	74	25	251	
499	75	25	250	
500	76	24	249	B
501	77	24	248	
502	78	24	247	
503	79	24	246	
504	80	23	245	B
505	81	23	244	
506	82	23	243	
507	83	23	242	
508	84	22	241	B
509	85	22	240	
510	86	22	239	
511	87	22	238	
512	88	21	237	F
513	89	21	236	
514	90	21	235	
515	91	21	234	
516	92	20	233	B
517	93	20	232	
518	94	20	231	
519	95	20	230	
520	96	19	229	B
521	97	19	228	
522	98	19	227	
523	99	19	226	
524	100	18	225	B
525	101	18	224	
526	102	18	223	
527	103	18	222	
528	104	Oct. 17	221	B
529	105	Oct. 17	220	
530	106	17	219	
531	107	17	218	
532	108	16	217	B
533	109	16	216	
534	110	16	215	
535	111	16	214	
536	112	15	213	B
537	113	15	212	
538	114	15	211	
539	115	15	210	
540	116	14	209	B
541	117	14	208	
542	118	14	207	
543	119	14	206	
544	120	13	205	B
545	121	13	204	
546	122	13	203	
547	123	13	202	
548	124	12	201	B
549	125	12	200	
550	126	12	199	
551	127	12	198	
552	128	11	197	B
553	129	11	196	
554	130	11	195	
555	131	11	194	
556	132	10	193	B
557	133	10	192	
558	134	10	191	
559	135	10	190	
560	136	9	189	B
561	137	9	188	
562	138	9	187	
563	139	9	186	
564	140	8	185	B
565	141	8	184	
566	142	8	183	
567	143	8	182	
568	144	7	181	B
569	145	7	180	
570	146	7	179	
571	147	7	178	
572	148	6	177	B
573	149	6	176	
574	150	6	175	
575	151	6	174	
576	152	5	173	B
577	153	5	172	
578	154	5	171	
579	155	5	170	
580	156	4	169	B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anno ante Epoch. CHRISTI.	
581	157	Oct. 4	168	
582	158	4	167	
583	159	4	166	
584	160	3	165	B
585	161	3	164	
586	162	3	163	
587	163	3	162	
588	164	2	161	B
589	165	2	160	
590	166	2	159	
591	167	2	158	
592	168	1	157	B
593	169	1	156	
594	170	1	155	
595	171	Oct 1	154	
596	172	Sept. 30	153	B
597	173	30	152	
598	174	30	151	
599	175	30	150	
600	176	29	149	B
601	177	29	148	
602	178	29	147	
603	179	29	146	
604	180	28	145	F
605	181	28	144	
606	182	28	143	
607	183	28	142	
608	184	27	141	F
609	185	27	140	
610	186	27	139	
611	187	27	138	
612	188	26	137	B
613	189	26	136	
614	190	26	135	
615	191	26	134	
616	192	25	133	B
617	193	25	132	
618	194	25	131	
619	195	25	130	
620	196	24	129	B
621	197	24	128	
622	198	24	127	
623	199	24	126	
624	200	23	125	B
625	201	23	124	
626	202	23	123	
627	203	23	122	
628	204	22	121	B
629	205	22	120	
630	206	22	119	
631	207	22	118	
632	208	21	117	F
633	209	Sept. 21	116	
634	210	21	115	
635	211	21	114	
636	212	20	113	B
637	213	20	112	
638	214	20	111	
639	215	20	110	
640	216	19	109	B
641	217	19	108	
642	218	19	107	
643	219	19	106	
644	220	18	105	B
645	221	18	104	
646	222	18	103	
647	223	18	102	
648	224	17	101	B
649	225	17	100	
650	226	17	99	
651	227	17	98	
652	228	16	97	B
653	229	16	96	
654	230	16	95	
655	231	16	94	
656	232	15	93	B
657	233	15	92	
658	234	15	91	
659	235	15	90	
660	236	14	89	B
661	237	14	88	
662	238	14	87	
663	239	14	86	
664	240	13	85	B
665	241	13	84	
666	242	13	83	
667	243	13	82	
668	244	12	81	P
669	245	12	80	
670	246	12	79	
671	247	12	78	
672	248	11	77	P
673	249	11	76	
674	250	11	75	
675	251	11	74	
676	252	10	73	B
677	253	10	72	
678	254	10	71	
679	255	10	70	
680	256	9	69	B
681	257	9	68	
682	258	9	67	
683	259	9	66	
684	260	Sept. 8	65	B
685	261	Sept. 8	64	
686	262	8	63	
687	263	8	62	
688	264	7	61	B
689	265	7	60	
690	266	7	59	
691	267	7	58	
692	268	6	57	B
693	269	6	56	
694	270	6	55	
695	271	6	54	
696	272	5	53	B
697	273	5	52	
698	274	5	51	
699	275	5	50	
700	276	4	49	B
701	277	4	48	
702	278	4	47	
703	279	4	46	
704	280	3	45	B
705	281	3	44	
706	282	3	43	
707	283	3	42	
708	284	2	41	B
709	285	2	40	
710	286	2	39	
711	287	2	38	
712	288	1	37	B
713	289	1	36	
714	290	1	35	
715	291	Sept. 1	34	
716	292	Aug. 31	33	B
717	293	31	32	
718	294	31	31	
719	295	31	30	
720	296	30	29	B
721	297	30	28	
722	298	30	27	
723	299	30	26	
724	300	29	25	B
725	301	29	24	
726	302	29	23	
727	303	29	22	
728	304	28	21	B
729	305	28	20	
730	306	28	19	
731	307	28	18	
732	308	27	17	B
733	309	27	16	
734	310	27	15	
735	311	27	14	
736	312	26	13	B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anno ante Epoch. CHRISTI.	
737	313	Aug. 26	12	
738	314	26	11	
739	315	26	10	
740	316	25	9	B
741	317	25	8	
742	318	25	7	
743	319	25	6	
744	320	24	5	B
745	321	24	4	
746	322	24	3	
747	323	24	2	
748	324	Aug. 23	1	B
Nabonassari Anni.	Anni ab obitu Alexandri.	Incip. 1. die Thoth, seu	Anni CHRISTI.	
749	325	Aug. 23	1	
750	326	23	2	
751	327	23	3	
752	328	22	4	B
753	329	22	5	
754	330	22	6	
755	331	22	7	
756	332	21	8	B
757	333	21	9	
758	334	21	10	
759	335	21	11	
760	336	20	12	B
761	337	20	13	
762	338	20	14	
763	339	20	15	
764	340	19	16	B
765	341	19	17	
766	342	19	18	
767	343	19	19	
768	344	18	20	B
769	345	18	21	
770	346	18	22	
771	347	18	23	
772	348	17	24	B
773	349	17	25	
774	350	17	26	
775	351	17	27	
776	352	16	28	B
777	353	16	29	
778	354	16	30	
779	355	16	31	
780	356	15	32	B
781	357	15	33	
782	358	15	34	
783	359	15	35	
784	360	14	36	B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anni CHRISTI.	
785	361	Aug. 14	37	
786	362	14	38	
787	363	14	39	
788	364	13	40	B
789	365	13	41	
790	366	13	42	
791	367	13	43	
792	368	12	44	B
793	369	12	45	
794	370	12	46	
795	371	12	47	
796	372	11	48	B
797	373	11	49	
798	374	11	50	
799	375	11	51	
800	376	10	52	B
801	377	10	53	
802	378	10	54	
803	379	10	55	
804	380	9	56	B
805	381	9	57	
806	382	9	58	
807	383	9	59	
808	384	8	60	B
809	385	8	61	
810	386	8	62	
811	387	8	63	
812	388	7	64	B
813	389	7	65	
814	390	7	66	
815	391	7	67	
816	392	6	68	B
817	393	6	69	
818	394	6	70	
819	395	6	71	
820	396	5	72	B
821	397	5	73	
822	398	5	74	
823	399	5	75	
824	400	4	76	B
825	401	4	77	
826	402	4	78	
827	403	4	79	
828	404	3	80	B
829	405	3	81	
830	406	3	82	
831	407	3	83	
832	408	2	84	B
833	409	2	85	
834	410	2	86	
835	411	2	87	
836	412	Aug. 1	88	B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anni CHRISTI.	
837	413	Aug. 1	89	
838	414	1	90	
839	415	Aug. 1	91	
840	416	Iul. 31	92	B
841	417	31	93	
842	418	31	94	
843	419	31	95	
844	420	30	96	B
845	421	30	97	
846	422	30	98	
847	423	30	99	
848	424	29	100	B
849	425	29	101	
850	426	29	102	
851	427	29	103	
852	428	28	104	B
853	429	28	105	
854	430	28	106	
855	431	28	107	
856	432	27	108	B
857	433	27	109	
858	434	27	110	
859	435	27	111	
860	436	26	112	B
861	437	26	113	
862	438	26	114	
863	439	26	115	
864	440	25	116	B
865	441	25	117	
866	442	25	118	
867	443	25	119	
868	444	24	120	B
869	445	24	121	
870	446	24	122	
871	447	24	123	
872	448	23	124	B
873	448	23	125	
874	450	23	126	
875	451	23	127	
876	452	22	128	B
877	453	22	129	
878	454	22	130	
879	455	22	131	
880	456	21	132	B
881	457	21	133	
882	458	21	134	
883	459	21	135	
884	460	20	136	B
885	461	20	137	
886	462	20	138	
887	463	20	139	
888	464	Iul. 19	140	B

Nabonassari Anni	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt 1. Die Thoth, seu	Anni CHRISTI.	
889	465	Iul. 19	141	
890	466	19	142	
891	467	19	143	
892	468	18	144	B
893	469	18	145	
894	470	18	146	
895	471	18	147	
896	472	17	148	B
897	473	17	149	
898	474	17	150	
899	475	17	151	
900	476	16	152	B
901	477	16	153	
902	478	16	154	
903	479	16	155	
904	480	15	156	B
905	481	15	157	
906	482	15	158	
907	483	15	159	
908	484	14	160	B
909	485	14	161	
910	486	14	162	
911	487	14	163	
912	488	13	164	B
913	489	13	165	
914	490	13	166	
915	491	13	167	
916	492	12	168	B
917	493	12	169	
918	494	12	170	
919	495	12	171	
920	496	11	172	B
921	497	11	173	
922	498	11	174	
923	499	11	175	
924	500	Iul. 10	176	B
925	501	Iul. 10	177	
926	502	10	178	
927	503	10	179	
928	504	9	180	B
929	505	9	181	
930	506	9	182	
931	507	9	183	
932	508	8	184	B
933	509	8	185	
934	510	8	186	
935	511	8	187	
936	512	7	188	B
937	513	7	189	
938	514	7	190	
939	515	7	191	
940	516	6	192	B
941	517	6	193	
942	518	6	194	
943	519	6	195	
944	520	5	196	B
945	521	5	197	
946	522	5	198	
947	523	5	199	
948	524	4	200	B
949	525	4	201	
950	526	4	202	
951	527	4	203	
952	528	3	204	B
953	529	3	205	
954	530	3	206	
955	531	3	207	
956	532	2	208	B
957	533	2	209	
958	534	2	210	
959	535	2	211	
960	536	Iul. 1	212	B
961	537	Iul. 1	213	
962	538	1	214	
963	539	Iul. 1	215	
964	540	Iun. 30	216	B
965	541	30	217	
966	542	30	218	
967	543	30	219	
968	544	29	220	B
969	545	29	221	
970	546	29	222	
971	547	29	223	
972	548	28	224	B
973	549	28	225	
974	550	28	226	
975	551	28	227	
976	552	27	228	B
977	553	27	229	
978	554	27	230	
979	555	27	231	
980	556	26	232	B
981	557	26	233	
982	558	26	234	
983	559	26	235	
984	560	25	236	B
985	561	25	237	
986	562	25	238	
987	563	25	239	
988	564	24	240	B
989	565	24	241	
990	566	24	242	
991	567	24	243	
992	568	23	244	B
993	569	23	245	
994	570	23	246	
995	571	Iun. 23	247	
				B

Adde his Annos infrascriptos insignes apud Arabes, vel Albategnium, aut peculiari nota digniores.

Anni Nabonassari.	Anni ab obitu Alexandri.	Incipiunt à 1. die Thoth, seu	Anni Epochæ CHRISTI.	
1370	946	Mart. 21	622	
1380	956	Mart. 16	632	B
1468	1044	Febr. post. 24	720	B
1472	1048	prior. 24	724	B
1627	1203	Ianuar. 17	879	
1630	1206	Ian. 16	882	
1638	1214	Ian. 14	890	
1641	1217	Ian. 13	893	
1648	1224	Ianu. 11	900	B
1688		Ianuar. 1	940	B
1689		Decemb. 31	940	B

III. TABVLA Mensium Ægyptiorum cum diebus Collectis.

Dies Mens.	Thoth.	Phophi.	Athyr.	Choeac.	Tybi.	Mechir.	Phamenoth.	Pharmuthi.	Pachon.	Payni.	Epiphi.	Mesori.
1	1	31	61	91	121	151	181	211	241	271	301	331
2	1	32	62	92	122	152	182	212	242	272	302	332
3	3	33	63	93	123	153	183	213	243	273	303	333
4	4	34	64	94	124	154	184	214	244	274	304	334
5	5	35	65	95	125	155	185	215	245	275	305	335
6	6	36	66	96	126	156	186	216	246	276	306	336
7	7	37	67	97	127	157	187	217	247	277	307	337
8	8	38	68	98	128	158	188	218	248	278	308	338
9	9	39	69	99	129	159	189	219	249	279	309	339
10	10	40	70	100	130	160	190	220	250	280	310	340
11	11	41	71	101	131	161	191	221	251	281	311	341
12	12	42	72	102	132	162	192	222	252	282	312	342
13	13	43	73	103	133	163	193	223	253	283	313	343
14	14	44	74	104	134	164	194	224	254	284	314	344
15	15	45	75	105	135	165	195	225	255	285	315	345
16	16	46	76	106	136	166	196	226	256	286	316	346
17	17	47	77	107	137	167	197	227	257	287	317	347
18	18	48	78	108	138	168	198	228	258	288	318	348
19	19	49	79	109	139	169	199	229	259	289	319	349
20	20	50	80	110	140	170	200	230	260	290	320	350
21	21	51	81	111	141	171	201	231	261	291	321	351
22	22	52	82	112	142	172	202	232	262	292	322	352
23	23	53	83	113	143	173	203	233	263	293	323	353
24	24	54	84	114	144	174	204	234	264	294	324	354
25	25	55	85	115	245	175	205	235	265	295	325	355
26	26	56	86	116	146	176	206	236	266	296	326	356
27	27	57	87	117	147	177	207	237	267	297	327	357
28	28	58	88	118	148	178	208	238	268	298	328	358
29	29	59	89	119	149	179	209	239	269	299	329	359
30	30	60	90	120	150	180	210	240	270	300	330	360

Intercalarium.			
1	4	361	364
2	5	362	365
3	6	363	366

TABVLA Mensium Iulianorum, cum diebus Collectis.

Dies Biss.	An. Com.	Ianuarius	Febr.	Mart.	Aprilis	Mai.	Iunij.	Iuli.	Aug.	Septemb.	October.	Nouemb.	Dec.
1	1	1	32	60	91	121	152	182	213	244	274	305	335
2	2	2	33	61	92	122	153	183	214	245	275	306	336
3	3	3	34	62	93	123	154	184	215	246	276	307	337
4	4	4	35	63	94	124	155	185	216	247	277	308	338
5	5	5	36	64	95	125	156	186	217	248	278	309	339
6	6	6	37	65	96	126	157	187	218	249	289	310	340
7	7	7	38	66	97	127	158	188	219	250	280	311	341
8	8	8	39	67	98	128	159	189	220	251	281	312	342
9	9	9	40	68	99	129	160	190	221	252	282	313	343
10	10	10	41	69	100	130	161	191	222	253	283	314	344
11	11	11	42	70	101	131	162	192	223	254	284	315	345
12	12	12	43	71	102	132	163	193	224	255	285	316	346
13	13	13	44	72	103	133	164	194	225	256	286	317	347
14	14	14	45	73	104	134	165	195	226	257	287	318	348
15	15	15	46	74	105	135	166	196	227	258	288	319	349
16	16	16	47	75	106	136	167	197	228	259	289	320	350
17	17	17	48	76	107	137	168	198	229	260	290	321	351
18	18	18	49	77	108	138	169	199	230	261	291	322	352
19	19	19	50	78	109	139	170	200	231	262	292	323	353
20	20	20	51	79	110	140	171	201	232	263	293	324	354
21	21	21	52	80	111	141	172	202	233	264	294	325	355
22	22	22	53	81	112	142	173	203	234	265	295	326	356
23	23	23	54	82	113	143	174	204	235	266	296	327	357
24	24	24	55	83	114	144	175	205	236	267	297	328	358
25	25	25	56	84	115	145	176	206	237	268	298	329	359
26	26	26	57	85	116	146	177	207	238	269	299	330	360
27	27	27	58	86	117	147	178	208	239	270	300	331	361
28	28	28	59	87	118	148	179	209	240	271	301	332	362
29	29	29	60	88	119	149	180	210	241	272	302	333	363
30	30	30	61	89	120	150	181	211	242	273	303	334	364
31	31	31		90	121	151	182	212	243	274	304	335	365
				91		152		213	244		305		366

IV. TABVLA ANNORVM IEZDAGIRDÆ CDXLVIII. vsque ad Gelalæam Anni Persici Reformationem; vna cum Diebus Collectis per decadas Mensium Persicorum.

Anni Iezdagirdæ.	Incipiunt M.	Die	Anni Ep. CHRISTI
1	Iunij	16	632 B
5		15	636 B
9		14	640 B
13		13	644 B
17	Iunij	12	648 B
21		11	652 B
25		10	656 B
29		9	660 B
33	Iunij	8	664 B
37		7	668 B
41		6	672 B
45		5	676 B
49	Iunij	4	680 B
53		3	684 B
57		2	688 B
61		1	692 B
65	Maij	31	696 B
69		30	700 B
73		29	704 B
77		28	708 B
81	Maij	27	712 B
85		26	716 B
89		25	720 B
93		24	724 B
97	Maij	23	728 B
101		22	732 B
105		21	736 B
109		20	740 B
113	Maij	19	744 B
117		18	748 B
121		17	752 B
125		16	756 B
129	Maij	15	760 B
133		14	764 B
137		13	768 B
141		12	772 B
145	Maij	11	776 B
149		10	780 B
153		9	784 B
157		8	788 B
161	Maij	7	792 B
165		6	796 B
169		5	800 B
173		4	804 B
177	Maij	3	808 B
181		2	812 B
185		1	816 B
189	April.	30	820 B
193		29	824 B
197		28	828 B
201		27	832 B
205		26	836 B
209	April.	25	840 B
213		24	844 B
217		23	848 B
221		22	852 B
225		21	856 B

Anni Iezdagirdæ.	Incipiunt M.	D.	Anni Ep. CHRISTI
229	April.	20	860 B
233		19	864 B
237		18	868 B
241		17	872 B
245	April.	16	876 B
249		15	880 B
253		14	884 B
257		13	888 B
261	April.	12	892 B
265		11	896 B
269		10	900 B
273		9	904 B
277	April.	8	908 B
281		7	912 B
285		6	916 B
289		5	920 B
293	April.	4	924 B
297		3	928 B
301		2	932 B
305		1	936 B
309	Mart.	31	940 B
313		30	944 B
317		29	948 B
321		28	952 B
325	Mart.	27	956 B
329		26	960 B
333		25	964 B
337		24	968 B
341	Mart.	23	972 B
345		22	976 B
349		21	980 B
353		20	984 B
357	Mart.	19	988 B
361		18	992 B
365		17	996 B
369		16	1000 B
373	Mart.	15	1004 B
377		14	1008 B
381		13	1012 B
385		12	1016 B
389	Mart.	11	1020 B
393		10	1024 B
397		9	1028 B
401		8	1032 B
405	Mart.	7	1036 B
409		6	1040 B
413		5	1044 B
417		4	1048 B
421	Mart.	3	1052 B
425		2	1056 B
429		1	1060 B
433	Febr.	28	1064 B
437	Febr.	27	1068 B
441		26	1072 B
445		25	1076 B
449	poster.	24	1080 B
453	prior.	24	1084 B

Menses Persarum.	Dies Mensiũ	Dies Collec.
Aphrurdin	1	1
	10	10
	20	20
	30	30
Ardihascht	1	31
	10	40
	20	50
	30	60
Carpimech	1	61
	10	70
	20	80
	30	90
Thirmech	1	91
	10	100
	20	110
	30	120
Merdedimech	1	121
	10	130
	20	140
	30	150
Schaarermech	1	151
	10	160
	20	170
	30	108
Meharmech	1	181
	10	190
	20	200
	30	210
Abenmech	1	211
	10	220
	20	230
	30	240
Adarmech	1	241
	10	250
	20	260
	30	270
Dimech	1	271
	10	280
	20	290
	30	300
Behenmech	1	301
	10	310
	20	320
	30	330
Affirermech	1	331
	10	340
	20	350
	30	360
Musteraka	1	361
	2	362
	3	363
	4	364
	5	365

LIBER TERTIVS
DE GRÆCORVM
IN EVROPA, ASIA, ET ÆGYPTO
EPOCHIS,
Et Annis cum Epocha CHRISTI Vsitata Connectendis.

CAPVT I.

De Græcorum Temporibus ante Olympiadas.

CONCLVSIO I.

Licet Interualla temporum ad Græcos spectantia ante Olympiadas Varroni, & alijs visa sint incerta, absolutè tamen haud ita incerta sunt omnia, vt non possint prudenter à Chronologis admitti, tanquam sufficienter probabilia, præsertim in Epochis in infrascripta Synopsi recensitis.

Anni ant. Epoch. CHRIS.	Principium Regnorum, vel aliarum rerum.
2091	SYcioniorum I. Rex Ægialeus. *Durauit Regnum hoc annos 962.*
1858	Argiuorum I. Rex Inachus. *Durauit Regnum ann. 544.*
1796	Diluuium Ogygium in Attica.
1558	Athenienſium I. Rex Cecrops. *Durauit Regnum ann. 488.*
1514	Diluuium Deucalionis in Theſſalia.
1314	Mycenenſium I. Rex Perſeus. *Durauit Regnum ann. 210.*
1218	Olympicum Certamen inſtit. ab Hercule.
1210	Argonautarum expeditio circiter.

Anni ant. Epoch. CHRIS.	Principium Regnorum, vel aliarum rerum.
1184	Troiæ excidium.
1104	Heraclidarum expeditio in Peloponneſum.
1103	Lacedæmonum primi Reges Euryſthenes, & Procles. *Durauit Regnum ann. 900. circ.*
1103	Corinthiorum I. Rex Aletes. *Durauit Regnum ann. 323.*
1070	Archontum perpetuorum Athenis I. Medon. *Durarunt ann. 315.*
814	Macedonum I. Rex Caranus. *Durauit hoc Regnum ann. 646.*
755	Archontes decennales Athenis. *Durarunt ann. 70.*

1 QVàm temerè Beroaldus in Chronico. ad Annum Mundi 3501. dixerit, ante tempus Philippi Regis Macedonum nihil certi in Græca hiſtoria deprehendi poſſe, & ignorari adhuc annum belli Peloponneſiaci, ac Medici, patebit ex dicendis cap. 3. Id enim bellum poſt Olympiadas inſtauratas contigit. Porrò Africanus apud Euſebium l. 10. de præparatione Euangelica c. 3. dixerat. Vſque ad *Olympiadas nihil exploratum in hiſtoria Græcorum inuenitur, ſed omnia confuſis ſunt conſcripta temporibus; poſt Olympiadas verò quoniam quadriennio omnia diligentiſſimè renouabantur, nulla prorſus eſt temporum confuſio.* Ipſeque Euſebius in Chronico ſub Olymp. primam ait. *Deinceps Græci tempora accuratiùs diſpenſarunt, omnibus ante hoc confuſis, & nullo modo conſentientibus ſibi.* Quæ cum grano ſalis intelligenda ſunt, & non abſolutè ſed comparatiuè ad maiorem certitudinem poſt Olympiadas. Notanda interim ſunt Cenſorini de die Natali c. 8. verba hæc poſt deſcriptum annum naturalem ſeu Solarem dierum 365. cum quadrante: *Itaque cum de aliquo annorum numero hic dicetur, non alios par erit, quàm naturales accipere. Et ſi origo Mundi in hominum notitiam veniſſet, inde exordium ſumeremus. Nunc verò id interuallum temporis tractabò, quod ἱστορικὸν Varrò appellat. Hic enim tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum ab hominum principio ad Cataclyſmum priorem; Secundum ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominauit; Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικὸν, quia res eo geſtæ veris hiſtorijs continentur. Primum tempus ſiue habuit initium, ſeu ſemper fuit, certè quot annorum ſit, non poteſt comprehendi. Secundum non planè quidem ſcitur ſed tamen &c.* Reliqua infra producemus opportunius. Profitetur ergo Cenſorinus, ſe quotieſcunque annos numerabit, locuturum de annis naturalibus, & Julianis, ſeu dierum 365. ¼. vtique cum Varrone: quod enim Jo. Georgius Heruartus Capi. 16. 19. 20. 22. 26. ſuæ nouæ Chronologiæ inculcat priſcos in Græcia vſurpaſſe annos quadrimeſtres, & cap. 27. cœpiſſe vſurpare decimeſtres

anno ante Christum 487. & c. 29. tales fuisse annos Olympiadicos, nec probauit, nec probare potest, loquendo de annis, quibus Historici, & Chronologi tempora consignarunt: Ridiculè enim ingeniosus, putat Nouennalem illam pompam, qua ex Arne Vrbe Bœotiæ nono quoq; anno ferebatur ad Appollinem Bœotium Ismenium virga oleagina Daphnephoro cum globo maiore Solem, minore Lunam referente, & corona globulis, seu stellulis 365. referta, institutam fuisse in memoriam triennalis Salomonicæ nauigationis; ideoq; nouem illos annos, fuisse tres annos Solares. Quasi verò vlla fuerit affinitas nauigationis Salomonicæ, cum Bœotiorum solemnitatibus, & non potius debuerit Heruartus ex numero illo 365. quem fatetur significare dies anni vertentis, colligere iam tum in vsu fuisse annum Solarem duodecumestrem, saltem Lunarem, sed cum Solari conciliatum, iuxta dicta à nobis lib. 1. cap. 19. Hoc vero est non discurrere, sed somniare, & nimis audacter ex leuissimis coniecturis, contra communem doctissimorum virorum sententiam pronunciare. Sed hoc dimisso reuertor ad Censorinum, & Varronem, quorum dictum de tempore Mythico cum grano salis intelligendum esse ipsemet Censorinus satis indicat, dum ait licet non planè sciatur, tamen censeri esse annorum circiter 1600. At Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ suæ Mythicum tempus non extendit vsque ad Olympiades, sed solum vsque ad bellum Trojanum, à bello enim Troiano putat deinceps temporum series fide dignam, ante Troianum autem bellum tempora Sicyoniorum Argyuorum, Thessalorum, Lydiorum &c. non tam per annos, quàm per generationes cognosci posse autumat Gerardus Ioannes Vossius in Isagoge Chronologica cap. 2. vbi γενεὰν, idest generationem iuxta Herodotum definit annorum circiter $33\frac{1}{3}$. ita vt centum anni tres generationes efficiant, idque sufficere vt sciamus quo tractu temporis aliquid euenerit. Sed ex dicendis de singulis in Synopsi enumeratis patebit nostra sententia.

2 Antiquissimum esse in tota Græcia regnum *Sicyonis*, in confesto est, & fatetur Vbbo Emmius lib. 1. de Græcia Veteri, eorumq; primum Regem fuisse *Aegialeum* affirmat Pausanias in Corinthiacis lib. 2. vbi & Reges Sicyoniorum enumerat. Fuit autem Sicyon vrbs in Peloponneso non procul ab Isthmo, cuius Reges sex & viginti enumerant tam Pausanias, quàm Africanus, Eusebius, & Castor in fragmentis Eusebianis, sed non consentiunt in ordine Regum numeroq; annorum, sicut nec alij. Suidas rotundo & crasso numero verbo *Sycion* ait regnum Ægyalei durasse annos 900. at Castor in fragmentis Eusebianis habet annos 959. quot etiam S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 19. Ipse autem Eusebius in Chronico ad annum 22. Zeuxippi vltimi Regis Sicyoniorum inquit: *Castoris Chronographiam de Sicyoniorum regno exponemus: Sicyoniorum Reges ab Ægyaleo vsque ad Zeuxippum omnes regnauerunt annis 962.* & ita habet Pontacus in Eusebium, putans hinc corrigendum locum Suidæ & S. Augustini; & sanè collectis annis integris, quot, regnarunt ab Ægyaleo ad Zeuzippum inclusiuè, iuxta Eusebij Chronicon, anni sunt 962 vt diligenter ego supputaui, & totidem colliguntur ex Catalogo horum Regum apud Petauium in Paralipomenis Tom. 2. de doctr. temp. pag. 864. vnde miror eum lib. 9. c. 16. ex Eusebio collegisse annos 967. Porrò Eusebius ponit Troiam captam anno 29. *Polyphidis* antepenultimi Regis Sicyoniorum, quem ait regnasse annos 31. & post hunc *Pelasgum* 20. & post hunc Zeuxippum 32. igitur à capta Troia ad finem Zeuxippi, sunt anni 54. qui detracti annis 962. relinquunt annos 908. ante captam Troiam. Hanc autem captam fuisse anno 1184. ante vulgarem Epocham Christi ostendemus lib. 4. cap. 1. quo interim remittimus Lectorem, ergo Sicyoniorum Regnum incœpit anno ante Epocham Christi 2091. & hæc est simplicissima, & clarissima methodus colligendi Sicyoniorum initium hinc ex annis Regum illorum, et interuallo inter finem eorum, captamq; Troiam Eusebiano; inde ex anno captæ Troiæ. Neque hinc longè abijt Vbbo Emmius lib. 1. veteris Græciæ, vbi ait traditum esse ab Historicis Inachum primum Regem Argiuorum regnare cœpisse anno Periodi Iulianæ bis millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto, Ægialeum verò ante Inachum Sycione incœpisse annis ccxxxii. quibus subductis anno 2856. restat pro initio Aegialei annus periodi Iulianæ 2624. idest ex regula tradita l. 1. c. 29. Annus ante Christi Epocham 2090. videlicet includendo terminos vtrosque. Ideo non possum subscribere Petauio, qui lib. 9. cap. 16. initium hoc ponit anno Periodi Iulianæ 2548. nempe ante Christum 2166. et in Catalogo pag. 864. anno 2550. Sectatus obscuriora, et dissidentem ab Eusebio Pausaniam ac perperam ponens durationem Regni huius ex Eusebio annorum 967. et cum his coniungens annos 33. quibus Sacerdotes Carni Sicyone post reges regnarunt, vt Regnum Sicyoniorum ad mille annos extendat. Et tamen fatetur à Capta Troia, ad finem regni Sicyonior; iuxta Eusebium esse annos LIV. et Troiæ excidium fuisse anno periodi Iulianæ 3530. idest ante Christum 1184. sed nec Saliano suffragari possumus, qui Tomo primo Annalium ad annum Mundi 1966. statuit annum primum Aegialei Sicyoniorum Regis anno ante Christum 2078. sed ante Epocham vulgarem 2079. finem autem regni huius tomo 3. ad annum Mundi 2927. Anno ante Christum 1126. et ante Epocham vulgarem 1127. idque ex Eusebio, et Castore, cum quibus ponit durasse hoc regnum annos 962. inclusis terminis, sed supponit ibidem extinctum hoc regnum anno 57. ab excidio Troiano, quod apertè repugnat Eusebio ponenti annum 54. valde tamen prope ad nostrum calculum accessit. Esto interim laterculus dictarum opinionum reliquas enim absq; fundamento aut examine positas à Chronologastris merito negligimus.

	Anni ante Epocham Vulgarem Christi Sicyoniorum Regni.	
	Principium.	Finis.
Petauio	2166	1166
Saliano	2088	1128
Vbboni	2090	1129
Nobis	2091	1130

3 *Inachus* primus Argiuorum Rex antiquissimus indicatur ab Horatio canente lib. 2. Ode 3. *Diuesne prisco natus ab Inacho nil interest &c.* licet scire non curet, *Quantum distet ab Inacho Codrus*. At nobis curandum est: Eum verò coæuum Moysi faciunt Apion Alexandrinus, Iustinus, Athenagoras, Iulius Africanus, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Origenes lib. 4. contra Celsum, Epiphanius, Clemens verò Alexandrinus lib. 1. Stromatum licet eidem opinioni fauere videatur dicendo ab Inacho ad Troianum excidium fuisse annos supra quadringentos; rectè tamen monet Petauius l. 9. c. 18. pro τετρακόσια scribēdum ἑξακόσια, quia ibidem Clemens annos centum continere 3. generationes docet, et ab Inacho ad Troiæ excidium numerat viginti generationes, ergo annos 667. Eusebius in primo Chronico, indicatis diuersis de hac re opinionibus, profitetur se veritatem diligentius indagasse, et concludit, Inachum multo antiquiorem Moyse fuisse, hunc enim, sicut, et Cecropem Troiano bello antiquiorem esse annis CCCL. Inachum autem Quingentis, sed in posteriore Chronico ponit Inachum anno Mundi 3340. et Troiam captam anno Mundi 4020. ergo ab initio Inachi ad Troiam captam ponit annos 680. idest paulo plures quam Clemens. Petauius l. 9. c. 18. et in catalogo Regum Argiuorum quem ponit in fine Tomi 2. pag. 865. vsque ad Agamemnonem, deducit Inachum regnare cœpisse anno Periodi Iulianę 2856. vel 2857. idest ante Christum anno 1857. et ante Troiam euersam 673. cumq; licet nomine occultato, sequitur Vbbo Emmius lib. 5. Rerum Chronologicarum pag. 150. Salianus autem tomo 1. ad Annum Mundi 2199. et ante Christum 1854. sed ante Epocham Christi 1855. ponit Inachi initium idq; vt ait, ex Eusebio; Denique Gerardus Io. Vossius l. 1. c. 1. de Historicis Grecis supponit ab Inachi initio, ad excidium Troiæ annos 675. Nos tandem eligimus ab Inacho ad Troiam captam annos 674. tanquam medium, tum inter recentiores, et insignes Chronologos, quos nominauimus, et quorum alij 673. alij 674 alij 675. ponunt, addendo autem annos 674. annis Troiæ captæ 1184. ante Ep. Christi, consurgit initium Regni Argiuorum, et Inachi anno 1858. ante Ep. Christi. Hinc autem patet quam enormiter vitiati sint numeri, et supputationes apud Censorinum de die natali c. 8. vbi de mythico tempore ait. *Ad mille circiter & DC. annos esse creditur à priore scilicet Cataclismo, quem dicunt Ogygis, ad Inachi regnum annis circiter CD. hinc ad Olym-*

Olympiadem primam paulo plus CD. Quamuis enim hos nempe ab Inacho ad Olympiadem primam *Sosibius* definuerit CCCXCV. *Eratosthenes* tamen eos definiuit VII. & CD. *Timæus* CDXVII. *Orethes* DXIV. vt idem subiungit. Primò enim summa illa annorum MDC. nequaquam conflatur ex annis CD. duplicatis, sed desunt illi implendæ anni ferè 800. Deinde Anni 407. quos Eratosthenes numerat ante primam Olympiadem sunt anni ab *Ilio* exciso non ab *Inacho*. Sed Censorinus voluit dicere finem regni Argiuorum ab Inacho initi, finiuit enim sub Acrisio annis ferè 130. ante excidium Troiæ, vel sub Penthilo Mycenis anno 80. post Troiam excisam. Porrò ex Catalogo Regum horum ab Inacho ad Acrisium inclusiuè regnatum est Argis annos 546.

4 *Ogyge* regnante in regione Thebana; Phoroneo autem Argis, contigit Diluuium in Attica, de quo Iulius Africanus apud Eusebium lib. 10. de præparatione Euang. c. 3. sic asserit: *Ab Ogyge indigena, cuius temporibus primum, & maximum diluuium in Attica fuit, & Phoroneus Argiuus regnabat, vsque ad primam Olympiadem anni fuere mille, atq; viginti. Ita enim omnes asserunt, qui Athenienſium annales conscripsere; Hellanicus dico, atq; Philochorus, Castor etiam & Thallus in hoc conueniunt, qui Syriacam historiam diligenter tractarunt. Diodorus quoq; qui Orbis historiam in Bibliothecas contulit, aliiq; permulti.* Hos igitur præstat sequi; ostendemus autem sequenti capite Olympiadem primam incœpisse ab æstate Anni 776. ante Epocham Christi, additis ergo Annis MXX. fit Annus 1796. pro Diluuio Ogygio; qui erat Annus 12. Phoronei. Censorini autem ponentis ab hoc dilnuio ad Olympiadas Annos MDC. numeros corruptos esse nuper ostendimus. Orosius autem l. 1. c. 7. & cum eo Marianus Scotus in Chronico, Diluuium hoc consignant *Ante annos Vrbis conditæ mille quadraginta*; condita est autem Anno 753. ante Christi Epocham, ergo Diluuium hoc anno 1793. ante Christum fuisset, sed Orosius rotundiore numero cõtentus, tres annos neglexit, vt aduertit Salianus tomo 1. ad Annũ Mundi 2258. vbi sequitur opinionem Iulij Africani, & Orosiũ, ac S. Augustinum vindicat à morsibus Scaligeri, nam S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei c. 8. dixit hoc diluuium posterius esse annis plusquam trecentis diluuio Noetico, quod verissimum est.

5 *Cecropem* primum Athenienſium Regem Moysi Coæuum facit Eusebius in præfatione Chronici. Porrò à Cecrope ad annum, quo capta est Troia, Iulius Africanus in Thesauro temporum, Apollodorus l. 3. Eusebius in Chronico numerant annos 375. & cum illis Salianus in Scholijs ad Annum Mundi 2498. & Petauius l. 9. c. 21. Cum ergo captum sit Ilium Anno 1184. ante Christi Epocham, si addas his annos 375. consurgit initium Regni Athenienſium Anno 1558. incluso termino, ante Epocham Christi, esto Scaliger, & cum eo Vbbo Emmius lib. 5. rerum Chronolog. pag. 150. & Salianus habeant 1556. At Petauius 1558. ex Catalogo autem horum Regum apud Eusebium durarunt vsq; ad Archontes annis 488.

6 *Deucalioneum* Diluuium contigisse Annis CCCXXX. ante Troiæ excidium affirmabat vetus Chronologus apud Clementem Alexand. l. 1. Strom. contigisset ergo Anno 1514. ante Epocham Christi, & anno 44. Cecropis, nam sub Cecrope accidisse putant cum Eusebio SS. Hieronymus, Cyrillus, & Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei c. 10. vbi tamen refert Varronis opinionem, quæ est accidisse sub Cranao Cecropis successore. Petauius notat hoc Diluuium Anno ante Christum 1514. in suo Chronico. Salianus ad Annum Mundi 2530. notat Annum ante Epocham Christi 1524. ante Christum autem 1523. & Vbbo Emmius lib. 1. Veteris Græciæ ponit illud annis 349. ante Troiam excisam, videlicet ante Ep. Christi 1533. Auctor Marmorum Arundellianorum illud notat anno 1265. ante Olympiadicum 13. idest ante Christum 1529.

7 *Acrisio* Auo suo per imprudentiam occiso, *Perseum* transtulisse regnum Argis Mycenas narrat Pausanias lib. 2. Ex Catalogo autem Regum Argiuorum ab Inachi initio ad necem Acrisij per Eusebium colliguntur anni 544. quibus regnatum est Argis, cœpit autem Inachus anno ante Christum 1858. ex dictis num. 3. ergo Perseus, & Mycenæorum Regnum iniuerunt Anno ante Christũ 1314. esto Salianus ad Annum Mundi 2743. habeat 1310. & ante Ep. Chr. 1311. At Vbbo Emmius rectè l. 5. rerum Chronologic. pag. 150. ponit regnatum esse Argis annis DXLIV. Mycænis autem ex Catalogo Eusebiano regnatum est annis 210.

8 *Argonautarum* expeditio in Colchos, quo tempore inita fuerit haud facile est definire. Salianus Eusebium secutus, Tomo 2. ad Annum Mundi 2771. & ante Christum 1282. refert Cyzicum vrbem nominatam ab Argonautis ob Cyzicum Regem ibi ab ipsis interfectum dum nauigabant in Bosphorum, hic autem annus fuit ante Troiæ incendium 98. at in Argonaui, vt notum est, fuere Theseus, qui prius rapuit Helenam, quàm Paris, & Castor, ac Pollux Helenæ fratres, quando ergo rapta fuit à Paride, & initum est bellum Troianum fuisset Helena annorum circiter centum, si non amplius, quod est absurdum. Idem tamen Salianus ad Annum Mundi 2821. & ante Christum 1232. refert Argonautarum expeditionẽ, ex alia Eusebij supputatione quod est tolerabilius, hic enim annus fuit ante Troiæ excidium 48. sed ante raptam Helenam à Paride 38. Petauius autem in Chronico ad Annum ante Christum 1263. cõsignat quidem Argonautarum expeditionem, iuxta Clementem Alexandrinum, videlicet Annis 79. ante Troianum excidium, sed subiungit: *Hoc si verum est, tum aut falsum erit in ea expeditione Castorem fuisse, aut hos ipsos Helenæ fuisse fratres, alioquin Troiani belli tempore anus hæc decrepita foret.* Vix ergo annis 20. aut 25. præcesserit Argonautica expeditio excidium Troiæ, fueritq; circa 1210. ante Christum; At si Hercules fuit in illa expeditione, vt referunt Apollodorus l. 1. & Hyginus c. 14. cum Olympicum certamen instituerit annis 442. ante Olympiadas Iphiti, sicut affirmat vetus Chronologus apud Clementem Alexandrinum l. 1. Strom. nempe Anno ante Christum 1218. videtur probabilius id factum ante Argonautarum expeditionem, quàm postea secus, ac non pauci recentiores Chronographi supponunt.

9 Locus hic esset disserendi de *Troiæ excidio*, à cuius Epocha celeberrima pendent aliæ multæ Græcorum, sed quia ita spectat ad Græcos, vt tamen etiam spectet ad Latinorum Regum initium, & exordia Romanorum, maluimus hoc reijcere ad primum caput Libri Quarti, ita tamen vt antequam hunc librum tertium scripsimus, nobis iam discussa esset, & terminata hæc controuersia, concluſumque Troiæ excidium incidisse in vernum tempus Anni M. CLXXXIV. ante vsitatam Epocham Christi. Illuc ergo festinet Lector, si hoc loco eam distinctionem desiderat, & perinde habeat, ac si hic de verbo ad verbum transcripta esset.

10 Celeberrima est in Historia Græca *Heraclidarum κάθοδος*, seu transmigratio illa, in Peloponnesum, qua tandem ea regiõne potiti sunt Themenus, Cresphontes &c. ab ea enim suas historias exorsi sunt Theopompus, Ephorus, & Callisthenes, vt testatur Diodorus Siculus lib. 4. & ex ea initium habuerunt aliquot noua regna, potissimumq; Lacedæmoniorum, & Corinthiorum. Iam verò migrationem eam contigisse post excidium Troiæ annis 60. Strabo, sed duabus generationibus; hoc est annis 67 supponit Pausanias in Messeniacis; sed contigisse annis 80. post Troiæ excidium affirmant ex Eratosthene, Velleius lib. 1. Apollodorus, Tatianus, & Clemens Alexandrinus, quorum communem opinionem secuti sunt Petauius lib. 9. c. 30. Salianus tumo 3. ad Mundi annum 2950. & Vbbo Emmius l. 5. Rerum Chronologicarum pag. 152. subductis ergo Annis 80. à Troiani excidij annis 1184. cadit hæc migratio in Annum ante Epocham Christi 1104. Diuiserunt autem sibi eam regionem, ita vt Themenus Argos; Cresphontes Messenem; Procles, & Eurysthenes Aristodemi filij Lacedæmonem sortiti sint, annoque sequenti nouum Lacedæmoniorum regnum surrexerit, cessante veteri sub Tisameno Orestis filio, & vltimo Regum Tyndaridarum; Enumerat autem Tyndaridas Pausanias in Laconicis, sed eorum tempora nõ determinat. Heraclidarum autem Regum, quĩ Lacedæmone regnarunt catalogo inspecto, quem Petauius ex Eusebio potissimum concinnauit, reperio ab Eurysthene, & Procle, vsq; ad Acrotatum excluſiuè regnatum esse annos 837. reliquorum verò sex Regum tempora desunt, sed valde probabile est omnes simul regnasse annos circiter 900.

11 Eodem tempore quo Heraclidæ Peloponnesum inuaserunt, *Aletes* Herculis abnepos, cum Dorienſibus Corinthum

finthum occupauit, vbi regnatum erat à Sisypho, & eius posteris annos 309. & nouum regnum fundauit, durauitq; vsq; ad Bacchiadas annis 144. à Bacchide autem, vsque ad Automenem inclusiuè 179. & ab Alete ad Automenē 325. ex Catalogo Eusebiano. Qui de hac re plura desiderat, adeat Petauium l. 9. c. 31. & Vbbonem Emmium l. 5. Rerum Chronologicarum pag. 157.

12 *Athenienſium* Regnum à Cecrope ad Codrum inclusiuè durasse annos 488. & incœpisse anno ante Christum 1558. ac desijsse anno 1070. patet ex dictis num. 5. inde autem cœperunt regere Athenas Archontes perpetui, vt habetur ex Pausania in Achaicis, Eusebio, & Iustino lib. 2. Satur ex Pausania in Achaicis, Eusebio, & Iustino lib. 2. Salianus autem ad Annum Mundi 2985. & ante Christum 1068. sed ante Epocham Christi 1069. ponit mortem Codri. Ex Catalogo Archontum ex Eusebio, Diodoro, & alis constructo, & à Petauio in Paralipomenis ad finem Tomi 2. de Doctrina temporū exhibito durarunt Archontes perpetui à Medonte ad Alcmæonem inclusiuè annos 315. inde autem decennales Archontes à Charope ad Eryxiam annis 70. ideſt vsque ad annum ante Christum 684. & inde annui Archontes.

13 Ex Temeno Herculis abnepote descendit *Caranus* sextus decimus ab Hercule, vt habet Velleius, vel vndecimus, vt habet Dexippus in Catalogo Regum Macedonicorum, qui est in excerptis Eusebianis; qui Caranus in Macedonia nouum regnū fundauit anno 38. ante primam Olympiadem, vt notat Eusebius, nempe ante Epocham Christi 814. De ordine horum Regum tractant Vbbo Emmius l. 5. Rerum Chronologicarum p. 153. & Petauius l. 9. de Doctrina temporum cap. 36. sed fusius in Paralipomenis tomi 2. pag. 846. & in Catalogo quem exhibet pag. 867. in quo Alexander Magnus est 23. Rex, & Perses 40. Certum autem est ex Eclipsi, quam referemus l. 4. c. 3. nu. 13. Persem vltimum Regem Macedonum superatū à Paulo Æmilio Anno 168. ante Epocham Christi, ergo subtractis 168. ab annis 814. durauit hoc Regnum à Carano ad Persem Annis 646. non vero 644. vt habet Emmius Horum Catalogum dabo c. 8.

CAPVT II.

De Olympiadibus, & Lustris earumq; nexu cum Epocha Christi.

CONCLVSIO II.

Certum est Olympiadum ab Iphito instauratarum, & à Græcis vsurpatarū in temporibus computandis initium fuisse Nouiluniū Solstitij æstiui Anni ante vulgarem Christi Epocham DCCLXXVI. & singulas Olympiadas constitisse ex quatuor Annis Lunisolaribus duodecumestribus, aut Embolismicis, ita vt quadragesimo quoq; ac nono Mense, & alternatim quinquagesimo celebrarentur Olympiades: Esto certamen Gymnicum in Plenilunio primi mensis absolueretur: De tempore autem quo desierint Olympici ludi præsertim in Elide, nihil certi hactenus constat, licet aliqui id referant ad Constantinum Magnum, aliqui ad Theodosium Iuniorem.

DE Olympiadum institutione, aut instauratione, nexuq; cum temporibus aliunde notis tractant a primis Gyraldus lib. de Annis, & Mensibus pag. 17. Polydorus Virgilius l. 2. de Rerum inuentoribus c. 23. Iacobus Kriſtmannus in Alphraganum de Connexione annorum pag. 265. Paulus Crusius libro de Epochis, Origanus tomo 1. Ephemeridum pag. 22. Iosephus Scaliger de emend. temp. l. 1. pag. 36. & l. 5. pag. 381. Onuphrius Panuinus l. 1. Com. in Fastos pag. 143. Dionys. Petauius eruditissimè lib. 9. de Doctrina temporum à c. 37. ad 44. & in Rationario temporum parte 2. l. 1. c. 11. & l. 3. c. 1. & in Paralipomenis pag. 850. Iacobus Salianus tomo 4. Annalium ad Annum Mundi 3170. & 3278. Io. Georgius Heruartus in sua noua Chronologia capitib. 39. 47. 92. 93. 96. Vbbo Emmius lib. 2. de Græcia veteri, & lib. 2. rerum Chrologicarum pag. 47. Iacobus Tirinus tomo 1. in Chronico Sacro c. 31. Vuilhelmus Langius de Annis Christi l. 1. c. 13. & l. 2. c. 10. Henricus Philippi in introductione Chronol. c. 17.

Prima pars Conclusionis de Iphiti Anno 776. ante Epocham Christi.

1 OLympicum Agonem instituit primum Pelops anno ante Iphitum 545. aut 539. prout habetur ex annis Mundi apud Eusebium in diuersis Codicibus, atque adeo ante Epocham Christi anno 1321. vel 1315. Deinde Hercules anno ante Iphitum 430. si Eusebio credas, vel 442. si vetusto Chronologo apud Clementem Alexandrinum l. 1. Strom. hoc est anno 1218. ante Ep. Christi. Quæ enim contra Scaligerum disputat Petauius lib. 9. c. 38. non est opus hoc loco referre. Tandem vero, vt ex Pausania, Diodoro, alijsq; multis antiquis Scriptoribus constat, Iphitus Praxonidæ filius, & Eleorum Princeps Olympicum certamen instaurauit celebrandum quarto quoque anno in agro inter Pisam, & Elidem amœnissimo, iuxta Alphæum fl. & Templum Iouis Olympici; Olympionicarum tamen nomina in Catalogo non sunt cœpta scribi, nisi annis 108. post hanc instaurationem, vt docebo cap. 3. num. 3. dum de Lycurgo, quando scilicet Corœbus Elidensis victor fuit: hinc enim per Olympiadas Græci tempora numerare cœperunt esto denominati sint Anni *Iphiti*, seu Olympiades *Iphiti*, ab instauratore certaminis huius, qui tamen præcesserat annis 108. Nobis iam incumbit ostendere Annum primū Olympiadicum Iphiti incœpisse ab Æstate Anni 776. ante vitatam Christi Epocham, seu Dionysianam Aeram. Licet enim in hunc Annum conspirent maxima pars Chronologorum, non defuere tamen pauci aliquot insignes viri, qui vno alteroue anno dissenserint. Id verò aliquot Eclipsibus ostendemus.

2 Thucydides libro 3. affirmat labente anno quarto Peloponnesiaci belli Ludicrum Olympicum celebratum esse, quō iterum Doricus Rhodius Pancratio victor fuit; hæc Olympias ex Catalogo Olympionicarum fuit LXXXVIII. seu octagesima octaua; libro autem 2. dixerat bellum Peloponnesiacum incœpisse *in principio veris*, ergo cœpit anno primo Olympiadis LXXXVII. octogesimæ septimæ, sequente secundo ab æstate; sed idem eodem lib. 2. de illa æstate, quæ successit initio dicti belli ait: *Eadem æstate prima die Lunæ (quo tempore æstimatur id solum posse contingere) Sol defecit post meridiem, rursusq; splendorem recepit, cum corniculatam formam habuisset, & aliquot Stellæ apparuissent.* Iam in tractu illorum temporum nulla talis Eclipsis euenire potuit saluis Astronomiæ legibus, præterquam anno ante Christi Epocham 431. quo Athenis Sol defecit die 3. Augusti in forma Iuliana, hora post merid. 5 $\frac{1}{4}$. obscuratis digitis penè 11. ante hanc æstatem verò completæ fuerant Olypiades LXXXVI. ideſt anni 344. & hac æstate cœpit Olympiadicus annus 345. qui additus anno 431. ante Epocham Christi efficit annum 776. ante Ep. Christi pro initio Olypiadum Iphiti.

3 Thucydides lib. 4. refert ineunte anno octauo belli Peloponnesiaci, Solem defecisse circa Neomeniam; at ex l. 2. eiusdem constat initium belli huius à principio verni temporis, nempe περὶ ἀρχομένῳ, inchoandum esse, ergo si anno primo belli huius à vere initi currebat annus primus Olympiadis 87. vt supra ostensum est, vtique initio anni octaui eiusdem belli currebat annus 4. Olypiadis 88. complendus æstate proximè secutura. At Eclipsim hanc Solis digitorum 9 $\frac{1}{2}$. repræsentant Astronomicæ Tabulæ Anno ante Epocham Christi 424. Martij Iuliani die 21. atq; adeo verno tempore, hora Athenis 3 $\frac{3}{4}$. ante meridiem. Igitur si anno 424. completæ fuerunt Olympiades 88. ideſt Olympici anni 352. additis his anno 424. resultat annus 776. pro initio harum Olympiadum. Salianus hanc Eclipsim anno Mundi

di 363. refert ad æstatem, sed non bene. Ne autem dubites de quadriennali interuallo Olympiadum, idem Thucydides l. 5. affirmat ineunte anno duodecimo belli Peloponnesiaci, Athenienses conclusisse fœdus annorum centum, cum Argiuis, Eleis, & Mantineis, & conuenisse, vt formula fœderis Æneæ columnæ incideretur, verba eius sunt: *Statuant etiam Olympiæ columnam Aeneam communi sumptu, in ludis Olympicis, qui nunc fient*: mox subdit. *Hac autem æstate Olympia facta sunt in quibus Androsthenes Arcas tum primum Pancratio vicit, Archonte Athenis Euclide.* Quæ Olympias fuit 90. anno autem 1. huius belli cœperat Olympias 87. ergo anni 12. tres Olympiadas, & anni 4. vnã Olympiadem Thucydidis testimonio efficiunt.

4 Thucydides lib. 7. narrat Anno 19. belli Peloponnesiaci euenisse Lunæ illam Eclipsim, qua Nicias perterritus se, & exercitum perdidit, dum superstitiosè timuit recedere à Sicilia: referunt eandem Polybius, & Plutarchus in Nicia, & Diodorus Siculus lib. 13. addens euenisse Olympiadis XCI. anno quarto ineunte. Hanc autem Astronomicæ Tabulæ exhibent Anno 413. ante Epocham Christi, die 27. Augusti in forma Iuliana, & quidem digitorum 13. hora Syracusis 10 ½. post meridiem. Adde Annis 413. Olympiadicos annos 363. qui completi fuerunt ante annum 4. Olympiadis 91. & consurgit pro initio Olympiadum Annus 776. ante Epocham Christi. Male Apianus in Astronomico Cæsareo refert hanc Eclipsim ad annum 414. die 8. Septembris.

5 Xenophon lib. 1. Hellenicorum commemorata Olympiade 93. mox lib. 2. sequenti Olympiade, nempe 94. ineunte affirmat desijsse bellum Peloponnesiacum, captis à Lysandro Athenis, idque fuisse non multo ante Eclipsim Solis. Iam verò Astronomici canones dant Eclipsim Solis Anno ante Epocham Christi 404. Septemb. die 3. & Athenis hora 2 ¾. ante merid. digitorum propemodum 9. erant igitur cõpleti Olympiadici anni 372. qui additi anno 404. efficiunt pro initio Olympiadum Annum 776. ante Ep. Christi.

6 Diodorus Siculus l. 17. ad Annũ 2. Olympiadis CXII. refert victoriã Alexandri Magni de Dario in Campo Gaugamelæ non procul ab Arbelis, hunc autem Plutarchus in Alexandro refert die 11. post Lunæ Eclipsim, quàm defecisse ait Boedromione mense circa festum Mysteriorum Q. Curtius l. 4. addit defecisse *prima ferè vigilia noctis*, & Plinius l. 2. c. 70. *Nobili apud Arbela Magni Alexandri victoria, Luna defecisse noctis secunda hora prodita est: eademq; in Sicilia exoriens.* Atqui circa illa tempora talis Eclipsis, tali mense, hora, & loco non potuit saluis Astronomiæ canonibus alio anno contingere, quàm 331. ante Epocham Christi; illo enim anno die 20. Septembris feria 2. sequente 3. fuit Eclipsis Lunæ digitorum 14 ½. hora post meridiem Arbelis 10 ½. sed initium Eclipsis hora ibi 8 ½. Syracusis autem hora fere 6. post meridiem. Cum ergo initus esset Annus Olympiadicus 446. sed completus 445. si hunc addas annis 331. resultat pro initio Olympiadum Annus ante Ep. Christi 776.

7 Tandem Censorinus libro de die Natali cap. mihi 8. designans annum, quo scripsit, aut dicauit aureolum illum libellum Q. Cærellio, illumq; illustrans septem celeberrimis Epochis. *Hic annus cuius velut index, & titulus quidam est Vlpij, & Pontiani Consulatus, ab Olympiade prima M. est, & XIV. ex diebus duntaxat æstiuus, quibus Agon Olympicus celebratur. A Roma autem condita CMXCI. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur. Eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est CCXXCIII. sed ex die Kal. Ianuarij vnde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium*: & post pauca; hunc eundem annum affirmat esse *Nabonagarij CMXXCVI. & ab Alexandri excessu DLXII. horumq; initia à die prima mensis θῶθ, qui hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Iul.* Nos autem ex Eclipsi Lunæ anno vltimo Augusti Imperatoris, & Solis sub Claudio Imp. alijsq; certissimis characteribus l. 4. c. 3. ostendemus hunc annum fuisse Epochæ vlitatæ Christi CCXXXVIII. Quod etiam ex Eclipsibus à Ptolemæo notatis, & certis annis Nabonasari consignatis confirmabitur lib. 5. Ergo si Anno Ep. Christi 238. ab huius æstate incœpit Olympiadicus Annus Millesimus decimus quartus, vtiq; Anno primo Epochæ Christi incœpit ab æstate ipsius, Olympiadicus 777. ideſt Olympiadis 195. annus primus, & completi erant antea 776. Olympiadici Anni; quare ab æstiuo initio primæ Olympiadis, vsque ad æstiuum initium Olympiadis intra annum primum Epochę Christi factum sunt anni 776.

Corollaria tria.

8 Ex dictis *Primò* colligitur rectè, ac scitè initiũ Olympiadum Iphiti constitutum fuisse circa æstiuum Solstitium Anni DCCLXXVI. ante vsitatam Epochã Christi à maiori parte Chronologorum, & in hoc meliori præsertimq; à Scaligero Kristmanno, Vbbone, Origano, Henrico Philippi, Saliano, Tirino, Langio locis initio capitis adductis, & à Petauio, qui pro hac sententia producit Mullerum, Temporarium, Caluisium; Nec abhorret Onuphrius dicendo primam Olympiadem actam anno CDIX. post Troiæ excidium, si vtrumq; terminum includat. *Secundò* colligitur erasse illos, qui primam Olympiadem statuerunt Anno 775. ante Epocham Christi, cuiusmodi fuere Io. Lucidus lib. de emendatione temporum in Tabulis Annalibus, Copernicus lib. 3. Reuolutionum CXI. Reinholdus in Prutenicis, Lansbergius in suis Tabulis pag. 3. Gerardus Mercator in sua Chronologia, & Franciscus Leuera in Prodromo Astronomiæ restitutæ l. 1. c. 10. vbi inconsulto pro se adducit Scaligerum, & Salianum, quia non aduertit Annum 775. ante Christum esse apud Salianum annum 776. ante vulgarem Epocham Christi, existimat enim Salianus tomo 6. Christũ reuera natum esse vno integro anno, & diebus 8. ante Kal. Ianuarij Epochæ vsitatæ Christianorum. Scaliger autem expresse collocat initium Olympiadum Anno Periodi Iulianæ 3938. videlicet ante Dionysianam Aeram 776. De Socrate vero historico Ecclesiastico, qui valde inconstanter Olympiadas recenset, non est curandum in S. Cyrillo lib. 1. contra Iulianum, vbi Olympiadem primam Troiano excidio posteriorem facit annis 405. putamus legendum pro πέντε ὄγδω, vt sint anni 408. Postremò monuerim in Rationario Petauij p. 2. l. 3. c. 1. errore calami scriptum esse annum 777. pro 776. emendandum ex Iulianæ Periodi anno 3938. quem ibidem adnotat.

Tertiò denique colligitur licet tres Olympiades, nempe *Octaua, Trigesima quarta, & Centesima quarta*, vocatæ sint ab Elidensibus, ἀγωλυμπιάδες, quasi irritæ Olympiades, eo quod priores duas Pisæi, tertiamq; Arcades per vim vsurpassent sibi, vt tradunt Pausanias in Eliacis, & Diodorus Siculus, nec nomina victorum in suos fastos recipere voluerint, reliquas tamen Olympiades ita ab ipsis, & Historicis numeratas esse, perinde, ac si etiam illæ relatæ essent in Catalogum; alioquin non cohærerent anni illi inter se, de quibus supra à num. 2. ad 7. qui tamen ex Eclipsibus necessario cohærent, seruantq; ordinem Olympiadum perinde, ac nunquam post Iphitum intermissum. Proinde frustra, & falso Io. Heruartus cap. 92. & 93. affirmauit in Elide Olympiadas annis 12. serius prodire, omissasq; à Chronologis, & exempli gratia Alexandri Magni obitum, qui notari solet Olypiadis 114. anno primo, seu ante Christum 324. notari debuisse anno primo Olympiadis 117. & ante Christum 312. sed illius inania argumenta egregiè confutauit noster Petauius l. 9. c. 45.

Secunda pars Conclusionis de Nouilunio Solstitij Aestiui.

9 QVamuis ex Polybio Langius l. 1. de Annis Christi cap. 13. colligat Achæos, & Elidenses inchoare solitos annum à Nouilunio propiore Æquinoctio verno, Græci autem in Syria iniuerint annum à Neomenia Aequinoctij autumnalis, ideoq; Eusebius his assuetus Olympiadicos annos computarit ab Autumno, & Io. Lucidus lib. de vero die Passionis Christi cap. 7 ausus sit dicere ex Glaucippi auctoritate, *Annos Olympiadicos apud Græcos incipere ab æquinoctio autumnali, & agone gymnico in fine æstatis peracto incipiente mox autumno principium eis fuisse anni simul, & Olympiadum.* Certum tamen est illum errare, & Græcos in Europa communiter cum Athenensibus indidem Olympiadas exordiri solitos fuisse, vnde & nouum annum, nempe à Neomenia æstiuo Solstitio proxima ordinariè; De æstiuo tempore patet: Nam Thucydides

des l. 2. & 5. adductus supra num. 2. & 3. disertè scribit ludos Olympicos æstate celebratos; & Liuius lib. 27. ait: *simul quod Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebrabatur.* Censorinus quoq; de die Natali cap. 8. Olympiades computat: *ex diebus dumtaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebrabatur.* Et Plutarchus in Alexandro, necnon Iustinus narrat Philippum eodem tempore Hecatombæonis accepisse nuncium de victoria Olympica, de ortu filij sui Alexandri, & de Illyricis à Parmenione deuictis, certum est autem ex dictis l. 1. cap. 19. Græcos in Attica, & vicinis regionibus iniuisse Neomeniam primi mensis Hecatombæonis à propiore Solstitio æstiuo. Proinde Seneca in Hercule furente cecinit.

Qualis Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cum Sacrum reuocauit æstas
claudere lustrum.

Et Statius describens domum temperatam ita, vt nec frigora, nec æstiuos calores timeret dixit:

Domus improba frangit
Frigora, Pisæumq; Domus non æstuat annum.

Nempe anni tempestatem, qua prope Pisam fiebat Agon Olympicus. Nec mensem solum, sed etiam diem certaminum tradit Scholiastes antiquus Pindari Ode 3. vbi Pindarus dixerat de vltimo die certaminis Olympici: *Plena Luna totum aureo curru vecta vespere oculum illustrauit*: quod explicans Scholiastes ait: *Luna Plena, ac toto lumine circa vesperam, & noctem refulgens tempus exhibuit iudicij certaminis, decimasexta namq; die Lunæ Agon Olympicus terminatur*: & iterum postea: *Quippe plenilunio certamen Olympicum celebrabatur, & decima sexta Luna censura, siue iudicium instituitur*: vbi sicut, & Pausanias docet per dies 5. incipiendo à die 11. solitos esse Athletas exerceri diuersis certaminibus, donec die 15. Gymnicum certamen cursus in stadio celebraretur. Omnes denique quos attulimus l. 1. c. 19. pro initio Anni Græcorũ in Europa, à Neomenia Solstitij æstiui, huc spectant, nec obstat, immò fauet Cicero dum ex Epiro ad Atticum scribens circa IV. nonas Iunij, quærit vt quam primum se certiorem faciat, quo die Olympiaci ludi futuri erant, vt posset ipsis interesse, sciebat enim, non multo post futuros, sed propter intercalarium mensem dubitabat de Græcorum determinatione. Græcis tamen satis compertum erat; nam vt indicat Scholiastes Pindari in Olympicis, alternatim fiebat certamen Olympicum post 49. & post 50. menses. Inuento itaq; die Neomeniæ Hecatombæonis iuxta methodũ traditam lib. 1. c. 19. si ab eo die numeretur dies 15. habebitur dies vltimus Agonis Olympici, & die sequenti iudicium de victoribus factum. Anno autem ante Christum 776. iuxta nostros Canones l. 1. c. 30. traditos Solstitium fuit die circiter 28. Iunij, & Nouilunium propius die circiter 8. Iulij, ideoq; tunc initium Olympiadis primæ, & Plenilunio sequenti die 22. Iulij finis Agonis, aut circiter.

Tertia pars Conclusionis de Quadriennio constituente Olympicam periodum.

10 OLympiadem quàmlibet quatuor tantummodo annos integros continere, vel ex eo constat, quod Phlegon egregius, vt ait Eusebius Olympiadum supputator, Polybius, Pausanias, Dionysius Halicarnasseus, Diodorus Siculus, Chronicon Alexandrinum, seu Fasti Siculi, Eusebius eiusq; continuator S. Hieronymus, quarto quoq; anno elapso, & quinto incipiente mutant numerum Olympiadum, & post quaterna Consulum paria, nouam Olympiadem consignant, idemque præstant alij Fastorum Consularium, & Chronologiæ constructores quotquot Olympiades adhibent, quorum prolixum Catalogum texere superuacaneum censeo. Scholiastes Pindari in Olympicis expresse ait. *Fit verò certamen nonnunquam post mensem quadragesimum nonum, nonnunquam post quinquagesimum*, habita scilicet ratione intercalarium mensium quibus Lunaris annus Græcorum cum Solis cursu conciliabatur, intra quatuor enim annos vnus mensis, at intra octo annos duo menses intercalabantur, atque ideo si à prima Olympiade ad secundam fluxissent menses Lunares 49. à secunda ad tertiam expectabatur finis mensium 50. & sic alternatim: Nusquam verò inuenias intercessisse menses 60. nedum 63. quot requireretur ad quinque annos efficiendos. Solinus c. 2. *Ita sex medijs Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni imputantur, cum septima cœptante Roma condita est*: & paulo post: *Quater ergo multiplicatis sex, & ducentis Olympiadibus, erunt anni Octingenti xxiv.* Sic Iulius Africanus lib. 3. Annalium: *Post Olympiadas verò, quoniam quadriennio omnia diligentissimè renouabantur, nulla est temporum confusio.* Et Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Annos viginti quatuor, quibus sex fiunt Olympiades.* Isaacius Argyrus in Comment. super Lycophrone: *Quinquagesimo quoque mense celebratur Agon Olympicus*, idest alternatim modò ineunte, modò completo, Censorinus quoq; c. 8. de die Natali cum dixisset veteres in Græcia instituisse periodum annorum duorum mensibus Lunaribus 25. constantem, eamq; appellasse Trieterida, *quòd tertio quoque anno intercalabatur, quamuis biennij circuitus, & reuera διετηρὶς esset*, subiungit: *Postea cognito errore hoc tempus duplicarunt, & τετραετηρίδα fecerunt, sed & eam, quod quintoquoq; anno redibat, nominabant πεντετηρίδα, qui annus Magnus ex quadriennio commodior visus est. Solis annum constare ex diebus CCCLXV. & diei parte circiter quarta, quæ vnum in quadriennium diem conficeret. Quare Agon, & in Elide Ioui Olympico, & Romæ Capitolino, quinto quoque anno redeunte celebratur.* Denique Isidorus lib. 5. Ethymolog. *Olympiadem vocauit, quadriennio in vna Olympiade supputato*, & Suidas in Vocabulario, *Olympias certamen, quod quarto quoque anno celebrabatur.*

11 Quoniam verò quinto quoq; anno redeunte, sed ineunte celebrabatur Ludicrum Olympicum, idcirco, & à Græcis πεντετηρὶς, & à Latinis quinquennalis periodus appellata est Olympias, immò eadem cum Lustro Romano comparata propter analogiam quamdam, quòd quintoquoq; anno vtrumq; celebraretur, esto Olympicum quinto ineunte, lustrum vero exeunte, & completo. Hinc illud Ouidij de Ponto ad Brutum.

In Scythia nobis quinquennis Olypias acta est,
Iam tempus lustri transit in alterius.

Et Cicero 1. Tusculanarum: *Cùm Olympiam venisset, in maxima illa quinquennali celebritate ludorum.* Immò & Pausanias: *De Hercule igitur ideo perhibetur primum hunc certaminis authorem fuisse, & Olympiorum nomen indidisse, quæ quidem quinto quoque anno celebrari iussit, quod eundem cum fratribus numerum expleret.* Seneca quoq; in Hercule furente iam supra adductus.

Qualis Eleum coit ad Tonantem
Quinta cum sacrum reuocauit æstas
Claudere Lustrum.

Vbi Lactantius Cœlius Grammaticus malè interpretatus est sic: *Quinto finito anno Agon Olympicus fiebat*, debuit enim dicere *quarto finito*, aut *quinto inito.* Ausonius pariter Epigr. 111, de suis Fastis canit.

Mille annos centumq; & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen ad vsq; leges.
Fors erit vt lustrum cum se cumulauerit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem.

Quibus verbis nihil aliud significare voluit, quam fore fortasse vt confectis annis quatuor, Proculus designetur Consul, & quinto anno à Consulatu ipsius Ausonij exclusiuè computato, nempe Anno Christi 384. idem Consulatum ineat à kalendis Ianuarij, fuit enim Ausonius cum Olybrio Consul Anno 379. Christi. Ex hoc tamen loco, & ex Ouidiano iam adducto Scaliger l. 5. de Emend. temporum pag. 383. inquit. *Cum iam desitum esset ludicrum Olympicum, Lustrum Iulianum cœptum dici Olympiadem*, quod confirmare nititur aliquibus locis Socratis in historia Ecclesiastica, esto fateatur, eum varium, & inconstantem esse, ac falli, quo ex capite in primis Scaligerum reprehendit Petauius lib. 9. de Doctr. temp. c. 40. contendens nunquam Iulianum quadriennium pro Olympiade sumptum, idest nunquam in numerandis Olympiadibus habitam fuisse rationem Lustri Romani, aut Lustrum Romanum euasisse annorum quatuor, & sic substitutum fuisse pro Olympiadibus, nullus enim antiquorum ita locutus, aut sic vsurpasse reperitur. Esto ob iam indicatam analogiam Poetæ licentius, nomina hæc pro eodem vsurparint. Lustrum porrò Romanorum reipsa quinq; solidos annos plerumq; comprehendisse, aliquando tamen 7. & 10. in confesso est apud eruditos, colligiturq; ex Liuio potissimum.

Qui-

Quarta pars Conclusionis de Annis Lunisolaribus duodecimestribus, aut Emboliſmicis.

12 PArs hæc ſatis probata manet ex iam dictis l. 1. c. 19. de Anno Græcorum, & quæ occaſione Olympiadum conficta ſunt à Scaligero, ſatiſq; confutata à Petauio lib. 9. c. 39. non eſt operæ pretium huc inſerere. Tantum addo inaniter ingenioſo commento Heruartum cap. 29. ſuæ nouæ Chronologiæ auſum dicere: *Ingenioſorum doctiſſimorumq; virorum ingenia etiamnum exercet quæſtio cumprimis ardua: & ſi quidem ea, quæ Chronologi hactenus tradidere, ſequamur, indiſſolubilis. Quanam de cauſa, Olympiadis ſpacium, quod non niſi quatuor Iulianos complectitur annos, à tot tamq; grauibus Græcis latiniſue auctoribus πενταετηρὶς, ſeu quinquennium nuncupetur? immo quinque annorum eſſe tradatur? Nos noua, vera tamen certaq; ratione id factum eſſe dicimus; habita ad annos decimeſtres conſideratione: ita vt Olympias reuera quadriennium Iulianum, & ἐν πλάτει quinquennium decimeſtre comprehendat.* At quæſtionem hanc nobis facile diſſoluerat Cenſorinus num. 10. adductus, nempe ſic dictam, *quod quinto quoq; anno redibat.* Quorſum ergo hic ex cuſice elephantem? Deinde ſi anni Olympiadum decumeſtres erant, ergo ex Catalogo duodecim menſium Græcorum; duo expungendi eſſent, quod eſt rediculum, eſto enim alicubi, ſed non diu annus fuerit decumeſtris, id tamẽ ineptè trahetur ad annos Olympiadicos nihilo ſecius ac ſi quis diceret, ideo diem 24. Februarij dici Romano more ſextum kalendas Martias, etiam ſi à die 24. Februarij communis excluſiuè vſque ad Kalendas Martij incluſiuè non ſint niſi dies quinque, quia alicubi, aut aliquando dies 20. horarum fuerint, horæ autem 120. efficiunt dies 6. ſingulos horis 20. conſtantes; cum vera ratio ſit, quia Romani computabant vtrumq; terminum, vt & illi qui Olympiadem Quinquennalem appellauerunt.

Quinta pars Conclusionis de Olympiadum deſuetudine.

13 ALiud eſt Olympiadum numeratio, & vſus in deſignandis annis, aliud Olympicorum ludorum celebritas. Quoad primum aliqui Chronologi annos per Olympiades quoq; digeſſerunt per multa ſecula poſt Chriſtum, & Petauius in Chronico ſuo vſq; ad Annum Chriſti 533. & Olympiadem 328. & Hieronymus Bardius ad annum 361. & Olympiadem 285. Glareanus autem Haloandrum in Conſulibus adiungens, vſque ad annum Chriſti 537. & Olympiadis 328. annum 3. & ſic de nonnullis alijs imò poſſunt continuari in infinitũ, & hic ipſe Annus Chriſti 1664. quo hæc ſcribimus poteſt dici Olympiadicus 2440. ex diebus ætiuis ſeu primus Olympiadis 610. Quoad finem vero Ludicri Olympici Onuphrius Panuuinus l. 1. com. in Faſtos p. 147. affirmat illud, ſicut multa alia, Idolorum cultu, & ſuperſtitione referta vetitum celebrari à Conſtantino Magno circa Olympiadem CCLXXVII. & Annum Chriſti CCCXXX, & in locum Olympiadum ſucceſſiſſe Indictiones, quam coniecturam libentius amplecteremur, ſi eam aliqua idonea auctoritate Scriptoris illorum temporum muniuiſſet. At noſter Iacobus Tirinus in Chronico Sacro c. 31. aſſerit Olympicum Agonem Sublatum eſse à Theodoſio II. eo tamen adhuc imperante reperio apud Baronium ex Palladio Anno Chriſti 404. celebratum eſse Olympicum certamen Antiochiæ, ſed de horum certaminum abolitione nihil hactenus certi reperire potui.

CAPVT III.

De alijs Græcorum Annis inſignioribus, partim ante, partim poſt initium Olympiadum vſq; ad Alexandrum Magnum, cum Epocha Chriſti connectendis.

CONCLVSIO III.

Inter reliquos Græcorum inſigniores annos, vſque vd Alexandrum Magnum, notabiles ſunt, & eo ordine temporum conſignandi, qui & quo in infraſcripta Synopſi recenſentur.

An. ante Epoch. CHRIS.	Initia Vitæ, aut Rerum geſtarum.
1026	*Homerus* naſcitur, moriturus Anno 912. annorum 114.
774	*Heſiodus* moritur annis 138. poſt Homerum.
884	*Lycurgus*, vt Charilai tutor, Regnum Lacedæmonior. adminiſtrat.
686	*Archontes* annui Athenis incipiunt, cum antea decennales eſsent.
658	*Cypſelus* Tyrannidem Corinthi inuadit, moriturus anno 628.
640	*Thales* Mileſius naſcitur, moriturus anno 548. annor. 90.
638	*Solon* naſcitur, & anno 594. dat leges Athenienſibus moriturus anno 559. annor. 80.
628	*Periander* ſuccedit Cypſelo, moriturus anno 584. annor. 80.
612	*Pythagoras* Samius floret, & anno 532. venit in Italiam.
500	*Anaxagoras* Clazomenius naſcitur, moriturus anno 428. quo & Pericles obijt.
490	*Marathonia* victoria Græcorum duce Miltiade contra Perſas.
480	*Xerſis* trãſitus ex Aſia in Europam vere ineunte, eiuſque aduentus in Atticam Olympicorum tempore.
480	*Salaminia* victoria Græcorum de Perſis, duce Themiſtocle die 23. Septemb. Xerſis fuga in Aſiam die 8. Nouembris.
472	*Democritus* Abderites naſcitur, moriturus poſt annos centum, & vltra.
471	*Socrates* naſcitur, moriturus anno 400. ann. 71.
460	*Hippocrates* Cous Medicus naſcitur, moriturus poſt annum 375. & ante 350.
458	*Lyſias* Orator naſcitur.
444	*Empedocles* floret.
432	*Meton* cum *Euctemone* obſeruat Solſtitium æſtiuum, & Cyclum decemnoualem edit.
431	*Bellum Peloponneſiacum* incipit verno tempore; duraturum annos 27 $\frac{1}{2}$. vſq; ad autumnum anni 404.
428	*Plato* naſcitur Aprili, moriturus anno 348. annor. 81.
384	*Ariſtoteles* naſcitur, moriturus anno 322. annor. 63.
381	*Demoſthenes* naſcitur, moriturus & ipſe anno 322. annorum 60.
371	*Leuctrica* victoria Epaminondæ Thebani, de Cleõbroto Lacędemonior. duce, initio eſtat.
341	*Epicurus* naſcitur Ianuario ineunte, moriturus anno 269. annor. 72.

1 HOmeri ortum Herodotus in libello de vita Homeri affirmat fuiſse Smyrnæ Anno CLXVIII. poſt bellum Troiæ, cuius ſententiam præferunt alijs Salianus ad Mundi Annum 3039. &

Petauius lib. 9. de Doctr. tempor. c. 30. sed Salianus annos illos 168. numerat ab excidio Troiæ, quod iam notarat Anno 1184. ante Epocham Christi, ideoq; ortum Homeri cõsignat Anno 1016. ante Christum; quod sanè mirum est, cum Salianus adducat ipsa Herodoti verba numerantis ab expeditione Græcorum in Ilium, quare hic de Homero nõ secus, ac Homerus quandoq; dormitauit bonus Salianus; rectius Petauius numerauit eos ab expeditione illa, quæ decennio prior fuit excidio; sic enim Herodotus: *Cæterum ætatem Homeri, si quis diligenter rectèq; ratiocinetur; ex his facilè deprehendet. Nempe ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon, & Menelaus in Ilium susceperunt annis centum post atque triginta Lesbus appidatim habitari cœpit, cum antea nullam prorsus haberet ciuitatem. Post annos viginti Cuma Aeolica habitata est. Deinde à Cuma annis duodeuiginti in Smyrnam Cumani colonias deduxerunt, quo tempore natus est Homerus.* Hinc concludit Homerum natum. *Annis centum, & sexaginta octo post Troianũ bellum.* Petauius ergo licet loco adducto semel *ab expeditione*, & deinde lapsu calami *à Troia capta* eosdem annos numeret, reipsa tamen in Chronico ab expeditione eos computat, & notat anno ante Epocham Christi 1026. quia Troiæ excidium, sicut & nos, ponit anno 1184. ante Ep. Christi, his enim subducendo 168. restat annus 1016. sed addendo decem annos ab excidio ad initium belli, fiunt 1026. Non longè, abit Gellius l. 17. c. 21. dicens: *Annis post bellum Troianum, vt Cassius in primo Annalium de Homero, atq; Hesiodo scriptum reliquit plus centum, atq; sexaginta.* Alias opiniones de Homeri ætate indicant Gellius supra, Clemens Alex. 1. Strom. & Eusebius sub annum 8. Samuelis; quas non expedit referre, quia nulla supputatione fulciuntur, qualis est ea qua Herodotus vtitur, vt merito eam Salianus, Petauius, Gordonus in Chronico alijq; anteferunt. Quoad mortem Solinus cap. 42. *Smyrna, vnde præcipuè nitet Homero vati patria extitit, qui post Ilion captum Anno CCLXXII. humanis rebus excessit, Agrippa Syluio Tyberini filio Albæ regnante anno ante Vrbem conditam CLX* Quod ipsum voluit dicere Cornelius Nepos apud Gellium supra, cum scripsit *Homerum fuisse ante Romam conditam annis circiter sexaginta.* Deme iam annis 1184. Troiani excidij annos 272. cadit mors Homeri in Annum ante Christũ 912. adde item annis 752. vel 753. Vrbis conditæ, quibus natus est Christus, annos 160. & habebis annos eosdem 912. quare his admissis Homerus mortuus est annorum 114. Addit Herodotus eum mortuum fuisse inuente vere in littore Insulæ Ios, quæ est vna Cycladum, cui consentiunt Strabo lib. 10. Plutarchus in Sertorio, Pausanias in Bœoticis, & Solinus c. 17. & Pausanias adiungit oraculum de eius longæuitate.

2 De *Hesiodo* Gellius nimis laxè l. 17. c. 21. ex Annalib. Cassiij. *De Homero, & Hesiodo inter omnes ferè Scriptores constitit, ætatem eos egisse, vel ijsdem ferè temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem, vtrumque tamen ante Romam conditam vixisse.* Pressius Solinus cap. 42. statim post Homeri mortem subdit: *Inter quam, & Hesiodum Poetam, qui in auspicijs Olympiadis primæ obijt CXXXVIII. anni interfuerunt.* Qua ratione obijsset anno ante Christum 774. nempe anno 3. primæ Olympiadis, vt patet si numeres annos 138. post Homeri mortem, quam statuimus anno 912. ante Christum. At Suidas verbo Hesiodus inquit: *Fuit Hesiodus ex aliquorum sententia Homero antiquior: cui illũ æqualem alij faciunt. Porphyrius autem, & alij plurimi centum annis iuniorem fuisse definiunt, vt qui triginta duos tantum annos primam Olympiadem antecesserit*: Sed non exprimit vtrum loquatur de morte ipsius, sic enim addendo 30. annos annis 776. obijsset anno 806. ante Epocham Christi, esto Salianus ad Annum Mundi 3245 habeat annos 808. qui ipsi sun 809. ante Epocham Christi, vbi multa eruditè congerit de nece Hesiodi, & sepultura. Petauius autem in Rationario tempor. parte prima l. 1. c. 12. sic concludit de Hesiodo: *Sed æqualem fuisse Homero, ex Arcturi ortu, quem Poeta ille describit, eruditi artis illius colligunt.* Citatq; in margine Longomontanum 2. Sphæricorum nempe cap. 4. probl. 2. Sed ibi Longomontanus fatetur tum ob refractionem Arcturi prope horizontem, tum ob incertitudinem fanem Arcturi prope horizontem, tum ob incertitudinem astorum, quibus Hesiodus vsus est in determinando eius ortu Heliaco haud ita certum esse tempus Hesiodi ex eo, quod cecinerit inter solstitium hybernum, & ortum vespertinum Heliacum Arcturi intercedere dies 60. Quod nos quoque iudicauimus lib. 6. Almagesti noui c. 19. Probl. 8. hoc examinantes. Itaq; concludo standum esse Solino, qui duplici Charactere obitum Hesiodi intra primam Olympiadem definiuit, cui & Mercator adhæsit.

3 *Lycurgus* Eunomi filius ex Proclidarum, qui Lacedæmone regnabant stirpe; mortuo Regi Polydecto fratre suo, qui vxorem filio grauidam reliquerat, tutelæ titulo regnum administrauit donec natum puerum Charilaum Regem declarauit: hanc tutelam Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. ex vetusto Chronologo affirmat fuisse annis 300. post Troiæ excidium, & 108. ante primam Olympiadem; vnde sequeretur hanc tutelam incidisse in Annum ante Epocham Christi 884. siue annis 1184. Troiæ captæ demas 300. siue annis 776. primæ Olympiadis addas 108. Quæ si vera sunt, diuersus est hic Lycurgus, quem Pausanias l. 5. eœuum Iphito facit, esto Plutarchus, in Lycurgo; pro eodem sumat, & ex aliorũ opinione narret adiuuisse Iphitum, aut etiam suasisse, vt Olympicum certamen instauraret. Sed soluitur nodus hic ex relatis ab Eusebio priore libro Chronicorum apud Scaligerum in Thesauro Temporum; refert enim ex Aristodemo Elensi, & Polybrio instauratum quidem certamen Olympicum ab Iphito, sed Olympionicarum nomina nõ cœpta describi nisi Olympiade 27. idest anno 108. post Iphitum, quando Corœbus Elensis victor fuit in stadio, & ab hac Olympiade Græcos cœpisse tempora numerare; quę cohærent cum Clemente Alexandrino, quatenus Lycurgi tutelam, & administrationem regni ponit annis 108. ante primam Olympiadem, quare eodem anno vnà cum Iphito, vtpote ex Herculis stirpe ambo, instaurarũt agonem Olympicum, aliàs ab Hercule institutum, nec est necesse duos Lycurgos agnoscere, aut Pausaniam, & Plutarchum erroris insimulare vt facit Capellus in Chron. ad annum Mundi 3116.

4 Cap. 1. nu. 12. docuimus *Archontes* decennale Athenis desijse anno 686. ante Epocham Christi, & inde cœpisse Archontes annuos, quorum primum Eusebius nominat Creontem. Ab hinc autem annis 46. natus est Thales Milesius; natus est enim *Olympiadis tricesimæ quintæ anno primo*, vt ex Apollodoro in Chronicis refert Laertius in vita Thaletis, & S. Cyrillus l. 1. in Iulianum; natus ergo est ex dictis c. 2. de initio Olympiadum anno 640. ante Epocham Christi: addit Laertius *mortuum ætatis anno septuagesimo, siue vt Soscrates ait nonagesimo: quinquagesima quippe, & octaua Olympiade esse defunctum.* Quare iuxta Soscratem mortuus est anno ante Christũ 548. licet Eusebius in Chronico Græco ponat vixisse supra centum annos. Ergo Eclipsis Solis à Thalete prędicta *Olympiadis XLVIII. anno quarto, Vrbis conditæ CLXX.* vt refert Plinius lib. 2. cap. 12. accidit anno ante Christum 583. quando Thales erat annorum 57. Sed ante hanc Eclipsim mortemque Thalet s accidit Tyrannis Cypseli, qui fuit pater Periandri, Periander autem, vt narrat Laertius in eius vita, *excessit è vita annos natus fermè octoginta*, additq; *Soscrates eum ante Croesum diem obijsse ait LX. & vno annis; ante quadragesimam nonam Olympiadem*: & in fine: *exercuitq; tyrannidem annos quadraginta*, vel 44. vt habet Aristoteles lib. 5 Politicor. cap. 12. Olympias 49. ex dictis c. 2. incœpit anno 584. ante Epochã Christi, adde his annos 44. tyrannidis, fit annus 628 ante Christum, quo Periander successit in tyrannide patri Cypselo; Cypselus autem regnauit annos fere 30. vt scribit Herodotus lib. 5 & Pausanias lib 1. Eliacorum, qui additi annis 628. dant annum 658. pro initio tyrannidis Cypseli, vt rectè habet Petauius in Chronico, & lib 9. c. 31. corrigendi ergo qui ex Eusebio colligunt Cypselum Pritanis oppressis, occupasse tyrannidem Corinthi anno 1. Olympiadis 30. idest ante Epocham Christi anno 660. vt colligit Sigonius in temporibus Athenienſium, & ex eo Salianus ad Mundi annum 3394.

5 *Solon Salaminius*, vt scribit in ipsius vita Laertius: *Floruit maximè circa quadragesimam sextam Olympiadem, cuius tertio anno Archon Athenienſium fuit, vt ait Soscrates, quo etiam tempore leges eis dixit: obijt autem in Cypro, ætatis suæ anno octogesimo*: de anno legum à Solone datarũ Athenienſibus consentiunt Clemens Alexandrinus l. 1. Eusebius in Chronico, & S. Cyrillus lib. 1. in Iulianum. Plutarchus autem in Solone eum obijsse anno 2. Olympiadis 55. videlicet ante Epocham Christi 559. aut 558. quare additis 800.

ætatis,

ætatis, natus fuerit anno 638. leges autem tulerit anno 594. qui erat Tarquinij Priſci 22. non 33. vt malè ſcripſit Gellius lib. 17. c. 21. Idem Plutarchus in Solone docet Solonem obijſſe Hegeſtrato Archonte Athenis, & anno vno poſt tyrannidem vſurpatam à Piſiſtrato, ergo Piſiſtratus tyrannidem inijt anno primo Olympiadis 55. ideſt ante Chriſtum 560. Ariſtoteles autem l. 5. Polit. c. 12. computat annos 33. ab exordio tyrannidis huius ad mortem Piſiſtrati, ergo mortuus eſt Piſiſtratus anno 527. ante Chriſtum. Quædam alia circa Piſiſtratum minus hic neceſſaria diſputat Petauius in Paralipomenis tomi 2. pag. 856.

6 *Pythagoræ* tempus deſignat Laertius in ipſius vita: *Pythagoras iuxta Heraclidem octogeſimo ætatis anno moritur, iuxta plurimos autem nonageſimo, deinde floruit Olympiade* 60. nempe anno ante Chriſti Epoch. 540. Iamblichus refert in eius vita veniſſe in Italiam circa Olympiadem 62. ideſt annum 532. ante Chriſtum. Sed Plinius lib. 2. c. 8. loquens de Stellæ Veneris ambitu circa Solem, ideoq; modò veſpertinæ modò matutinæ ſubdit. *Quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter quadrageſima ſecunda, qui fuit Vrbis Romæ annus centeſimus quadrageſimus ſecundus*, nempe annus ante Chriſtum 612. Alius eſt igitur, ac antiquior Philoſopho illo celeberrimo, quem ponit Euſebius, & cum ſecutus Petauius in Chronico, obijſſe anno 4. Olympiadis 70. nempe ante Chriſtum 497. vel obijſſe Olympiadis 71. anno 3. ideſt ante Chriſtum 494. vt cum Mariano Scoto ponit Salianus ad Annum Mundi 3560. nam ſi eſſet idem, vixiſſet annos plures quam 115. aut 119. anno enim 612. quando obſeruauit Venerem vtiq; adulta iam ætate erat, nec vixit vltra 90. annos. Floruit ergo etiam anno illo 612. & non tantum anno 540. Aduertendum eſt neutrum horum eſſe illum Pythagoram, cum quo locutus eſt Numa Pompilius; hic enim fuit alter Pythagoras, nempe Lacedæmonius, qui in ſtadio vicit Olympiade decima ſexta, cuius anno 3. Numa Rex factus eſt, vide licet ante Chriſtum anno 714. vt concorditer narrãt Dionyſius Halicarnaſeus, & Plutarchus in Numa, addens hinc natum errorẽ exiſtimantium Numam fuiſſe Pythagoreum, cum tamen M. Tullius, & T. Liuius Pythagoram Numa poſteriorem agnoſcant ætatibus circiter quinque, vt ibi refert Plutarchus. Iam ſi anni 100. faciunt ætates 3. ergo anni 167. ætates 5. At ſi venit in Italiam Pythagoras Samius anno ante Chriſtum 532. poſterior fuit initio Regni Numæ annis 182. Suidas tres Pythagoras memorat, ſed tempora tacet.

7 *Marathonia* pugna Græcorum duce Miltiade cum Perſis eorum duce Dario celeberrima eſt, vtpote in qua Græci nouem mille, vt ait Pauſanias l. 4. vel decem mille, vt habet Iuſtinus l. 2. & Paulus Oroſius, deſideratis, tantum 192. ceciderunt Perſarum trecenta millia in Campis Marathonis, vt ait idem Pauſanias, & occiderunt ſex mille, & quadringentos, eſto Iuſtinus dicat fuiſſe in eo exercitu Perſarum ſexcenta millia. Sed de anno non minus diſſidium. Nam *Scaliger* lib. 5. de emend. tempor. pag. 406. affirmat cladem hanc Perſarum contigiſſe anno 2. Olympiadis 72. hoc eſt ante Chriſtum 491. tum quia Euſebius eundem annum Olympiadicum ponit, tum quia Herodotus ait Darium obijſſe anno 62. à Marathonia pugna obijt autem anno 262. Nabonaſſari, qui annus totus penè concurrit cum anno ante Chriſtum 486. *Salianus* autem ad Mundi annum 362. Marathoniam pugnam conſignat Olympiadis LXXII. anno primo, & ante Chriſtum 491. ſed ante Epocham Chriſti vſitatam 492. & eundem annum Olympiadum tribuit Euſebio, idque confirmat ex Dionyſio Halicarnaſ. qui lib. 5. narrat Marathoniam pugnam annis XVI. poſteriorem fuiſſe Iunij Bruti funere, quem obijſſe ſupponit anno Vrbis conditæ 245. denique pro hac ſua opinione adducit Pontacum in notis ad Euſebium, Authorem Olympionicarum ad Olympiadem 72. Torniellum in 6. ætate Mundi, & Gordonum in Chronicis. Sed *Petauius* l. 10. de Doctrina temporum c. 22. & part. 2. Rationarij lib. 3. c. 11. contendit Marathoniam pugnam incidiſſe in Olympiadis LXXII. annum 3. qui annus incœpit anno ante Epocham Chriſti 490. ab æſtate, cui ſententiæ nos quoq; ſubſcribimus, quia Thucydides, qui ſcripſit res has ſuo tempore geſtas, & in ſua regione lib. 1. affirmat Marathonium prælium accidiſſe δεκάτῳ ἔτει decimo anno ante Salaminiam pugnam, idemq; affirmat Lyſias in Epitaphio Corinthiacorum auxiliarium, & Vbbo Emmius l. 2. rerum Chronol. pag. 49. extra controuerſiam autem eſt Salaminiam pugnam accidiſſe anno 1. Olympiadis 75. atque adeo anno ante Epoch. Chriſti 480. accedit Plutarchus in Ariſtide, qui hanc pugnam ait accidiſſe *Phænippo Athenis prætore*, hic autem ex Catalogo Archontum, fuit Prætor anno 3. Olymp. 72. deniq; Seuerus Sulpicius in hiſt. Sacra agens de Regib. Perſarum, qui vixere circa reædific. Templi, ait de Dario Hyſtaſpide. *Hic ante quadriennium, quam decederet, apud Marathonem pugnauit celeberrimo Græcis, Romaniſq; hiſtorijs prælio. Id geſtum poſt Romam conditam anno ferè ducenteſimo, & ſexageſimo Macerino, & Augurino Conſulibus, ab hinc annos (ſi tamen inueſtigatio Romanorum Conſulum non fefellit) DCCCLXXX. et VIII. omne enim tempus in Stiliconem Conſulem direxi*. Si Darius deceſſit anno 2. Olympiadis 73. ergo quadriennio ante pugna Marathonia incidit in 3. annum Olymp. 72. Errat tamen Sulpicius ponens illo anno Conſulem Macerinum cum Augurino, fuere enim anno 490. Conſules *Atratinus & Augurinus II.* Quando autem dicit à Conſulatu Stilichonis ad Marathoniam pugnam annos 888 neutrum terminum includit, nam vt habet Plutarchus in Camillo, Marathonia pugna accidit die ſexta Boedromionis inſtantis, nempe Septembri 29. anni 490. ante Chr. à quo ad initium Conſulatus Stilichonis, qui fuit anno 400. Epochæ Chriſti ſunt anni 489 completi, & menſes fere 4.

8 *Xerſis διάβασις*, ideſt tranſitus ex Aſia in Græciam, magna incõſtantia, & diſſidio à ſe ipſo diuerſos in annos conijcitur à Scaligero, vt oſtendit Petauius lib. 10. de doctr. tempor. cap. 23. ſed reuera tranſitus ille incidit in vernum tempus Anni ante vſitatam Chriſti Epocham 480. Olympiadis LXXIV. anno quarto exeunte, & inſtante Olympiade LXXV. *Calliade Athenis præfecto, Conſulibus; Fabio Vibulano iterum, & Sp. Furio.* Conſules ſuppeditat Dionyſius Halicarnaſ. lib. 9. Olympiadem inſtantem idem Dionyſius, & Diodorus Siculus lib. 11. Calliadis præfecturam vterque exprimit, & Herodotus qui cum dixiſſet lib. 7. *Xerſes nunciato ſibi prorſus alueo abſoluto, ſardibus vbi hybernauerat, ineunte vere cum exercitu inſtructo profectus eſt Abydum verſus, cui mouenti Sol ſuam in Cælo ſedem relinquens apparere deſijt, cum nullæ nubes, imò ſereniſſimus eſſet aer, & pro die nox extitit*: poſtea lib. 8. addit. *A traiectu Helleſponti ex quo iter ingredi cœpere Barbari, vnum menſem triuere tranſeundo in Europam, tres alios donec in Atticam peruenere, Calliade ſummum Athenis magiſtratum gerente*, ſed & lib. 7. dixerat. *Nam tempus Olympiadis in hæc negotia inciderat*, & lib. 8. poſt cladem ad Termopylas: *Quidam Arcades perfugæ, in conſpectum Regis adducti interrogatiq; quidnam Græci agerent reſponderunt, eos agere Olympia, & ſpectare certamen gymnicum, & equeſtre.* Verum obſcuratio illa Solis, quam indicat Herodotus, non fuit vera Eclipſis ex interpoſitu Lunæ, ſed Spuria ex globo vaporum extraordinario, ac portento; nam Anno illo quarto Olympiadis 74. exeunte vernoq; tempore Anni 480. ante Epocham Chriſti examinatis omnibus Nouilunijs menſium illorum nulla potuit Solis Eclipſis contingere in Aſia viciniſq; locis, ſaluis Aſtronomiæ canonibus; Illa verò Eclipſis Solis, quam anno præcedenti, ideſt 481. affert Buntingus 19. Aprilis non eſt ad rem, tum quia non pertinet ad hunc annum, quo certum eſt ex Calliadis præfectura, & ex proximo initio nouæ Olympiadis Xerſem tranſiſſe in Græciam; tum quia Buntigana non fuit digitorum 2. ſed vnius, & min. 45. & Herodotea fuit totalis, & tanta *vt pro die nox extiterit*. At Scaliger lib. 5. pag. 407. ait *ſe deprehendiſſe hanc Eclipſim anno 4. Olympiadis 74.* anno periodi Iulianæ 4233. Aprilis 19. at hic annus erat ante Epocham Chriſti 481. quo Aprilis 19. currebat adhuc annus 3. Olympiadis 74. poſtea concludit. *Proculdubio intelligendum eſt deſinente anno quarto tranſiſſe, & quia parum ſupererat ad initium Olympiadis, propterea in ipſam Olympiadem coniectum fuiſſe tranſitum Xerſis*. Et fortaſſe aliqui ad tempus reſpexere, quo Xerſes poſt 4 Menſes à traiectu Helleſponti, peruenit in Atticam, tunc enim factum erat Nouilunium, cuius plenilunio certamen Olympicum ſucceſſit. Porrò Herodotus lib. 8. poſt quam dixerat *Olympia iam, & Carnia præteriiſſe*, refert nauale victoriam Græcorum de Perſis ad Salaminam duce Themiſtocle, nempe autumno, & Mardonium relictum in Græcia; deinde lib. 9. narrat Cleombrotum receſſiſſe

ceſſiſſe ab Iſthmo dicens: *Reduxerat autem ab Iſthmo copias Cleombrotus ob eam cauſam, quòd ſibi inter ſacrificandum aduerſus Perſam Sol in Cœlo obſcuratus eſſet*. Reuera autem ex Tabulis Aſtronomicis Anno ante Chriſti Epocham 480. fuit Eclipſis Solis die 2. Octobris hora ferè 2. poſt merid. Athenis digitorum 7 ½. Sed initium Eclipſis ſub meridiem; ex quo ſtabilitur annus idem Salaminiæ pugnæ Naualis, & tranſitus Xerſis in Europam. Salaminia victoria accidit Boedromionis die 20. qui incidit in Iuliani Septembris diem 23. inde poſt 45. dies Xerſes abſceſſit in Aſiam, vt ex Herodoto l. 8. Diodoro lib. 11. & Plutarcho in Themiſthocle liquet.

9 Xerſis occaſione *Anaxagoræ*, & *Democriti* ætas inquirenda eſt; de Anaxagora Diogenes Laertius ſic: *Fertur in Xerſis tranſitu annum ætatis viceſimum egiſſe, vixiſſeq; annos 72. Apollodorus in Chronicis, floruiſſe eum Olympiade 70. & anno primo Olympiadis 78. defeciſſe refert*. Ergo natus fuiſſet anno 500 ante Epocham Chriſti, ex priore aſſerto Diogenis, ſed inhærendo Apollodoro, obijſſet anno 468. ante Chriſtum, quo iniuit Olympias 78. Verùm Plinius l. 2. c. 58. ait: *Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium Olympiadis ſeptuageſimæ octauæ ſecundo anno prædixiſſe &c.* Quando autem accuſatus eſt quod de dijs malè ſentiret, agebatur, vel paulo ante acta fuerat *Olympias ſeptima, & octogeſima*, vt ait lib. 12. Diodorus Siculus, addit q; Periclem diſcipulum Anaxagoræ accuſatum ab Æmulis vnde ſemina Peloponneſiaci belli, & Thucydides Periclem obijſſe anno 3. belli huius, nempe 428. ante Chriſtum. Suidas verbo *Anaxagoras* ait obijſſe anno LXX. ætatis. Fortaſſe in Apollodoro inuerſis numeris pro 78. ſcribendum eſt 87. Nam Suidas ait poſtquam accuſatus fuerat, quòd dixiſſet Solem eſſe maſſam ignitam, Athenis pulſum fuiſſe non obſtante patrocinio Periclis, & Lampſacum profectum mortem ſibi inedia conſciuiſſe; obijt ergo Olympiadis 87. anno primo, quo pulſus fuit Athenis, ideſt ante Chriſtum anno 431. Adde his annos 70. vitæ currentes, & incidit eius ortus in annum 500. ante Chriſtum, & hoc pacto verum eſt, quod dixit primum Laertius, eum habuiſſe annos 20. quando Xerſes tranſiuit in Europam: quod confirmauit auctoritate Phalerei ſubiurgens: *Philoſophari cœperat Athenis ſub Calliade viceſimo ætatis anno, vt refert Demetrius Phalereus in deſcriptione Archontum*. Sic enim conciliantur dicta Diodori, Plinij, Demetrij, Phalerei, Suidæ & ex parte Diogenis, imò, & Apollodori ſi corrigatur textus; Mihi tamen probabilius eſt, non tam citò obijſſe, ſed ab hac accuſatione eius, & carcere, quo detentus eſt Athenis, vſque ad mortem interceſſiſſe annos ferè duos, & eodem anno mortuum quo & Pericles nempe anno 3. belli Peloponneſiaci, vt habemus ex Thucidide de Pericle: tunc enim Anaxagoras deſperauit de reditu Athenas, mortuo ſuo patrono, & ſic verior eſt numerus annorum 72. à Laertio poſitus, vt præciſior & probabilior quam rotundus numerus annorum 70. poſitus à Suida.

10 His de Anaxagora conſtitutis haud ita facilè extricabitur à nobis controuerſia de Democriti Abderitæ ætate, quæ viſa eſt adeo perplexa Petauio in Paralipomenis ad Tomum 2. de Doctrina tempor. pag. 862. Nam Diogenes Laertius cum libro 9. in Democriti vita dixiſſet, eum *Secundùm quoſdam conueniſſe Anaxagoram, cum annis XL. iunior quam ille eſſet*, id confirmauit paulo poſt ipſiuſmet Democriti teſtimonio dicens: *Erat autem, vt ipſemet in paruo Diacoſmo refert, iuuenes eo tempore, quo iam Senior viuebat Anaxagoras, illo minor natu annis XL. paruum verò illum Diacoſmum à ſe compoſitum refert poſt Troiæ excidium ſeptuageſimo trigeſimo*, vt habetur ex textu Græco, non 530. vt quidam Latini codices habent; Troiæ excidiũ fuit anno 1184. ante Chriſtum, ergo ſcripſit Diacoſmum anno 454. ſubiungit deinde Laertius *natus eſt, vt ait Apollodorus in Chronicis, Olympiade LXXX. vt autem Thraſyllus LXXVII. anno maior natu quam Socrates*; additque vixiſſe *vltra centum annos*. At Suidas verbo Democritus inquit *Natus eſt eodem tempore, quo, & Socrates Philoſophus Olympiade LXXVII, vel vt alij volunt LXXX*, Licet enim in Latina verſione Laertij, & Suidæ loco *Natus eſt* legatur *Vixit*. Græcè tamen habetur γέγονὼς à verbo γίγνομαι; quod ſignificat *genitus* eſt, ſeu *factus*, ſeu *natus*. At verior videtur Thraſylli opinio: nam ſi natus eſt Olympiade 77. ideſt anno ante Chriſtum 472. ergo quando conſcripſit Diacoſmum habebat annos 18. ſi autem natus eſt Olympiade LXXX. nempe anno ante Chriſtum 460. verificatur quidem eum fuiſſe natu minorem Anaxagora annis 40. cum illum natum anno 500. poſuerimus, ſed ſcripſiſſet Diacoſmum anno 454. ideſt annos natus 6. quod eſt intolerabile. De Socrate Laertius lib. 2. ſcribit: Naſcitur *Socrates vt ait Apollodorus in Chronicis ſub Apſephione ſeptuageſimæ, & ſeptimæ Olympiadis anno quarto, Thargelionis menſis ſexta die, quo die luſtrant Athenienſes Ciuitatem, Dianamq; natam Delij tradunt. Moritur anno nonageſimæ quintæ Olympiadis ſeptuageſimo ætatis anno. Eadem fermè Demetrius Phalereus. Sunt qui ſexagenarium obijſſe referant*. Sed hinc nodus magis implicatur à Diodoro Siculo l. 14. vbi cum præmiſiſſet notam temporis dicens: *Quarta, & nonageſima Olympias agebatur* deinde intra eundem annum ait. *Per idem tempus Democritus Philoſophus mortem obijt annos natus nonaginta*: Olympias hæc incœpit anno ante Chriſtum 104. ergo natus eſset anno ante Chriſtum 494. annis 22. ante Socratem, at cum non appellet eum Abderitam, fortaſſe confundit eum cum Democrito Trezoenio, de quo Laertius in vita Empedoclis. Vt reliqua vtrunque extricemus, exiſtimo Democritum de ſe atteſtatum quidem eſſe iuniorem ſe fuiſſe Anaxagora, non tamen XL. annis, ſed Laertium addidiſſe de ſuo illam interpretationem, ſecundùm alios, eos ſcilicet, qui cum Apollodoro putabant eum natum Olympiade 80. Proinde verius cenſeo natum eſſe anno ante Chriſtum 472. & iuniorem fuiſſe Anaxagora annis dumtaxat 28. obijſſe verò poſt annum centeſimum ætatis; Socratem autem natum anno 471. Aprili menſe durante adhuc anno primo Olympiadis 77. & obijſſe anno 400. ante Chriſtum nempe anno primo Olympiadis 95. Sic enim explerit annos 70. ætatis. Qui autem dixerunt obijſſe annorum 60. ſequebantur Apollodorum, iuxta quem natus putabatur Olympiade 80. ideſt anno 460. ante Chriſtum. Hæc igitur ſunt fundamenta, ob quæ receſſimus ab opinione Petauij, qui in Paralipomenis ponit Democritum natum anno periodi Iulianæ 4244. ideſt ante Chriſtum 470. mortuum verò, non anno 4256. vt poſuerat in Chronico, ſed 4353. ideſt ante Chriſtum 361. Meritò etiam Salianus ad annũ mundi 3554. reprehendit Euſebiũ aſſerentem Democritum floruiſſe Olympiade 70. ideſt ante Chriſtum anno 500 quia nimirum floruit cum Anaxagora tunc nato, licet de Anaxagoræ ortu nutet Salianus & anno mundi 3618. agnoſcat Euſebium in Chronico Democritũ Abderitem referre ad Olympiadem 86. qua claruerit. Empedoclẽ floruiſſe circa Olympiadem 84. i. anno ante Chriſtum 444. vixiſſe iuxta Ariſtotelem annos 65. iuxta Phauorinũ 77. iuxta alios 109. auctor eſt Laertius in Empedocle.

11 *Hippocratem* Coum claruiſſe Olympiade 86. ideſt anno ante Chriſtum 436. ponit Euſebius in Chronico, ſed Soranus Cous, qui Coorum bibliothecas perſcrutatus eſt, ex Iſtomachi libro de ſecta Hippocratis, & alijs affirmat, cũ *natum anno primo Olympiadis octogeſimæ die 27. Agriani menſis*, vocatumq; Abderam, vt Democritum ab inſania, & vrbem à peſte liberaret, deinde concludit. *Vita functus eſt apud Lariſſæos quando & Democritus obijſſe traditur, atque alij quidem nonageſimo ætatis ſuæ anno, alij octogeſimo quinto, alij centeſimo quarto, quidam verò centeſimo nono deceſſiſſe tradunt*. Ortus igitur eſt anno ante Epocham Chriſti 460. mortuus verò inter 375. & 351. annum. Iſocratem verò natum Olympiadis 86. anno primo ideſt anno ante ep. Chriſti 436. referunt Dionyſius Halicarnaſs. lib. de antiquis oratoribus, & Euſebius in Chron. Plutarchus autem opuſc. de vita decem oratorum, ait fuiſſe priorem Platone annis 7. poſteriorem Lyſia 22. ergo Lyſias natus erat anno 458. Metonem cum Euctemone obſeruaſſe Solſtitium anno Nabonaſſari 316. die 21. Phamenoth menſe, Abſeude Athenis Archonte, ideſt ante Chriſtum 432. Iulij 28. tradit Ptolemæus l. 2. Almageſti, & eundem propoſuiſſe Cyclum decẽnoualem Abſeude Athenis præfecto Olympiadis 86. anno quarto, iniuiſſeq; cyclum à die Scirrhophorionis vltimi menſis, atque adeo exeunte anno Olympiadico narrat Diodorus Siculus lib. 12. hoc eſt anno item 432. ante Chriſti Epocham. Quæ verò Langius lib. 1. de annis Chriſti c. 14. diſputat contrà Scaligerum, & Petauium, non eſt loci huius diſcutere: Satis enim eſt annos deſignaſſe. Corrigendus ergo Salianus, qui ineunte anno 4. Olympiadis 86. ponit initium Cycli Metonici, ad Annum

Mundi

Mundi 3621. cum debuerit exeunte.

12 *Peloponnesiaci* belli initium fuisse verno tempore, anni ante Epocham Christi CDXXXI. iam demonstrauimus cap. 2. numero 2. 3. 4. & 5. & quidem ex duabus Solis, & vna Lunæ Eclipsi; consentiuntq; peritissimi quique Chronographi cum Scaligero l. 5. de emend. temp. pag. 410. Petauio l. 10. de doctrina tempor. c. 27. & parte 2. Rationarij l. 3. c. 11. Saliano ad annum Mundi 3623. Langio l. 2. de Annis Christi c. 16. Vbbone Emmio l. 2. Rer. Chronol. p. 49. Ante hos verò idem sensit Diodorus ille, qui scripsit Olympionicarum Catalogum, quem ac Thucydidem sequitur Diodorus Siculus adnotans eundem cum Thucydide Prætorem Athenis Pytodorum, & Olympiadem 87. cuius annus primus adhuc durabat, cum post duos menses, successurus esset Pythodoro Euthydemus anno 2. ineunte Olympiadis 87. ideoq; rectè Eusebius initium belli huius notat durante adhuc anno primo dictæ Olympiadis. Gellius quoq; accuratè lib. 17. cap. 21. dixit cœpisse *circa Vrbis conditæ annum trecentesimum vigesimum tertium* iam enim Varronianus annus 323. incœperat vel incœpturus mox erat. Nam Plinius l. 30. c. 1. nimis laxè assignat Vrbis annum 300. licet dicat à *CCC. anno* indicans fuisse postea; Ille autem qui Olympiadas percensuit, & quem sequitur Diodorus Siculus, adnotat Euthydemum, quia successit paulo post Pythodoro, & belli huius annus maxima parte ad eius præturam spectauit; nam ait Thucydides l. 5. καὶ Πυθοδώρου ἔτι δυὸ μῆνας ἄρχοντος; ideſt *Pythodori anno præfecturæ duobus mensibus superstitibus*.

Finem autem belli huius c. 2. num. 5. ostendimus fuisse ante Septembrem anni 404. ante Christi Epocham, ex Eclipsi, atq; adeo durauit hoc bellum à vere anni 431. ad autumnum anni 404. annos XXVII. & menses ferè 6. non autem annos XXVIII. & menses 6. vt habet Xenophon continuator Thucydidis, cuius aliquos alios parachronysmos elucidauit Petauius l. 10. c. 28.

13 De *Platone* Athenienſi Philosopho Diogenes Laertius lib. 3. in eius vita sic: *Nascitur autem Plato, vt Apollodorus testatur in Chronicis Octogesima octaua Olympiade, Thargelionis septima, qua die natum Apollinem Delij autumant. Moritur autem, vt Hermippus tradit, primo anno centesimæ octauæ Olympiadis in nuptijs discumbens Octogesimum, & primum ætatis agens annum: Neanthes octoginta quatuor annos natum defeciſſe scribit. Est igitur Isocrate minor natu annis sex, ille quippe sub Lysimacho; Plato sub Aminia natus est, sub quo, & Pericles diem obijt.* Plutarchus opusc. de 10. Oratorib. facit illum iuniorem Isocrate annis 7. Suidas verbo *Platon* scribit natum in Insula Aegina Olympiade 88. vixisse annos 82. mortuum esse, dum post epulas dormiret Olympiade 108. Thucydides autem l. 2. affirmat Periclem mortuum esse post annos duos, & menses sex ab initio belli Peloponnesiaci; ergo cum bellum illud incœperit à verno tempore anni 431. ante Christum sequitur Periclem obijsse anno 429. autumni tempore post initum annum 4. Olympiadis 87. quo durante sequenti mense Aprili (hic enim magna parte concurrebat cum Thargelione) anni 428. ante Ep. Christi natus est Plato, si quidem anno eodem Græcorum natus est, quo Pericles obijt, esto vt moris est veterum Chronologorum dicatur natus Olympiade 88. vtpote instante. Scitè igitur Petauius in Chronico ponit natum anno 428. ante Christi Epocham; malè autem Athenæus lib. 5. posuit natum anno præcedenti Prætore Apollodoro; peius Eusebius in Chronico differens Platonis ortum ad annum 4. Olympiadis 88. nec bene Salianus Anno Mundi 3625. ponit natũ anno ante Christum quidem 428. sed qui est ipsi ante Epocham vsitatam Christi 429. quasi verò ortus esset Olympiadis 87. anno 4. ineunte vel æstate, aut autumno, cum natus sit verno tempore subsequenti. Ab Aprili autẽ anni 428. ad initium Olympiadis 108. ideſt ætatem anni 348. ante Christum sunt anni solidi 80. & aliquot menses: ergo mortuus est anno ętatis 81. vt Laertius, non 82. vt Suidas.

14 *Aristotelis* Stagiritæ annos Laertius lib. 4. in ipsius vita sic digerit. *Ait autem Apollodorus in Chronicis natum illum anno primo nonagesimæ nonæ Olympiadis, perrexisseq; ad Platonem decimo septimo ætatis anno, annosque viginti apud eum commoratum. Tum verò venisse Mithilenem principe Eubulo, quarto anno centesimæ quartæ Olympiadis; verum Platone primo anno demortuo, sub Theophilo profectum esse ad Hermiam, mansisseq; annos tres, sub Pythodoro autem se contulisse ad Philippum secundo Anno centesimæ nonæ Olympiadis Alexandro quintum decimum iam annum ætatis agente; Athenas verò concessisse secundo anno centesimæ vndecimæ Olympiadis, atque in Lyceo tredecim annos docuisse, ac demum perrexisse Chalcidem, tertio anno centesimæ decimæ quartæ Olympiadis, morboque periisse, cum esset annorum fere sexaginta trium: quo etiam tempore Demosthenes in Calabris defunctus sit.* Suidas ait natum Olympiade XCIX. vixisse annos LXX. sed ante hos Dionysius Halicarnass. libro de antiquis Oratoribus de Aristotele scripserat. *Natus autem est Olympiade nonagesima nona triennio Demosthene maior Prętore Athenis Diotrephe.* Iam cum Olympias 99. incœperit ab æstate anni ante Christi Epocham 384. eiusque annus primus durarit vsque ad æstatem anni 383. non constat vtri ex his debeat adscribi ortus Aristotelis, communiter tamen Chronologi adnotant annos 384. ideoq; Demosthenis ortum anno 381. & mortem anno 322.

15 *Leuctrica* pugna, qua nimirum Epaminondas cum paucioribus Thebanis ingenti clade prostrauit Lacedæmonios ad Leuctra Bœotiæ, licet hi plures essent, ducemque haberent Cleombrotum, accidit Anno ante Epocham Christi 371. vt prudenter ponunt Petauius l. 10. c. 31. & in Chronico, & Salianus Anno Mundi 3683. Quandoquidem Diodorus Siculus lib. 15. cum dixisset. *Apud Eleos acta est Olympias secunda supra centesimam regente Athenis Alcisthene*, anno sequenti *regente Athenis Phrasiclida* Leuctricam pugnam refert, & Pausanias lib. 8. *Lacedæmonij Leuctricam accepere cladem, Athenis summum magistratum gerente Phrasiclide Olympiadis centesimę secundę anno altero.* Idemq; fatetur Scaliger in Olympiadum Collectaneis; malè igitur Scaliger idem lib. 5. Emend. temp. pag. 415. & Casaubonus in Chronologia Polybij conijciunt hãc pugnam in annum sequentem, seu ante Ep. Christi 370. quasi verò acciderit anno 2. exeunte Olympiadis 102. cùm Plutarchus in Epaminonda dicat accidisse quinta die Mensis Hippodromij, seu Hecatombæonis, atq; adeo ineunte anno 2. Olympiadis. Neq; enim verum est Eratosthenem apud Clementem Alexandrinum ab initio belli Peloponnesiaci ad Leuctricam pugnã numerare annos completos 61. numerat enim tantum inchoatos, nec oppositum demonstrat Scaliger, imò Eratosthenes in Tabula Chronologica ab Athenis per Lysandrum captis, ad Leuctricam pugnam numerat annos 34. vt est in textu Græco Clementis Alex. Polybius autem 35. sed includens pugnam ad Capræ flumen, quæ præcessit.

16 Diogenes Laertius librum suum 10. & vltimum Epicuri vita Epicureus & ipse claudit: de quo sic. *Nascitur autem, inquit Apollodorus in Chronicis, cẽtesimę nonę Olympiadis anno tertio sub Sosigene principe, mensis Gamelionis septima die, septem annis post Platonis obitum*, & post pauca: *obijt anno 4. centesimę vicesimę septimę Olympiadis sub Pytharato, cum septuaginta, & duos vitę annos implesset*: deinde recitat testamentum ipsius, quo mandauit celebrari natalem suum, nec non parentum, & fratrũ intra diem 10. Gamelionis, & conuentum eorum, qui cum ipso philosophati erant celebrari vigesima cuiusq; mensis die. Errat ergo in die Petauius in Chronico, qui ponit natum anno ante Epocham Christi 341. Gamelionis, ἕνάδι, ideſt 20. die, seu Ianuarij 21. circiter, confundens diem conuentus amicorum, cum die Natalis, sed errauit in anno Salianus ad annum Mundi 3712. ortum Epicuri notans anno ante Christum 341. qui est ipsi 342. ante Epocham vulgarem Christi, quasi verò ortus esset illo anno, quo inijt annus 3. Olympiadis 109. cum ortus sit inito iam Ianuario anni Iuliani sequentis. Obijt vero Anno ante Epoch. Christi 269. annos natus 72. Quare Sigonius errauit in Athenienſium temporibus 4. annis differens hanc mortem, & Petauius in Chronico, biennio anticipans.

CA-

CAPVT IV.

De Alexandri Magni Annis, & Epocha Philippica cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO IV.

Natus est Alexander Magnus ante Epocham Christi Anno 356. *initio æstatis; successit Philippo patri defuncto Anno* 336. *inita iam æstate; Darium vicit in Campo Gaugamelæ Anni* 331. *Kalendis Octob. successit Dario in Monarchia Asiatica Anno* 330. *item circa initium æstatis; obijt deniq; Anno* 324. *sub initium æstatis, cum vixisset Annos* 32. *Regnasset annos* 12. *Imperasset in Asia annos* 6. *Anni tamen à morte Alexandri computari non consueuere ab Astronomis, & Chronographis præsertim Orientalibus, nisi à die* 12. *Nouembris anni eiusdem* 324. *ante Ep. Christi, quæ dies fuit prima primi Aegyptiorum mensis Thoth: & Anni huius Epochæ dicuntur tum Anni ab excessu Alexandri, tum Philippi, quia Philippus Ariadæus frater Alexandri Magni electus à Macedonibus in Regem iam regnare cœperat tribus circiter mensibus ante diem* 12. *Nouembris.*

1 DE Annis Alexandri Magni eiusq; Epocha præ cæteris eruditè tractant Iosephus Scaliger lib. V. de emendat. temporum à pag. 416. ad 430. Iacobus Kristmannus de connexione Annorum a pag. 302. Petauius lib. 10. de Doctrina temporum à cap. 32. ad 40. & in Tom. 2. Paralipomenon pag. 859. & parte 2. Rationarij l. 3. c. 12. Torniellus in Annalibus sacris Anno Mundi 3730. Spondanus in Annalibus Sacris à Mundi anno 3694. ad 3725. Salianus in Annalibus veteris Testamenti à Mundi anno 3694. ad 3730. Vuilhelmus Langius l. 2. de Annis Christi cap. 17. Tirinus tomo 1. in Chronico sacro c. 39. Io. Lucidus in Tabulis Annal. temp. pag. 107. Franciscus Leuera in Prodromo Astronomiæ l. 1. c. 10.

2 Natus est Alexãder M. ex Philippo, & Olympiade, ineunte Olympiade CVI. nempe anno ante Christi Epocham 356. de Anno cõsentiunt omnes Plutarcho asserenti, natũ sub Iudicrum Olympicum, præsertim Eusebius in Chron. Pontacus, Scaliger, Gordonus Mercator, Pererius in Danielem l. 9. Schottus in vita Demosthenis, Torniellus, Salianusq; ad Annum Mundi 3698. adducens Functium, Temporarium, & Capellum, Petauius l. 10. c. 32. Sed de die controuersia est: Ælianus enim l. 1. var. hist. c. 25. ait natum esse die 6. Thargelionis, penultimi mensis Atticorum; At Plutarchus in Alexandro inquit: *Natus est Alexander ineunte mense Hecatombæone, quem Macedones Loum vocant, die sexta qua die templum Dianæ Ephesiæ conflagrauit.* & post pauca. *Ad Philippum autem, cum Potidæam cœpisset, tres allati sunt nuncij circa* idem tempus; tum illyricos magno prælio superatos à Parmenione; tum ipsum in ludis Olympicis equo veloci victorem declaratum, tertiò de natiuitate Alexandri. Sed errauit Ælianus, confundens diem festum natalis Dianæ, qui celebrabatur die 6. Targelionis, cum templi Dianæ incensi, qui fuit 6. Hecatombæonis. Non dicit autem Plutarchus tres illos nuncios allatos *eodem die*, vt ait Salianus, & quidam interpretes, sed κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον; *circa idem tempus*, quod verificari potest, etiam si intra eandem vnam, aut alteram hebdomadam nuncij illi venerint, præsertim cum addat auctam hanc lætitiam Philippo à vatibus pronunciantibus Alexandrum inuictum fore, quòd eius natalis in tres victorias incidisset, neq; enim victoria Philippi de Potidæa, de Illyricis, & Olympici Iudicri, in eundem diem, imò nec in eandem necessario hebdomadem conyciendæ sunt; imò Petauius l. 10. c. 32. putat illud *idem tempus* accipi posse pro *eodem mense*. Quod si Philippus erat adhuc ad Potidæam vrbem in isthmo inter sinum Saronicum, & Toroniacum, & ab Elide distantem trecentis ferè millibus passuum, nuncius de victoria Olympica peruenire ad eum non potuit nisi 20. Hecatombæonis, seù quinque diebus post Plenilunium ciuile, quo certamen Olympicum celebrabatur, nempe 15. die Hecatombæonis, nuncium autem de Alexandro nato 6. die Hecatombæonis potuit accipere post duos tresue dies, idest 8. aut 9. circiter Hecatombæonis. Cum ergo natus sit ineunte primo mense Atticorum, & diebus 9. ante certamen Olympicum, manifestum est natum esse ineunte Olympiade CVI. non verò exeunte, atq; adeo ex dictis cap. 2. de Olympiadum nexu cum Epocha Christi, natum esse anno 356. ante Epocham Christi. Quo autem die natus sit in forma anni Iuliani inquirit Scaliger l. 5. p. 416. & ex sua commentitia periodo Olympica cõcludit Olympiadem celebratam Iulij 30. Neomeniam Hecatombæonis incidisse in 2. Augusti, & ortum Alexandri in diem 7. Augusti octauo die à Ludicro Olympico, additq; Plutarchũ solemniter peccare, dum Hecatombæonem Loo confert. Sed Petauius dicto iam lib. 10. c. 32. illum redarguit, & suppositio Athenienſium more vtendi Nouilunijs medijs in determinandis Neomenijs, Solstitioq; æstiuo tunc in die 27. Iunij, vel si in octaua parte Cancri placeat collocatum in Fastis, die 4. Iulij, colligit Neomeniam Hecatombæonis incidisse in diem 6. Iulij, natum Alexandrum die XI Iulij, Plenilunium, & finem Iudicri Olympici die 21. nocte sequenti: additq; non peccasse Plutarchũ, cum magna pars *Loi* Mercedonum cõcurrat cum *Hecatombeone* Atticorum. Sed Petauius in Paralipomenis tomi 2. fol. 859. se corrigit, & concludit Plenilunium incidisse in Iunij 30. aut Iulij 1. atq; adeo Hecatombæonis Neomeniam in 15. vel 16. Iunij, & ortum Alexandri in 20. aut 21. Iunij.

3 Philippi mortem Diodorus Siculus sub finem libri 16. descripturus sub hoc titulo *Regni Philippi annus XXV.* subiungit: *sequenti anno, quo Pythodorus Athenis Princeps &c. Olympias vndecima supra centesimam acta est*; narrat deinde causam, ob quam interfectus est in certamine à Pausania, cum annos quatuor supra viginti regnasset; quod repetit initio libri 17. vbi successisse Alexandrum docet, inito anno secundo Olympiadis CXI. mutato quippe Athenarum Archonte, nam sub titulo hoc. *Regni Alexandri Ann. I.* subiungit. *Cum Euęnetus Athenis principatum gereret, Alexander accepto patris defuncti regno,* &c. At Olympias CXI. incœpit anno ante Epocham Christi 336. eius verò annus primus absolutus est Neomenia æstiua Hecatombæonis anni 335. & inde cœpit annus nouus, ac nouus Prætor Athenis, ergo mors Philippi, & successio Alexandri videtur incidisse, aut in finem anni primi, aut in initium anni secundi dictæ Olympiadis: atq; adeò ante Epocham Christi 335. sed si hoc dicamus, damnandi erunt erroris omnes pene Chronologi, qui Philippi interitum, & Alexandri successionem cõsignant Anno primo Olympiadis CXI. ineunte, aut non multo ante inito, atque adeo Anno ante vulgarem Epocham Christi 336. & periodi Iulianæ 4358. nimirum Iulius Africanus, Eusebius, Pontacus, Scaliger, Torniellus, Samerius, Gordonus, Mercator, Petauius, Langius, Salianus adducens Functium, Capellum, Caluisium, Heluicum, Temporarium; sed quod caput est damnanda esset, aut ad alienum sensum violenter detorquenda Sacra Scriptura, quæ lib. 1. Machab. c. 1. asserit. *Regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus est*, infra autem ostendemus eum mortuum esse in principio Olympiadis CXIV. At si incœpisset initio anni 2. Olympiadis CXI. regnasset annos tantumodo vndecim solidos cum ad Scripturam saluandam necesse sit annos saltem XI. & tot menses, vt denominatione sumpta à potiori, & maiori parte dici possit regnasse annos XII. Præsertim cum regnasse annos 12. & aliquot menses dicant Arranus, & Diodorus, imò 13. & plus Iustinus, & 14. Eusebius. Hunc nodum Chronologicum, à nemine quod sciam obseruatum, dissoluimus asserendo Diodorum initium quidem Regni Alexandri agnouisse septem circiter mensibus ante finem anni primi Olympiadis XC. atq; adeo Pythodoro Athenis Præfecto, ac præfecturam gesturo adhuc per 7. menses; sed tamen annos Alexandri numerasse

ab eo

ab eo Archonte, sub quo non vixerat Philippus, sed cuius initium incidit in annum primum Alexandri. Nam si putasset Alexandrum iniuisse regnum cum principatu Euænneti, & initio anni 2. Olymp. CXI. oportebat annum 4. regni differre ad initium anni 2. Olympiadis CXII. & tamen illud posuit Olympiade ipsa CXII. nec tandem Anno XII. verè dixisset in fine libri 17. *Alexander est mortuus regni sui anno duodecimo mense septimo.* Quæ liquidiora erunt inspicienti in infrascripto laterculo Syntaxim horum annorum cum titulis à Diodoro in fine lib. 16. & libro 17. positis, in quo illud quoq; notandum est sub eodem Archonte Anticle ponit annum x. & xi. Alexandri, quia pars anni illius Archontis ad x. & ad xi. Alexandri pertinuit, & priores quinque menses Anticlis ad complendum x. Alexandri, reliqui septem ad annum xi. spectarunt. Itaque iuxta Diodorum Regnauit Alexander non annos 12. & menses 7. vt quidam perperam referunt, sed annos xi. solidos, & de

Olympiades.	Archontes.	Anni Regni.
CXI	Pythodorus.	xxv. Philippi.
	Euænetus.	i. Alexandri.
	Cteſicleus.	ii. Alexandri.
	Nicocrates.	iii. Alexandri.
CXII	Niceratus.	iv. Alexand.
	Ariſtophanes.	v. Alexandr.
	Ariſtophon.	vi. Alexand.
	Cephiſophon.	vii. Alexand.
CXIII	Euthycritus.	viii. Alexand.
	Chremes.	ix. Alexand.
	Anticles.	x. Alexand.
	idem	xi. Alexand.
CXIV	Aegesias	xii. Alexand.

duodecimo menses 7. Videtur itaq; Philippus occisus quinto circiter mense anni 1. primæ Olympiadis. At obstat Iustinus, qui libro 9. dicit Philippum *initio veris* misisse in Persidem tres duces, & interim dum auxilia à Græcia coirent celebrasse nuptias, eaq; occasione inter ludos occisum à Pausania; ergo potius occisus fuerit æstate sequenti non multo post initium Olympiadis CXI. & tunc incœperit regnare Alexander *annos natus* 20. vt expresè numerat Iustinus lib. xi. Arrianus item lib. 1. & Plutarchus dicens: *Annos natus viginti regnum accepit*. Quod de annis completis intelligere oportet, quippe cum natus sit ineunte Olympiade CVI. adeoq; initio Olympiadis CXI. die 6. Hecatombæonis implerit annos 20. & inchoarit 21. Proinde errat Suidas verbo *Alexander*, dum dicit iniuisse Regnum anno ætatis 18.

4 Suscepto imperio post debellatos Barbaros quosdam ad Istrum, Thebanos profligauit & Thebas solo æquauit, vt initio regni sui se virum ostenderet, & Græcos contineret in officio, qua calamitate audita Athenienses præ luctu omiserunt festiuitatem Mysteriorum, vt narrat Plutarchus in Alexandro. Mysteria autem magna Athenis celebrabantur potissimum die 21. Boedromionis, vt patet ex ipso Plutarcho in Camillo, & Kalendario Græco Gyraldi, annus autem erat secundus Olympiadis CXI. vt habetur ex Diodoro, dies 21. Boedromionis respondebat fere initio Septembris. Fuit itaq; Annus hic ante Epocham Christi 335. contra verò aliam postea in Ægypto vrbem cõstruxit, nempe Alexandriam; de cuius constructione tres sunt opiniones *prima* est Solini cap. 34. dicentis: *Condita autem Alexandria est XII. centesima Olympiade L. Papyrio Spurij F. C. Poetelio Poetelij F. Coss.* eosdemque Consules notat Liuius l. 8. Quarum vtraque nota conuenit Anno ante Epocham Christi 332. *secunda* est Diodori Siculi lib. 17. referentis Alexandriæ conditum ad Annum V. Regni Alexandri Ariſtophane Archonte Athenis, atq; adeo ad annum 2. iam initum Olympiadis CXII. quem secuti sunt Torniellus ad Annum Mundi 3722. Salianus ad annum 3723. & Petauius in Chronico, ponens annum ante Ep. Christi 331. *Tertia* est Eusebij in Chron. & S. Cyrilli l. 1. contra Iulianum, nempe constructam anno 7. Alexãdri & anno 3. Olympiadis CXII. & ante Christum 330. Quis tamen vetat dicere designata & iacta fuisse fundamenta anno 332. cõstructionem ædium cœptam anno 331. & perfectam constructionem tam vastæ vrbis anno 330? licet absente iam Alexandro in Asia; & contra Darium militante?

5 Anno enim 331. ante Epocham Christi victum Darium in campo Gaugameliano iuxta Arbelas ab Alexandro kalendis Octobris Olympiadis CXII. anno 2. iam ex Eclipsi Lunæ ostendimus cap. 2. num. 6. sed indicatis tantum fundamentis, quæ nunc fusiùs patefacienda sunt. Plinius itaque lib. 2. cap. 70. scribit. *Nobili apud Arbelas Magni Alexandri victoria, Luna defeciſſe noctis ſecunda hora prodita eſt, eademq; in Sicilia exoriens.* Diodorus Siculus l. 17. cum dixisset *Anno IV. Regni Alexandri actam esse Olympiadem duodecimam supra centesimam, Archonte Atheuis Nicerato, & Anno V. Alexandri Ariſtophanem fuisse Archontem.* Hoc pariter Anno, nempe secundo Olympiadis CXII. narrat victoriam hanc ad Arbelas, in qua Barbarorum cecidere plures quã 90000. Macedonum non plures quam 500. Plutarchus in Alexandro: *Magna verò illa Alexandri, & Darij pugna, non ad Arbelas (quod pleriq; ſcribunt) ſed apud Gaugamelam facta eſt. Gaugamela idiomate Perſico Cameli domum ſignificat, quia vt aiunt. Rex quidam camela curſoria ex hoſtibus ſeruatus, eam ibi collocarit, pagoſq; & reditus certos ad curam eius deſtinauerit. Luna tum defecit menſe Boedromione, quo tempore Myſteria agi Atheuis incipiunt. Vndecima poſt id deliquium nocte, cum iam in conſpectu mutuo eſſent exercitus &c.* Subiungitque victoriam, post quam concludit: *Hunc finem ea pugna habuit, Regnumque Perſarum ſublatum credebatur; & Alexander Rex Aſiæ ſalutatus magnificè dijs ſacrificauit.* Q. Curtius l. 14. de Lunari illa Eclipsi ait accidisse; *Prima ferè vigilia noctis*; Arrianus autem victoriam hanc consignat *Archonte Ariſtophane, menſe Pyanepſione*, & monet Gaugamelas distare ab Arbelis stadia ferè 600. Iã verò talis Eclipsis, tali mense, ac die, & tali hora noctis conspicua prope Arbelas, Tabulæ Astronomicæ non possunt repræsentare nisi Anno ante vulgarẽ Epochã Christi 331. & Periodi Iulianæ 4383. Septembris Iuliani die 20. Cyclo Solis xv. Litera Dominicali C. ideoq; Feria 2. sequenti 3. qua initium Eclipsis Arbelis fuit hora post meridiem diei 20. ferè 8. medium verò Eclipsis digitorum 14 ½. hora 9. ½. sed in hora Orientali Siciliæ hora 6 ½. circiter, atque adeo Sole occaso, & Luna exorta. Conueniunt autem in Annum hunc mensem, ac diem, & prope in horam Buntingus in Chronico, & Prutenicis Tabulis, Scaliger l. 5. Emend. temporum pag. 420. Langius l. 2. c. 17. Iacobus Kristmannus de connexione Annorum pag. 303. In annum verò ipsum Spondanus ad Annum Mundi 3723. Torniellus ad Annum Mundi 3722. Henricus Philippi in Synopsi Chronologica ad annũ ante Chr. 331. & Olym. CXII. an. 2. Petauius lib. 10. de doctr. temporum c. 36. & in Chronico, & Parte 2. Rationarij lib. 3. c. 12. præter alios multos Chronologos in suis Chron.

Errauit ergo Salianus ad Mundi Annum 3724. hanc victoriam consignans Anno 3. Olympiadis CXII. Archonte Ariſtophonte, annoq; ante Christum 329. qui est ipsi ante Epocham Christi vulgarem 330. & tamen agnouit Mathematicos Lunæ defectionem illam statuisse die 20. Septembris, victoriam verò die 11. post; idest Kalendis Octobris, & num. IX. male reprehendit Arrianum, quòd hanc victoriam contigisse Aristophane Athenis præfecto scripserit; id ipsũ enim refert Diodorus, & meritò, cũ Eclipsis prædicta ostendat euenisse Anno 2. Olympiadis CXII. quem characterem, vt infallibilem oportebat præferre authoritati vnius Dionysiij Halicarnassæi: ait enim Salianus num. 1. *Prælium ad Arbelam, quo acciſæ ſunt Perſarum vires, Ariſtophonte Prætore contigiſſe, teſtis eſt Dionyſius Halinarcaſſ. ad Ammæum: ſub cuius etiam magiſtratu Darij mors ex communi ſententia, multis poſt menſibus contigit, quot ſcilicet inter Octobrem, & Iunium intercedunt. Quæ tamen ſeiungere diuerſis annorum titulis non placet, ne Chronologiam conturbemus.* De prælio ad Arbelas falsum est; de morte Darij verum est contigisse Prætore Aristophonte; sed similitudo nominum Aristophanis, & Aristophontis deceperit Dionysium, vel Dionysius locutus est de consumata victoria per mortem Darij, typographumue quidquid sit si victoria obtigit Octobri, & Darij mors Iunio sequenti, vtique oportebat has diuerso anno ante Christum conscribere. Sed & in die, ac mense Græco errauit Scaliger ausus ex

sua

ſua Periodo Attica diem 20. Septembris Iuliani, quo Lunam defeciſe fatetur, conijcere in diem 20. Metaginionis, & Plutarchũ reprehendere; Sed contra eum vide Petauium l. 10. c. 36. fuiſse autem Victoriam hanc ſub Ariſtophane mox confirmabimus ex datis à Saliano de morte Darij incidente in menſem Hecatombæonem.

6 Anno porrò 3. Olympiadis cxii. iam inito, & Prætore Athenis Ariſtophonte, iamq; anno 6. Regni Alexandri Darius à Beſso interfectus eſt, vt cum Diodoro l. 17. omnes fatentur; addit Arrianus l. 3. Darium vixiſse annos ferè 50. & occiſum Hecatombæone menſe, quem malè Salianus ſupra num. xi. Iunium interpretatur cum Neomenia Hecatombæonis illo anno inciderit in Annum ante Epocham Chriſti 330. Kalendis Iulij diebus 4. poſt Solſtitium æſtiuũ. Sed hinc confirmatur error Saliani quoad annum, de quo ſupra, nam ſi mors Darij incidit in Hecatombæonem, qui erat primus menſis Atticorum, & in cuius initio nouus Prætor Athenis inibat, fuitq; 15. *Ariſtophon*, ergo anno præcedenti (ſub quo prœlium ad Arbelas) fuit Prætor *Ariſtophanes*. Addit Salianus ab initio Regni Cyri ad mortem Darij fluxiſse annos 230. quot Curtius tribuit Imperio Perſarum, ſed ab occupata Babylone, ac veriori initio Imperij, & Monarchiæ, annos tantum 208. cum dimidio. Sed de his poſtea l. 5. nunc à Darij morte ad mortẽ Alexandri tranſeamus, eiuſq; annum, diem, & Regni annos expendendos.

7 Alexandrum Magnum mortuũ eſse Olympiadis cxiv. anno primo omnes Chronologi, & Hiſtorici affirmant, vt teſtantur Ioſephus Hebræus l. 1. contra Apionem. Diodorus Sic. lib. 17. ſub titulo hoc *Regni Alexandri annus xii.* ſubiungit: *ſequenti anno quo Aegeſias Athenis imperauit &c. acta eſt Olympias quarta decima ſupra centeſimam*, & paulo poſt mortem eius deſcribit Arrianus lib. 7. *Deceſſit autem Alexander Cxiv. Olympiade, Hægeſia Athenis ſummum magiſtratum gerente*. Euſebius quoq; in Chronico ad initium Olympiadis 114. *Alexander xxxiii. ætatis ſuo anno moritur in Babylone*. Sed lib. 8. de Præparat. Euangelica c. 2. ſignantius, ſcribit mortuum eſse, ἐν ἀρχῇ τῆς ἑκατοστῆς, καὶ τεσσάρης, καὶ ἑκάτης Ολυμπιάδος: ideſt, *in principio centeſimæ quartæ decimæ Olympiadis*. Malè igitur Buntingus, Caluiſius, & Capellus mortẽ Alexandri transferunt ad exeuntem annum primum huius Olympiadis, quod peccant etiam Mercator in Chronico, Copernicus l. 3. c. 19. Reinholdus, Io. Lucidus, & cum eo Leuera in Prodromo Aſtronomiæ l. 1. c. 10. ſignantes exceſsũ Alexandri Magni anno ante Epocham Chriſti 323. cum inciderit in 324. Malè autem Leuera pro ſe Salianum adducit, quia nõ aduertit annum 323. ante Chriſtũ eſſe Saliano 324. ante vulgarẽ Epocham Chriſti, vtpote ſtatuenti Chriſtum reuera natum eſse anno vno integro, & diebus 8. ante initium Aeræ Dionyſianæ, & vſitatæ à Chriſtianis. Sed pro initio Anni primi Olymp. CXIV. & 324. ante Epocham Chriſti, ſeu 4390. Iulianæ Periodi ſtant doctiores Chronologi præſertim Iacobus Kriſtmannus de connexione Annor. pag. 307. Torniellus Anno Mundi 3730. Scaliger l. 5. de emend. temporum pag. 423. Origanus tom. 1. Eph. p. 24. Mulerus in tab. Friſicis p. 84. Keplerus in tab. Rod. pag. 37. Salianus ad Annum Mundi 3730. Spondanus in Annalibus Sacris ad Annum Mundi 3725. Sequens Euſebium, Henricus Philippi in Synopſis Chronolog. Tabulis, Dionyſius Petauius in Chronico, & lib. 10. de doctrina temporum c. 39. & in Paralipomenis fol. 859. & parte 2. Rationarij l. 3. c. 12. Buntingus autem, & Langius l. 2. de Annis Chriſti c. 17. licet putent Alexandrum mortuum eſse Anno Periodi Iulianæ 4391. & exeunte anno 1. Olympiadis CXIV. circa Aprilem, atque adeo 323. ante Ep. Chriſti, tamen Epocham Alexandri Magni fatentur inire à Thoth præcedentis anni; ſed nos aſſerimus non ſolum initium huius Epochæ, ſed etiam mortem Alexandri incidiſse in annum antecedentem. Quæ ob celebritatem huius Epochæ ſtabilienda ſunt.

Primò enim Ptolemæus l. 3. Almageſti c. 8. diſertè affirmat Annos à morte Alexãdri exordiri à meridie primo primi Ægyptiorum Menſis Thoth, non ſecus, ac Nabonaſſari annos, *& à Nabonaßari initio ad Alexandri mortem exactos fuiſſe annos Aegyptios* 424. quod etiam affirmat Theon Alexandrinus; Anni autem 424. Ægyptij efficiunt Iulianos annos 423. dieſq: 259. Nabonaſſari autem initium fuit anno 747. ante Epocham Chriſti Februarij 26. vt lib. 5. ex multis Eclipſibus oſtendemus, inde ergo numerando annos 423. & dies 259. Iulianos cadit initium Epochæ Alexandri in Anni 324. diem 12. Nouembris, quo iuxta Nabonaſſareos annos, & Aegyptios fuit prima dies à Thoth anni 425. Nabonaſſari ineuntis.

Secundò Ptolemæus eodem lib. 3. cap. 8. Almag. numerat *à morte Alexandri, vſque ad Regnum Auguſti annos Aegyptios* 294. Ægyptij autem annos Auguſti computabant à morte Cleopatræ (quam lib. 4. c. 7. num. 6. oſtendemus fuiſſe anno 30. ante Epocham Chriſti) & à die 29. Auguſti; Anni autem 294. Ægyptij efficiunt annos Iulianos 293. & dies 292. quibus additis diei 29. Auguſti anni 30. ante Chriſti Epocham, conſurgit initium Epochæ Alexandri anno 324. ante Ep. Chriſti die 12. Nouembr.

Tertiò Alphraganus cap. 1. à Nabonaſſari initio ad initium Iezdagirdæ numerat annos Perſicos, ſeu Ægyptios 1379. ac menſes 3. ab Alexandri autem, ſeu Philippi Epochæ initio ad Iezdagirdam annos 955. menſeſq; 3. quibus à priore ſumma detractis, remanẽt à Nabonaſſaro ad Epocham Alexandri anni Ægyptij 424. prorſus vt numerat Ptolemæus, de quo dictum eſt *Primò* Argumento.

Quartò Cenſorinus de Die Natali c. 8. annum quo ſcribebat, aſſerit fuiſſe *Vlpij, & Pontiani Conſulatum, & ab Olympiade prima MXIV. ex diebus dumtaxat æſtiuis; à Roma autem condita CMXCI. & quidem ex Palilibus, eorum verò annorum quibus Iulianis nomen eſt CCXXCIII. ſed ex Kal. Ian.* At hunc eſse annum Epochæ Chriſti 238. patet ex dictis c. 2. de Olympiadibus, & ex dicendis libro 4. c. 2. de annis Vrbis, & c. 3. ac 5. de Conſulibus, & Iulianis annis. Subiungit deinde Cenſorinus de annis Nabonagarij: *Quorum hic CMXXCVI. eſt: item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc vſque perducti, annos DLXII. conſumant: ſed horum initia ſemper à die prima menſis eius ſumuntur, cui apud Aegyptios nomen eſt θώθ; quiq; hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Iul.* Ideſt Iunij 24. Demptis igitur 238. annis Chriſti, ab annis 562. cadit initium annorum Philippicorum, ſeu ab Alexandri exceſſu, in annum 324. ante Ep. Chriſti. Nulla igitur cauſa eſt, ob quam Epocha hæc ſit reijcienda in annum 323. ante Ep. Chriſti, aut ſaltem mors Alexandri, cum par ſit Epocham à morte Alexandri nuncupatam, non ante ipſius mortem, ſed potius aliquanto poſt iniuiſſe nempe ab exordio Philippi Ariadei, & proximè ſequentis anni Ægyptij initio. Sed ſupereſt nobis adhuc conflictus cum Scaligero, & Io. Georgio Heruarto.

8 Scaliger enim lib. 5. de emend. temp. p. 23. occaſione verborum Theonis in Comment. ſexti libri Almageſti, quibus ait, *ab initio Nabonaſſari, vſq; exceſſum Alexandri, & quod deinceps reliquum eſt Philippi, numerari annos* 424. non veretur hæc pronunciare; *Qui hos annos Philippeos à Philippo Ariadeo non autem à Philippo patre Alexandri dictos volunt, pluribus confutarentur, ſi tanti eßent ij: ſed eos miſſos facimus*: deinde remittit Lectorem ad ſuum lib. 2. pag. 47. vbi ait hos annos ita appellatos à Philippo Patre Macedonis, eo quòd ille menſes Metonicos in Macedonicã periodum receperit, eſto periti Macedonum eius initium diſtulerint ad mortem Alexandri. Scaligero adhæret Kriſtmannus p. 306. ſed quam falsò, & gratis ficta eſt illa periodus nullo antiquo teſte munita, tam falſa, & ficta eſt cauſa denominationis huius: nec vlla valde veriſimilis cauſa afferri poteſt, ob quam dilatum ſit Epochæ huius initium ab initio, vel fine Regni Philippi ad mortem Alexandri; Imõ ſi verum eſſet Macedones in vſum popularem admiſiſſe Calippicam periodum, cõgruentius erat annos hoſce computare ab initio Monarchiæ Græcorum in Aſia, ideſt à morte Darij, à quo anno, nempe ante Ep. Chriſti 330. ſuam periodum exorſus eſt Calippius, vt infra oſtendemus. Vera igitur cauſa huius denominationis eſt, quia vt narrat Diodorus initio libri 18. Plutarchus in Alexandro, Iuſtinus l. 13. Q. Curtius l. 5. Macedones poſt aliquam diſſenſionem, tandem elegerunt ſibi in Regem Philippum Ariadeũ, ſeu Ariadeum fratrem Alexandri Magni. Haud igitur rectè Kriſtmannus de Connexione annorum pag. 306. dicit hos à morte Alexandri annos vocatos eſse Philippicos ab Arabibus, eo quod Macedones viuente Alexandro tempora numerarent à Regno Philippi patris Alexandri, nec ſatis eruditè Serarius noſter, alioquin eruditiſſimus, in Cõment. ſuper lib. 1. Machabæorum dixit: *Annos Græcorum, vſque ad Seleuci Regnũ nominatos eſſe Philippicos, non ab Alexandri*

dri fratre, sed à patre, à quo ante Alexandri mortem numerari solebant, nullus enim antiquorum Scriptorum sic numerauit, sed viuente quidem Philippo annos Regni Philippi, viuente autem Alexandro annos Regni Alexandri numerabant, vt videre est in Diodoro, Eusebio, & alijs. Nouæ autem opinionis Heruarti falsitatem, & inconstantiam de anno mortis Alexandri satis demonstrauit Petauius lib. 10. cap. 40. ad quem remittimus Lectorem, ne tædio plena digressione illum afficiamus.

9 Quod attinet ad mensem, ac diem Mortis Alexandri, Plutarchus in Alexandro ita scribit: *Aristobulus eum febri laborantem sæuissima, cum vehementer sitiret vinum bibisse scribit, inde in Phreneſim incidisse, ac mortuum postrema Daesij mensis die. De morbo eius ita est in diarijs perscriptum: XVIII. Daesij die dormijt in balneo propter febrim &c. XXVIII. mensis die vita excessit.* Ælianus autem l. 2. de varia historia c. 25. ait natum, & mortuum esse 6. die Thargelionis, sed cur natiuitatē in 6. Thargelionis reiecerit ob confusam natiuitatem Dianæ, quæ 6. Thargelionis fuit, cum incendio templi Dianæ Ephesiæ, quæ 6. Hecatombæonis accidit, iam dictum est supra. Libro autem primo cap. 20. docuimus *Daesium* Macedonum respondere *Thargelioni* Atticorum, & huius maiorem partem Maio Iuliano, ergo, si Alexander mortuus est Olympiadis 114. anno 1. Hegesia præfecto, & Maij mensis tempore, videtur mortuus anno primo exeunte, non ineunte, & ante Christum 323. non 324. contra quod num. 7. Authoritatibus, & 4. Argumentis constituimus. Salianus ad Mundi annum 3730. num. 24. putat Dæsium magna sui parte respondisse Iunio. Petauius in Paralipomenis tom. 2. p. 860. neglecta Pontaci in Notis Eusebij opinione de verno tempore mortis huius, nobiscum sensit Dæsium apud Macedones Asia potitos transisse in Sedem Thargelionis Attici; sed quomodo hinc sequatur Dæsij finem transisse in finem Hecatombæonis, vt ibi autumat Petauius equidem non video; Potiùs ergo dixerim, aut mortuum vno mense ante initium nouæ Olympiadis, & præturæ Hegeriæ, sed ob imminens huius initium dictum fuisse ab Eusebio mortuum esse in principio Olympiadis 114. aut intarcalatione menstrua adhibita à Macedonibus, sed non ab Athenien sibus factum esse, vt finis Daesij Macedonici ceciderit in finem Thargelionis Attici, alioquin (si non esset intercalatum) casurus in finem Scirrhophorionis Attici, & initium Hecatombæonis.

10 Postrema controuersia est de numero annorum vitæ, & regni Alexandri Magni. Diodorus Siculus lib. 17. ait: *Alexander est mortuus regni sui anno duodecimo mense septimo* Arrianus l. 7. de eodem: *Vixit duobus & XXX. annis mensibusq; octo*. Iustinus in fine lib. 12. *Decessit Alexander, mensem vnum, annos tres, & triginta natus*. Suidas *Alexander Philippi, & Olympiadis filius obijt ætatis trigesimo tertio anno*. Fusebius in Chronico ad Olympiadem 114. notat sic: *Alexander XXXIII. ætatis suæ anno moritur in Babylone*. S. Hieronymus in Danielis c. 8. & 11. ait mortuum esse cum triginta duos annos haberet ætatis, & annum ageret imperij duodecimum. Orosius lib. 3. c. 23. *Igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferè presit*. Sed ante hos omnes Sacra Scriptura lib. 1. Machabæorum: *& regnauit Alexander annis duodecim & mortuus est*. At cum supra num. 2. ostenderimus natum esse anno ante Christi Epocham 356. circa 21. Iunij, & nu. 3. incœpisse regnare. paulo post initium Olympiadis CXI. ante Christi Ep. 336. & denique nu. 7. ac 9. mortuum esse anno ante Christum 324. sub initium Olympiadis CXIV. cogimur etiam dicere Alexandrum vixisse annos 32. regnasse 12. solidos paucissimis diebus deficientibus, vel abundantibus. Cum verò eius Monarchia in Asia cœperit à morte Darij, ideſt ab anno ante Epocham Christi 330. eiusq; mense Iunio exeunte, aut Iulio inito, sequitur imperasse in Asia tantummodo annos solidos 6. Falsa interim est Genitura Alexandri Magni, quam Argolus fundauit in die 12. Augusti anni ante Christi Epocham 355. & quæcunq; huic fundamento superstructa sunt.

CAPVT V.

De Græcorum Regnum in Aegypto Annis cum Christi Epocha connectendis.

CONCLVSIO V.

Ptolemæorum Regum Quatuordecim post Alexandrum Magnum in Aegypto Regnum, vsq; ad mortem Cleopatræ durauit in Annos CCXCIV. qui anni ordinandi sunt, vt in infrascripta Synopsi.

Initia Regnandi sunt in Annis ante Epocham Christi.		
Nomina Regum.	Init.	Regnauit.
1 Ptolemæus Soter Lagi filius.	324	40
2 Ptolemæus Philaldelphus Soteris fil. sed solus mortuo patre.	285 284	39 ½ 38
3 Ptolemæus Euergetes.	247	26
4 Ptolemæus Philopator.	221	17
5 Ptolemæus Epiphanes.	204	24
6 Ptolemæus Philometor.	181	35
7 Ptolemæus Euergetes II. seu Physcon Philometoris frater.	146	29
8 Ptolemæus Lathurus.	117	17
9 Ptolemæus Alexander Lathuri frater.	100	10
Ptolemæus Lathurus secundò restitutus in Regno.	90	8
10 Ptolemæus Alexander II.	82	dies 19
11 Ptolemæus Alexander III.	82	16 &c.
12 Ptolemæus Auletes *nothus*.	64	13
13 Ptolemæus Dionysius filius Auletis, frater Cleopatræ.	51	5
14 Cleopatra sola Auletis filia, quæ interemit se mense Augusto anni 30. ante Ep. Christi.	47	17

1 ALexander Magnus fundata Alexandria in Ægypto, anno 332. ante Epocham Christi, & perfecta anno 330. reliquit ibi Cleomenem præfectum Ægypti; mortuo Alexandro Magno Philippus Ariadęus electus in Regem Macedonum, & Perdicas procurator Regni, cui Alexander moriens suum annulum cum sigillo tradiderat, Satrapiam Ægypti dederunt Ptolemæo filio notho Philippi patris Alexandri, sed putato filio Lagi, quia Philippus matrem Ptolemæi iam grauidam in matrimonium iunxerat Lago Satelliti suo, vt narrat Pausanias in Atticis; Ptolemæus itaq; Lagides occiso Cleomene statim occupauit Satrapiam Ægypti, & Olympiadis 118. anno 2. ideſt ante Christum 307. vt narrat Diodorus lib. 20. post pugnam naualem, cum Antigono elatior factus, sibi diadema imposuit, & apud omnes se Regem nuncupauit, quo exemplo reliqui duces Alexandri se Reges nuncupauere, putà Seleucus, Cassander, Lysimacus, cum antea Satrapæ aut Præfecti titulo contenti fuissent, ita Diodorus. Nihilominus sumpto Regis nomine ample, annos regni præsertim Ptolemæorum Eusebius, alijque communiter computant à morte Alexandri, quam cap. 4. nu. 7. & 9. ostendimus contigisse in æstate anni ante Christi Epocham 324. libro autem 4. cap. 7. nu. 6. ostendemus Ægyptum venisse in potestatem Romanorum mense Augusto anni ante Epoc. Christi 30. ergo Ptolemæorum Regnum in Ægypto post Alexandri Magni obitum, durauit annos Solidos CCXCIV. vt in Conclusione posui. Reliqua de his Regibus desumpta sunt ex Iosepho Hebr. Strabone, Pausania, Appiano

piano Alexandrino, Iustino, Clemente Alexandrino, Dionc, Eusebio, Epiphanio Cedreno, Chronico Alexandrino, Cassiodoro, & ex recentioribus Aldo Manutio in quæsitis per Epist. diatriba de Ptolemæis, Scaligero l. 5. de emend. temp. pag. 433. & 435. Torniello, Spondano, & Saliano in Annalibus veteris testamenti, Tirino in Chronico Sacro c. 39. Petauio l. 10. de Doctrina temporum c. 46. & in Paralipomenis eiusdem, ac parte 2. Rationarij l. 3. cap. 12. ex quibus seligemus, quæ ad rationem temporum pertinent: sed qui Petauium non viderunt, nec Manutium circa Auletis tempora errarunt.

Ptolemæum Lagi putatiuum filium fuisse eum de quo Danielis est multiplex prophetia cap. 11. sub nomine *Regis Austri* docet S. Hieronymus ibi; Mortuus est autem Olympiade CXXIV. sub finem anni, vt tradit Eusebius in Chron. & Polybius l. 2. sed prius amore vitæ tranquillioris renunciauerat regnum Ptolemæo Philadelpho filio natu minori: verba Iustini lib. 16. sunt: *Finito bello Ptolemæus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra ius gentium, minimo natu ex filijs ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusq; rei populo rationem reddiderat: cuius non minor fauor in accipiendo, quàm patris in tradendo regno fuerat. Inter cætera patris, & filij mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorē populi iuueni conciliauerat, quòd à patre regno ei publicè tradito, priuatus Officium regi inter Satellites fecerat, omniquè regno pulchrius regis esse patrem duxerat.* Quod enim Pausanias in Atticis narrat Ptolemæum Lagi prius ex Eurydice Antipatri filia liberos suscepisse, deinde ex Berenice comite Eurydices alios filios genuisse subiungens: *Ex ijs Ptolemæum iam prope moriens sibi regni successorem declarauit*, aut de iterata declaratione intelligendum, aut illud *prope moriens*, intelligendum laxè cum Iustino, alioquin enim vno, & amplius anno Philadelphum cum patre viuente regnasse docet Eusebius in priore Chronico scribens. Φιλάδελφος καὶ ζῶντος μὲν ἔτι τοῦ πατρὸς δύο πλιροῖ τῆς βασιλείας ἔτη, videlicet, *& Philadelphus viuente quidem adhuc patre duos implet regni annos*, vel *supplet*. Incœpit autem Philadelphus à prima sui declaratione anno ante Ep. Christi 285. sub veris initium, vt sequenti numero probabitur, quare mortuo Lagide sub fine anni sequentis, de annis 40. quos regnasse Lagidem tradit Eusebius, pars de penultimo, & vltimus totus annus pertinet ad Regnum quoq; Philadelphi, & hinc est, vt Iosephus l. 12. antiq; c. 2. dicat Philadelphum regnasse annos integros *vnde quadraginta*, Esto Eusebius annos putans à Lagidis obitu numeret tantum 38. Ptolemæum Lagi dictum à Rhodijs *Soterem* ait Pausanias. Porrò Demetrium Phalereum frustra consuluisse Ptolemæo, ne traderet diadema filijs ex Berenice, sed filijs ex Eurydice, refert Laertius l. 5. in vita Demetrij de quo plura cap. seq. dicemus.

3 Ptolemæi Philadelphi initium nobis firmat Timocharedis Alexandrini obseruatio, relata à Ptolemæo Astronomo l. 4. Almagesti c. 4. qua præuindemiatricem stellam Virginis, obseruauit tectam à stella Veneris, *Tertiodecimo anno cum dimidio Philadelphi, die 17. Mesori sequente 18. hora post merid.* 12. subdit enim Ptolemæus: *Annus obseruationis erat 476. à Nabonassaro.* At ex canone annorum Nabonassari, & mensium Ægyptiorum lib. 2. præmisso fuit ille annus ante Ep. Christi 272. & dies obseruationis 12. Octobris Iuliani, cui addendo annos 13. cum dimidio, cadit Philadelphi initium in diem circiter 12. Aprilis, anni 285. ante Epocham Christi, quo tempore Ptolemæus Lagides tradidit diadema Philadelpho: & confirmatur, quia ab initio Philadelphi Dionysius Mathematicus epocham quandam Astronomicam exorsus est, eodemque anno quo Timocharides Venerem, Dionysius Martem obseruauit, vt refert Ptolemæus l. 10. c. 9. dicens: *Anno 13. secundùm Dionysium Capricornionis 25. Stella Martis Matutina cernebatur incumbere boreali fronti Scorpionis, & est tempus obseruationis in anno 52. à morte Alexandri, hoc est annus 476. à Nabonaßaro, Athir secundum Ægyptios die 20. sequente 21. in mane.* Quæ dies, iuxta indicatum Canonem cadit in Ianuarij 18. Anni 272. ante Epocham Christi, & si addas his annos 52. incides in annum 324. quo Alexandrum Magnum mortuum esse ostendimus cap. 4. nu. 7. & cum his cohærent, quæ idem Ptolemæus de annis Dionysianis collatis cum annis Nabonassari, vel Alexandri vt lib. 9. c. 7. & 10. & lib. 11. c. 3. Qui autem Philadelphi solius initium, mortuo iam Lagide, considerant, vt Eusebius, Torniellus, & alij non mirum si illud consignant anno vno seriùs, nempe Olympiade 124. idest ante Ep. Christi 284. Quoniam tamen verum initium Philadelphi cadit circa initium Aprilis anni 285. quo tempore annus 4. Olympiadis 123 non incœpit nisi ab æstiua Neomenia circa initium Iulij, ideo reuera initium Philadelphi pertinet ad Olympiadis 123. annum 3. adhuc durantem, sed exeuntem potiùs: At Salianus ad annum mundi 3768. perinde ac si pertineret ad annum 3. Olymp. 123. ineuntem Philadelphi initium anno vno, quoad titulum anni, citius ponit, quàm oportet, videlicet anno quidem 285. ante Christum, sed qui est ipsi 286. ante Dionysianam Epocham, seu vulgarem Christi Epocham, vt patet ex tomo eius 6. ad annum primum Christi. Fallitur & Petauius l. 10. c. 46. dum hunc dictum à Rhodijs *Soterem* ait authore Pausania. Pausaniæ enim in Atticis verba sunt: *Nam Lagi filio Soteris cognomentum Rhodij dedere.*

4 Ptolemæus Euergetes, ideſt Benefactor, filius Philadelphi regnauit annis 26. vt habet Chronicon Alexandrinum, & Eusebij, cuius filius Philopator per antiphrasim dictus ob interfectos vtrumq; parentem, reliquit filium quinquennem cum regnasset annos 17. ex ijsdem, & Iustino l. 30. Qui fuit Epiphanes, cuius tutelam ex testamento patris suscepere Romani; regnauitq; annis 24. ferè genuitq; ex Cleopatra filia Antiochi Magni Philometorem & Euergetem II. Ptolemæi autem Philometoris anni confirmantur charactere cœlesti: Refert enim Ptolemæus l. 6. c. 5. sic *In septimo igitur anno Philometoris qui est 574. à Nabonassaro, Phamenoth die 27. sequente 28. ab incipiente octaua hora ad finem vsq; decimæ Alexandriæ Luna defecit, vt plurimum à Septentrione digitis 7.* Ex Canone autem annorum Nabonassari, mensiumq; Ægyptiorum de quo lib. 2. & ex ipsis Tabulis Astronomicis, non potuit hic annus esse alius, quàm ante Epocham Christi 174. Aprilis 30. sequente die 1. Maij quo fuit Lunæ Eclipsis digitorum 7 ¼. Additis ergo annis 7. euadit annus primus Philometoris annus 181. ante Epoch. Christi. Addit Eusebus hunc solum regnasse annos XI. deinde cum fratre Euergete VI. excluso iterum fratre alios XVIII. atq; adeo in totum XXXV. Euergetes autem hic II. solus regnauit annos 29. dictusq; est ab abdomine *Physcon*, vt tradit Strabo l. 17. & Ioseph l. 2. contra Apionem. Ptolemæum verò Lathurum Physconis filium, alinem. Ptolemæum verò Lathurum Physconis filium, alios, & ipsum *Physconem*, & *Soterem*, & *Pothinum* cognominarunt; Is cum regnasset annos 17. pulsus est à matre Cleopatra in Cyprum eiusq; loco substitutus eius frater, de quibus Iustinus l. 39. nempe Alexander, quem aliqui Ptolemæum Alexam nominant, & suppositum Cocci matri, sed reuera filius fuit Cleopatræ, regnauitq; annos X. sed ob interfectam matrem, populi concursu pulsus, & tandem occisus est, reuocatusq; ad regnandum Ptolemæus Lathurus, qui denuo regnauit annos 8. eoq; defuncto substitutus est à Romanis Alexand. II. filius Ptolemæi Alexandri, anno ante Epocham Christi 82. sed hoc ab Alexandrinis post dies 19. necato, substitutus est Ptolemæus Alexander III. eius frater, deinde Auletes, quem etli Strabo parum accuratè dicit non multo tempore regnasse, vixisse tamen vsq; ad annum Vrbis 703. colligitur ex Cælij Epistola 5. libri 8. ad Ciceronem, data Kal. Sextilib. atq; adeo annos 5. reliqua de duobus Alexandris, & Aulete vide in Petauio l. 10. c. 46.

CA-

CAPVT VI.

De Anno Translationis LXX. Interpretum.

CONCLVSIO VI.

Translatio Sacræ Scripturæ de Idiomate Hebraico in Græcum per LXXII. Interpretes totidem diebus facta est, Ptolemæi quidem Philadelphi tempore; sed viuente adhuc patre eius Ptolemæo Lagi, & Demetrio Phalereo in aula eius versante, anno ante CHRISTI Epocham 285. aut 284.

1 CVm esset periculum, ne Iudæi Gentibus Sacras literas inuiderent, in quibus multa, & luculentissima de CHRISTO Saluatore non Iudæorum modò, sed & Gentilium testimonia continentur, aut ea loca, quæ contra ipsos proferenda erant, corrumperent; pertinuit ad Diuinam Prouidentiam multo ante Mediatoris IESV CHRISTI aduentum disponere, vt Sacri, ac Deifici codices ad Gentilium notitiam peruenirent, & in aliud Idioma translati propagarentur, ita & conseruarentur ab alijs, vt non esset possibile Iudæis tot, ac tã diuulgatos Codices præoccupare, aut corrumpere: & è contrario Apostoli, & Euangelistæ, ac primitiuæ Ecclesiæ Patres possent, sicut reipsa fecerunt, vti Sacra Scriptura, quam Iudæi negare non possent fideliter translatam ab ipsis doctissimis Hebræis, & vtriusq; linguæ Græcę scilicet, & Hebraicę peritissimis, ac probitate vitæ conspicuis. Consuetum est autem Diuinæ Sapientiæ, attingere quidem à fine, vsque ad finem fortiter, sed disponere omnia suauiter, & non rarò vti humanis negotijs aliorsum ab hominibus destinatis ad fines supernaturalis suæ prouidentiæ obtinendos: sicut edicto Augusti de vniuersi orbis descriptione ad Natiuitatem Christi Iudæis insinuandam, & verificandas Prophetias de loco in quo, & de familia Dauid, ex qua natus est ipsis, & nobis Saluator Mundi, qui est benedictus in secula amen. Cum ergo Ptolemæus Lagi filius, qui libris valde delectabatur, & res gestas Alexandri Magni, teste Arriano, scripsit, eiusque filius Philadelphus Bibliothecæ Alexandrinæ omni librorum genere instruendæ præfecissent Demetrium Phalereum, qui Athenis pulsus ad Lagidem Ptolemæum se iam contulerat, isq; interrogatus à Rege, quot iam Myriades librorum adessent, respondit adesse vltra 20. sed breui futuras 50. idest quingenta millia, intellige computatis opusculis omnibus, in quem numerum cõsentiunt cum Aristæa Iosephus, & Eusebius; sed quia Epiphanius refert respondisse: *Iam quidem sunt quinquaginta quatuor millia librorum, & octingenti plus minus*, verisimile est id responsum esse non prima, sed alia vice postquàm libri vndecunque conquisiti Alexandriam delati sunt, sed aucta est postea illa Bibliotheca à successoribus adeo, vt teste Ammiano Marcellino l. 22. & Gellio l. 6. cap. vlt. bello Alexandrino sub Cæsare Dictatore, septingenta librorum millia conflagrarint; esto Seneca c. 9. de tranquillit. restringat hoc ad quadringenta millia. Per eam occasionem Demetrius suggessit Regi, Iudæorum Leges dignissimas esse, vt Regia Bibliotheca illis ditetur, sed opus esse, vt ex Hebraica lingua, vel Syrochaldaica, transferantur in Græcum sermonem. Tum Rex mandauit Phalereo, vt memoriali Epistola exponeret quid facto opus esset; quod illico præstitit, concludens memorialem libellum sic: *Si ergo visum fuerit tibi Rex, scribetur ad Principem Sacerdotum Hierosolymis, vt mittat ad te ex quacunque Tribu sex viros maximè honestate vitæ, senio, & prudentia legum suarum præstantes: vt ita ex pluribus per diligentem examinationem nacti consentientem, & accuratam interpretationem, hos libros præclarè, vt res ipsa, & suæ voluntatis dignitas postulat recondamus.* Hac occasione Aristæas bene vsus, nec non Andreas custos corporis Regij, ac Sosibius suadent, vt ad facilius impetrandum dimittat in libertatem Iudæos illos, quos Ptolemæus Lagides partim in Colonias traduxerat, partim captiuos adduxerat. Iussit itaq; Rex suo nomine scribi ad Eleazarum, & indicari liberationem captiuorum; adiecitq; donaria pro templi Hierosolymitani ornatu talenta auri 50. argenti 70. & lapides pretiosiss. & alia insuper, de quibus Aristæas, & Iosephus, misitq; hæc, & epistolam per Andream prædictum, & Aristæam. Respondit Eleazar Regi humanissimè, & selectos viros peritissimos, & optimos senes, de quauis Tribu adeoq; simul LXXII. (licet rotundo numero dici soleant LXX.) ad Regẽ misit, qui conuiuio excepti, & deindè per Demetriũ in loco idoneo separatis cellis adsignatis, collocati, totidem dierum numero, ideſt LXXII. miro consensu ne apice quidem vno discrepantes, nec sine speciali Spiritus Sancti directione, eodem modo interpretati sunt non solum libros Moysis, vt cum Iosepho, & Philone quidam putarũt, sed etiam libros Psalmorum, & Prophetarum &c.

2 De prædicta Translatione primus omnium historiam scripsit ipsemet Aristæas, siue Aristæus Legatus Regis Ptolemæi, qui omnibus interfuit, quam mendis expurgatam, & commentarijs illustratam edidit Coloniæ Iacobus Middendrophius anno 1578. deinde Iosephus Hebræus lib. 12. antiquit. c. 2. Philo lib. 2. de vita Moysis, eiusq; meminerant. S. Iustinus Martyr Samarita, & peritiss. rerum Iudaicarum in exhortatione ad Græcos, S. Irænæus lib. 3. c. 25. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum; Tertullianus in Apologetico c. 18. S. Cyrillus Hierosolymit. Cathechesi 4. l. 5. c. 8. S. Epiphanius lib. de ponderibus, & mensuris. S. Augustinus l. 18. de Ciuit. Dei c. 42. & l. 2. de Doctrina Christiana c. 15. Theodoretus in oratione de translationibus, quam recitat Castrius, & Eugubinus; item Ruffinus l. 2. contra D: Hieronymum; Talmudistæ ipsi apud Marianam c. 14. & Iustinianus in Nouella constit. 146. Eusebius l. 8. de Præp. Euang. c. 2 prouidentiam Dei tanto ante admirans, ex recentioribus autem Leo Castrius in disput. de Translationibus Sacræ Scripturæ; Eugubinus in libello de editione vulgata; Petrus Galatinus de arcanis l. 1. Ludouicus Viues in citatum lib. S. Aug. de Ciuit. Baronius tomo 2 Annal. ad annum 231. Bellarminus tomo 1. Controu. l. 2. c. 5. & 6. Augustinus Iustinianus opusc. de 70. Interpretibus; Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. Sanctæ hær. 13. Salmeron tract. 1. prolegom. 5. tomo 1. in defens. lib. 2. cap. 6. Lipsius de Bibliothecis c. 2. Salianus tomo 5. Annalium ad Annum Mundi 3775. eruditissimè & Mariana opusc. pro vulgata editione, Isaacus Vossius disert. Chronologica de 70. Interpretum Translatione. Mei porrò instituti hic non est examinare quid senserint, aut de Aristææ opusculo, quod nunc circumfertur, diuersi Doctores, quid de 72. cellulis S. Hieronymus, quid de admirabili consensu Interpretum, aut Iudæi post Christi aduentum, aut Sectarij in dubium reuocarint; sed solum inquirere, quæ ad rationem temporum spectant, ne Chronologicis argumentis contra Translationem hanc, eiusue circumstantias communiter admissas abutantur exemplo Scaligeri in animaduersionibus in Eusebium, negantis eam Translationem factam esse suasu, & postea interuentu Demetrij Phalerei, vtpotè de medio sublati, aut electi ab aula quando ea facta est, & alia similia cauilosè obijcientis. Proinde in Conclusione diximus Translationem hanc factã *In principio, seu primo biennio Ptolemæi Philadelphi*, anno videlicet antè Christi Epocham 285. vel 284. Deinde *viuente adhuc Ptolemæo Lagide*; postremo, *versante in aula adhuc Demetrio Phalereo*, quæ tria singillatim comprobanda sunt.

Prima pars Conclusionis de Principio Philadelphi Annoq; 285. vel 284.

3 TRanslationem LXX. Interpretum factam esse regnante iam Philadelpho affirmant cum Aristæa, Philone, & Iosepho Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, & maxima pars recentiorum, sed factam in principio Regni eius primo, aut secundo anno, seu intra biennium illud, quo cum patre viuo regnauit, sentiunt cum Aristæa, & Iosepho, Petauius in Chronico ad annum ante Christum 284. & in notis ad Epiphanij lib. de pond. & mens. pag. 379.

Isaacus Vossius disert. de Translatione hac c. 2. & 3. & videtur colligi ex ipsa Epistola Regis ad Eleazarum, quam recitat Aristæas, & Iosephus, vbi captiuorum Iudæorum redemptionem, & petitionem Interpretum statim *ab assumpta Regni administratione* factam significat: Sed fortius id confirmabitur, si ostenderimus ita factam sub Philadelpho regnante, vt tamen facta sit, & viuente adhuc Ptolemæo Lagide, & Demetrio Phalereo in aula regis versante: Iam enim ostendimus præcedenti capite num. 2. Ptolemæum Philadelphum ante mortem patris regnasse duobus licet non totis annis, & numero 3. Philadelphum regnare cœpisse anno 285. ante Epocham Christi circa initium Aprilis; infra autem ostendemus, Demetrium non permansisse in aula post Lagidæ mortem, & tamen ipso in aula versante factam esse Translationem. Errarunt ergo omnes illi, qui Translationem hanc ante annum 285. ante Christum factam esse Translationem. Errarunt ergo omnes illi, qui Translationem hanc ante annum 285. ante Christum factam putarunt nempe Theodoretus in oratione indicata apud Eugubinum, & Castrium, Posseuinus l. 2. Bibliothecæ c. 8. & Io. Mariana opusc. citato, qui asserunt factam anno CCCI. ante Christum, & peius Sixtus Senensis, quatenus factam ait anno 350. quod tamen destruit dicendo factam Olympiade CXXIV. hæc enim cœpit anno 284. ante Christum, & quoad hoc bene dixit, nec longè aberrauit Eusebius eam indicans in Chronico factam anno 2. vel 3. dictæ Olympiadis, aut Baronius supponens factam anno 280. ante Christum, qui ipsi est 282. ante initium Aeræ Dionysianæ.

Secunda pars de Translatione facta superstite Ptolemæo Lagi.

4 HOc pariter affirmant Petauius, & Vossius adducti pro 1. parte Concl. & affirmarunt antea S. Irenæus l. 3. c. 25. & Clemens Alex. l. 1. stromatum, non negans tamen factam etiam sub Philadelpho, & pro eadem adducit Salianus Anatolium apud Eusebium l. 7. hist. Eccl. cap. 26. quod in meo Codice non reperi. Ad id verò firmandum præmittenda sunt ex Aristæa, & Iosepho l. 12. antiquit. c. 2. verba illa quibus excepit Rex LXXII. seniores. *Diem quidem aduentus eorum tam gratum sibi confessus est, vt quoad viueret per singulos annos redeuntem eius memoriam colere se velle promitteret: forte enim eadem erat, qua Antigonum nauali prælio vicerat, voluitq; vt conuiuio suo interessent &c.* Quærunt Scaliger & alij, quæ nam fuerit hæc victoria & quando? Respondemus fuisse Olympiadis CXVIII. anno tertio, quando Ptolemæus Lagides Atigoni copias terrestres, ac Demetrij eius filij Classem ab ingressu in Ægyptum, æstu maris etiam cooperante, repulit, vt constat ex Pausania in Atticis, Plutarcho in Demetrio, & Diodoro Siculo libro 20. qui fusè hanc victoriam describit, post quam enim dixit: *Rectore Athenis Charino, Romani crearunt Consules P. Decium, & L. Fabium: apud Eleos Olympias agebatur duodeuigesima supra centesimam*: qui annus ex Consulari, & Olympiadica nota erat 308. ante Epoc. Christi, deinde pro anno altero nominasset, *Consules App. Claudium, & L. Volumnium Archontemq; Athenis Anaxicratem*; ac tandem pro sequenti anno, idest 3. dictæ Olympiadis, *Archontem Corybum, & Consules Q. Marcium, & P. Cornelium*, & sub his Antigonum, ac Demetrium cum classe repulsos ab Ægypto per Ptolemæum Lagidem, coactosq; in Syriam reuerti, subiungit: *Ptolemæus hostium discessu gauisus, & pro beneficijs acceptis, facta re diuina, splendidè amicos conuiuio excepit, & per literas Seleucum, Lysimachum, & Cassandrum de rerum suarum prospero successu, & multorum ad se defectione certiores fecit. Ipse iam secunda vice ab hostium iniuria Aegyptum tutatus, & eam se quasi hasta partam obtinere ratus, Alexandriam reuertit*; Anno enim antecedenti partim victus ab Antigono, partim victor se Regem Aegypti nominarat, vt diximus cap. 5. num. 1. Pausanias quoq; lib. 1. in Atticis nominato expresse Ptolemæo Lagide ait: *Hyeme verò acta Demetrius Cyprum cum classe profectus Menelaum primò Ptolemæi præfectum nauali prælio, deinde Ptolemæum ipsum propius accedentem vicit, mox in Aegyptum fugientem persecutus terra Antigonus, mari Demetrius vrgebant. Ptolemæus omni ex parte periculo circumuentus, præsidio tamen ad Pelusium constituto, triremibus è flumine in hostem deductis, ita restitit; vt suum sibi regnum facile tutatus sit: Antigonus quidem ex præsentium rerum difficultate occupandi Aegyptum spem omnem abiecerat.* Diodorus quoq; tempus anni designat dum ait paulo post occasum Pleiadum id factum, & sub finem hyemis, dum dicit naues Demetrij ad Cassinum non procul à Nilo distantem, ac hybernis temporibus inaccessibilem substitisse in anchoris, pauloq; post accessisse ad ostia Nili &c. Plutarchus demum in Demetrio: *Porrò Antigonus Cyprica victoria elatus, statim expeditione contra Ptolemæum suscepit, ipse terra copias ducens, Demetrio magna cum classe iuxta nauigante &c. itaq; ipse in terrestri itinere multas difficultates expertus, Demetrio ita tempestatum vi iactato &c. infecta re domum redijt.* Hæc igitur est illa victoria Ptolemæi Lagidæ de Antiocho, cuius memoriam quotannis conuiuio celebrare solitus erat, nempe verno tempore, vt ex Diodoro, & Pausania didicimus; quare cum Aristæas, & Iosephus dicant Translationem absolutam fuisse diebus LXXII. par est absolutam fuisse sub ipsum æstatis initium, vel æstate iam inita. Nullam verò apud Historicos nacti sumus victoriam Ptolemæi Philadelphi de Antigono, quæ ad rem faciat, & pro qua conuiuia annua instituerit: Nam Pausanias post narratam Ptolemæi Lagidæ victoriam, de qua supra, & subsidia ab eo missa Rhodiensibus subdit: *Antigonus igitur æquè Rhodiensi, ac prius Aegyptiaca expeditione infeliciter tentata, non ita multo post contra Lysimachum, Cassandrum, & Seleucum acie dimicare ausus magnam exercitus partem amisit, ac postea belli aduersus Eumenem diuturnitate confectus è vita decessit*, vtiq; octogenario maior, vt ex Plutarcho in Demetrio habemus: Pergit deinde Pausanias: *Antigono verò mortuo Ptolemæus Syriam in Cyprum iterum subegit &c.* pauloq; post narrat quomodo Ptolemæum Philadelphum successorem sui declararit. Ergo Philadelphus iam Rex nullam de Antigono I. victoriam reportauit, sed fuit Lagides. Eam vero victoriam, quam de Antigono II. Gonata Demetrij filio reportatam Sigonius lib. de tēporibus Atheniensium confert in annum 3. Olympiadis 129. seu Philadelphi 25. ad rem non facere patet, tum quia hoc tempore non viuebat Demetrius Phalereus, sub quo facta est translatio, tum quia non ipse Philadelphus, sed Patroclus insubsidium ab eo missus est Athenienſibus ab Antigono obsessis; at hoc non fuit tanti, vt ob id Philadelphus annuam celebritatem deberet instituere, præsertim cum Pausanias lib. 3. de hac expeditione agens, nullam Patrocli, aut Ægyptiorum victoriam memoret, sed dicat tantum: Atheniensibus subsidio missum cum classe Patroclum ab Ægyptijs, & paulo post obtulisse se Patroclum Lacedæmonijs, qui Duce Areo in subsidium Athenienſium venerant, incursurum se à tergo Macedonas, si Lacedæmonij cum Antigono prælium committerent, sed Areum ob commeatus inopiam exercitum suum, prælio illo neglecto, reduxisse domum, & interim Athenienſibus acriter resistentibus Antigonum pace cum eis inita, præsidioq; in Musæo impositio inde recessisse: itaque Patroclus, & Aegyptij ne pugnarunt quidem cum Antigono, tantum abest vt Philadelphus tunc victoriam dignam anniuersario conuiuio adeptus sit.

5 Maneat igitur Ptolemæum illum, qui ob victoriam de Antigono reportatam conuiuium, & celebritatem anniuersariam instituit, & per eam opportunitatem septuaginta duos Seniores conuiuio excepit, fuisse Ptolemæum Lagi filium, ideoq; id attribuendum Philadelpho à Iosepho, quia huic iam Lagides regnum tradiderat, & ob summum consensum inter eos, de quo ex Iustino satis diximus c. 5. nu. 2. quæ alteruter faciebat altero approbante fiebant, & sic de vtriusque consensu inuitatos fuisse, & de vtriusq; consensu dimissos Iudæos captiuos in libertatem. Nec mirum si Iosephus suppressit nomen Lagidæ, cui infensus adeo erat, propter abductos in captiuitatem Iudæos, centum viginti millia, & die Sabbati dolosè captam Hierosolymam, vt ipsemet refert l. 12. antiq. c. 1. vbi etiam dicit immeritò dictum *Soterum*; sed ita dictus est à Rhodijs, quos seruarat, vt tradit Pausanias. Itaq; Translationem LXX. Interpretum procul dubio factam dicimus Ptolemæi Philadelphi anno primo, aut secundo, viuente, & consPirante Ptolemæo Lagide, neque ab hoc negotio Philadelphum impediri potuisse turbis fratrum regno exutorum, vt inaniter putat Scaliger,

ger, tum quia viuente Lagide nullæ fuerunt, & summo studio populi acceptatus est Philadelphus in Regem, vt supra ex Iustini l. 16. diximus, tum quia hoc negotium non erat tale, vt etiam occupatum alijs curis Philadelphum deberet impedire.

Tertia pars Conclusionis de Demetrio Phalereo.

6 TRanslationem Sacrorum Bibliorum per LXX. interpretes factam suasu Demetrij Phalerij testantur Aristæas in historia de hac re, Iosephus l. 12. antiq. c. 2. & l. 2. contra Apionem, Eusebius l. 8. de præp. Euang. c. 1. Clemens 1. Stromatum, Tertullianus, c. 18. Apologetici, Epiphanius de pond. & mens. S. Cyrillus Cathech. 4. & Aristobulus in Epistola ad Ptolemæum Philometonem, & cum his omnes recentiores, qui hac de re; sed non solum fuasisse id, sed interfuisse & vt ait Aristobulus πραγματευσάμενον τὰ περὶ τούτων: idest *circa hæc elaborasse*: nam & ipsi demandatum est à Rege, vt Senes illos domum prope Pharum deduceret: audiamus Iosephum post conuiuij narrationem dicentem. *Quarto deinde die Demetrius assumptis ijs* &c. *assignauit eis domum remotam à strepitu* &c. deinde: *Versione autem legis intra Septuaginta duos dies absoluta, Demetrius aduocatis omnibus Iudæis in locum, vbi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem; concio verò, & Seniorum interpretationem approbauit, & Demetrium ipsum collaudauit.* reliqua vide ibi. His positis disquirendum est quandonam Demetrius Phalereus ad Ptolemæum Lagidem se contulerit, & quandiu in aula regia permanserit, vixeritue. Quoad primum Diodorus Siculus l. 20. ait *Rectore Athenis Charino Romani crearunt consules P. Decium, & L. Fabium: apud Eleos Olympias agebatur duodeuigesima supra centesimam*, & anno sequenti ait: *Transacto anno Athenis rempublicam regebat Anaxicrates Romæ Consulatum inierunt Ap. Claudius, & L. Volumnius. Horum tempore Demetrius Antigoni filius* &c. narrat enim captum ab eo Piræum fuisse & mox addit *Demetrius Phalereus in vrbem confugit: postero die missus cum alijs ad Demetrium à populo legatus, qui de libertate & sua salute verba faceret, honorificè acceptus est, & de rebus Athenienſium desperans, Thebas se recepit, inde ad Ptolemæum in Aegyptum confugit. Igitur cum decem annis vrbi præfuisset hoc modo patria pulsus est.* Ergo ad Ptolemæum Lagidem (is enim tunc regnabat) confugit Phalereus anno 2. Olympiadis 118. nempe ante Christum 307. Audiatur nunc Diogenes Laertius in huius Demetrij vita: *Hermippus eum tradit post Cassandri necem Antigoni metu, se ad Ptolemæum Soterem contulisse, multumq; illic temporis commoratum, inter cætera consuluisse Regi, vt filijs, quos ex Eurydice susceperat regnum impertiret; illo non obtemperante, sed ei, quem ex Berenice genuerat diadema tradente, ab hoc ipso post patris mortem fuisse asseruatum in prouincia, quoad aliquid de illo statuisset. Hic ille mœstior vixit, ac veluti dormitans ab aspide manum morsus, ex vita migrauit, sepultusq; in Busiride regione prope Diospolim.* & paulo post addit: *Porrò Heraclides in Epitome successionum Sotionis, narrat Ptolemæum voluisse concedere Philadelpho regnum, illumque prohibuisse dicendo: si alteri dederis, ipse non habebis.* Etsi verò in hoc falsus est Hermippus, quod Demetrij fugam ponit post Cassandri necem, si quidem non est mortuus nisi Olympiade 120. ex eo tamen & Heraclide colligitur duplici de causa fuisse inuisum Philadelpho, nempe quod conatus sit impedire ipsius assumptionem in Regem viuente patre, & successionem quoq; post obitum, consulendo, vt filijs Eurydices ea deferretur: Sed tamen ex hac ipsa narratione conficitur, non modo Demetrium Phalereum viuente Ptolemæo Sotere versatum in aula, & quia gratus erat Soteri, Philadelphum quoq; dissimulasse offensionem animi sui (si tamen tunc & non postea resciuit Demetrij consilium) sed etiam mortuo patre illum in viuis reliquisse donec deliberaret quid de viro tam bene merito de patre, & de Bibliotheca sua statueret, non tamen in aula retinuisse, sed in prouincia retentum ablegasse in Regionem Busiridem, vbi mortuus est morsu aspidis siue casu dum dormiret in campo vel horto, siue consultò admoti ad venam manus: Nullo igitur argumento ex infensione Philadelphi colligit Scaliger, Demetrium Phalereum non fuisse à Philadelpho adhibitum ad Translationem Sacræ Scripturæ procurandam. Contra verò ex ipsa illa Hermippi narratione conficimus, eum non nisi post Ptolemæi Lagidæ obitum ablegatum esse ab aula, cumq; aliunde constet eum interfuisse illi Translationi, necesse esse vt facta fuerit viuente adhuc Lagide, & versante adhuc Demetrio in aula Regis.

7 Sed quia translationi prædictæ interfuit etiam Menedemus, de hoc etiam dicendum breuiter. Iosephus l. 12. antiquit. c. 2. narrat eum interfuisse illi conuiuio, quo Ptolemæus excepit LXX. interpretes: *Si quis autem*, ait Iosephus, *cupit cognoscere quæstiones agitatas eo conuiuio, legat Aristæi librum, quem de hoc argumento conscripsit. Quos sermones, cùm non solum Rex admiratus esset, sed Menedemus etiam Philosophus fateretur omnia gubernare prouidentiam, eoque facilius tueri hanc sententiam, finis est huic quæstioni impositus.* Tertullianus quoq; in Apologet. c. 2. *Ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Iudæis subscriptum est, septuaginta duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoq; Philosophus, prouidentiæ vindex, de sententiæ communione suspexit:* idest de admirabili concordia in interpretando. Diogenes Laertius l. 2. in vita huius Menedemi Eretrienſis, ait eum crebris legationibus ad Ptolemæum, Lysimachum, & Demetrium functum esse, & vbiq; honoratum, accusatumq; quod vellet Eretriam patriam suam Ptolemæo tradere, diluisse illam calumniam, deniq; mortuum anno 75. ætatis, & fuisse Platonis auditorem: at Plato mortuus est anno 348. ante Christum, ex dictis cap. 3. hoc est annis ante Philadelphi primum annum (qui fuit 285. ante Christum) 67. ergo non multis mensibus post initium Philadelphi vixit: nam etiam si fingamus audisse Platonem anno eodem, quo Plato obijt non habuisset tunc plures quàm annos 10. Hinc ergo redarguuntur falsitatis, qui Translationem hanc multis annis post Philadelphi initium collocant.

Errarunt itaq; Epiphanius Translationem LXX. tribuens anno non 17. sed vt ex Græco liquet 7. anno Philadelphi, cum quo Salianus, & multo magis qui vitiosum Epiphanij textum secuti sunt de anno 17. Philadelphi, vt Bellarminus, ac Lipsius, & ex Sectarijs Beroaldus, Buntingus, Caluisius, Codomanus, Functius, ac Temporarius; item qui annum 25. Philadelphi assignarunt, ideſt ante Christum 260. vt Sigonius apud Salianum; item Scaliger in Eusebium ad annum 1734. qui Africani authoritate adducta confert Translationem in Olympiadem 132. ideſt annum 252. ante Christum; & Petrus Galatinus, qui in annum circiter 250. & Ludouicus Viues, qui sub finem vitæ Philadelphi non alia coniectura, quàm quod tunc impotens bellandi studijs se literarum addixerit. Torniellus quoq; ad annum Mundi 3798. & Spondanus ad annum 3793. inclinant in opinionem, Africani, Scaligeri, et ferè Galatini.

9 Vtrũ verò Iesus Siracides Senior fuerit vnus ex LXXII. interpretibus aut sub illud tempus Ecclesiasticum conscripserit vide apud enarratores Ecclesiastici, præcipuè Cornelium à Lapide in Prolegomenis c. 2. Iesus autem Siracides Iunior, in prologo ante Ecclesiasticum ab auo suo conscriptum ait: *Nam in octauo, & triceſimo anno temporibus Ptolemæi Euergetis Regis, postquam perueni in Aegyptum, cum multum temporis ibi fuissem inueni ibi libros relictos, non paruæ, neque contemnendæ doctrinæ.* Anni autem illi 38. computari nequeunt ab initio Euergetis, quia regnauit Solum annos 26. ergo: inquit Scaliger l. 5. pag. 434. computat illos ab initio Philadelphi, et æræ Dionysianæ. Petauius autem in notis ad Epiphanium pag. 383. et l. 10. de Doctr. temp. c. 44. censet Scaligerum ariolari, et Dionysianam æram fuisse merè Astronomicam, nec traductam in vsum ciuilem; et probabilius à Siracide intelligi annum post quem in Aegyptum venerat. Sed quare non potuit Siracides vti annis Philadelphi tanquam Epocha iam celebri apud Iudæos quoque ob translationem Sacræ Scripturæ, et solutam captiuitatem de qua supra? Quidquid esto, certum est Ecclesiasticum conditum esse ante Ptolemæi Euergetis tempus.

CAPVT VII.

De Seleucidarum Aera Dhylkarnain, ac duplici Syro-Græcorum Epocha in libris Machabæorum cum Epocha Christi connectenda.

CONCLVSIO VII.

Licet Seleucidarum, seu Syro-Græcorum Epocha, Arabicè dicta Terik Alexandri Dhylkarnain, *incipiat ab Octobri Anni XII. post obitum Alexandri Magni, & CCCXII. ante CHRISTI Epocham; Seleucidarum autem Chaldaica Epocha Babylone incipiat ab Idibus circiter Octobris Anni XIII. post obitum Alex. Magni, & CCCXI. ante Ep. CHRISTI. Anni tamen Græcorum in primo Machabæorum libro Iudaico more computantur à Nisan Anni CCCXII. ante Epocham Christi; at in secundo libro computantur à Tisri subsequenti eiusdem anni CCCXII. more fere Syro-Græcorum, quibus Auctor forte in Syria versans, vel educatus voluit se conformare, sicut fecit in nominibus Mensium.*

1 MOrtuo Alexandro Magno, eiusq; Monarchia in diuersas Satrapias diuisa, post varios bellorum euentus, duo noua, & potentissima regna fundata sunt in Oriente (Macedonicum enim in Europa non fuit nouum Regnum) videlicet *Ptolemæorum* in Aegypto, quod durauit annos 294. iuxta dicta cap. 5. & Seleucidarum in Asia, quod durauit annos 246. Nam *Seleucus* à victorijs dictus *Nicanor*, adiuuante Ptolemæo Lagi Rege Aegypti, deuicto Antigono, ac Demetrio, ac Babylone recuperata potitus est etiam Syria, ibique Anthiochia fundata nouæ occasionem Epochæ annorum dedit, quæ denominata est, Aera *Alexandri Dhylkarnain*, & *Seleucidarum*, & *Chaldæorum*, & *Græcorum*, seu *Syro Græcorum*, & à Iudæis *Aera contractuum*. Quæ nomina prius explicanda sunt antequam diuersa initia harum Epocharum discernamus. *Dhylkarnain* Arabicè, et Chaldaicè dicitur, quæ Græcè Δικέρως, ideſt qui est *Bicornis*, tadis autem dictus est Alexander Magnus, vel quia Iouis Ammonis cornigeri filius dici affectauit, cæptusque inde à Cyrenensibus cudi bicornis in Nummis, vt placet Petauio, & Scaligero l. 2. et 5. de emend. temp. fauetq; Clem. Alex. vel à columnis hinc Herculis in Occidente, inde Alexandri in India, intra quas stetit eius Monarchia, vel quia eius Imperium in Asiaticum, et Syriacũ diuisum fuit, vt placet Kriſtmanno de connexione annorum pag. 310. vel potius quia ex ipsius Monarchia exorta sunt duo illa magna Regna, et diu duratura, Ptolemæorum in Aegypto, quæ ad Africam, & Seleucidarum in Syria, et Babylone, quæ ad Asiam pertinent, ideoq; noua ratio computandi annos, dicta est *Terik Alexandri Dhylkarnain*, ideſt *Epocha Alexandri Bicornis*; et à Seleuco *Seleucidarum*, et à Babylone, seu Chaldæa, ac Syria, in qua Seleucus Græcorum Satrapa imperauit dicta est *Chaldæorum* hinc; inde *Græcorum*, seu *Syro-Græcorum*, vt & denique à Nundinis ibi, & in Syria ex tunc celeberrimis, *Aera contractuum*, qui hac æra obsignabantur. Iam diſserendum de Anno & anni parte, vnde Epochæ huiusmodi à diuersis computantur.

2 Diodorus Siculus lib. 19. postquam dixit: *Transacto hoc anno, Athenis fuit rector Polemo: Romæ Consules erant L. Papirius V. & C. Iunius: acta est eodem anno Olympias septima supra centesimam decimam.* Hæc autem incœpit ab æstate anni 312. ante Epocham Christi durante illo anno, & ijsdem Consulibus refert recuperatam à Seleuco Babylonem victo Antigono, eiusq; filio Demetrio; ab hoc igitur anno consurgit Aera Seleucidarum, et Græcorum in Syria. Idcirco quod l. 1. Machabæorum c. 1. dicitur, *Die quinta decima mensis Casleu, quinto, & Quadragesimo, & centesimo anno Græcorum ædificauit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super altare Dei.* Id Iosephus l. 12. antiq. c. 7. ait factum anno 145. postquam Seleucus regnare cœpit in Syria et in Asia; et Eusebius l. 2. de Demonstr. Euangelica vbi dixit: *Cum Seleucus Babylonem cepisset, Asiæ sibi diadema circumdedit anno post Alexandri mortem duodecimo*; statim adiecit: *Ab hoc ipso tempore Græcorum Regnum numerare incipit Machabæorum historia.* Rursus Albategnius de scientia Stellarum cap. 27. notat Aequinoctium autumnale à se obseruatum *Anno Dhilkarnain* 1194. *ab Alexandri morte* 1206. *die* 19. *Mensis Elul.* ideſt Septembris deme annis 1206. annos 324. quibus ante Christi Epocham mortuum Alexandrum ostendimus c. 4. nu. 7. restat Christi annus 882. quo facta est obseruatio; sed si annus hic est Dhilkarnain 1194. et Alexandri 1206. ergo Epocha Dhilkarnain annis 12. posterior est Epocha à morte Alexandri, et incœpit ab autumno anni ante Epocham Christi 312. quam à kalendis Octobris Alphonsini, et Arabes computare solent spectato anno Fixo. Sed de duplici anno Syrorum vno fixo, altero vago, et æquabili videatur Kriſtmannus in kalendario Syrorum pag. 226. Petauius lib. 4. de doctrina temporum c. 26. et Bullialdus lib. 2. Astronomiæ Philolaicæ, vbi contra Scaligerum, et Buntingum ostenditur obseruationem illam Albategnij cadere non in annum 883. sed 882. Christi Septemb. 19. hora 1 ¼. post mediam noctem. Præterea Albategnius c. 30. duas Eclipses Lunæ à se obseruatas refert, vnam anno ab obitu *Alexandri* 1206. *æra Dhylkarnaim* 1194. die Tamuz 23. hora fere 8. post merid. Aractæ; alteram anno ab obitu *Alexandri* 1224. *& Dhylkarnaim* 1212. die 2. *Ab* hora 15 ¾. post merid. Antiochiæ: Priorem Eclipsim Tabulæ Astronomicæ repræsentant anno Christi die 23. Iulij, & posteriorem anno 901. Augusti 2. Quoniam verò anni Philippici à morte Alexandri non computantur nisi à die 12. Nouembris, iuxta dicta c. 4. nu. 7. vel fixo initio anni à kal. Octobris, & in neutra obseruatione adhuc erant completi anni Alexandri, & Dhylkarnaim, sed currentes adhuc, eorum initium incidit in annum Christi antecedentem. Interim si annus ab obitu Alexandri 1214. est Dhylkarnaim 1212. ergo hic incœpit anno 12. post Alexandri Epocham, atque adeò anno 312. ante Epocham Christi. Postremò Albategnius eodem cap. 30. affirmat obseruatam à se Arachtæ Solis Eclipsim anno ab obitu *Alexandri* 1214. *& Dhylkarnaim* 1202. Augusti die 8. hora 1. min. 9 post merid. quàm Tabulæ Astronomicæ exhibẽt anno Christi 891. Augusti die 8. digitor. 9 ½. ergo hinc pariter initium Æræ Seleucidarum, seu Dhylkarnaim est annis 12. Serius Epocha à morte Alexandri Magni est; hæc opinio communis iam Chronologorum.

3 Sed licet in Syria, vbi Albategnius obseruabat, Aera Syro-Græcorum cœperit ab autumno anni 312. ante Ep. Christi, seu anno 12. ab obitu Alexandri Magni, dubitari tamen potest an Aera Chaldæorum Babylone eodem anno cœperit, an anno subsequenti nempe 13. ab obitu Alexandri, & 311. ante Epocham Christi, hinc enim videntur aliquibus ordiri suos annos Reges ipsi Seleucidæ in Epistolis relatis in libris Machabæorum, de quibus postea. Sed ab hoc dubio liberat nos Ptolemæus lib. 9. magnæ syntaxeos cap. 7. vbi obseruationes duas Mercurij refert factas, vnam anno 67. *secundùm Chaldæos, Apellæi die* 5. qui est secundus mensis Macedonum, & hanc ait fuisse anno *Nabonassari* 504. *die* 27. *Mensis Thoth*; ergo ex Canone annorum Nabonassari, et mensium Aegyptiorum, quem præmissimus l. 2. fuit ille annus ante Epocham Christi 245. et dies Nouemb. 18. quare Neomenia Apellæi fuit die 13. Nouembris iuxta Nouiluninm medium, et anni Chaldaici initium, seu Neomenia primi Mensis Dij, in Idus ferè Octobris incidit anni 245. quo die completi erant anni Chaldaici 66. qui additi anno 245. dant initium Aeræ Chaldaicæ in Octobri anni 311. ante Epocham Christi. Secundam Mercurij obseruationem Ptolemæus eodem l. 9. c. 7. refert factam *Anno* 75. *secundùm Chaldæos, die* 14. *Dij mensis*, quam ait incidisse in *Nabonassari annum* 512. *die* 9. *Thoth*. Ergo ex Canone, de quo supra, fuit annus ante Epocham Christi 237. die 29. Octobris, et Neomenia Dij, seu initium anni

anni Chaldaici die 15. ac rursus circa Idus Octobris; adde iam annis 237. annos Chaldæorum 74. completos ea die, & consurgit Epochæ huius initium in Octobri anni 311. ante Epocham Christi. Postremò Ptolemæus lib. 11. cap. 7. refert Saturni obseruationem factam *Anno 82. secundùm Chaldæos Xanthici die* 15. Mensis Syromacedonum, additq; fuisse tunc *Nabonassari annum* 519. *Tybi* 14. qui ex Canone, de quo supra, fuit annus ante Christum 231. & dies prima Martij, ergo Neomenia Xanthici fuit die 24. Februarij, & Neomenia Dystri Ianuarij 24. & Dij 20. Septemb. circiter anni 230. ante Ep. Christi, sed ob intercalationem menstruam in anno Embolimæo, cecidit in Octobris diem 20. circiter, aut ciuiliter non procul ab Idibus. Adde igitur annis 230. annos Chaldæorum completos 81. & habebis Aeræ Chaldaicæ initium in Octobri anni 311. ante Epocham Christi. Scitè igitur Keplerus in Tabulis Rodulphinis pag. 37. Chaldaicæ Seleucidarum Æræ initium fixit ad Idus Octobris anni 311. ante Christum, & Kristmannus de connexione annorum pag. 313. aduertit Ptolemæum computare Regnum Chaldæorum à Seleuco Nicanore anno 13. ab obitu Alexandri, nec dissentiunt imò assentiuntur Scaliger lib. 2. de emend. temp. pag. 97. & l. 5. pag. 431. Petauius lib. 2. de doctr temp. c. 22. vbi tamen periodum Alexandream à Scaligero confictam reijcit. Langius verò l. 2. de annis Christi c. 17. ait Chaldæos, seu Babylonios inire Seleuci annos, ab anno periodi Iulianæ 4403. qui est ante Ep. Christi 311. sed à Vere, non ab Autumno, quia confundit annos Iudaicos à Nisan inchoatos, cum Chaldaicis.

Secunda pars de Annis Græcorum in Machabæorum historia vsitatis.

4 QVia in gestis eiusdem temporis anni vnius quoad denominationem differentia crebro reperitur inter auctorem libri primi, & libri secũdi, ideo quidam putauerunt auctorem libri primi vti Aera Syromacedonum, libri verò secundi auctorem vti Aera Chaldaica, & vno integro anno dissidere à libri computatione; Aliqui verò eos sex tantum mensibus, aliqui 18. mensibus inter se differre, & aliqui imprudentissimè hinc ausi sunt reuocare in dubium auctoritatem canonicam horum librorũ. Oportet igitur ad veritatem illustrandam proferre in medium loca ipsa Sacri Codicis.

Libro 1. Macab. c. 1. versu 11. nominatur Epocha deinceps vsurpanda sic: *Et exijt ex eis radix peccatrix Antiochus illustris filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses, & regnauit in anno centesimo trigesimo septimo Regni Græcorum.* Deinde cap. 6. versu 16. de eodem dicitur: *Et mortuus est illic Antiochus Rex, anno centesimo quadragesimo nono*: at l. 2. c. 11. eius successor Antiochus Eupator, Lysiæ pro Iudæis postulantibus facultatem viuendi iuxta patrias leges deprecanti annuit, & ipsis Iudæis scripsit obsignans literas sic. *Valete Anno centesimo quadragesimo octauo, Xanthici mensis quinta decima die.* Quæ dies ex lib. 1. cap. 20. num. 4. incidit in Aprilis Iuliani diem 8. ergo libri 2. auctor vno anno quoad denominationem serius incipit numerare, cùm annum 149. quo mortuus est Epiphanes, appellet 148. Consule iam libri 1. cap. 20. num. 2. & 4. & subtrahe Anno 312. quo cœpit Syro-Græcorum Aera, annos 148. restabit enim annus ante Christum 164. quo mortuus est Antiochus Epiphanes, anno autem 164. Aprilis 8. absolutus iam erat annus 148. à Nisan inchoatus, & incœperat iam 149. à Nisan; sed inchoando annum à Tisri, idest ferè Septembri anni 164. vtiq; anno 164. ante Christum die 8. Aprilis, adhuc currebat Græcorum annus 148. nulla igitur repugnantia in hoc.

Libro 1. Machab. cap. 6. versu 20. Iudas obsidere dicitur Arcem: *anno centesimo quinquagesimo*; & tamen lib. 2. cap. 13. narratur soluta hæc obsidio ab Antiocho Eupatore *Anno centesimo quadragesimo nono*, quia hoc 2. libro anni à Tisri initi sunt, cũ in lib. 1. ineantur à præcedente Nisan.

Libro item 1. Machab. c. 7. narratur Demetrius filius Seleuci Roma in Syriam venisse, & interemisse Antiochum, ac Lysiam *Anno centesimo quinquagesimo primo*, videlicet à Nisan inito; at l. 2. cap. 14. versu 2. & 4. idem dicitur factum centesimo quinquagesimo anno, nempe à subsequente Tisri computato. Nulla ergo est necessitas dicendi Auctorem libri 1. Machabæorum vti Epocha Syro-Græcorum, seu Dhylkarnaim, Auctorem autem libri 2. vti Epocha Chaldaica, & vno integro anno dissidere ab Auctore libri primi, etiam si forte posset hoc modo tolli apparens illa repugnantia.

5 Quare autem semestri tantum spatio differre primum librum à Secundo Machabæorum censeamus ratio est, quia lib. 1. c. 4. versu 52. dicitur: *Et ante Matutinam surrexerunt quinta, & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni &c.* vbi de emundatione templi, quam Iosephus l. 12. antiq. c. 11. ait incidisse in Olympiadem 154. ergo annus computatur à Nisan, respectu cuius, Casleu est nonus, Olympias autem illa incœpit ab æstate anni 164. ante Epocham Christi; Deinde annus ille, quo Iudas arcem obsidebat, & qui libro 1. cap. 6. num. 20. dicitur Græcorum *annus centesimus quinquagesimus*, fuit Sabbaticus, dicitur enim ibidem num. 49. *& exierunt de Ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta concluſis, quia Sabbata erant terræ*, idemq; confirmat Iosephus l. 12. antiq; c. 14. sed in posteriore libro c. 13. hic annus numeratur 149. certum est autem annos Sabbaticos computari à Tisri, vt omnes fatentur, & nos ostendimus lib. 1. cap. 16. non possunt autem ambo illi anni 150. & 149. in eundem annum Sabbaticum concurrere, si eorum initia plusquam semestri spatio distent, multoq; minus si anno integro, aut sesquianno. Præter locum verò supra productum, alia quoq; ex lib. 1. Machabæorum supersunt, ex quibus euincitur in hoc libro Annos Græcorum à Iudæis inchoari à Nisan, quæ indicauimus libro nostro I. C. XI. & patebit legenti, simulq; conferenti capita 7. 10. & 13. libri 1. Machab. Cum ergo optimè concilientur anni libri 1. cum annis libri 2. Machabæorum, si in primo à Nisan incantur, in secundo à Tisri subsequenti, & ab Autumno more Syrogræcorum; è contrario verò non possint saltem semper conciliari, si horum initia disiungantur 12. aut 18. mensibus, patet erasse tum eos qui 12. tum magis eos qui 18. mensibus disiungunt, aut ab anno 13. post Alexandri mortem, Machabæam Epocham computant, contra quos videri possunt Petauius l. 10. de Doctrina temporum c. 42. & 43. & parte 2. Rationarij l. 3. c. 13. & ex parte Salianus tomo 5. ad annum Mundi 3742. Keplerus quoq; intra eundem annum 312. ante Christum includit initium annorum in historia Machabæorum, sed in reb. Iudaicis à Nisan in Gentilium ab Octobri. Idem sentit Henricus Philippi in computo Ecclesiastico Viennensi c. 13. & in Manuali Chronol. p. 273. et Redanus in Machabæos pag. 105.

6 Errarunt itaq; Bedas lib. de sex ætatibus affirmans Machabæorum historiam computare Græcorum Regnum ab anno XIII. post Alexandri mortem, quod ipsum Salianus loco citato ait sentiri à Samerio, et Gordono, Pererio, & Serario. Scaliger autem lib. 5. in priori editione dixit Albategnium, & Antiochenam Ecclesiam vti Epocha *Alexandrea Seleucidarum* inita ab Octobri anni ante Christum 312. Auctorem verò libri 1. Machab. vti Epocha *Seleucidarum Iudaica* inita à Nisan anni 311. ante Christum, sed Auctorẽ libri 2. Machab. vti Epocha *Seleucidarũ Chaldaica*, inita à Nisan anni eiusdem 311. ante Christum. Sed in posteriori editione fatetur annos Græcorum ab anno 312. ante Christum iniri in vtroq; lib. Machab. sed in primo à Nisan in 2. à Tisri sequendi, quod verum est. Serarius verò Comm. in lib. Machab. parte 1. partic. 4. affirmat in primo lib. Machab. annos à Nisan computari, in 2. à Tisri non eiusdem, sed subsequentis anni cum differentia sesquianni. Anthiochenos autem solido biennio anticipare. *Torniellus* quoque ad annum Mundi 3742. & 3743. & 3744. & *Spondanus* ad annum 3743. aiunt; Seleucidarum annos incipere sub finem anni 13. à morte Alexandri, exeunte anno primo Olympiadis 117. adeoq; anno ante Epocha Christi 311. & anno sequente nempe 2. Olympiadis 117. & ante Christum 310. librum 1. Machab. exordiri suos annos à Nisan librũ autem 2. & Chaldæos computare ab anno 3. Olymp. 17. Seleuciq; secundo. *Tirinus* etiam in Chronico Sacro c. 5. & 40. inquit Græcorum Seleucidarum, & libri primi Machabæorum annos incipere ab Aequinoctio verno, anno 13. post obitum Alexandri M. sed annos Antiochenorũ, Chaldæorum, & lib. 2. Machab. ab autumnali Aequinoctio

anni

anni 14. post mortem Alexandri Magni sesquianno posterius, quam annos Seleucidarum. *Kristmannus* de connexione annorum pag. 307. ait æram Alexandrinam Seleucidarum incipere à Kalendis Octobris post æram Philippicam mortemq; Alexandri annis Aegyptijs 12. & dieb. 325. sed hanc confundit cum Chaldaica Epocha; sicut, & *Origanus* tomo 1. Ephem. pag. 24. licet rectè dicant in primo Machab. numer. à Nisan in Secundo à Tisri sequenti. *Keplerus* in Synopsi ærarum pag. 37. Rudolphinar. Tabb. censuit eodem anno ante Christum 312. annos Græcorum incipere in vtraq; historia Machabæorum, sed in rebus Iudaicis à mense Nisan in rebus vero Gentilium à Tisri, vel ab Idibus Octobris, vel ab Autumno, non secus ac Antiochenos, & Edessenos; at Arabes, & Humen Ægyptium à Kalendis Octobris, & hanc Aeram vocari Alexandri Dhilkarnaim non Seleucidarum; nam Seleucidarum æram eandem esse cum Chaldaica ineunte ab Idibus Octobris anni ante Christum 311. itaque in quæstione de nomine dissidet, in re nobiscum sensit sicut, & *Petrus Redanus* in apparatu ad Commentaria in Machabæos sect. 10. nu. 24. & 25 quoad initium annor. vtriusq; libri Machab. intra eiusdem Anni 312. sed male negant Chaldaicam æram diuersam esse à Syro-Macedonica.

Ex dictis item magis patet quàm imperitè aliqui annos Græcorum in Machabæorum libris recensitos, computarint à morte Alexandri M. aliqui verò ob apparentem repugnantiam Libri Primi, et Secundi Machabæorum, à Canone Sacrarum Scripturarum eos reijciendos suspicati sint, quorum nomina pudet referre, nedum pigeat refellere illorum dicta.

CAPVT VIII.

De Macedonum Regum Annis cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO VIII.

Macedonum Regum Quadraginta in Europa à Carano vsq; ad Perseum Regnum Durauit Annos DCXLVI. eorumq; Anni ordinandi sunt, vt in infrascripta Synopsi.

Nomina Regnum Maced.	Init. R. an. ante Ep. Chr.	Regnauit annos
Caranus Aristomachi fil.	814	28
Cœnus.	786	28
Thurimas.	758	45
Perdiccas.	715	48
Argæus Perdiccæ fil.	665	33
Philippus Argæi fil.	633	35
Europus, seu Heropus Phil. fil.	598	43
Alcetas.	555	28
Amyntas Alcetas fil.	527	49
Alexander Amyntæ fil.	479	43
Perdiccas II. Alex. fil.	436	23
Archelaus Perdic. fil.	413	14
Orestes Archel. fil.	399	3
Archelaus II.	396	4
Amyntas II.	392	1
Pausanias.	391	1
Amyntas III.	390	5
Argæus II.	385	2
Amyntas II. iterum	383	12
Alexander II.	371	1
Ptolemæus.	370	6
Perdiccas III.	364	6
Philippus II.	358	24
Alexander III. Magnus.	336	12
Philippus Ariadæus III. Alex. frater.	324	7
Cassander.	317	19
Philippus IV. Cassandri fil.	298	1
Antipater, & Alexander Cassandri filij.	297	3
Demetrius Poliorcetes.	294	6
Pyrrhus.	288	m.7
Lysimachus.	288	6
Arsinoe vxor Lysimachi.	282	m.7
Ptolemæus Keraunus filius Ptolemæi Lagidæ.	281	2
Meleager.	280	m.2
Antipater II.	280	d. 45
Sosthenes.	280	2
Antigonus Gonatas.	278	36
Demetrius II. Antigoni fil.	242	10
Antigonus Doson.	232	12
Philippus V. Demetrij fil.	220	42
Perseus victus à Paulo Aemilio anno.	178 168	10
Durauit Annos	646	

1 REgum horum successionem vidimus in Eusebio, sed cum aliqua discrepantia Græcorum exemplarium à Latinis, Dexippo in excerptis Eusebianis, Francisco Sansouino lib. 2. Chronolog. Scatente errorib. Vbbone Emmio lib. 5. Rerum Chronologicarum pag. 153. Io. Ianssonio in Atlantis maioris descriptione veteris Græciæ, vbi de Macedonia fol. 39. Tirino in Chronico Sacro cap. 41. Petauio parte 2. Rationarij temporum lib. 2. c. 14. & l. 9. de doctrina temporum cap. 49. ac paralipomenis fol. 848. & 867. Inter hos Ianssonius, & Vbbo in multis propius accessere ad veritatem, sed nemo diligentior Petauio. Concinnatus est autem Catalogus hic ex Thucydide, Diodoro, Eusebio, Iustino, Arriano, & alijs ex quibus pauca notatu digniora Selegimus.

2 *Caranus* ex genere Heraclidarum, & ab Hercule decimus sextus, vt Velleio placet, vel vndecimus, vt Dexippo Phidonis Argiuorum Regis frater, nouum regnum fundauit in Macedonia anno, vt ait Eusebius 38. ante primam Olympiadem, atq; adeo ante Christi Epocham 814. non verò 36. ante 1. Olymp. vt habet Vbbo, & Ianssonius, qui magis peccat ponendo annum quasi 830. ante Christum. *Perdiccam* autem II. qui est vndecimus à Carano, incœpisse regnare Olympiade 80. idest ante Christum 460. putat Eusebius in Chronico, Scaliger l. 2. Isagog. Canonum pag. 163. & Capellus ad annum Mundi 3540. mortuũ verò esse annis 28. post, idest ante Christum 436. At hinc sequeretur mortuum esse ante bellum Poloponnesiacum, quod incœpit anno 431. Atqui Thucydides lib. 5. hunc ipsum Perdiccam Alexandri filium, & Amyntæ Nepotem refert vixisse anno 15. belli Peloponnesiaci, eiusq; meminit Diodorus lib. 12. ad annum 2. Olympiadis 91. idcirco ex Collectaneis Eusebij, & Dexippo ordinandi sunt anni eius, & patris, sicut posuimus in Catalogo. De *Archelao* disputat contra Athenæum Casaubonus lib. 5. Animaduersionum c. 18. sed dum corrigit Athenæum, peccat in Thucydidem, & Diodorum, vt aduertit Petauius in Paralipomenis pag. 849. cuius opinio nobis visa est verior.

3 De Alexandri Magni, & successoris eius Philippi Ariadæi initijs, satis constat ex constitutis capite quarto. De fine autem Macedonici Regni victo Perseo à Paulo Aemilio anno ante Epocham Christi 168. constat ex Eclipsi, de qua dicemus occasione Consulatus Pauli libro 4. c. 3. Quare cum Regum hoc ex correctis Eusebianis numeris cœperit in Carano, anno ante Epocham Christi 814. & desierit in Perseo anno 168. patet durasse annos DCXLVI. vt in Conclusione positum est.

CA-

CAPVT IX.

De Seleucidarum, seu Syriæ Regum Annis cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO IX.

Seleucidarum, seu Syriæ Regum vigintiquatuor à Seleuco Nicanore, vsque ad Antiochum duodecimum, & vltimum, Durauit Regnum Annos CCXLVII. qui ordinandi sunt vt in infrascripta Synopsi.

Nomina Regum Syriæ.	Init. R. ann. ante Ep. Chr.	Regnauit.
1 Seleucus Nicanor.	312	32
2 Antiochus Soter Seleuci fil.	281	19
3 Antiochus II. θεὸς Soteris fil.	262	15
4 Seleucus II. Callinicus F.	247	20
5 Seleucus III. Ceraunus Callin. F.	227	3
6 Antiochus III. Mag. Callin F.	224	36
7 Seleucus IV. Philopator M. F.	188	12
8 Antiochus IV. Epiphanes, seu Illustris Antiochi M. Fil.	176	11
9 Antiochus V. Eupator Epiph. F.	164	2
10 Demetrius Soter. Philopatoris F.	162	11
11 Alexander Bala insititius.	151	5
12 Demetrius II. Nicator Demetrij f.	146	5
13 Tryphon seu Diodotus tyrannus.	141	2
14 Antiochus VII. Sidetes Demetrij Sot. fil.	139	9
Demetrius II. iterum.	129	4
15 Seleucus V.	125	1
16 Antiochus VIII. Grypus Nicatoris fil.	124	12
17 Antiochus IX. Gyzicenus, Sidetæ fil.	113	18
18 Seleucus VI. Grypis fil.	96	1
19 Antiochus X. Eusebes Cyziceni fil.	95	1
20 Antiochus XI. Grypi F.	94	0
21 Philippus Grypi fil.		0
22 Demetrius III. Eucerus Grypi fil.		0
23 Tigranes à Syris electus.	V.	
24 Antiochus XII. Asiaticus Pij fil.		

1 CAtalogum hunc Sacræ historiæ intelligendæ necessarium, suppeditarunt Eusebius in collectaneis, Franciscus Sansouinus l. 2. Chron. Vbbo Emmius l. 5. rerum Chronol. pag. 154. Henricus Philippi in Manuali Chronol. q. 4. Machab. Tirinus in Chronico Sacro cap. 40. Diligenter; Petauius; libro 10. de Doctrina tempor. c. 45. diligentissimè, & in Paralipomenis fol. 867. Salianus t. 5. ad annum Mundi 3878. Petrus Redanus in Apparatu Comment. in Machabæos sect. 10. num. 36. qui ex Iosepho, Diodoro, Strabone, Orosio, Iustino, Appiano, & alijs illum continuarunt. Initium Seleuci anno 312. ante Christi Epocham statuimus iam cap. VII. Anni verò illi, quos Sacra Machabæorum historia nobis suggerit sunt certissimè: vt cum Antiochus Illustris l. 1. Machab. c. 1. dicitur *regnasse in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum*, & lib. 1. c. 6. obijsse *anno centesimo quadragesimo nono*: subtractis annis completis 136. & 148. ab annis 312. Epochæ Seleucidarum, habemus initium eius anno ante Christum 176. & finem, ac Eupatoris successionem anno 164. Antiochus autem Eupator cum Lysia occisus est anno 151. Græcorum & regnauit eius loco Demetrius Seleuci filius, vt habetur ex lib. 1. Machab. c. 6. & 7. ergo anno 160. ante Epocham Christi; sed hoc eodem anno ex nostris Fastis Consularibus l. 4. c. 3. & 5. Stabilitis Consules fuere, Anicius Gallus, & M. Cornelius Cethegus; & quo anno occisus est Antiochus, & Lysias, obijt L. Æmilius Paulus ex lib. 46. Epitomes Liuij; obijsse verò L. Æmilium Paulum sub prænominatis Consulibus, constat ex Fastis Capitolinis, & ex titulo Aldelphon Terentij; en igitur consensus, & nexus Sacræ historiæ Machabæorum cum Romana Chronologia. Petrus Reduanus loco iam citato, Chronicon pro historia Machabæorum post Tirinum adiecit, de quo infra libro 6.

CAPVT X.

De Periodo Calippica, eiusq; Epocha Astronomica cum Epocha Christi connectenda.

CONCLVSIO X.

Periodus Calippica Annorum LXXVI. Prima quidem incœpit à Neomenia proxima Solstitio æstiuo anni CCCXXX. ante Epocham Christi; Secunda autem anno CCLIV. & Tertia Anno CLXXVIII.

1 CAlippum Cyzicenum, ex quatuor Metonicis Cyclis decennoualibus, constituxisse Periodum annorum Lunisolarium 76. detracto tamen vno die, adeoq; dierum 27759. quibus censuit exactè restitui Nouilunia ad eandem eiusdem dici horam, & Scrupulum, tradunt Ptolemæus lib. 3. Almagestic 2. Geminus in elementis Astronomicis cap 6. & Censorinus de die Natali cap. mihi 6. estque communis Astronomorum, & Chronologorum nostri, & præcedentis Seculi, præcipue Reinholdi in Prutenicis præcepto 4. Iacobi Kristmanni de Connexione annorum pag. 304. Longomontani in Astronomia Danica lib. 1. Theoricor. cap. 2. de Sole; Keplerj in Synopsi Ærarum pag. 37. Rudolphinarum; Bullialdi lib. 2. Astronomiæ Philolaicæ cap. 2. Scaligeri lib. 2. de emendatione temporum titulo de *Periodo Calippi Attica Solstitiali*, & lib. 5. pag. 421 titulo de eadem, & in Isagogicis Canonib. lib. 1. c. 8. & lib. 3. c. 8. Petauij lib. 2. de doctrina à c. 16. ad 20. & l. 10. c. 37. Triplex verò quæstio est de hac periodo, *prima* sitne Epocha eius merè Astronomica, aut à Computistis kalendarij Græci vsitata ad Nouilunia inuenienda, & Solstitia; an etiam Ciuilis, & populariter vsitata in annis designandis; *secunda* de anno à quo inita est; *tertia* de Mense ac Die.

2 Quoad primum cum Calippus initium primæ suæ Periodi posuerit anno 6 ante Alexandri Magni obitum, quo anno Babylone capta & defuncto Dario, noua Monarchia Græcorum in Asia surrexit, vt de hoc anno infra ostendetur, qui fuit ante Epocham Christi 330. videtur voluisse insignire hoc principium ab Epocha aliqua politica, & celeberrima, esto ea non fuerit vsitata ab Historicis, frequentius autem adhibita Epocha à morte Alexandri. Scaliger tres Calippi periodos sibi finxit; Vnam *Lunarem Alexandream*, quam inierit ab autumno anni ante Christum 331. quo Alexander Darium vicit kalendis Octobris, tanquam in Alexandri gratiam institutam; alteram *Lunarem Atticam πρυτανείας*, dictam, quam in gratiam Athenienſium instituerit à Solstitio anni sequentis, ideſt ante Christum 330. tertiam denique: *Tetraetericam Popularem*, quam ab autumno anni 12. post obitum Alexandri, ideſt 312. ante Christum inierit. Sed Petauius figmenta Scaligeri, & repugnantias sui ipsius cum seipso, nullo antiquitatis teste munita satis refutauit, docuitque hanc periodum vnicam simplicemq; fuisse nec ciuilem, seu popularem cum à nullo Historico adhibita sit in annis numerandis, sed solum ab Astronomis, Hipparcho, & Ptolemæo, quod esset vtilis ad Solis Lunæque potissimum cursum inuestigandum, ideoq;

nos in titulo capitis eam appellauimus *Epocham Astronomicam*.

3 Quoad annum, quo incœpit *Prima* periodus Calippi fuisse 330 ante Christum ostendemus ex Ptolemæo l. 3. c. 2. quo verò incœpit *Secunda* periodus, fuisse 254. ostendemus ex tribus Eclipsibus ab eodem relatis lib. 4. cap. 11. *Tertiam* verò incœpisse anno 178. ante Christum ostendemus ex relatis à Ptolemæo lib. 3. c. 2. lib. 5 c. 3. & lib. 6. c. 5. Ptolemæus enim l. 3. c. 2. narrat Metonem, & Euctemonem obseruasse Solstitium æstiuum Abseude magistratum gerente Athenis, manè diei 21. Phamenoth, antea verò obseruatum fuisse ab Aristarcho, aitq; *Et sunt à Solstitio æstiuali capto in Magistratu Abseudis, vsque ad obseruationem ab Aristarcho in anno* 50. *primæ secundùm Calippum periodi, vt etiam Hipparchus asserit, anni* 152. *à dicto autem* 50. *anno, qui est* 44. *à morte Alexandri vsque ad nostræ obseruationis annum* 463. *à morte Alexandri &c.* Deme iam anno 324. ante Christum, quo mortuum esse Alexandrum ostendimus c. 4. annos 44. restat annus 280. cui adde Calippicos 50. & consurgit annus 330. nempe primus primæ periodi Calippicæ.

4 Idem Ptolemæus l. 4. Almag. c. 11. refert Eclipses Lunæ tres ex Hipparcho obseruatas Alexandriæ, & primam fuisse ait. *Anno* 54. *secundæ periodi Calippi Mesori die* 16. *& incœpit Luna deficere ante sui ortum per mediam horam, repletaq; rursus fuit in medio horæ tertiæ.* Deinde subdit hoc tempus fuisse annorum completorum *à Nabonassaro* 546. *dierumq;* 345. *& horarum æqualium* 6½. Sed tam ex charactere anni Nabonassari 547. currentis, quàm ex Eclipsi, fuit hic annus 201. ante Epocham Christi, quo Astronomici Canones exhibent Lunæ Eclipsim die 22. Septembris hora 7¼. post merid. Alexandriæ, digitorum 10. & amplius; Adde iam anno 201. Calippicos annos 53. completos; consurget enim annus 254. pro initio secundæ Periodi.

Rursus eodem l. 4. c. 11. Ptolemæus refert totalem Eclipsim Lunæ. Anno 55. eiusdem periodi Calippi die 9. Mechir hora 13¼. post merid. completis annis Nabonassari 547. diebusq; 158. quam Tabulæ Astronomicæ dant anno ante Christum 200. Martij 20. minutis 45. post mediam noctem, digitorum ferè 17. adde anno 200. Calippicos completos 54. & habebis iterum annum 254. pro exordio secundæ Periodi.

Denique eodem lib. 4. c. 11. refert Eclipsim Lunæ, *anno item* 55. *secundæ periodi Calippicæ Mesori die* 5. *hora* 8¼. *noctis, Annis Nabonassari transactis* 547. *diebusque* 334. Hanc porrò exhibent calculi Astronomici anno 200. ante Ep. Christi die 12. Septemb. hora 2¾. post mediam noctem ibi, plusquam digitorum 18. ex quibus iterum methodo eadem, & ex Canone anni 548. Nabonassari currentis confirmatur annus 200. Eclipsis huius, & 254. pro initio secundæ perid Calippi.

5 Prò Tertiæ verò periodi initio, Ptolæmeus lib. 3. c. 2. sic habet. *In* 32. *anno, tertiæ secundùm Calippum periodi, Hipparchus autumnale æquinoctium exquisitissime obseruatum significauit, quod ait factum fuisse tertia intercalarium die, in media nocte, quam dies quartus sequebatur, & fuerunt anni* 178. *ab Alexandri morte.* Subtrahe nunc annis 324. mortis Alexandri annos 178. & restat annus ante Christum 146. cui adde Calippicos annos 32. & exurgit annus 178. ante Epocham Christi pro initio tertiæ periodi prorsus in medio temporis inter Alexandri, & Christi Epocham. Præterea lib 5. c. 3. refert obseruationem Hipparchi; *anno* 50. *tertiæ secundùm Calippum periodi epiphi die* 16 *anno transacto Nabonassari* 619. *diebusq;* 314. *&c.* Currebat ergo annus Nabonassari 620. qui iuxta Canonem lib. 2. præmissum incœpit ante Epoch. Christi 129. die 24. Septembris, quo completi erant 6. & tunc completi erant Calippici anni 49. qui additi anno 129. efficiunt annum 178. pro initio tertiæ periodi. Tandem lib. 6. c. 5. refert, *Lunæ Eclipsim digitorum* 3. *ab Austro; Trigesimo septimo anno tertiæ secundum Calippium periodi; & Nabonassari* 607. *die* 2. *Tybi hora* 5. *in Rhodo, qua incœpit.* Fuit tum ex Canone annorum Nabonassari, tum ex Tabulis Astronomicis annus hic ante Christum 141. quo Luna defecit ad digitos 3½. Ianuarij 27. hora 10. post merid. Sed annus 607. cœperat anno 142. die 28. Septemb. cui addendo completos iam Calippicos 36. emergit annus 178. pro initio 3. Periodi.

6 Quoad diem mensemq; fuisse huius periodi initium à Neomenia Hecatombæonis, seu propiore Solstitio æstiuo, vel vt alij laxius loquentes, à Solstitio æstiuo, expressè docet Reinoldus in Prutenicis præcepto 4. illis verbis: *Quia Alexander Babylonia potitus est 6. annis ante obitum suum, inde suarum Periodorum initium facit Calippus, sed ita vt anni exordium esset ab æstiua conuersione, more Atheniensium, non à prima die mensis primi Thoth Aegyptiorum.* Idem sentit Scaliger l. 5. pag. 423. de Periodo Lunari Prytanias anno 330. ante Christum inita die 28. Iunij, cui subscribit Keplerus in Rudolphinis Tabb. pag. 37. putat enim Scaliger die 27. Iunij fuisse Solstitium, & die 28. Neomeniam Hecatombæonis; at Petauius l. 10. c. 37. de doctr. temporum, concedit Solstitium incidisse in diem 27. Iunij, & Nouilunium medium die 28. ac inde potuisse Calippum inire Hecatombæonis Neomeniam, sed ex Iudaica methodo, quam adhibet Scaliger, debuisse esse 29. Iunij feria 3. Solis Cyclo XV. litera C. Kristmannus autem de Connexione annor. p. 305. contendit Calippum imitatum esse Metonem, qui Cyclum suum exorsus erat à Solstitio æstiuo, seu à principio anni Olympiadici, quod etiam colligitur ex dictis supra à Ptolemæo l. 3. c. 2. Sed tamen addit Hipparchum, & Ptolemæum, vt æquabilis esset comparatio annorum Calippicorum, cum annis Nabonassari, computasse annos Calippicos à die 1. Thoth, quod gratis, & falsò dictum est: Hinc errarunt Longomontanus in omnibus Hipparchi Æquinoctijs autumnalibus, & Franciscus Leuera in tribus primis, comparentes annum Calippicum cum subsequenti anno Alexandri, & Nabonassari, & differentes initium Calippici à Neomenia æstiua ad initium Thoth. Sed enormius errauit Leuera in prodromo Astronomiæ, pro anno 36. Calippico substituens 33. Kristmannus tamen pag. 328. confessus est postea Hipparchum, & Ptolemæum annos Calippicos computasse ab æstiuo Solstitio, esto eos redigant ad concursum cum annis Nabonassari, & quoad hos vtantur diebus mensium Ægyptiorum.

CAPVT XI.

De Epocha Antiochena, & Constantinopolitana Græcorum cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO XI.

Antiochenæ Epochæ initium ab Octobri Anni XLIX. ante Epocham CHRISTI sumendum est, Constantinopolitanæ autem vrbis encænia, & dedicatio à die XI. Maij Anni CCCXXX. Christi, eius denique captura per Turcas, à die 29. Maij Anni Christi MCDLIII.

1 NOn est hic sermo de Annis Mundi, quos Ecclesia Constantinopolitana putauit fuisse 5508. ante aduentum Christi, sic vt primus Christi fuerit 5509. Mundi, esto Alexandrina Ecclesia putauerit fuisse annos 5492. ita vt primus Christi fuerit Mundi 5493, Sed de annis Antiochenorum ab Euagrio in Historia Ecclesiastica vsurpatis, *Keplerus* in Rodulphinis Tabb. p. 37. ait eos computari ab autumno anni 312. ante Christum, & ab ortu illius vrbis, quod gratis dictum est, imò erroneè, si verum est, quod ait Eusebius Antiochiam Syriæ conditam à Seleuco anno 12. imperij sui, nempe 301, ante Christum in honorem patris sui Antiochi, quem sequuntur Salianus ad annum Mundi 3753. & Petauius in Chronico, *Kristmannus* de connexione annorum pag. 356. ait Antiochenos annos incœpisse cum Iulianis anno 45. ante Epocham Christi, eo quod Eusebius annum Christi 280. conferat cum Antiocheno 325. & 326. Christi cum Antiocheno 351. Idemq; sensit *Heruartus* in Chronologia noua à cap. 211. ad 214. Scaliger porrò in Isagogicis canonibus lib. 3. & in animaduers. ad Eusebium, & Vbbo Em. lib. 3. Rerum Chronol. p. 80. aiunt æram Antiochenam iniri ab

anno

anno 48. antè vulgarem Christi Epocham. Tandem *Petauius* l. 10. de doctrina temporum c. 62. & p. 2. Rationarij l. 3. c. 14. concludit eam ab anno 49. ante Epocham Christi, & quidem ab Octobri, idq; ex multis locis Euagrij Antiocheni colligit: examinaui eius calculos, & censeo eius sententiam præferendam; cui etiam adstipulatur Chronicum Alexandrinum pag. 458. sic: *A die 4. Id. Maias primæ indictionis: & proposita in vrbe magna Antiochiæ libertas ipsius, quando & Romanis subiecta est vicesimo die Maij ab eodem Iulio Cæsare missa, & appellatus est idem Iulius Cæsar dictator in Vrbe magna Antiochia, 23. die Maij. Nominatur itaq; magnæ Antiochiæ in ipsius honorem annus primus, idemque primus quindenarij ab anno primo C. Iulij Cæsaris.* At C. Iulij Cæsaris dictatura prima, ex Fastis Consularibus fuit Consulibus Cl. Marcello, & Lentulo (non ipso, & Seruilio Vatia, vt supponit Vbbo) ergo anno ante Epocham Christi 49. licet Indictiones postea retractæ sint ad Octobrem, vnde anni olim Seleucidarum inibant: Nec Eusebium repugnare, licet videatur fauere anno 48. docet luculenter Petauius, quem Consulas.

2 De Constantinopolitanis Indictionibus à kal. Septembris anni Christi dicemus l. 4. c. 16 occasione Romanarum Indictionum. Ipsa vero Constantinopolis antea, vt ait Plinius l. 4 c. 14. *Lygos* dicta, postea *Byzantium*, quod Egnatius lib. 2. de Cæsaribus cap. de Byzantio ait ædificatum à Pausania duce Lacedæmonum, idemq; habet Flosculus historiarum addens, constructum anno 633. ante Christum, sed Nicephorus Callistus l. 7. c. 47. inquit constructum à *Byza* quodam, tempore Manassæ Regis Iudæorum, qui cœpit regnare anno ante Christum 698. regnauitque annis 55. At multò antiquius id factum supponit Diodorus Siculus l. 4. ait enim Argonautas appuliſſe ad oram Ponti, cui dominabatur *Byzantius*, à quo *Byzantium* vrbs denominata est; Argonautarum autem expeditio fuit ante Troianum excidium multis annis, & circa annũ ante Christum 1212. ex dictis cap. 1. Posteà verò cùm Seuerus capto, & occiso Pescennio Nigro, qui Byzantium occuparat, illud funditus euertisset, & in vici formam redegisset, Constantinus Magnus illud instaurauit nouamq; Romam, & à suo nomine Constantinopolim nominauit, & v. Iduum Maij Deiparæ Virgini dedicauit, anno Christi 330. feria 2. Cyclo Solis 3. Litera D. de die omnes consentiunt, & ita notatũ est in Menologio Græcorum è regione diei XI. Maij de anno aliqua est controuersia S. Hieronymus in continuatione Chronici Eusebiani ad annum 334. habet: *Constantinopolis dedicatur penè omnium vrbium nuditate*, vt habet Pontacus, sed in editione Scaligeriana id repositum est ad annum 330. Cassiodorus in Chronico dedicationẽ hanc factam ait Consulibus. *Pacatiano, & Hilariano*, nempe anno 332. Onuphrius verò in Fastis l. 2. ad Vrbis annum MXXCIII. facta hæc Encænia ponit *Ablauio, & Basso Consulibus*, ideſt anno 331. Sed plures, & certiores characteres habemus pro anno 330. nempe Consules *Gallicanum, & Symmachum*, quos notant Idatius in Fastis, & Chronicon Alexandrinum, & Indictionem 3. feriamq; 2. & diem v. Idus Maij, quas idem Chronicon, & Cedrenus addit: Anno enim 330. conuenit Indictio 3. & Cyclus Solis III. litera D. & die xi. Maij Feria 2. præterea Marcellinus Comes sub hoc titulo *Indictione V. Mauortio solo Consule*, nempe ex Fastis anno Christi 527. hæc habet in Chronico: *Anno regiæ vrbis conditæ CXCVII. Iustinus Imperator, Iustinianum &c. sui successorem creauit Kal. Aprilis.* Ergo die 11. Maij completi fuerunt anni Vrbis huius conditæ CXCVIII. Subtrahe iam completos 197. annis Christi 527. emerget annus 330. pro nouæ Romæ conditu Methodius pag. 99. Encænia Magnæ huius vrbis designat Maij 11. feria 2. anno Græcorum 5838. vt emendat ex feria, & die Scaliger non 5837. subtrahe annis 5838. annos Mundanos 5508. Christi Natiuitati præcedentes, vt Constantinopolitana Ecclesia supponit, & remanebit annus 330. horum Encæniorum idcircò, & nos hunc annum statuimus cũ Scaligero lib. 5. de emend. tempor. titulo de Encænijs Constantinopolæos, & Petauio lib. 11. de doctrina Tempor. c. 42. ex quibus reliqui castigandi sunt.

3 Duo adhuc addenda sunt, primum ex Chronico Alexandrino cœptam Vrbem hanc reædificari à Constantino *Ianuario, & Iusto Consulibus*, ideſt anno 328. & absolutam anno 330. dedicatamq; 11. Maij. At Cordinus libro de Constantinopoli ait. *Anno Mundi 5837. Septembris die 4. cum Sol in Sagittarij signo versaretur, Horoscopante Cancro, primo anno Olympiadis CCLXV. iacta sunt fundamenta.* Nempè anno 329. at à Septembris 4. ad Maij 11. anni 330. sunt menses tantum 8. solidi, & dies 7. & Sol die 4. Septembris non potuit esse in Sagittario, sed erat in Virgine. Alterum est quod narrat Io. Bapt. Egnatius l. 2. de Cæsaribus cap. de Byzantio, nempe Valentem Astrologum Genesi Constantinopolitanę Vrbis pronunciasse illam duraturam, seu rerum potituram annos DCXVI. quibus addendo 330. cadit hic finis in annum Christi 1026. cuius vaticinij vanitas patuit, si quidem Imperatores Orientis in ea durarunt, vsque ad Alexium V. qui occisus est anno 1204. & Balduinus cum Venetis eam tunc cœpit, nec à Turcis capta est nisi anno Christi 1453. die 29. Maij, vt ostendemus libro 4. cap. 13. vbi de Imperatoribus Orientalibus agemus.

LIBER QVARTVS.

DE LATINORVM, ET ROMANORVM EPOCHIS ANNORVM, Cum Epocha vulgari CHRISTI, seu Dionysiana CONNECTENDIS.

CAPVT I.

De Troiæ excidio, & Latinis Regibus, vsque ad Romulum exclusiuè, eaq; occasione de Troiæ Conditu, & Regibus.

CONCLVSIO I.

Probabilius est Troiam à Dardano conditam fuisse Anno ante Epocham Christi Millesimo quadringentesimo octogesimo primo; Captam verò, & incendio excisam à Græcis, Anno ante eandem Epocham Millesimo centesimo octogesimo quarto Vere exeunte, die xiv. Iunij in forma Anni Iuliani retroilluc tracta.

1 IAm libro 3. cap. 2. ex Eclipsibus Luminarium demonstrauimus, Annum primum Olympiadis primæ ab Iphito instauratæ, incœpisse à Neomenia propiore, aut subsequente Solstitium æstiuum anni DCCLXXVI. idest 776 ante vsitatam vulgo Epocham CHRISTI, videlicet à die 9. Iulij, in quam incidit Nouilunium Ciuile: cùm Solstitium verum fuisset die 20. Iunij hora 20. min. 42 ½. post meridiem nobis, ciuile autem die prima Iulij, aut non multo post. Hinc sequitur Olympiados, earumq; annos primos, in Laterculo hoc notatos, incœpisse annis ante Christi Epocham è regione illorum adscriptis; Hos enim consulto elegimus ad probandam mox Conclusionem nostram, eiusq; posteriorem partem de Troiæ excidio, & deindè priorem de Troiæ conditu.

Annus I. Olympiadis.	Incæpit ab æstiua Neomenia anni ante Epocham CHRISTI.
I	776
VII	752
XCIV	404
CXV	320

2 Dionysius Halicarnasseus, quem in Antiquitatibus Romanis, Græcisque ad eas pertinentibus diligentissimum fuisse, nec sine magna causa postponendum alijs, semper cum maiori Chronologorum, vel certè meliori parte censuimus, libro 1. Antiq. Romanarum ait: *Ilium enim captum est vergente in finem Vere, diebus xvii. ante Solstitium, octauo die deficientis Thargelionis, iuxta supputationem temporum, quam agunt Attici. Supererant ex illo anno post Solstitium dies viginti. In his triginta septem diebus, qui captam vrbem secuti sunt, existimo Achæos res eius composuisse, & per legatos egisse cum his, qui defecerant, ictaq; tunc cum eis fœdera. Sequenti autem anno, qui ab vrbe capta fuit primus, circa Aequinoctium autumnale Troiani soluentes a terra Hellespontum traiiciunt, delatiq; in Thraciam, exegerunt ibi hyemem, colligentes profugos, & futuræ nauigationi se præparantes; ex Thracia, verò primo vere profecti, emensi sunt spacium intermedium, vsque ad Siciliam.* Neque enim legendum est in corrupto Codice τελευτῶντος ἤδη τοῦ θέρους, nempè *vergente iam in fine æstate*, cum deessent ad Solstitium æstiuum dies 17. sed τοῦ ἔαρος, vt legunt Petauius, & Salianus infra citandi. Postea Dionysius eodem libro 1. loquens de Romæ conditu inquit: *Porcius Cato, Græcam temporum rationem non indicat, cum fuerit alioquin diligens collector antiquæ Historiæ, sed dicit quadringentis triginta duobus annis Romam posteriorem bello Iliaco, quod tempus computatum iuxta Eratosthenis Chronographicas, incidit in annum primum Olympiadis septimæ. Esse autem incorruptas Eratosthenis regulas, & quomodo ad eas dirigenda sit Romana temporum ratio, alio tractatu declarauimus.* Demum libro 2. scribit: *Ab his gentibus Vrbs est condita post Ilium captum anno CDXXXII. idest 432. Olympiade septima.* Hactenus Dionysius. Iam verò ex dictis num. 1. Olympias septima incœpit ab æstate anni 752. ante Epocham Christi, ergo anni 432. quos cum Portio Catone Dionysius affirmat præcessisse ab Ilio capto ad Romæ fundationem, aut sunt incompleti, ita vt completi fuerint tantum 431. & annus 432. concurrerit maxima sui parte cum primo Olympiadis septimæ, & sic additis 431. ad 752. fit annus ante Epocham Christi 1183. pro Ilio Capto; aut anni 432. iam completi fuerant vere præcedenti æstatem, à qua inijt Olympias septima, & tunc addendo annos 432. annis 752. fit pro Troiæ excidio annus 1184. ante Epocham Christi. Apud Clementem verò Alexandr. lib. 1. Eratosthenes à Troia capta ad primam Olympiadem numerat

annos

annos 407. quia à Troia capta ad Heraclidarum transitum ponit annos 80. hinc ad Ioniæ Ktisin 60. & hinc ad Lycurgi Epitropiam 159. & hinc ad primam Olymp. 108. cui assentitur alius Chronologus. Sed de his quoque dubitari potest includantne terminos, an excludant. Interim tamen ex Dionysij Eratosthenis Clementisq; authoritate, & Diodori num. 5. adducendo constat ab Ilio capto ad primam Olympiadem interceßisse annos non plures quàm 408. nec pauciores quam 406. Eusebius autem in Chronico posuit 406. ad initium Olympiadum, ex quo patet erroneum esse numerum annorum 460. quem idem Eusebius habet in præfatione ad suum Chronicon. Videamus nunc quinam elegerint priorem, & quinam posteriorem computandi modum.

3 Priorem computandi modum elegerunt Scaliger lib. 5. de emendat. temporum titulo *de Ilij excidio*; quamuis enim fateatur tibi libro 1. placuisse annum 408. ante primam Olympiadem pro Troiano excidio, longè tamen certiorem putat annum 407. & periodi Iulianæ 3551. hoc est ante Christi Epocham 1183. additque ex suis de Attica periodo Commentis, fuisse diem 21. Iunij in plenilunio, & Solstitium fuisse die 8. Iulij: Scaligerum sequitur *Vbbo Emmius* l. 2. Chronol. p. 46. & l. 5 pag. 136. & *Salianus* ad annum mundi 2871. qui est ipsi 1182. ante verum primum Christi annum, sed 1183. ante vulgarem Epocham Christi, vbi eos qui à capto Ilio ad primam Olympiadem numerant annos 407. ait numerare excludendo alterutrum terminum; eos verò, qui cum Porcio Catone, & Dionysio numerant annos 408. includere vtrumq; terminum, & proinde vtrosque conciliat, & vtriusq; opinionis Sectatores pro sua quam Dionysij esse confirmat, allegat; addit diem 23. Thargelionis fuisse ex computo Sylburgij in Dionysium, diem 5. aut 6. Iunij, confirmatque ex Virgilio 3. Æneid. canente

Vix prima incœperat æstas
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.

Sed vt ex Dionysio num. 2. retuli, prima traiectio in Thraciam fuit autumno, secunda verò nauigatio inde in Siciliam fuit primo vere. Porrò Eratosthenes aliusq; Chronologus apud Clementem Alexandrinum l. 1. strom. numerant ab Ilio capto, ad primam Olympiadem annos 407. videnturq; huic opinioni fauere, si alterutrum terminum includant; nam si vtrumq; excludant fauent secundæ opinioni. Fallitur interim Sylburgius, & cum eo Salianus putantes illo seculo captæ Troiæ Solstitium Ciuile fuisse die 22. aut 23. Iunij, sicut esse putarunt tempore Augusti, quo Dionysius Halicarnasseus scribebat, ideoq; diem 17. ante Solstitium fuisse diem 5. aut 6. Iunij, cum Dionysius loquatur de die 23. Thargelionis, qui anno Captæ Troiæ fuit 17. ante Solstitium. Iam verò ex libro nostro 1. & c. 30. Canonibus IX. & XV. anno ante Epocham Christi 1183. Nouilunium Iunij die 8. h 8. m. 20. & Nouilunium Augusti die 7. hora 21. min. 4. Solstitium autem verum die Iulij 2. h. 17. m. 19. post nostrum meridiem, ciuile autem fuerit si non die 3. aut 4 certè non multo post; sed & Nouilunium Augusti ciuiliter & neomeniam computando à prima Phasi Lunæ die 8. vel 9. Augusti, vnde incœpit neomenia Hecatombeonis, quare à Solstitio æstiuo Ciuili vsq; ad finem anni Attici fuerunt dies certissimè pluresquàm 30. cum tamen Dionysius dicat à Solstitio ad finem anni fuisse dies 20. tantummodo. Rursus si Neomenia mensis Scyrrhophorionis, qui erat vltimus in anno Attico, fuit die Iulij 8. aut 9. Iulij, ergo dies 23. Thargelionis præcedentis fuit die 30. Iunij, aut die 1. Iulij, ideoq; ad Solstitium etiam ciuile dies 5. 6. 7. circiter, non autem 17. vt expressè scribit Dionysius. Ergo nulla methodo, nisi violenta, aut commentitia potuit, Salua Dionysij computatione, Troiæ excidium cadere in annum ante Epocham Christi 1183. seu Periodi Iulianæ 3531. atq; adeo Dionysius eiusq; sectatores non computant ab Ilio capto ad primam Olympiadem annos 407. sed 408. vt mox videbimus. Falsa itaq; est prior opinio.

4 Posterior computatio, & opinio statuens Troiæ excidium anno 408. ante primam Olympiadem, & anno 432. completo ante Olympiadem septimam atq; adeo periodi Iulianæ anno 3530. seu ante Christi vulgarem Epocham 1184. est *Glareani* in principio Chronologiæ, & ad annum à Troia capta 409. quem comparat cum primo primæ Olympiadis, sed in hoc fallitur quod Solstitium æuo illo putat fuisse 24. Iunij, sicut suo æuo Plinius lib. 18. c. 28. illud adnotauit; item *Genebrardi* in Chronico ad annum Mundi 3026. *Io. Camertis* in Comm. Solini; *Cuspiniani* in Fastis, *Stephani Pighij* in Annalibus Romanis anno 1. Romuli, *Mercatoris* anno Mundi 2783. *Capelli* anno mundi 2816. *Sigonij* in Fastis cap. de Romulo, vbi annum 1. Olympiadis 7. numerat CDXXXIII. post Ilium captum, *Onuphrij* in Fastis lib. 1. cap de Olympiade vbi annum primum primæ Olympiadis dicit ex Catonis, Eratosthenis, & Dionysij sententia esse annũ CDIX. post Troiæ excidium; *Sylburgij* in Dionysium, *Heluici*, & *Sethi Caluisij* in suis Chronol. Deniq; *Petauij* l. 9. de doctrina temporum à cap. 27. vbi Scaligeri commenta computat, ad 29. vbi suam opinionem de anno periodi Iulianæ 3530. pro Ilij excidio probat ex Characteribus Chronologicis, deducit enim hoc anno Solstitium fuisse ciuiliter die 28. Iunij, & Nouilunium, seu Neomeniam Thargelionis die 21. Maij, ideoq; diem 23. Thargelionis incidisse in diem 12. Iunij nempe in diem 17. ante Solstitium, vt habet Dionysius; Neomeniam verò Hecatombæonis fuisse die 19. Iulij, & sic à Solstitio ad finem anni fuisse dies 20. vt dixit Dionysius. At ex libro nostro 1. c. 30. Canone XV. Solstitium verum anno 1184. ante Epocham Christi fuit Iulij die 2. hora 23. min. 8. post nostrum meridiem, ergo ciuile non prius quam die 23. Iulij. Fallitur q; Petauius dum dicit cap. 29. *Quare videtur Atheniensium ciuile Solstitium in Iunij XXVIII. diem conuenisse, proximum scilicet ab eo, in quo Metonis Solstitium collocatum fuerat, quod Iunij XXVII. sub tempus matutinum obseruatum fuisse supra vidimus.* Sed insigne est παράδραμα Petauij. Nam Meton non fuit belli Troiani tempore, sed multo post, nempe ante Christum anno 432. Solstitium obseruauit, vt docet ipsemet Petauius l. 2. 4. & 13. in Chronico, videlicet annis 752. post excidium Troianum. Alijs igitur Epilogismis opus est dies à Dionysio numeratos 17. ante Solstitium, & 20. post comprobare. Nos itaque ex eodem cap. 30. Canone IX. colligimus anno ante Epocham Christi 1184. Solstitium quidem verum, vt iam diximus die 21. Iulij hor. 23. min. 8. Nouilunium autem medium Maij die 20. hor. 11. m. 52. post merid. Sed verum die 22. Neomeniam verò Thargelionis à prima phasi computatam die 23. Maij, vnde numerado dies 23. Thargelionis cadunt in 14. Iunij, & inde numerando dies 17 peruenitur ad diem 1. Iunij, quare vnico tantum die dissidet calculus à computo Dionysij, & dissidium facile tollitur, si ponatur Solstitium ciuile tunc fuisse die 2. Iulij: Præterea Nouilunium medium Iulij fuit illo anno die 18. hora 23. min. 20. p. m. sed verum die 20. & Neomenia Hecatombæonis à prima phasi die 21. aut 22. ita à Solstitio inclusiuè ad finem anni, & initium noui dies 20. Fallitur ergo Onuphrius in Fastis pag. 129. dum ait ex Dionysio Troiam captam fuisse octauo calendas Iulij.

5 Confirmatur idem Annus ex Diodoro Siculo lib. 14. scribente annũ primum Olympiadis XCIV. ideſt 94. esse ab excidio Ilij DCCLXXX. ideſt 780. & l. 19 annum 3. Olympiadis 115. esse ab excidio Ilij DCCCLXVI. ideſt 866. nam ex dictis num. 1. Olympias 94. incœpit anno ante Epocham Christi 404. & Olympias 115. anno 320. adde igitur annis 404. annos 780. fit annus excisi Ilij 1184. Rursus annis 320. deme annos 2. & restat annus 318. pro initio anni tertij Olympiadis 115. quibus adde annos 866. & fit denuo annus 1184. pro excidio Iliaco. Aduerte tamen, si Vrbis Romanæ annus primus inijt anno vno ante Olympiadẽ 7 tunc annos 432. ab excidio Troiæ sumendos pro incompletis.

6 Quod spectat ad priorem Conclusionis partem: Archilochus libro de temporibus, & Auctor Troicorum editus à Michaele Neandro, ait Dardanum Troiæ conditorem regnasse annos 31. Erichthonium 75. Tros sen. 60. Ilum 55. Laomedontem 36. Priamum 40. aut 41. ergo regnatum est Troiæ annos 297. aut 298. Eusebius vero habet 298. quos si addas anno 1184. excidij Troiani incidet Troiæ conditus in annum 1482. aut saltem 1481. ante Epocham Christi. Hinc apponemus Catalogum Regum Troianorum, & ex Dionysio Halicarnasseo lib. 1. Catalogum Regum Latinorum ante, & post Æneam vnà cum annis, quibus regnarunt, & quibus inierunt Regum.

Reges

Reges Troiani, seu Ilij.	Inijt Regnum Anno ante Epoch. Christi	Regnauit Annos
Dardanus.	1481	XXXI.
Erichthonius.	1450	LXXV.
Troſſes.	1375	IX.
Ilus.	1315	LV.
Laomedon.	1260	XXXVI.
Priamus.	1224	XL.
Excid. Ilij.	1184	*
	Durauit.	297

Romulus Anno 2 Numitoris Romam condidit; eius, & aliorum Regum Romanorum annos dabo in Tabula Conſulum cap. 5. caue à Catalogo Petauij in Paralipomenis pag. 867. vbi numeri aliqui falſi, aut vitiati leguntur.

Reges Latini.	Inijt Regnum Anno ante Epoch. Christi.	Regnauit Annos.
Picus Saturni filius	1297	XXXVII.
Faunus.	1260	XLIV.
Latinus.	1216	XLVI.
Æneas.	1170	IV.
Aſcanius	1166	XXVIII.
Syluius poſt.	1128	XXX.
Æneas Syluius.	1098	XXXI.
Latinus II.	1067	LI.
Alba.	1016	XXXIX.
Capetus.	977	XXVI.
Capys.	951	XXVIII.
Calpetus.	923	XIII.
Tiberinus.	910	VIII.
Agrippa.	902	XLI.
Alladius.	861	XIX.
Auentinus.	842	XXXVII.
Procas.	805	XXIII.
Amulus.	782	XXVIII.
Numitor.	754	II.
Romulus.	753	

CAPVT II.

De Anno, & Die Romæ Vrbis conditæ cum Anno ante Epocham Christi, dieq; Anni Iuliani conjectando.

CONCLVSIO II.

Licet primus Romæ conditæ Annus fruſtra per Eclipſes ab inſignibus Chronologis inquiſitus fuerit, aliunde tamen verius eſt Romam conditam fuiſſe deſinente Anno tertio Olympiadis ſextæ, & incipiente, vel imminente quarto, & ante Christi Epocham 753. quam ſententiam oſtendemus fuiſſe M. Terentij Varronis, Ciceronis, Plinij, Velleij Paterculi, Cornely Taciti, Dionis Caſsij, Cenſorini, Plutarchi, A. Gellij, Rufi Feſti Eutropij, Euſebij, nec non Imperatorum Claudij, Antonini, & Philipporum, ex recentioribus autē Genebrardi Baronij, Onuphrij, Krištmanni, Henrici Philippi, Tornielli, Tirini Petauij aliorumq; apud eos.

Opinionem verò eam, quæ initium Vrbis ſtatuit quarto anno deſinente Olympiadis ſextæ, & imminente, aut fermè inito primo ſeptimæ Olympiadis; licet faudatam in falſo numero annorum, quibus Romæ regnatum eſt, Dionyſij Halicarnaſſei fuiſſe oſtendemus, Solini item, Clementis Alexandrini, & Theophili Antiocheni, non autem Verij Flacci, nec Diodori, Verrium enim Flaccum, ſeu Tabulas Capitolinas, non ſecus ac Polybium Apollodorum, Eratoſthenem, Catulum, Corn. Nepotem auſpicatos eſse Vrbis initium ab anno primo deſinente, & inſtante ſecundo ſeptimæ Olympiadis oſtendemus, manente adhuc in ambiguo quid Portius Cato, Liuius, ac Diodorus Siculus ſenſerint.

Diem verò natalem Vrbis conditæ quem conſtat fuiſſe in Feſto Paliliorum XI. Kal. Maij Romulo ingreſſo iam annum ætatis 18. non in Autumnum, ſed ſub finem Veris incidiſſe veriùs eſt.

1 OPiniones obſoletas iam, de annis Vrbis conditæ, nimiumq; à probabilitate, nedum à veritate abhorrentes ſuperuacaneum duco hic examinare, cuiuſmodi eſt Timæi Siculi, qui conditam putauit anno 38. ante primam Olympiadem; & Q. Fabij Pictoris, qui anno primo Olympiadis octauæ, et L. Concij, qui anno quarto Olympiadis duodecimæ, vt refert Dionyſius Halicarnaſs. l. 1. calq; expendit Onuphrius in lib. 1. Faſtorum tit. *de Anno, & Die Vrbis Conditæ.* Tres itaq; alias opiniones expendemus. *Prima* eſt Varronis de anno 3. exeunte ſextæ Olympiadis; *Secunda* eſt Dionyſij Halicarnaſs. de anno 4. exeunte Olympiadis ſextæ, et imminente, atq; quaſi initò anno 1. Olympiadis ſeptimæ: hanc enim opinionem non in duas, vt multi faciunt diuidendam, ſed in vnam vnicumq; tempus conciliabimus. *Tertia* eſt Polybij et Faſtor. Capitolinor. de anno 1. exeunte, et imminente 2. Septimæ Olympiadis.

Prima Concluſionis pars de Eclipſibus. Probatur.

2 PRima pro Vrbis annis Eclipſis, eſt illa, quæ accidiſſe fertur in conceptu Romuli anno 1. Olympiadis 2. die 23. Menſis Choiac: nam cùm teſte Dionyſio lib. 1. & Solino c. 2. Romulus Vrbem condiderit inito ætatis anno 18. Olympias verò 2. inceperit anno 772. ante Epocham Chriſti, dieſq; 23. Choiac fuerit in forma Iuliana dies 24. Iunij, additis 9. menſibus ſequeretur natum ſub finem Martij, & quidem die 23. ſi natus eſt die 21. Menſis Thoth, vt aſſeruit Tarruntius, anno videlicet 771. ante Epocham Chriſti, vnde numerando annos 17. completos ætatis Romuleæ peruenitur ad annum 754. ante Epocham Chriſti, quare anno ſequenti, ideſt 753. nempe ſub exitum anni 3. Olympiadis 6. Vrbs cōdita fuiſſet ſi verificaretur illa Eclipſis. Iam verò Plutarchus in vita Romuli ſic refert. *Diem verò illam, qua Romulus Vrbem condere cœpit, traditum eſt, fuiſſe trigeſimam Lunæ, eodemq; die Synodum Ecclipticam Lunæ cum Sole, quam etiam Antimachus Teius obſeruarit, quæq; contigerit anno tertio ſextæ Olympiadis. At Varronis Romani Philoſophi ætate, viri in hiſtoriis verſatiſſimi, fuit Tarruntius quidam amicus eius, Philoſophus, ac Mathematicus profeſſione, qui etiam contemplandi cauſa Aſtronomiam attigerat, in eaq; videbatur excellere. Hunc Varro propoſuit Romuli natalem diem, horamq; exiis, quæ illi in vita ipſius euenißent, inueſtigandam, ſupputandamq; quomodo Geometricorum problematum reſolutio à fine ad initia inueniri ſolet. Eſſe enim eiuſdem ſcientiæ dato tempore natalium hominis alicuius, de vita eius prædicere, & vita expoſita, tempus quo is natus eſſet inueſtigare. Obſecutus eſt Tarruntius, inſpectiſque Romuli actis, quæque ei euenißent, quamdiu vixißet,*

vixisset, quæ morte functus esset, & si quæ sunt id generis: comparatis inter se his omnibus, audacter intrepideq; pronuntiauit, Romulum conceptum fuisse anno primo secundæ Olympiadis, vigesima tertia die Mensis Aegyptij Choeac, hora tertia, cùm sol totus deliquium pateretur; natum autem esse vigesima prima die Mensis Thoth, circa Solis ortum; Romam ab eo conditam nona die mensi Pharmuthi, inter secundam, & tertiam horam. Aduerte interim Lector, Varronem non proposuisse Tarrutio inuestigandum annum natiuitatis; aut Romæ conditæ, sed diem: de anno enim nõ dubitabat Varro, & ex traditione, Romanorumq; communiori opinione sat sciebat Tarrutium de hoc nõ futurũ sollicitũ. Dionysius quoq; Halicarnasseus l. 2. ait de Romulo: *Cum matri eius inferretur vis, incertum ab homine, an à Deo, deliquium Solis factum, terriq; interdiu tenebras nocturnis similes incubuisse aiunt, quod etiam necis ipsius tempore accidit.* Cicero autem lib. 2. de diuinatione ait: *Lucius Tarruntius Firmanus Chaldaicis sermonibus eruditus, vrbis Romæ natalem diem repetebat ab illis Palilibus, quibus eam conditam accepimus, cum Luna esset in iugo.*

3 Iam verò Eclipsim illam in conceptu Romuli assertam à Dionysio, & Tarruntio die 23. Choeac, ideſt 24. Iunij anno 1. secundæ Olympiadis, ideſt 772. ante Epocham Christi, inuestigauit Nicolaus Mulerus, sed frustra, vt docet Petauius lib. 8. pag. 770. & lib. 9. c. 48. Licet enim illo anno Nouilunium verum fuerit die 24. Iunij, apparens autem hora Romæ 9. min. 18. post mediam noctem; Latitudo tamen Borealis vera fuit min. 60 ½. & apparens min. 3 ½. ideoq; maior quàm summa semidiametrorum; quæ nõ excessit 31. minuta; nulla igitur Eclipsis Romæ; totalis autẽ nõ nisi in regione valde Boreali; sed Dionysius, & Tarruntius videtur locuti de Eclipsi obseruata in eo Italiæ tractu. Multo minus ad rem facit Eclipsis Solis, quam Buntingus anno ante Epocham Christi 770. reperit die 5. Maij totalem in Æthiopia, cum nec locus, nec annus, nec dies congruat Tarruntianæ supputationi, quod multo magis dictum esto contra Eclipsim digitorum 10. Romæ hora 8 ½. post mediam noctem, sed Februarij die 10. anni ante Epocham Christi 765. ab Heruarto assignatam.

4 Secunda Eclipsis, est illa quàm, vt ex Plutarcho reculi, obseruauit Antimachus Poeta Teius, ipsa die Vrbis conditæ annoq; 3. sextæ Olympiadis: Quoniãverò Tarruntius dixit, conditam die 9. Pharmuthi, ideſt die 3. Octob. Non possunt cõciliari hæc, quia illo anno Nouiluniũ incidit in 21. Octobris. Sed Tarruntius nihil de Nouilunio, nedum de hac Solis Eclipsi significauit. Mulerus autẽ in Appendice ad Tabulas Frisicas hoc anno nempe 753. ante Epochã Christi supputauit Eclipsim Solis, non in Italia, sed in Asia minore visam ab Antimacho die 26. Maij Iuliani, qui tamen in anno Albano, vel Romuleo inciderit in Palilia, ideſt in Aprilis 21. At Petauius lib. 9. de Doctrina temporum c. 48. contendit in tota Asia minore latitudinem Australem Lunæ apparentem fuisse minutorum 86. & ampliùs, adeoq; multo maiorem summa semidiametrorum Solis, & Lunæ, quæ non excedebat minuta 30. & proinde impossibilem fuisse tũc Eclipsim. Illa verò Eclipsis Solis, quæ anno eodem accidit Nouembris 19. paulò ante mediam noctem in Asia minore, vtiq; nec ibi, nec in tota Europa obseruabilis fuit.

5 Alias quinque Eclipses ad annos Vrbis stabiliendos proferunt Petauius lib. 9. de doctrina temporum cap. 50. ex quibus duas selegit Langius lib. 2. de annis Christi, quas nos cap. sequenti, ad Fastos Consulares confirmandos adducemus, ideoq; satis hic fuerit eas indicare cum annis Cõsulum, sub quibus eas accidisse tradunt Historici, & cũ annis Vrbis Varronianis, & Capitolinis, & Periodi Iulianæ quos adnotant Petauius, & Langius.

ECLIPSES ex Auctoribus.	CONSVLES, Sub quibus Eclipses acciderunt.	Anni Periodi Iulianæ	Anni ante Ep. Christi.	ANNI Vrbis Varro.	ANNI Cond. Capit.
Lunæ ex Polybio lib. 4.	M. Liuius Salinator. L. Aemilius Paullus.	4495	219	535	534
Solis ex Liuio lib. 22.	C. Flaminius: Cn. Seruilius Geminus.	4497	217	537	536
Solis ex Liuio lib. 37.	L. Cornelius Scipio: C. Lælius Nepos.	4524	190	564	563
Solis ex Liuio lib. 38.	M. Valerius Messala: C. Liuius Salinator.	4526	188	566	565
Lunæ ex Liuio lib. 44. & Plutarcho in Paulo	L. Paullus Æmilius II. C. Licinius Crassus.	4546	168	586	585

Verum ex his Eclipsibus cõstituuntur quidem anni prænominatorum Consulum quia anni Consulares seorsim, & sigillatim determinati sunt, nec ab vna communi Epocha pendent, ideoq; certus est nobis annus ante Epocham Christi, qua vtimur in Eclipsibus indagandis, sed anni Vrbis nõ possunt hinc absolutè verificari, quia eosdem Consules alij vno, alij alio Vrbis anno consignant, iuxta opinionem Epochæ annorum Vrbis conditæ, quam quisq; sectatur; Exempli gratia Eclipsis ilia Lunæ, quam Polybius narrat visam Liuio Salinatore, & Æmilio Paulo Cos. & nos ex Tabb. Astronomicis scimus euenisse anno ante Christi Epocham 219. Varro adnotarat Vrbis anno 535. Dionysius 534. Polybius 533. Q. Fabius Pictor 530. L. Cincius 511. Ergo decepti sunt Petauius, & Langius, & si qui alij putauerunt ex his Eclipsibus constitui certò posse annum Vrbis verum, & fallaciter argumentati sunt.

Secunda Conclusionis pars de Anno Vrbis Varroniano probatur.

6 PRimò purgandus est M. Varro à falsa hypothesi quam illi imponunt Onuphrius Panuinus lib. 1. in Comm. Fastor. tit. *de Anno, & die Vrbis conditæ*, Tirinus tomo 1. in Chronico Sacro c. 32. Salianus ad Annum Mundi 3302. & Langius lib. 2. de annis Christi c. 11. asserentes Varronem in definiendo anno Vrbis conditæ innixum fuisse diuinatione, seu supputatione Astrologica Tarruntij Firmani, & quidem Eclipsi ab eo in fundatione Vrbis asserta, vt habent Onuphrius, Tirinusq; sed si attendatur narratio Plutarchi, relata supra num. 2. ne verbum quidem habetur de anno Vrbis à Varrone requisito, solum enim sollicitus fuit de die natali Romuli, & hora; esto illa occasione Tarruntius ostentandæ artis causa enunciauerit diem quoque concepti Romuli, & fundatæ Vrbis diem, & horam; nihil de Eclipsi in hac fundatione memorans; nec Cicero ipsi aliud tribuit, quam vaticinium diei natalitij Vrbis, sicut nec Solinus c. 2. vbi scribit: *Ibi Romulus mansitauit, qui auspicato murorum fundamenta iecit duodeuiginti natus annos xi. Cal. Maias, hora post secundam, ante tertiam, sicut L. Tarruntius prodidit Mathematicorum nobilissimus, Ioue in Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis.* Et sanè nimis audax fuisset Tarruntius, ac temerarius, si absq; notitia anni reliqua aggressus esset, nec vllum ex Astrologis noui, noui autem non paucos excellentissimos, qui ante constructionem natalitij thematis, non exigat sibi annum dari. Dedit igitur Varro Tarruntio annum Vrbis conditæ, & annos quibus Romulus regnarat, & annum ætatis, quem habebat, quando Vrbem fundauit; reliqua ex Tarruntij calculis expiscari voluit. Iam enim ex proprio studio, & traditione populi Romani certus erat de anno Vrbis conditæ, nec in antiquitatibus Romanis posthabendus est Dionysio Halicarnasseo, alioquin diligentissimo, sed aduenæ, & qui sæpè in suis libris testatur se Varronem sequi, vt authorem fidissimum.

7 Varro enim in ijs, quæ spectant ad Romanarum rerum scientiam, velut omnium magister habitus fuit à doctissimis quibusq; viris Solinus c. 2. de illo sic. *Nam vt affirmat Varro author diligentissimus, Romam condidit Romulus &c.* & Quinctilianus l. 10. c. 1. *Varro Romanorum eruditissimus*; & Terentianus Maurus. *Vir doctissimus undecunq; Varro*: & Plutarchus in Romulo: *Varronis Philosophi ætate, viri in historia præstantissimi*: & Lactantius lib. 1. instit. cap. 6. *M. Varro, quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, neque apud Latinos.* Ipse autem Cicero in Academicis quæstionibus, ait se disputasse cum *Varrone homine omnium facilè acutissimo, & sine vlla dubitatione doctissimo*

& lib. 1. earumdem quæstionum colloquens, cum Varrone inquit: *Nos in nostra Vrbe peregrinantes, errantesq; tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, vt possemus aliquando qui, & vbi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumq; rerum, nomina, genera, causas aperuisti.* Quæ duo Ciceronis testimonia producit S. Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei c. 2. & addit ipse de suo: *Quis Marco Varrone curiosius ista quæsiuit? quis inuenit doctius? quis considerauit attentius? quis distinxit acutius? quis diligētius, pleniusq; conscripsit?* & ibidem de eodem: *Qui tam multa legit, vt aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus.* Nimirum Gellius lib 3. ex ipsomet Varrone, refert Varronem anno ætatis octogesimo quarto scripsisse libros quadringentos nonaginta, vt non mirum sit, ei tanquam Togatorum doctissimo, viuenti adhuc (quod nemini antea factum) statuam positam fuisse in Bibliotheca, quam primam publicauit Asinius Pollio Romæ. Ipsemet Dionysius Halicarnass. tum aliàs non rarò, tum lib. 4. loquens de libris Sibyllinis ait: *Sequor autem hic M. Terentij Varronis opinionem, quæ habetur in eius commentarijs Theologicis.* Vtinam eundem secutus esset in *ætate patriæ* cuius, vt ex Cicerone didicimus, fuit peritissimus, sicut plurimi secuti sunt, quos mox enumerabimus.

8 *M. Tullius Cicero*, & *Pomponius Atticus*, Vrbem conditam putarunt, *Olympiadis sextæ anno tertio*, vt expressè de his testatur Solinus cap. 2. & ipsemet Cicero in Bruto, vbi iterum laudat Varronem; ait Liuium Poetam fabulam primum dedisse *Romæ C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano Coss. anno post Romam conditam quarto decimo, & quingentesimo.* Vt habent plerique, & emendati codices: ille autem numerus congruit Varronianæ suppotationi, vt infra videbimus. *Censorinus* autem de die Natali cap. mihi 8. loquens de tertio tempore à prima Olympiade ad suum ætuum ait, *De tertio autem tempore fuit aliqua inter auctores dissensio, in sex septemue tantummodo annis versata. Sed hoc quodcunque caliginis Varro discussit, & pro cætera sua sagacitate, nunc diuersarum ciuitatum conferens tempora, nunc defectus eorumq; interualla retro dinumerans, eruit verum, lucemq; ostendit, per quam numerus certus, non annorum modò, sed & dierum perspici possit: secundùm quam rationem, nisi fallor hic annus (cuius velut index, & titulus quidam est Vlpij, & Pontiani Consulatus) ab Olympiade prima M. est, & XIV. ex diebus dumtaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebratur; à Roma autem condita CCCXCI. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur; eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est, CCXXCIII. sedex die Kal. Ian. vnde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium.* Ergo secundum Varronem, & Censorinum, annus primus Vrbis conditæ incœpit à Palilibus anni tertij Olympiadis sextæ, anni inquam tertij exeuntis; videlicet anno ante vsitatam Christi Epocham 753. quo à sequenti æstate incœpit annus quartus Olympiadis sextæ; annus enim tertius sextæ Olympiadis erat Olympiadicus 23. cui addendo annos Vrbis ineuntes 991. fit Olympiadicus item iniens 1014. vt habet Censorinus.

P. Velleius Paterculus lib. 1. asserit: *Vrbem in Palatio conditam à Romulo Palilibus, sexta Olympiade post duos, & viginti annos, quàm prima constituta fuerat, à quo tempore ad M. Vinucij Consulatum sunt anni exacti DCCXXCII. cum is Consul fuerit anno Vrbis DCCXXCIII.* Censuit ergo expleto anno 22. Olympiadico, Vrbem conditam anno 23 & cohærenter dixit Consulatum M. Vinicij, qui cum Cassio Longino fuit Consul anno Epochæ Christi 30. ideſt Vrbis conditæ Varroniano 783. ex quo loco geminum characterem habente, emendandi sunt anni aliorum Consulum apud Velleium vitio librariorum corrupti. *C. Plinius* l. 2. cap. 8. de Stella Veneris; modò Luciferi, modò Vesperis nomina, & proprietates habentis ait. *Quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter quadragesima secunda, qui fuit Vrbis Romæ annus centesimus quadragesimus secundus.* Ergo putauit Vrbem conditam anno 23. Olympiadico, huic enim addendo Vrbis annos 142. fit Olympiadicus 165. ideſt primus Olympiadis 42. Rursus lib. 2. cap. 25. vbi de Cometis: *Semel adhuc in hæc effigies mutata in hastam est, Olympiade centesima sexta, Vrbis anno trecentesimo nonagesimo octauo*, vt habet codex Onuphrianus, non centesima octaua, vt aliqui. Adde iam annis 23. Olympiadicis, annos Vrbis 398. fit Olympiadicus 421. nempe primus Olympiadis 106. hinc emendandus locus eiusdem lib. 2. c. 12. vbi legitur *Olympiadis XLVIII. anno quarto, Vrbis conditæ anno CLXX.* & reponendus annus CLXIX. additis enim annis 169. Vrbis ad 13. Olympiadicos, fit Olympiadicus 192. ideſt quartus Olympiadis 48. Quare ex numero vitiato CLXX. non erat cur Scaliger lib. 5. vbi *de Vrbis Palilib.* torqueret se, & non debebat dissimulare primum locum Plinij l. 2. c. 8. Alibi tamen sunt aliqua alia vitia librariorumne an Plinij, nescio?

Dion Cassius passim Vrbis annos Varronianos vsurpat, vt legenti patebit, semper enim Consulibus assignat Vrbis annum vnitate maiorem, quam faciant Tabulæ Capitolinæ illo æuo: nec verum est, quod Scaliger lib. 5. suspicatur, nempe *Augusti* Consulatum quartum ponere alio quàm Vrbis 724. cum ab Vrbis anno 700. ponat Consules *Domitium Caluinum*, & *Appium Claudium*, & inde exclusiuè ad 4. Consulatum Augusti inclusiuè ponat annos consulares, & paria consulum 24.

P. *Cornelius Tacitus* in notis marginalibus, & codice Lipsiano semper Varronianos Vrbis annos notat: sic lib. 1. Annalium Consulatum duorum Sextiorum, quo Augustus obijt, signat Vrbis anno 767. Consulatum sequentem Drusi, & Norbani anno 768. sic lib. 2. Consulatum sequentem Sisennæ, & Libonis anno 769. & Consules sequentes C. Cælium, & L. Pomponium anno 770. & sic semper vsque ad finem Annalium. Et lib. 1. Historiarum Serg. Galbæ, & T. Vinij consulatum notat Vrbis anno 822. Neque obstat, imò iuuet quod de moribus Germanorum sic scribit: *Sexcentesimum, & quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani Consulatum computamus, ducenti fermè, & decem anni colliguntur.* Primus enim motus Cimbrorum auditus est multo ante XI. kal. Maias, vnde anni Vrbis computantur, & tunc adhuc currebat annus Vrbis 640. sed ab XI. kal. Maias incœpit annus 641. suiq; maiori parte concurrit cum Consulatu Metelli, & Carbonis, qui proinde notantur hoc anno 641. esto iniuerint Consulatum à Kalendis Ianuarij anni 640. ab anno verò Vrbis 240. expleto, vsque ad annum Vrbis 850. expletum in XI Kal. Maij, vnde inijt annus 851. quo scilicet anno Vlpius Traianus à Kal. Ianuarij iniuerat 2. Consulatum, sunt anni 210. sed ad Kal. Ianuarij prædictas, anni tantum 209. menses 8. & dies 9. Ideoque Tacitus dixit esse ferme 210.

Plutarchus in Romulo suam opinionem tanquam communem Populo Romano satis indicat, postquam enim in Romulo dixit. *In confesso est, Vrbem Romam conditam esse à d. XI. Kal. Maias* paululo post subdit; *Ortum verò Romæ incidisse in diem 30. Lunæ Tertiò anno sextæ Olympiadis memoriæ proditum est:* cum reliquis iam num. 2. adductis.

Aulus Gellius haud dubium quin lib. 17. c. 21. & alibi Varronem sequatur, vt cum *App. Claudium Caudicem*, & *M. Fuluium Flaccum* consignat anno Vrbis CDXC. Sic *Rufus Festus* in suo Breuiario ad Valentinianum Imper. affirmat annum primum Imperij Valentiniani Imperatoris esse ab Vrbe condita *Milleſimum centeſimum decimum ſeptimum*; quod non est verum nisi Varroniana ratione, cum hic imperare cœperit anno Epochæ Christi 364. Olympiadis 285. anno 3. labente, & incœpturo 4. post 4. fere menses.

Eutropius in Breuiario, quod dicauit Valenti Imperatori diserte dicit l. 1. de Romulo Romam conditam XI. kal. Maij Olympiadis sextæ anno tertio.

Eusebius ipse in Chronico annum 1. Vrbis collocat anno 3. Olympiadis sextæ; His adiungit Onuphrius, *Paulum Orosium, Paulumq; Diaconum*, & Imperatores Augustum, Claudium Domitianum, Seuerum, & Philippum, in celebrandis ludis Secularibus, contenditq; eos secutos Varronianam opinionem in Vrbis annis computandis, sed hoc valde controuersum est, & de hoc argumento videndus in primis noster Petrus Tassinus libro 2. de anno Seculari. Verum tamen id esse de Claudio, Antonino Pio, & Philippis Imperatoribus sic probari potest.

9 Etenim Plinius lib. 7. c. 48. affirmat, Claudium Imperato-

ratorem Ludos seculares celebrasse, & censum instituisse anno quarto sui Consulatus, & l. 10. c. 2 hanc censuram notat anno Vrbis DCCC. Censorinus autem de die Natali cap. 5. *sextos autem* ludos seculares, *fecit T. Claudius Cæsar se IV. & L. Vitellio* III. *Coss. Anno DCCC.* Vt habet codex à Manutio castigatus, & de his Tacitus lib. XI. *Ludi seculares octingentesimo post Romam conditam anno spectati sunt:* Vbi Veteranius Scholiastes, sicut, & Onuphrius libro de Ludis Secularibus notant, Claudium voluisse tempus ludorum secularium numerare à celebriori, & notiori Epocha Vrbis conditæ, non autem à primo lustro condito à Seruio Tullio, vt alij fecerant, ideoq; Suetonius in Claudio c. 21. *Fecit, & seculares quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos*; & Zosimus lib. 2 ait Claudiũ, fecisse ludos, *numero præstitutorum annorum neglecto.* Quartus porrò Consulatus Claudij, & tertius Vitellij incidit in Annum Epochæ Christi 47. vt ex Eclipsibus ostendemue cap. 3. in cuius ætate completus fuit annus 2. & 3. Olympiadis 206. seu Olympiadicus 823. & eodem anno XI. Cal. Maias completi sunt Anni Vrbis 799. Varronianè quibus detractis ab 823. remanet Olympiadicus 23. pro initio Vrbis. Claudium imitatus est Antoninus Pius, qui, vt tradit Aurelius Victor, & in eum Andreas Schottus, Anno Vrbis 900. seculares ludos fecit: scribit enim de illo: *Deniq; annis, quibus publica egit, viginti idem mansit celebrato magnificè Vrbis nongentesimo*; nempe Consulibus M. Valerio Largo, & M. Valerio Messalino, & Epochæ Christi 147. vt rectè Taffinius l. 2. c. 10. quo completus est Vrbis annus Varronianus 899. & incœpit nongentesimus Varronianus. Tandem Philippus Imperator anno ab inde centesimo celebrauit Vrbis annum Millesimum: scribit enim Eutropius lib. 9. Hist. Romanæ, *Philippi duo Filius, ac Pater, Gordiano occiso, Imperium inuaserunt &c. His imperantibus millesimus annus Romæ Vrbis ingenti ludorum apparatu, spectaculorumq; celebratus est*; & Iulius Capitolinus in Gordianis sub finem: *Philippus hæc exhibuit secularibus ludis, & muneribus, atq; Circensibus, cum millesimum ab Vrbe condita annum in Consulatu suo, & Filij sui celebrauit*; Eusebius quoq; in Chronico ad annum Christi 248. ait: *Regnantibus Philippis, Millesimus Annus Romanæ Vrbis expletus est &c. Ludiq; in Campo Martio theatrales celebrati sunt.* Sed Eusebius Augusti mortem notat anno Christi 15. quam ex Eclipsi constat euenisse Anno Epochæ vulgaris Christi 14. vt ostendemus cap. 3. quia putat Christum natum Anno 41. Augusti, quare annus 248. Eusebianus est Epochæ vulgaris 247. quo reuera fuit Consul Philippus II. cum Filio suo, & hoc anno mense Aprili expletus fuit annus tertius Imperij Philippi, successerat enim Gordiano occiso mense Aprili inito Anni Epochæ Christi 244. anno autem 247. à die 21. Aprilis, qui erat Natalis Vrbis, initi sunt ludi seculares; ideoque Orosius lib. 7. dixit de Philippo: *Post tertium eius Imperij annum millesimus à conditione Romæ completus est: ita ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est*; vbi nomine completi non intelligit annos mille integros iam elapsos, sed completum tempus quo cœpit numerari annus millesimus; Anno enim Epochæ Cristianæ 247. in die 21. Aprilis completus fuit Vrbis annus Varronianus 999. & inijt millesimus. Quia tamen secularis huius anni celebritas toto anno duraui t, vsque ad expletum annum millesimum Vrbis, seu vsque ad 21. Aprilis anni Epochæ Christianæ 248. & huius Kalendis Ianuarij de more numismata, vt tradit Herodianus lib. 1. aliaq; dona in populum Romanum spargebantur, ideo numismata illa, quæ ludos seculares notant 2. Philippi, & 1. Filij eius Consulatu, spectant ad initium anni secularis, & de his testantur Pontacus in Chronicum Eusebij, & Baronius ad annum suum Christi 249. illa verò, quæ ludos seculares notant Consulibus Philippo III. & Filio eius II. sunt quæ sparsa sunt Kalendis Ianuarij anni sequentis, durante adhuc Vrbis millesimo, & celebritate seculari, & de his numismatibus Pontacus quoque, & Baronius supra, nec non Onuphrius, Scaliger, & Adolphus Occo attestantur, & ita conciliantur ingeniosè à Taffinio lib. 2. de Anno seculari c. 12. Maneat igitur Claudium Imperatorem, Antoninum Pium, & Philippas Imper. inhæsisse sententiæ Varronis, alioquin enim si Capitolinas Tabulas secuti essent expectare debuissent annum sequentem.

10 Stant itaq; pro Vrbis conditæ anno 3. exeunte Olympiadis sextæ ex antiquis Auctoribus; *Varro, Pomponius Atticus, Cicero, Tacitus, Velleius, Plinius, Dio Cassius, Plutarchus, Gellius, Ruf. Festus, Censorinus, Eusebius*, & Imperatores *Claudius, Antoninus, Philippi*, vtique populi Romani communem traditionem secuti, & si Onufrio credas, *Eutropius*, & *Paulli Orosius*, ac *Diaconus*; ex recentioribus autem *Genebrardus* ad Annũ Mundi 3408. *Baronius* in Apparatu ad Annales pag. 50. *Onuphrius Panuinus* in Comm. Fastor. lib. 1. titulo de Anno, & Die Vrbis conditæ. *Torniellus* ad Annum Mundi 3300. *Henricus Philippi* in Syntaxi Chronologica pag. 62. *Iacobus Kristmanus* de Connexione annorum post Alfraganum pag. 269. *Iacobus Tirinus* tomo 3. in Chronico Sacro cap. 32. qui pro hac opinione addit *Quinctilianum, Lactantium, S. Augustinum*, credo quia laudant Varronem, item *Sex. Aurelium Victorem, Iosephum, Zosimum*, deniq; Eruditissimus *Petauius* lib. 9. de doctrina temporum c. 50. *Scaliger* autem lib. 5. titulo de *Vrbis palilibus*, licet in fine concludat *hic hæreo*, in præcedenti tamen discursu indicat se propendere in Varronianam sententiam.

Tertia pars Conclusionis de Anno Vrbis Dionysiano probatur.

11 *Dionysius Halicarnaßeus* lib. 1. sic habet: *sequenti autem anno, quo Numitor suum Regnum auspicatus est, post Ilium captum CCCCXXXII. Albani Romuli, & Remi ductu coloniam miserunt Romam, instante anno primo septimæ Olympiadis.* Græcè enim habetur: ἔτους ἐνεστῶτος πρώτου τῆς ἑβδόμης Ολυμπιάδος, & tertia ab hinc pagina, addit de Romæ conditu: *Porcius Cato Græcam temporum rationem non indicat, cum esset alioquin diligentissimus antiquæ historiæ collector, sed dicit eam quadringentis triginta duobus annis posteriorem Iliaco bello: quod tempus dimensum iuxta Eratosthenis Chronographias, cadit in annum primum septimæ Olympiadis*; Græcè habetur κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος, quod verti posset etiam *circa primum annum.* Sed paulo post addit: *Nolui enim, sicut Polybius Megalopolitanus fecit, hoc tantum dicere quod circiter secundum annum septimæ Olympiadis Romam conditam comperi: neque vni, & soli Anchisensium tabulæ fidem inexploratam adhibere, sed malui supputationes in medium propositas, iudicio cuiusuis Lectoris relinquere.* Supputatio autem, quam mox subiungit redacta in pauca est huiusmodi. Gallorum expeditio, qua Roma capta est, iuxta omnes ferè auctores, fuit circa primum annum Olympiadis 98. hinc vsq; ad primos Consules Brutum, & Collatinum, vt constat ex Censorijs tabulis, sunt anni 120. expleti, qui efficiunt Olympiadas 30. ergo primi Consules iniuerunt circa primum annũ Olympiadis 68. vt patet subtrahendo 30. Olympiadas, Olympiadibus 98. Ab initio autem Regni Romuli ad expulsos Reges, & primos Consules intercessere anni 244. Quia *Romulus* regnauit annos 37. *Interrex* 1. Numa 43. *Tullus Hostilius* 32. *Ancus Marcius* 24. *Tarquinius Priscus* 38. Seruius Tullius 44. *L. Tarquinius Superbus* 25. Anni autem 244. efficiunt Olympiadas 61. quibus subtractis ab Olympiadibus 68. *necesse est vt primus Romanorum Rex Romulus regnum auspicatus sit anno primo septimæ Olympiadis*: verba sunt Dionysij, & Græcè habetur ἔτει πρώτῳ τῆς ἑβδόμης Ολυμπιάδος. Tandem libro 2. scribit. *Ab his gentibus Vrbs est condita post Ilium captum anno CDXXXII. sub Olympiadem septimam*; vel circa Olympiadem septimam, Græcè enim est, ἐπὶ τῆς ἑβδόμης Ολυμπιάδος: quamuis verti etiam possit: *Olympiade septima*, idest quãdo celebrata est Olympias septima: Hæc est vera, & germana opinio Dionysij: Proinde non sine incuria legendi eius textum in fonte, quidam asseruerunt eum Vrbis initia contulisse in finem anni primi Olympiadis septimæ, vt asserit Onuphrius in lib. 1. Fastor. titulo *de Anno, & Die Vrbis cond.* & Langius lib. 2. de Annis Christi c. 11. vbi audet dicere Dionysium sequi tabulam Anchisiensium, cum Dionysius expressè dixerit, se illi soli noluisse habere fidem; vt fecerat Polybius; sed & falsum est supputationem Dionysij exigere annum primum desinentem, & secundum incipientem Olympiadis septimi quidquid dicant Onuphrius, & Langius. Falsum

præterea est quod Dionysio imponunt Scaliger l. 5. tit. de primis Palilib. Vrbis, & Petauius l. 9. de doctrina tempor. cap. 46. videlicet eum pro initio Vrbis statuere annum primum Olympiadis VII. & tamen illius argumenta non concludere, nisi annum quartum exeuntem Olympiadis VI. Licet enim Olympiades à Solstitio æstiuo, vel nouilunio ei propiori inciperent, & Anni Vrbis à 21. die Aprilis, tamen illo anno primo Romuleo, siue Albano adeo vicinus fuit dies 21. Aprilis initio Olympiadis VII. vt vtrumq; verum fuerit, nempe Vrbem conditam in fine anni 24. Olympiadis, & sub initium Olympiadis VII. ideoq; primo loco dixit incœpisse *imminente anno primo Olympiadis septimæ*, iuxta quæ intelligi debebant alia loca, vbi vsus est præpositione κατὰ, vel ἐπὶ, quæ tamen verti possunt *circa*, vel *sub*, sicut κατὰ, vertit Gelenius, vbi de irruptione Gallorum expletis annis 120. à primorum Consulum initio. Tandem ex dictis constat Dionysij opinionem non esse reipsa diuersam ab ea, quæ statuit Vrbem conditam exeunte Anno 4. Olympiadis sextæ, vt faciunt Solinus, Clemens Alexandr. & alij infra nominandi, sed vtroſq; in eundem Annum Iulianum, seu eundem ante Epocham Christi nempè 752. conuenire, vt optimè quoad hoc aduertit Salianus ad Annum Mundi 3302.

12 Quod si quæras vndenam ortum sit dissidium vnius Anni Varronem inter, & Dionysium Halicarnasseū vtroſq; antiquitatum Romanarum adeo peritos, crediderim causam fuisse, quod Dionysius in annis quibus Reges Romæ regnarunt adnotandis, vsus est numero rotundo annorum, neglectis paucis mensibus, ac diebus supernumerarijs, vt ex sua narratione retulimus, in qua annos tantum integros numerat, & Romulo dat 37. cùm regnarit præterea dies 48. Non est autem probabile, omnes alios Reges regnasse annos merè integros, & nullū præterea mensem diemue. Varro autem (qui non modo annorum, sed etiam dierum rationem habuit, vt de illo testatur Censorinus c. 8. iam nu. 8. adductus) prætes annos integros à Dionysio notatos, insuper dies, aut menses regnasse sciebat, vt summa harum appendicum collecta vnum proximè annum conflarit, ideoq; Regnatum sit Romæ annos, quàm proximè 245 qui detracti Olympiadis 68. anno primo incunti, seu Olympiadico 269. relinquunt Olympiadicum 24. ineuntem, ideoque concluſit Varro Vrbem conditam fuisse desinente anno 23. Olympiadico, & imminente initio anni 24.

13 *Titum Liuium* aliqui Dionysianam annorum Vrbis numerationem sequi putauerunt, quia annum primum Consulum numerat ab Vrbe condita 245 absolutis iam 244. quibus Regnatum esse Romæ asserit Dionysius, sed reuera Liuius valde inconstans est, siue quòd secutus sit diuersos auctores, siue quòd librarij potiùs quàm ipse quosdam consulares annos omiserint, vt docet Onuphrius lib. 1. Com. in Fastos tit. de *Anno, & die Vrbis conditæ*. Sigonius autem in Comment. Fastorum pag. 8. affirmat ab anno circiter quingentesimo Vrbis Liuium deficere annis 2. à Dione, & Velleio; & 3. à Solino ac Tabulis Capitolinis, & 4. à Ciceronis, & Plinij computatione. In anno certè primo Decemuirorum, quem Liuius ait esse trecentesimum, & alterum ab Vrbe condita, nempe CCCI, deficit annis 3. à Varroniano numero; fuere enim primi Decemuiri, Anno ante Epocham Christi 450 & Vrbis conditæ 304. iuxta Varronem, sed 302. iuxta Tabulas Capitolinas. Quare Liuius nec Varroni, nec Dionysio, nec Fastis Capitolinis potest associari, & malè Onuphrius illum pag. 126. cum Dionysio sociauit.

14 *C. Iulius Solinus* c. 2. affirmat Romulum regnasse annos 37. Numam 43 Tullium Hostilium 32. Ancum Martium 24. Tarquinium Priscum 37. Seruium Tullium 43. Tarquinium Superbum 25. Quæ summa efficit annos omnium Regum 241. Postea subdit: *Cincio Romam duodecima Olympiade placet conditam; Pictori octaua; Nepoti, & Luctatio opiniones Eratosthenis, & Apollodori comprobantibus Olympiodis septimæ anno secundo; Pomponio Attico, & Marco Tullio Olympiadis sextæ anno tertio*: mox subiungit suam opinionem hic: *Collatis igitur nostris, & Græcorum temporibus inuenimus incipiente Olympiade septima Romam conditam anno post Ilium captum quadringentesimo trigesimo tertio*; supponit enim ibidem primam Olympiadem ab Iphito instauratam anno 48. post excidium Troiæ, deinde pergit: *Ita sex mediis Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni imputantur, cum septima cœptante Roma condita est: sic inter exortū Vrbis, & Troiam captam iure esse annos quatuor centum, & triginta tres constat.* Id statim confirmat dicens: *Huic argumento id accedit, quòd cum C. Pompeius Gallus, & Q. Veranius anno Vrbis conditæ octingentesimo primo fuerunt Consules; Consulatu eorū Olympias septima, & ducentesima actis publicis annotata est.* Idcircò annis Olympiadicis ineuntibus 825. detrahens Vrbis annos 801. colligit ante Romam conditam completos fuisse annos Olympiadicos 24. eamq; conditam incipiente 25. ideoq; cōcludit. *Qua propter cū octingesimo primo anno Vrbis cōditæ ducentesima septima Olympias computetur, par est Romam septimæ Olympiadis anno primo credi conditam. In qua regnatū est annis CC. et quadraginta vno; Decemuiri creati anno trecentesimo secundo; Primum Punicum Bellum, anno quadringentesimo octogesimo nono &c.* Patet igitur Solinum eiusdem planè opinionis fuisse cuius fuit Dionysius, nempe Vrbem conditam in fine anni 4. Olympiadis VI. & incœptante septima; Deinde si Solinus cum Porcio Catone admisisset à Troiæ excidio ad Vrbem conditam annos tantum 432. futurum, vt Vrbem conditam anno antecedenti cum Varrone agnosceret. De errore enim triennij, ne dicam quadriennij in annis Regum colligendis, non est cur hic solliciti simus: Tantùm moneo ipsum falsa, vel non aliunde satis probata suppositione niti, videlicet Annum, quo fuerunt Consules Gallus, & Veranius, & quo erat Olympias 207. fuisse Vrbis 801. si sermo sit de maiori parte anni Vrbis concurrente cum Consulatu eorum, & cum mensibus æstiuis dictæ Olympiadis: Nam à Kalendis Ianuarij, à quibus tunc inibant Consules, vtq; ad 21. Aprilis annus Vrbis currens fuit 801. sed à die 21. Aprilis incœpit Annus Vrbis 802. Varronianus, & deinde duobus circiter mensibus post incœpit Olympias 207. Anno videlicet Epochæ Christi 49. In primis autem Decemuiris deficit à Varroniano calculo annis 2. & in primo bello Punico anno 1. vt & in secundo.

15 *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, ait: *Rursus à prima Olympiade ad Romam conditam, nonnulli dicunt colligi annos vigintiquatuor, quibus sex fiunt Olympiades, quibus ferè finitis circa vigesimi quinti initium Vrbs condita est.* Ergo, & hic Dionysianæ opinionis est, pro qua Onuphrius lib. 1. Com. Fast. adducit etiam *Theophilum Antiochenum, & Porcium Catonem*, quem & Tirinus affert, & Scaliger. Sed Porcius Cato, vt constat ex Dionysio supra producto, nullum annum determinauit, sed tolum dixit Vrbem posteriorem fuisse Troiano excidio annis 432. Hi nimirum sunt antiqui Authores certi pro anno primo septimæ Olympiadis ineunte, vel imminente, quo Vrbs condita fuerit, videlicet *Dionysius Halicarnasseus, Solinus, Clemens Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus*; ex recentioribus autem *Sigonius* in Com. ad Fastos, pag. 5. *Vuinandus Pighius* in Annalibus, *Glareanus*, & *Hieronymus Bardius* in suis Chronologijs, *Gordonus* ad annum 3549. *Salianus* ad annum Mundi 3278. & 3302. & si qui alij conditam dicunt anno quarto desinente sextæ Olympiadis, vel primo incipiente septimæ. Sed quam falsò inter hos recenseant Verrium Flaccum, cum alijs Onuphrius mox videbimus.

Quarta pars de Anno Vrbis Capitolino, & Polybiano probatur.

16 INualuit apud multos opinio, Verrium Flaccum in Fastis Capitolinis, vnico tantum anno dissidere à Varrone in annis Vrbis computandis, ideoque in eadem Classe cum Dionysio Halicarnasseo, & Solino reponendum; ita Onuphrius lib. 1. Com in Fastos tit. *de anno, & die Vrbis conditæ* p. 126. vbi ait: *Verrius Flaccus auctor Tabularum Capitolinar. C. Iul. Solinus Clemens Alexandrinus, & alij Olympiadis sextæ anno quarto*, scilicet desinente, *Vrbem conditam scripserunt*. Sigonius in Fastos pag. 8. quatenus Tabulas Capitolinas, & Solinum in eadem classe in sua Tabella collocat, esto pag 7. fateatur Capitolinas vno anno deficere à Dionysiano numero. Scaliger lib. 5. tit. de *Primis Palilib. Vrbis*, vbi asserit Dionysium, Porcium Catonem, Solinum, & Fastos Capitolinos supponere Vrbem conditam anno 24. Iphiti duobus circiter mensibus ante principium anni 25. seu imminente anno primo Olympiadis

dis VII. & hos vno tantum anno deficere à Varroniano computo; sed Scaligerum quoad hoc non satis expendit. Petauius l. 9. de doctrina tempor. c. 47. dicens. *De Capitolinis Fastis disputans Scaliger, ostendit, id quod verum est primum Vrbis annum ex illorum calculo cadere in annum Iphiti XXV. exeuntem.* Cum Scaliger loquatur de anno 24. exeunte, & 25. ineunte. Salianus quoque ad annum Mundi 3302. Verrium Flaccum cum Solino, & Clem. Alexandri in eadem opinione, ex relatu Onuphrij inuoluit. Deniq; Vuilhelmus Langius l. 2. de annis Christi CXI. non dubitat hæc pronunciare: *Varro enim* III. *anno Olympiadis* VI. *exeunte, Verrius Flaceus* IV. *Dionysius Halicarnass.* VII. *Olympiadis anno primo exeunte, aut* II. *ineunte Vrbem conditam prodiderunt.* De Varrone verum dicit, de alijs falsum; nam iam ostendimus num XI. Dionysio Vrbis initium cadere in Olympiadis VII. annum primum imminentem; Tabulis autem Capitolinis seu Verrio Flacco in annum 1. exeuntem, & 2. Imminentem Olympiadis VII. mox ostendemus, atq; adeo anno Vrbis Capitolino, addendum vnum annum vt habeatur Dionysianus, & duos, vt Varronianus, deceptosq; fuisse in hoc Onuphrium, Scaligerum, Salianum, Langium.

17 Quia enim Verrius Flaccus, alios quàm Dionysius auctores secutus, Regno Tarquinij Prisci dedit annos 37. vt & Rufus Festus, Dionysius autem 38. ideoq; Regnatum Romæ annos 243. cùm Dionysius, cum Porcio Catone, & Liuio, dicant 244. non mirum, si, vt obseruat Sigonius in Fastis pag. 7. Tabulæ Capitolinæ vno anno tardiùs ponant Vrbis annos quàm Dionysius, & annum primorum Consulum, qui est Dionysio Vrbis 245. Capitolinæ notent 244. Ego quoque id plurimis exemplis probare possum, sed aliqua exponam, alia indicabo. Lectorem tamen prænonitum volo in Fastis Capitolinis à Sigonio concinnatis, ea, quæ in fragmentis Tabularum Capitolinarum reperta sunt, characteribus maioribus seu rotundis distincta fuisse prudentissimè à Sigonio ab ijs, quæ ipse de suo studio aliunde suppleuit, & minoribus, seu cursiuis characteribus edenda curauit, tam quoad nomina virorum, quàm quoad annorum notas: Quo fit vt annorum numerus maioribus literis notatus, sit is quem Verrius Flaccus determinauit, reliqui sunt suppleti à Fastographis, sed his non vtemur.

In Fastis itaq; Capitolinis anno, quo Consules fuere *Postumut Tubertus* II. *& Agrippa Menenius*, notatur ann. CCL. quando Posthumius triumphauit de Sabinis, & horum Consulum annus est septimus à Consulatu primorum Consulum *Bruti, & Collatini* inclusiuè qui Dionysio Halicarnasseo Consulatum iniuerunt Olympiadis 68. anno primo instante, transactis Regum annis 244. atq; adeò anno Vrbis 245. Consulatum gesserunt, ergo annus consulatus *Postumij* II. & *Menenij* est Dionysio Vrbis CCLI. adeoque ex dictis & probatis supra, Varroni CCLII. ab hoc Consulatu excluſiuè, ad Consulatum *P. Valerij Poplicolæ, & C. Nautij Rutili* inclusiuè sunt anni, & binarij Consulum 28. tam Dionysio, quam Fastis Capitolinis, ergo Dionysio horum annus Vrbis est CCLXXIX. & Varroni CCLXXX. at in Tabb. Capitolinis notatur CCLXXIIX. Ab hoc Consulatu excluſiuè, vsq; ad Consulatum *Q. Fabij Vibulani III. & L. Cornelij Maluginensis* inclusiuè sunt anni 16. ergo horum annus Vrbis Varroni CCXCVI. & Dionysio CCXCV. & tamen in Tabb. Capitolinis notatur CCXCIV. Ab hoc Consulatu excluſiuè, vsque ad Consulatum *L. Valerij Potiti, & M. Horatij Barbati* inclusiuè, fuerunt reuera anni II. quia vt ostendemus cap. 3. hic Consulatus non est includendus in tertio anno decemuirorum, ideoque his Consulibus Vrbis annus Varroni est CCCVII. Dionysio CCCVI. & Capitolinis deberet esse CCCV. sed quia in Fastis Capitolinis, malè inclusus est horum totus Consulatus in tertio Decemuirorum anno, ideò notatur in illis CCCIV. Ab hoc Consulatu excluſiuè ad *Consules Geganium Macerinum* II. & *Quinctium Capitolinum* V. inclusiuè sunt, anni 6. Ergo Varroni horum annus est CCCXIII. deberetq; esse Capitolinis CCCXI. nisi Potitum, & Barbatum inclusissent in 3. anno Decemuirorum; sed quia incluserunt, notatur in Tabb. Capitolinis CCCX. Ab hoc Consulatu excluſ. vsq; ad Consulatum *C. Fabij Ambusti, & C. Plautij Proculi*. sunt reuera anni tantum 82. quia vt docebò c. 3. & 4. Dictatura M. Furij Camilli includenda est in anno Vrbis Varroniano 388. Tribunorum, ideoq; Ambustus, & Poetilius Consules fuere anno Vrbis Varroni CCCXCV. sed quia Fasti Capitolini integrum, & à Tribunis distinctum annum dant Dictaturæ Camilli, ideo notant Ambusti, & Poetilij Consulatum anno CCCXCIII. & sic redeunt ad annorum binarium quò à Varrone deficere solebant. A Consulatu Fab. Ambusti, & Poetilij Libonis excluſiuè, ad Consulatum *Furij Camilli* II. *& Iunij Bruti* in quo, vt docebò c. 3. & 4. includenda est Dictatura *Papirij*, atq; adeo ad huius Dictaturam inclusiuè fuerunt reuera anni tantum 35. ideoq; Dictator hic fuit Vrbis anno Varroniano CDXXX. deberetq; Capitolinis CDXXIIX. sed est CDXXIX. quia seiungunt Dictaturam hanc à Consulatu Camilli & Bruti. Hinc excluſiuè ad alteram Dictaturam *Papirij* inclusiuè fuere anni 15. Ideoque fuit Varronis anno CDXLV. sed in Capitolinis notatur CDXLIV. & hinc excluſiuè ad Dictaturam. *Q. Fabij Maximi* inclusiuè fuere anni 8. ideoque Dictator fuit Vrbis anno Varroni CDLIII. qui Capitolinis est CDLII.

A Dictatura Q. Fabij Maximi excluſiuè, vsq; ad Consulatum *M. Claudij Marcelli, & T. Quinctij Crispini* inclusiuè fuerunt anni 93. ideoque horum Consulatus fuit anno Vrbis Varroniano DXLVI. sed Capitolinis est DXLV. Horum autem Consulatu celebrata est Olympias, vt docet Liuius l. 28. non alia quam 143. Hinc Onuphius l. 1. Comm. in Fastos colligit Vrbem conditam anno 4 exeunte sextæ Olympiadis, demendo enim Olympiadibus 142. completis, nempe annis 568. Annos Vrbis Capitolinos completos 544. restat Olympiadicus annus 24. quo desinente Vrbs condita fuerit; sed non aduertit Onuphrius per accidens factum esse, vt hic annus sit Capitolinis 545. quia debebat esse 544. cum iam ostensum sit supra Capitolinas Tabulas ab initio vsq; ad annum Vrbis 395. deficere biennio, & aliquando triennio à Varrone, & Capitolinas inire Vrbem à fine anni primi septimæ Olympiadis. Esto ob excessum vnius anni soli dictaturæ primæ Papirij dati deinceps vnico anno à Varrone deficiant, ideoq; anno primo Olympiadis 146. quo Consules fuere *L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus*, vt ex Polybio, et Liuio habemus, anno scilicet Vrbis Varroniano DLVIII. Capitolinæ Tabulæ habent DLVII. Et anno primo Olympiadis 184. ante cuius initium, vt colligitur ex Cicerone l. 16. Epist. ad Atticum paulo ante occisus fuit C. Iulius Cæsar Consul V. cum Antonio. Tabulæ Capitolinæ hunc Consulatum notant Vrbis anno DCCIX. qui Varroni est CCCX. Sed hinc non licet concludere Tabulas Capitolinas vnico semper ac per se anno deficere à Varroniano Vrbis anno, ideoq; eas inire ab anno 4. exeunte sextæ Olympiadis; incunt enim ab anno primo exeunte septimæ Olympiadis, et toto biennio deficiunt, et aliquando triennio vsq; ad 393. quo rursus incipiunt deficere biennio à Varrone; sed ab anno ipsarum 429. vsq; ad finem deinceps deficiunt vnico anno. At si ordinassent Fastos vt oportebat iuxta dicenda c. 3. 4. et 5. ex initio Vrbis semel ab ipsis electo, defecissent semper biennio à Varrone.

Colligat hinc lector quanta cautela opus sit in colligendis annis Vrbis Capitolinis, et conuertendis in Varronianos, ac Dionysianos, et vice versa. Ideoq; operæ pretium puto, quæ hactenus probata sunt à nobis in vnum conspectum dare sequenti Tabella, in qua suppono Fastos rite ordinatos.

Ab Anno Vrbis Cond. Varroniano incluſiue.	*Vsq; ad Annum V. C. Varronianum incluſiue.*	*Capitolinæ Tabulæ. Deficiunt Annis.*
I.	CCCVI.	II.
CCCVII.	CCCXCIV.	III.
CCCXCV.	CDXXIX.	II.
CDXXX.	DCCLXV.	I.

18 Mancat interim Verrium Flaccum, seu Tabulas Capitolinas iniuisse Vrbis annum ab Olympiadis septimæ anno primo exeunte, et incipiente, vel imminente secundo, quod ipsum fecisse *Polybium* tradit Dionysius Halicarnass. lib. 1. Confisum Tabulæ Anchisensium; *& Q. Luctatium Catulum, Cornelium Nepotem, Apollodorum, & Eratosthenem*; vt affirmat Solinus l. 2. *Diodorus* quoq; *Siculus* in hac classe potius recensendus videtur Onuphrio: Sed Onuphrij peruersum calculum castigauit egregiè Petauius

l.9. c.49. vbi etiam ostendit Diodorum deficere in Vrbis annis à Varrone annis 5. 6. 7. aliquando tamen 1. 2. 4. Inscitè igitur Diodorus, cum Verrio Flacco alijsq; supra indicatis accensetur. Ex recentioribus autem vnicum nactus sum Vuilhelmum Langium, qui l.2. de Annis Christi c.11. sectatus sit hanc opinionem de Vrbe condita Anno primo septimæ Olympiadis exeunte, conatusq; sit in eandem opinionem trahere Dionysium, sed irrito conatu.

Quinta pars Conclusionis de Natali Vrbis XI. Kal. Maij sub Veris initium probatur.

19 ROmam à Romulo conditam ingresso iam annos 18. & quidem in die festo Palisdeæ pastorum, quæ in Kalendario Romano sub nomine Palilium notatur ad xi. Kal. Maij nempe 21. Aprilis tradunt Cicero lib. 2. de Diuinat. *L. Tarruntius Firmanus &c. Vrbis nostræ natalem repetebat ab ijs Palilibus, quibus à Romulo conditam accepimus, Romamq; cum in iugo esset Luna, natam esse dicebat.* Propertius quoque canit.

Vrbis festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Et Ouidius 4. Fastorum.

Martia ter senos proles adoleuerat annos,
Et suberat flauæ iam noua barba comæ.
Mœnia conduntur, quæ quamuis parua fuerunt &c.
. . . . . Arbitrium Romulus Vrbis habet.
Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro
Sacra Palis suberant, inde mouetur opus.

Et paulo ante de Palilibus dixerat.

Per flammas salysse pecus, salüsse colonos,
Quod sit natali nunc quoq, Roma tuo.

Dionysius Halicarnatseus Romuli, & Remi ætatem notat dicens l.1. *Annum porrò ingressi octauum supra decimum, controuersiam habuere de pascuis.* Solinus cap. 2. *Ibi Romulus mansitauit, qui auspicato murorum fundamenta iecit duodeuiginti natus annos xi. Cal. Maias hora post secundam ante tertiam, sicut L. Tarruntius prodidit, Mathematicorum nobilissimus, Ioue in Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra constituta, & obseruatum deinceps ne Palilibus cæderetur, vt dies iste à sanguine purus esset, cuius significationem de partu Iliæ tractam volunt.* Censorinus cap. mihi 8. *A Roma autem condita &c. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur*; quod ipsum habet Messala, & C. Sempronius, de origine Vrbis: At Plutarchus in Romulo: *In Confesso est vrbem conditam esse ante xi. Kal. Maias, τῇ πρὸ ἑνδεκα Καλανδῶν Μαίων, hunc q; diem natalem patriæ Romani vocant, & festum diem agunt &c.* & paulo infra id nominat *Palilia*: dixit autem ante xi. kal. Maias, fortasse quòd festũ illud à vespera antecedenti inchoabatur: deinde addit traditum esse Romam conditam Olympiadis sextæ anno tertio die 30. Lunæ in nouilunio Ecliptico ab Antimacho obseruato; hanc verò diem Vrbis natalem incidisse in diem 9. Pharmuti inter 2. & 3. horam diei iuxta diuinationem Tarruntij, vt iam num. 2. retulimus.

20 Quoniam verò Cicero ex Tarruntij opinione refert Lunam fuisse tunc in *Iugo*, Plutarchus autem ex Antimacho fuisse Nouilunium, quidam putarunt nomine *Iugi* intelligendam Sizygiam, seu coniunctionem Solis, & Lunæ; sed hoc repugnat Tarruntio, qui vt ex Solino vidimus affirmauit conditam Vrbem *Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis*, debuissent enim Luminaria esse in eodẽ gradu eiusdem signi: melius itaque *Iugi* nomine intellexit Libram, Manilius lib.4. supponens sub hoc signo natos quoq; Romulum, & Remum, dum canit.

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frænat pendentem legibus orbem,
Orbis, & imperium retinet, discrimina rerum
Lancibus, & positas gentes tollit q; premitq;
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Vrbem.

Quia verò Tarruntius dixit Romam conditam die 9. Pharmuthi, Anno autem 3. Olympiadis sextæ desinente, id est ante Epocham Christi vsitatam 753. dies 9. Pharmuthi incidit in Octobris Iuliani diem 3. quo die nullum Nouilunium fuit, nedum Ecliptícum, si quidem Nouilunium fuit die 21. Octob. vt diximus num. 4. die autem 3. Octobris fuit Sol in 3. gradu Libræ. Existimat Petauius lib.9.ca.48. & Langius l.2.c.11. probabile esse Romana Palilia, seu xi. kal. Maij, incidisse in Autumnum diemq; 3. aut 4. Octobris Iuliani, ita ferente tunc Anni Albani anno vetere, additq; Petauius die 4. Octobris anno illo fuisse Nouilunium, quod verum quidem est de Anno Periodi Iulianæ 3960. ab ipso hic assumpto, id est ante Epocham Christi 754. quo incœpit annus 3. Olympiadis sextæ, sed non est verum de Anno Periodi Iulianæ 3961. quem, & meritò, elegit Petauius cap. 50. eiusdem libri 9. nempe de Anno 753. ante Epocham Christi, & Olympiadis sextæ tertio anno desinente, quo Vrbs condita fuit iuxta Varronis sententiam, hoc enim anno Nouilunium incidit diebus 11. ferè ante Nouilunium anni præcedentis, atq; adeo die 23. Septembris, & die 22. aut 21. Octobris. Præterea Tarruntio repugnat, qui ex relatu Solini dixit Romam conditam *Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis*; si Sol in Tauro, ergo erat Mensis Maius Anni Iuliani, esto in anno vetere esset dies 21. Aprilis, atq; adeo erat Vernum tempus, non autem autumnale, & confirmatur, quia Roma condita est sub initium Olympiadici anni 24 vt deinde ipsemet Petauius concessit. Vt verò Tarruntius secumipso non pugnarit, dicendum videtur Romana mœnia designari cœpta aratro à Romulo ipso Festo Palilium Sole in Tauro, & Luna in Libra constituta, & Horoscopante, vel dominante ipsi Horoscopo; Mœnia verò constructa, vel lustrata, & dedicata die 9. Pharmuthi, seu 3. Octobris, aut pro Pharmuthi mense reponendum in Plutarcho mensem *Paophi*.

Quid quid sit autem de hoc; satis constat Gauricum non bene elegisse Annum ante Christum 752. ad constituendum Thema natalitium Romæ, quia melius erat eligere Varronianum annum, id est 753. ante Christum, in suo autem Themate ponit pro Horoscopo Romæ gradum 2. Libræ die 21. April. hor. 22. min. 40. Horologij; sed longè adhuc melius erat ab hac vanitate Astrologica abstinere.

CAPVT III.

De Anno Primo Iuliano, seu quarto C. Iulij Cæsaris Consulatu; aliisq; certioribus Consulum Annis.

CONCLVSIO III.

(Ex characteribus Chronologicis, potissimumq; ex Eclipsibus apud Historicos repertis LIV. Anni Consulares certò cum Annis Epochæ CHRISTI vsitatæ connectuntur; & inter hos, Quartus C. Iulij Cæsaris Consulatus, seu Iulianorum annorum primus, demonstratur fuisse. Quadragesimus quintus ante primum Epochæ CHRISTI exclusiuè sumptum.)

1 VT possimus antiquorum Consulum annos stabilire, opus fuit nobis Olypiadum initium connectere cum Epocha CHRISTI: cum maxima vero parte Chronologorum libro 3. statuimus Annum primum Olympiadum ab Iphito instauratarum iniuisse Anno ante Æram Dionysianam, seu vulgarem Epocham Christi septingentesimo septuagesimo sexto: videlicet à Neomenia proxima Solstitio æstiuo, nempe à die 9. Iulij, aut 10. tunc enim fuit Nouilunium Ciuile; cum Solstitium Ciuile incidisset in diem 30. Iunij iuxta dicta lib. 1. cap 30. Canone 15. vel si differebatur ad octonas partes signorum fuerit die 8. Iulij. Hinc sequitur infrascriptas Olympiadas iniisse à Neamenia æstiui Solstitij Annis ante Christi Epocham infrascriptis in hoc laterculo; quos consultò elegi in rem nostram.

Olym-

Olympiades earumque Annus I.	Anni ante Epocham CHRISTI.
1	776
7	752
68	508
69	504
70	500
71	496
72	492
73	488
74	484
75	480
76	476
77	472
78	468
79	464
80	460
81	456
82	452
83	448
84	444
141	216
143	208
146	196
184	44
	Epochæ CHRISTI.
195	1
207	49
254	237

2 Dionysius Halicarnasseus in principio historiæ de Antiquitatibus Romanis asserit, se in Italiam venisse, pacato iam per Augustum Imp. Orbe circa medium Olympiadis 187. mansisseq; Romæ annos 22. ibique instructum fuisse multorum, partim scriptis, partim colloquijs, eorumq; ope scripsisse antiquitates Romanas, vsq; ad initium primi belli Punici, nominatq; inter cæteros Scriptores Porcium Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum, Ælium, Gellium, Calpurnium; & infra lib. 4. Terentium Varronem, vbi loquens de libris Sibyllinis, à Tarquinio superbo emptis, addit. *Sequor autem hic Terentij Varronis opinionem &c.* Narrat deinde eodem libro 4. *verno tempore* prodigia quædam præcessisse, significantia Regni amissionem, moxq; Lucretiam violatam à Sexto Tarquinio natorum Regis maximo, Lucretiæ spontaneam sui necem, statimq; coniurationem patritiorum, qui erant cognatione cum Lucretia connexi contra Regem, & consilium L. Iunij Bruti, de substituendis loco Regum duobus Consulibus annuis, Bruti concionem super hoc ad populum præsente Lucretiæ cadauere, decretum Senatus, & Populi de exilio Tarquinij Regis perpetuo, statimq; à Bruto vtpote antea sacrificorum principe creatum Interregem Sp. Lucretium, vt Comitia indiceret, quæ mox conuocauit in campum Martium: & addit: *Postquam eo ventum est, duos viros nominauit habituros potestatem Regiam, Brutum, & Collatinum, his populus eum honorem ratum fecit, collectis centuriatim Suffragijs. Dum hæc in Vrbe geruntur, Tarquinius Rex &c.* Subiungitq; Tarquinij fugam Gabios, postquàm nouerat se desertum à Senatu, Plebe, & Militibus, & approbata ab exercitu extra vrbem decreta Vrbanorum ciuium, & Claudit librum 4. dicens. *Regnatum est Romæ à condita vrbe, ad liberatam annos ducentos quadraginta quatuor.* Librum autem quintum exorditur sic. *Regnante Romæ vltimo Rege, cum iustum, ac legitimũ Regnum versum esset in tyrannidem; per eos quos diximus, viros liberata est patria, initio sexagesimæ octauæ Olympiadis*; vt vertit Sigismundus Gelenius, Græcè autem habetur, ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδοης, καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, à verbo ἐνίσταμαι, quod significat *insta-e, imminere*, & prope *inire*, ideoq; verti potuit *sub initium*, vel ad summum *inita ferè* aut *nuperrimè Olympiade Sexagesima octauæ*. Pergit Diodorus statim dicens *Excipientes*, nempe regimen, seu *suscipientes quadrimestres Consules L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus &c.* Græcè enim habetur παραλαβόντες ὕπατοι τεττάρων μηνῶν: quare non malè vertit *Gelenius Quadrimestr s Consules*, quia in consulatu non durarunt nisi menses circiter quatuor. Malè autem nescio quis vertit. *Regium dominatum susceperunt Consules, quatuor mensibus ad illum annum deficientibus.* Quam versionem secuti Sigonius, & Onuphrius in Commentario Fastorum, vbi de tempore initi primi consulatus agunt, nec non Salianus ad annum Mundi 3545. nu. 13. frustra se torserunt inquirendo, quomodo, & cui anno, Græco ne, an Romano, an Consulari defuerint quatuor menses; cum nihil tale dixerit Dionysius, sed. *Suscipientes* regimen, *Quadrimestres Consules L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus quem magistratum lingua ipsorum à consulendo appellatum diximus &c. paulò postquam pulsus est Tarquinius vocatum in concionem populum &c. effecerunt, vt nouo plebis scito, prius illud decretum confirmaretur de perpetuo Tarquiniorum exilio.* Narrat deinde conspirationem de Tarquinio reducendo, inter quos coniuratos erant duo filij ipsius Bruti, eorum supplicium iussu ipsius patris, & L. Tarquinium coactum abdicare se consulatu, eiq; suffectum *P. Valerium Publicolam*, idq; æstiuo tempore post messem cum dicat iussu huius noui Consulis, & Bruti *proiectum in Tiberim, quidquid frumenti Tarquinius in Campi Martij areas, vel in stipula, vel tritum congregauerat.* post hæc narrat proelium Consulum, cum Tarquinijs, & Brutum ab Aruntelethaliter transfixum, eiq; suff ctum Consulem *Sp. Lucretium*, huicq; paulo post mortuo subrogatum *M. Horatium*; pauciq; interiectis concludit: *Atque hæc sunt gesta Consulum illius anni: sequenti verò Consules creati sunt, ille idem Valerius iterum, & cum eo Lucretius, nec aliud eo Consulatu gestum est memorabile præter Censum &c.* moxq; subiungit *Creatos Consules anni sequentis. P. Valerium Poplicolam tertio, & M. Horatium.*

Constat autem ex Tabulis Capitolinis, & ex Censorino cap. 8. Tarquinium superbum fugisse Gabios nocte antecedente VI. Kal. Martij, post Terminalia, ideoq; deinceps Romæ celebratum Regifugium die 24. Februarij tanquam libertatis Romanæ principiũ, & ex narratione Dionysiana, primos Consules creatos statim post fugam Regis, si non paulò ante, esto paulò post eius fugam *Suscipientes Consulatum*, vt ait Dionysius conuocato iterum populo effecerint, vt prius decretum confirmaretur. Proinde rectè Ouidius 2. Fastorum, in quo Februarij mensis propria exponit, coniunxit cum Regifugio, initium nouorum Consulum dicens.

Tarquinius cum prole fugit, capit annuo consul
Iura; dies regnis illa suprema fuit.

Neque obstat quod idem 5. Fastorum ad diem IX. kal. Iunij, alterum Regifugium notet dum canit

Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos Sacrorum, vel fuga Regis inest.

Nam ad hunc diem in Fastis adnotatæ sunt quatuor illæ literæ Q. R. C. F. quas aliqui interpretati sunt sic. *Quando Rex Clam fugit*, sed ex Varrone lib. 5. de lingua latina interpretandæ sunt: *Quando Rex Comitiauit Fas.* nempe Rex Sacrificulus, consentitq; Sextus Pompeius lib. 15 seu *Rex Comitiale facit*, ideſt Sacrificium. Ouidius autem, vt neutram opinionem damnaret, sub disiunctione dixit. *Vel mos Sacrorum, vel fuga Regis inest.* Neque item obstat Macrobius dum 1. Saturnalium c. 7. dixit *mensem Iunium à Iunio Bruto dictum; quòd Calendis Iunij, pulso Tarquinio, Sacrum Carnæ deæ voti reus fecerit.* Non enim dicit eo die pulsum Regem. Sed loquitur de voto, quod Iunius pulso Rege conceperat, & postea confectis rebus, ac post coniuratorum supplicium, libertate iam stabilita, persoluit.

Errarunt ergo tum Plutarchus in Problem. dicens primos Consules iisse Consulatum Kal. Ianuarij post Regifugium; tum Sigonius, & Salianus supra, dum putant Regifugium, & initium Consulatus fuisse IX. kal. Iunij, & Brutum post nouem menses interfectum, & computato tempore primorum Consulum, ac trium Suffectorum, annum primum libertatis fuisse 16. Mensium; cum nulla causa fuerit tam citò violandi recentissimum decretum de Consulatu annuo tantum, & Dionysius hos quinque Consules intra vnum annum includat verbis illis; *Hæc sunt gesta illius anni, &c.* quæ supra notauimus, & primos Consules *Quadrimestres* appellet. Et multo magis errarunt, qui aut Regifugium, & initium Consulatus pluribus inter se mensibus

sibus disiunxerunt, aut vtrumque in Olympiadis 68. annum primum ferè exeuntem distulerunt, vt distulit Langius l. 2. de annis Christi C. II. quia ex vna parte censet Regisugium fuisse VI. kal. Martij; & Initium Consulatus ipsis Kalendis proximi Martij; ex altera inquit Dionysium hæc duo consignare *Init a Olympiade* 68. hæc autem, vt sequitur ex dictis à nobis num. 1, incœpit ab æstate anni ante Epocham Christi 508. & Periodi Iulianæ 4206. ergo, ait Langius Regif. & Init. Consul Bruti, & Collatini cadit in annum sequentem, nempe Periodi Iulianæ 4207. & ante Christum 507. Verùm, vt iam diximus, Dionysius signauit Olympiadem vel immmentem, vel paulò ante initam, & quidem loquens quoad hoc de libertate perfectè parta, & stabilita, quod fuit multo post initium Consulatus. Quare mihi ex Dionysio certum est, Regisugium & initium Consulum incidisse in annum ante Epocham Christi 508. & confirmatur euidenter, quia idem lib. 5. scribit. *Quartus annus Consules habuit Sp. Lartium, T. Herminium; Anno deinde quinto post eiectos Reges Olympias fuit nona supra sexagesimam, Consulatum gerentibus M. Valerio fratre Poplicolæ, & P. Posthumo Tuberto.* At Olympias 69. ex dictis num. 1. incœpit æstate anni ante Epocham Christi 504. inito iam, & labente anno quinto à Regisugio, ergo Regisugium fuit anno 508. non 507. ante Epocham Christi, nec anno 509. vt malè habet Petauius.

Tanti erat ex Dionysio stabilire annum Primorum Consulum, & hac occasione aliorum, quos ipse miro consensu cum Fastis Capitolinis recensct. Sint itaque iacta hæc fundamenta.

Anno ante Epocham CHRISTIANAM.	CONSVLES ORDINARII.	
508	L. Iunius Brutus	L. Tarquinius Collatinus.
507	P. Valerius Poplicola II.	T. Lucretius Tricipitinus.
506	P. Valerius Poplicola III.	M. Horatius Puluillus II.
505	Sp. Largius Flaccus.	T. Herminius Aquilinus.
504	M. Valerius frater Poplicolæ.	Pt. Posthumus Tubertus.

3 Reliquos Consules, quos Dionysius nominat in sequenti Tabula notabimus, sed eos tantùm, quibus adscribit Olympiadas, idest annos primos Olympiadum, quorum scilicet, sicut, & Vrbis conditæ maiorem partem occuparunt in gerendo Consulatu, vt moris est etiam in Fastis Capitolinis; etiam si Consulatum inierint aliquot diebus, aut paucis mensibus ante initium Annorũ Vrbis vel Olympiadum. In reliquis interiectis Consulibns mirus est consensus Dionysij cum Fastis Capitolinis.

Olympiades ineunt.	Anni ante Ep. Christi.	CONSVLES ORDINARII TAB. I.		Ex Dionysij lib.
70	500	Posthumius Cominios Auruncus.	T. Largius Flauus.	5
71	496	A. Sempronius Atratinus.	M. Minucius Augurinus.	6
72	492	Sp. Cassius Viscellinus II.	Posthumius Cominius Auruncus II.	6
73	488	C. Iulius Tullus.	P. Pinarius Rufus Mamercinus.	8
74	484	Q. Fabius Vibulanus.	Ser. Cornelius Maluginensis.	8
75	480	Q. vel k. Fabius Vibulanus II.	Sp. Furius Fusus.	9
76	476	C. Horatius Puluillus.	T. Menenius Lanatus.	9
77	472	L. Æmilius Mamercus III.	Vopiscus Iulius vel Iulus.	9
78	468	A. Virginius Cœlimontanus.	T. Numecius Priscus.	9
79	464	Q. Fabius Vibulanus II.	D. Quinctius Capitolinus III.	9
80	460	P. Volumnius Amintin. Gallus.	Ser. Sulpicius Camerinus.	10
81	456	C. Horatius Puluillus.	Q. Minuccius Augurinus.	10
82	452	Sex. Quinctilius.	P. Horatius Tergeminus.	10
83	448	Ap. Claudius Crassinus *anno* 3. *Decemuiratus Consulares potestatem assumpsit, reliquis collegis in eadem potestate se continentibus, qui tandem abdicarunt, ob Apij libidinem, & creati sunt anno sequenti Consules infrascripti.*		10 11
83 1	447.	L. Valerius Poplicola Potitus.	M. Horatius Barbatus.	11

4 Dixerat præterea Dionysius lib. 1. *At Romanorum ciuitas imperat per totam terram, &c. ex quo condita est, quod tempus iam annorum est septingentorum quadraginta quinque vsque ad Consules Claudium Neronem iterum, & Calpurnium Pisonem Consules, qui Magistratum hunc iniuerunt Olympiade centesima nonagesima tertia.* Sic enim vertit Sigismundus, Gelenius cum Græcè habeatur εἰς ὑπάτους Κλαύδιον Νέρωνα, το δεύτερον ὑπατεύοντα, καὶ Πίσωνα καλουμένον. Hoc est *vsque ad Consules Claudium Neronem iterum capessentem Consulatum, & Calpurnium Pisonem*; Cœpit autem Olympias 193 ex demonstratis supra, anno 8 ante Epocham Christi, qua durante, kalendis Ianuarij sequentis, nempe anni 7. iniuerunt dicti Consules, completis propemodum annis 745. iuxta Fastos Capitolinos, qui hoc ipso anno nominant eosdem Consules.

5 Polybius lib. narrat eo tempore, quo celebrata est Olympias centesima vigesima nona, Romanos primo traiecisse ex Italia in Siciliam contra Pœnos, Consulibus Appio Claudio Caudice &c. quod fuit initium Belli Punici primi, id enim contigisse sub his Consulibus attestantur Iuuius lib. 31. Gellius lib. 17. c. 21. addens annum V. C. Ferè 490. Eutropius lib. 2. Victor de Viris Illustribus cap. de hoc Appio, Plinius, Velleius Paterculus, Florus, & alij. At ex dictis num. 1. sequitur Olympiadem 129. iniuisse ab æstiua Neomenia anni 264. ante Christi Epocham, ergo huic anno conuenit huius consulatus, nempe Appij Claudij Caudicis, cùi in Fastis Capitol. Collega adiungitur M. Fuluius Flaccus anno V. C. 489. sed hac occasione notandum est enorme mendum, quod irrepsit in Dionysium Halicarnasseum libro primò vbi Græcè sic. καταβιβάζω δὲ τὴν διήγησιν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ πρώτου Φοινικοῦ πολέμου τὴν γενομένην ἐνιαυτῷ, τρίτῳ τῆς ὀγδόης, καὶ ὀγδηκοστῆς ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν Ολυμπιάσιν. Quod ad literam interpretandum est sic *Deducam autem narrationem vsque ad principium primi belli Punici factum anno tertio octogesimæ octauæ supra centesimam Olympiadem.* At Olympias 188. ex dictis num. 1. incœpit æstate anni ante Christi Epocham 28 eiusque annus tertius anno 26. quo manifestum est nullum fuisse bellum Punicum nedum primum; & tamen Gelenius recipit hanc lectionem, vertitq; *Anno tertio octagesimæ octauæ supra centesimam Olympiadem.* At mendum consistit in litera ι, posita pro ει, debuit enim scribi ὀγδοηκοστῆς: idest 28. Olympias autem 128. iniit anno ante Epocham Christi 268 eiusq; annus tertius anno 266. Quare si anno tertio exeunte prope æstatem anni 265. dicamus incœpisse primum bellum Punicum, adhuc anno vno præcessisset initium positum à Polybio, & alijs; aut igitur emendandus textus Dionysij, & pro τρίτῳ reponendum τεταάρτῳ, quod facile commutatum est ab amanuensi, vel typographo; aut semina belli punici præcessisse vno anno expeditionem classis, de qua loquitur Polybius, qui eodem libro post Appium recensct Consules *M. Valerium, & C. Otacilium*, deinde

deinde *L. Posthumium, & M. Aemilium*, & post hos *L. Valerium, & T. Otacilium*, & inde *Cn. Cornelium Scipionem, & C. Duilium*; Quare consentientibus Capitolinis Fastis cum Polybio, Consulatus Cornelij Scipionis, & Duilij debetur Anno ante Christi Epocham 260.

6 Polybius lib. 4. refert Eclipsim Lunæ, visam in Mysia, ob quam Galli mercenarij milites in exercitu Attali noluere progredi, & id accidisse Consulibus *Aemilio Paulo, & Liuio nempe Salinatore*, quos ibi, & lib. 3. refert, durante adhuc anno primo Olympiadis 140. Anno quoq; subsequenti profert Consules *P. Cornelium Scipionem, & T. Sempronium Longum*. Iam vero Astronomicæ Tabulæ anno ante Christi Epocham 220. à cuius æstate cœpit Olympias CXL. nullam Lunæ Eclipsim visibilem in Mysia exhibent, sed anno 219. Martij 20. hora 2. circiter post mediam noctem in Mysia; quæ enim eodem anno accidit Septembris 1. hora 1 ½. post meridiem, non fuit ibi visibilis. Igitur Consulatus *L. Aemilij Pauli, & C. Liuij Salinatoris*, consignandus est anno 219. *Scipionis* vero, & *Sempronij* anno 218. ante Epocham Christi, & confirmabitur id mox ex Anni sequentis Consulibus, quos Tabulæ Capitolinæ notãt nempe *C. Flaminio, & Cn. Seruilio Gemino*, sicut, & Liuius.

7 Liuius enim libri 22. initio narrat appetente vere, Cõsulibus *C. Flaminio*, & *Cn. Seruilio*, qui antea designatus, Consulatum inijt Idibus Martij, Annibalem mouisse ex hybernis: inter cætera verò prodigia, quæ cladem Cannensem præcesserunt refert *in Sardinia Solis orbem minui visum, & Arpis pugnantem cum Luna Solem*. Iam Canones Astronomici repræsentant Anno ante Christi Epochã 217. Eclipsim Solis, digitorum circiter 9. die vndecima Februarij, hora Calari in Sardinia ferè 3. post meridiem; Hoc igitur anno Consules prænominati congruunt. Neque enim ad rem facit Eclipsis similis, quam octennio post inuestigauit Heruartus c. 82. suæ nouæ, sed fallacissimæ Chronologiæ, cum dictorum Consulum interuallum, octennium non patiatur. Cum verò Clades Cannensis acciderit anno sequenti Consulibus *L. Aemlio Paulo* iterum, & *C. Terentio Varrone*, vt patet ex Polybio lib. 4. & Liuio lib. 32 patet quoq; hos Consules deberi Anno 216. ante Christi Epocham.

8 Liuius libro 27. cum dixisset. *Vndecimo anno Punici belli Consulatum inierunt M. Marcellus quintum (vt numeretur Consulatus, quem vitio creatus non gessit (& T. Quintus Crispinus*. Narrat ludos Apollinares celebratos 3. Nonas Quintiles, & Marcellum occisum in prœlio cum Annibale, Crispinum autem vulneratum, subdit; *eadem æstate M. Valerius, cum classe centum nauium ex Sicilia in Africã transmisit*. Et loquens de Attalo addit: *Argos regressus, iam enim Nemeorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia sua, occupato rege apparatu ludorum &c.* Postea sic: *Exitu huius anni Titus Quintus Crispinus, dictatore comitiorum, ludorumq; faciendorum causa dicto L. Manlio Torquato, ex vulnere moritur*: deinde subiungit creatos anni sequentis Consules *Claudium Neronem*, & *M. Liuium*: tandem peractis comitijs, & ludis ait decretum: *Vt L. Manlius trans mare legatus iret viseretq; quæres ibi gererentur, simul quod Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebraretur*. Circa hos Consules non potest esse dubium de quadriennio, nec ex serie Fastorum Consularium dictisq; à Dionysio, & Liuio potest illa Olympias esse alia quam CXLIII. Hæc autem ex dictis lib. 3. incœpit Anno ante Epocham Christi 208. Ergo hoc anno Consules fuere *Marcellus, & Crispinus*, & hic quidem durauit vsque ad exitum anni Vrbis conditæ, qui incidit in anno Pompiliano æstate aliquanto post initium Quintilis mensis, post quod etiam creati pro anno sequenti Consules *Tiberius Nero, & M. Liuius Salinator*, & Olympici ludi celebrati in Plenilunio de more, nempe post Nemea celebrata anno 4. Olympiadis 142. adhuc durante. Neq; enim vno integro anno, vt quidam putant, sed solùm diuerso anno Olympiadico, & quidem præcedenti celebrabantur Nemea ad Argos, & Isthmia ad Isthmum Corinthiacum. Rectè itaq; Onuphrius lib. 1. Comm. in Fastos, & Petauius lib. 9. cap. 47. his examinatis concludit iuxta Iulianorum Annorum seriem retrofictam, debere Olympiadis 143. initium adscribi illi æstati, qua adhuc erant Consules Crispinus Marcellus. Quidquid sit de Anni Romani Luxatione, aut Olympiade à Græcis ob intercalationem seriùs celebrata, & rectè concludit: nam cum ex eodem Liuio, & Eclipsi ab eo producta lib. 22. manifestum fecerimus anno ante Epocham Christi 217. Consules fuisse Seruilium, & Flaminium, & inde exclusiuè, vsq; ad Consulatum Crispini, & Marcelli inclusiuè omnes Fasti recensent Annos Consulares 9. totidemq; binarios Consulum, si anno 208. Quo incœpit Olympias 143. collocaretur *Cl. Nero*, et *Liuius Salinator*, vt quidam contendunt, oporteret expungere vnum integrum annum cũ suis Consulibus in eo interuallo, quod absurdum est.

9 Liuius pariter lib. 30. seu decadis 3. decimo exorditur sic: *Consules Cn. Seruilius Caepio, & Seruilius Geminus, sextus decimus is annus belli Punici erat, cum de republica &c.* Paulòq; post inter alia prodigia hoc recenset: *Frusinone arcus Solem tenui linea amplexus circulũ deinde ipsum maior Solis orbis extrinsecus inclusit*: vbi initium, et mediũ Solaris deliquij satis significat, quod nullo circa hæc tempora Anno repræsentant Frusione visibile, præterquam Anno 203. ante Christi Epochã Tabulæ Astronomicæ, nempe Maij Iuliani die 6. hora ibi post meridiem 2 ¾. Huic igitur Anno adscribendi dicti Consules: fuit autem Eclipsis ea digitorum ferè 6. congruensq; Liuianæ designationi.

10 Liuius pariter eodem lib. 30. refert Anno V. C. 552. *Consulibus Tib. Claudio Nerone, & M. Seruilio Gemino Cumis orbem Solis minui visum*. Atqui Astronomicæ Regulæ Anno ante Ep. Christi 202 exhibent Sulem digitis 2 ¼. deficientem die 19. Octobris, hora cumis 1 ½. ferè ante merid. Ergo rectè huic anno adscribuntur hi Consules, & immediatè recensentur post duos Seruilios, tum à Liuio, tum à Fastis Capitolinis.

11 Idem Liuius lib. 33. sub Consulatu *L. Furij Purpureonis, & M. Claudij Marcelli Titum Q. Flaminium publicasse libertatem Græcis opportunitate ludorum Isthmicorum*, qui consueuerant celebrari ante subsequentis Olympiadis initium, non potest autem vlla alia Olympias propior fuisse huic tempori, quàm 146. & hæc incœpit Anno ante Christi Epochã 196. ergo huic anno adnotandi prænominati Consules: quod cõfirmatur ex Fastis Capitolinis, vbi à Crispini Consulatu ad Consulatũ L. Furij Purpureonis, sunt anni 12.

12 Liuius idem lib. 37. narrat *L. Cornelio Scipione, & C. Lælio Nepote Coss. ante V. Idus Quintiles, Cœlo sereno interdiu obscuratam esse lucem, cùm Luna Solis orbem subijsset*. Anno autem ante Epocham Christi 190. & nullo alio circa illum, Canones Astronomici dant Solis Eclipsim digitorum fere 11 ½. ac prope totalẽ Romæ hora fere 6 ½. post mediam noctem, sed in forma anni Iuliani die 14. Martij, proinde cum Scaligero lib. 5. & Petauio lib. 9. c. 50. huic anno dicti Consules adnotandi, quidquid oblatret Heruartus c. 48. hac Eclipsi abutens, nec aduertens Annum Pompilianum vitio Pontificum intercalatione abutentium non congruisse tunc Iuliano anno, quod etiam ex sequenti Lunæ deliquio constabit; Nec verò Anno 192. fuit Eclipsis hæc, parallaxi, & latitudine Australi vetante, vt contra Vecchiettum rectè Petauius l. 12. c. 45.

13 Narrat etiam Liuius lib. 44. *Consulibus L. Aemilio Paulo iterum, & Licinio Crasso*, Gallum Sulpicium Tribunum militum prædixisse Lunæ illam Ecclipsim, quæ accidit *Nocte, quam pridie Nonas Septembris secuta est dies*. Et adstipulatur Plutarchus in Æmilio, & Plinius lib. 2. c. 12. dicens: *Et rationem quidem vtriusque defectus primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus, qui Consul cum M. Marcello fuit, sed tum Tribunus militum, sollicitudine exercitu liberato, pridie quàm Perses Rex superatus à Paulo est, in concionem ab Imperatore productus ad prædicendam Eclipsim, mox & composito volumine*. Hanc repræsentant Astronomici Canones anno ante Epocham Christi 168. digitorum penè 16. die 21. Iunij Iuliani, hora in Macedonia fere 8. post merid. Nec requirenda est ad diem 3. Septembris in Anno Pompiliano, iam Luxato, vt frustra & cum dissidio annorum 8. facit Heruartus c. 86.

14 Iulius Obsequens libello de prodigijs, refert Anno V. C. DCXLIX. *Consulibus C. Mario iterum, & C. Flauio Fimbria* tale portentum. *Luna interdiu cum stella ab hora tertia, vsq; ad horam septimam apparuit. A fugitiuis desertoribus Thurinis regiones vastatæ, Cimbri Alpes transgressi per Hispaniam vastatam iunxerunt se Theutonis. Hora diei tertia Solis defectus lucẽ obscurauit, in Piceno tres Soles visi: in Macedonia Thraces subacti*: Annus ille Vrbis iuxta Fastos Capitolinos congruit Anno ante Epocham Christi 104.

vt cap. 2. docuimus: Hoc verò anno ex Astronomico calculo, fuit Eclipsis Solis digitorum 11 ½. Romæ hora 4. ante meridiem, nempe tertia temporali die 22. Iulij; prorsùs ergo huic anno adsignandi dicti Consules, & confirmatur ex Liuiana Epitome lib. 67. vbi post triumphum C. Marij de Iugurtha, qui accidit anno V. C. Capitolino 649. dicitur prorogatum Mario Consulatum ob metum belli Cimbrici; addit deinde Historicus: *Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum, & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibiq; multa loca populati fugatiq; sunt à Celtiberis, reuersiq; in Galliam bellicosis se Theutonis coniunxerunt.* Inscitè igitur Heruartus cap. 121. suæ Chronologiæ negat hoc anno Cimbros vastasse Hispaniam, quid quid sit de Thracibus subactis, fortè anachronismo ob Obsequente perperam commemoratis.

15 Dio Cassius lib. 55. ad V. C. Annum 758. scribit: *Cæterùm ea tempestate, Cn. Cornelio Cinna Magno, & Valerio Messala Consulibus, horrendi terræ tremores acciderunt, Tiberisq; deiecto ponte, Vrbem septem dies nauigabilem effecit, Sol aliqua parte lumen suum amisit*: Eclipsim hanc Solis partialem Romæ visibilem nullus annus propior anno prædicto Vrbis, saluis Astronomiæ legibus exhibuit, quam annus quintus Epochæ vulgaris Christi Mense Martio, die 28. hora 4 ¼. post meridiem. Prorsùs ergo huic Anno adscribendi sunt Consules Cinna, & Messala prænominati, quos rectè pariter adnotant Fasti Capitolini Anno V. C. 757. qui Varroni, & Cassio est 758.

16 Augustum Cæs. Imperatorem mortuum esse Nolæ, vel Atellæ *XIV. Cal. Septembris*, ideſt 19. *Augusti mensis Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio Consulibus*, narrant Dio lib. 56. Tacitus lib. 1. Annalium, & Suetonius in Augusto cap. 100. Dio addit eadem die ipsum quondam Consulatum primum iniuisse, & iuxta quosdam Scriptores, non priùs vulgatam eius mortem, quàm Tiberiùs ex Dalmatia aduenisset; iuxta alios autem Tiberium interfuisse morti Augusti, & Pannonicas legiones statim audito Augusti obitu in seditionem versas, mox subiungit: *Inde Druso cum prætorijs militibus ad eos profecto, quia ille nihil horum quæ postulauerant confirmauit, rursus tumultu concitato, quosdam, qui cum eo erant, sauciauerunt, ipsum ne illa nocte posset effugere, armis circumsederunt. Cæterùm deliquio Lunæ animis consternati, vi omissa, alios ad Tiberium legatos misere. Interim tempestate ingenti coorta, & singulis in sua hyberna castra reuersis &c.* Hactenus Dio. Tacitus autem narrat ingrauescente valetudine Augusti, Liuiam ex Illirico properis literis acciuisse Tiberium, & subdit: *Neque satis compertum est spirantem adhuc Augustum apud Vrbem Nolam, an exanimem repererit &c. simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit &* post pauca: *Sextus Pompeius, & Sextus Apuleius Consules, primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere*: & deinde de Tiberio: *Literas ad exercitus tanquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus*; & intra *Multus de Augusto sermo pleriſq; vana mirantibus, quòd idem dies accepti quondam imperij princeps, & vitæ supremus fuisset*: Postea: *Pannonicas legiones seditio incessit nullis nouis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, & ex ciuili bello Spem præmiorum ostendebat*: *Castris æstiuis tres simul legiones* narrat deinceps missum illuc Drusum cum prætorianis duabus cohortibus, & magna parte prætoriani equitis, ac robore Germanorum, & seditiosorum iram in Lentulum, de quo sic: *Nec multo post digredientem cum Cæsare, ac prouisu periculi hyberna castra repetentem circumsistunt &c. Saxa iaciunt &c.* moxque: *Noctem minacem, & in Scelus erupturam fors leniuit*: *Nam Luna claro repente Cœlo visa languescere*: *Id milles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura, quæ gererent, si fulgor, & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum, cornuumq; concentu strepere, prout splendidior, obscuriorq; lætari, aut mœrere. At postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris; vt sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari deos lamentantur &c.* Sæpe autem in Eclipsi totali Lunæ propter penumbram à radijs Solis in vaporibus refractis, diuersi colores apparent, vt patet ex nostro libro 5. Almagesti Noui. Hanc verò Eclipsim totalem digitorumq; penè 19. Tabulæ repræsentant Anno Epochæ Christi 14. die 28. Septembris hora in Pannonia post mediam noctem ferè 5. nec vllus est alius annus, cui possit adscribi mors Augusti, & Tiberij initiũ, nec Eclipsis die 28. Septembris incongrua est narrationi Dionis. & Taciti, quia à morte Augusti ad illam interceſſere dies 40. castra autem hyberna incipiebant sub Æquinoctium autumnale, & Tiberius *nil cunctabundus* miserat literas de suo principatu in Pannoniam, quo vtique cursores peruenire poterant decem aut 12. diebus, totidemq; redire nunciando seditionem, diebus verè reliquis ferè 20. peruenire illuc magnis itineribus Drusus. Quare gratis Heruartus cap. 257. plus temporis requirit ad hæc negotia, vt Consulatum Sextiorum, & Augusti mortem protrudat vsq; ad annum Christi 19. sed prudentius Scaliger lib. 5. Petauius lib. XI. c. 6. Langius l. 2. de annis Christi c. 17. Salianus tom. 6. Annalium huic anno Aeræ Christi 14. cum peritissimis quibusq; Chronologis adscribunt & mortem Augusti, & Consulatum Sextiorum. Nec enim tribui potest anno 13. esto Octobris 7. fuerit Eclipsis Lunæ, at digitorum vix 4. cùm Taciti narratio totalem requirat.

17 Dio lib. 60. cum dixisset. *Annus sequens M. Vinicium iterum, & Statilium Coruinum Consules habuit* haud multis interiectis subdit de Claudio Imperatore: *Quia verò natali suo defectus Solis futurus erat, veritus nequis inde tumultus existeret, cùm alia quoq; prodigia quædam accidissent, publicè edidit non modò futurum id deliquium, sed tempus etiam, quantitatemq; eius.* Indicatisq; causis Eclipsium Dio, statim addit: *Circumacto hoc anno Valerius Asiaticus iterum, & M. Silanus Consulatum acceperunt.* Refert verò Suetonius in Claudio c. 2. natum eum esse Lugduni Kalendis Augusti, *Consulibus Iulio Antonio, & Fabio Africano*, quo ipso die ara Lugduni Augusto dedicata est. Porrò Tabulæ Astronomicè circa hæc tempora nullo alio anno Solis Eclipsim Calendis Augusti Romæ conspicuam præstant, præterquam anno 45. Epochæ Christi, hora ferè 3. ante meridiem, & penè 4. Ergo huic ipsi anno cum communiori Chronologorum, adscribendus est Consulatus M. Vinicij, & Statilij Coruini, quod confirmabitur ex Elipsi sequenti.

18 Diximus Nuper ex Dione, *Vinicio, & Statilio* successisse anno immediatè subsequenti *Valerium Asiaticum, & M. Silanum*. Seneca autem l. 2. natur. quæst. c. 26. & l. 6. c. 21. his ait Consulibus natam esse in Aegæo nouam Insulam Therasiam; & Sextus Aurelius Victor addit anno sexto Claudij repente in Aegæo emersisse insulam ingentem nocte, qua defectio Lunæ acciderat. Anno 46. Epochæ Christi, & supputatione Petauij l. 11. cap. 9. Luna defecit, ad digitos 8. Ianuarij die 11. hora Romæ 5. ½. p. merid. & iterum vltimo Decembris nocte sequenti hora 7. ½. sed totaliter, & digitorum 21. ergo anno 46. dicti Consules conueniunt, quidquid interstrepat Heruartus, contra quem satis Petauius supra.

19 C. Iulius Solinus cap. 2. hæc habet de annis Vrbis iuxta Fastos Capitolinos: *Huic argumento id accedit, quod cum C. Pompeius Gallus, & Q. Veranius anno Vrbis conditæ octogesimo primo fuerunt Consules: Consulatu eorum Olympias septima, et ducentesima actis publicis annotata est.* Iam ex ostensis num. 1. sequitur Olympiadem 207. incœpisse æstate anni 49. Epochæ Christi, hoc igitur anno fuere Consules *Pompeius Gallus, et Q. Veranius*.

20 Cornelius Tacitus l. 14. Annal. incipit sic. *C. Vipsanio, et Fonteio Coss. diu meditatum scelus non vltra Nero distulit*; loquitur de Agrippina matre iussu Neronis filij necata, cuius necem præcessisse aliquot proeigia iuferius narrat dicens: *Anguem enixa mulier, et alia in concubitu mariti fulmine exanimata: iam Sol repente obscuratus &c.* Plinius verò lib. 2. c. 70. *Solis defectum Vipsanio, et Fonteio Coss. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Calenda Maias, Campania hora diei inter septimam, et octauam sensit; Corbulo dux in Armenia, inter horam diei decimam, et vndecimam*. Consule Astronomicas Tabulas, nullus circa hæc tempora est Annus, quo Eclipsis Solis in Campania tali hora visibilis pridie kal. Maij potuerit cuenire, nisi annus Epochæ Christi 59. quo die 30. Aprilis hora temporali 7. ½. Sol defecit digitos fere 10. licet Xiphilinus dicat Solem totum obscuratum, sed non dicit in Campania, alibi enim id potuit verificari.

21 Scaliger lib. 5. & Petauius lib. 11. c. 16. de Vespasiani

ni tempore diſserentes nihil de Eclipſi illi memorant, quam ſuggerit nobis Plinius l. 2. c. 13. dicens. *Nam vt in quindecim diebus vtrumque ſidus quæreretur, & noſtro quo accidit Imperatoribus Veſpaſiano Patre IV. filio iterum Conſulibus.* Argumentum capitis eſt de defectibus Luminarium. Nullus autem annus circa illud tempus intra dies 15. exhibet Aſtronomis Eclipſes Solis, ac Lunæ niſi annus 72. Epochæ Chriſti, cuius die 8. Februarij Sol defecit in Italia ante meridiem, & die 22. eiuſdem menſis Luna defecit ſeſquihora ferè poſt occaſum Solis Romæ; Igitur hoc anno 72. Conſules fuerunt *Veſpaſianus Pater IV.* & Titus Veſpaſianus eius filius II. Addit Suetonius *Veſpaſianus natus eſt XV. Calend. Decembris veſperi Q. Sulpicio Camerino C. Poppeo Sabino Coſſ. quinquennio antequam Auguſtus excederet; mortuus eſt Conſulatu ſuo nono VIII. Kalend. Iulij annum agens ætatis ſexageſimum, ac nonum ſuperque menſem, & diem ſeptimum.* Ex quo ſequitur Sulp. Camerinum, & Poppæum Conſules fuiſſe anno Eoochæ Chriſti 9. cum nu. 16. oſtenderimus Auguſtum obiiſſe anno 14. eiuſdem Epochæ; numerando autem ab anni 9. die 17. Nouembris annos 69. menſes 7. & dies 7. cadit mors Veſpaſiani, & Conſulatus eius nonus in Epochæ Chriſtianæ annum 79. Quare ex Plinio, & Suetonio ſimul cum Aſtronomico calculo habemus annos tres Conſulum in Epocha Chriſti nempe 9. 72. & 79. Quod ſi verum eſt anno 2. Imperij, & Conſulatus Veſpaſiani captam fuiſſe à Tito Hieroſolymam, vt aſſerunt Ioſephus Hebr. l. 7. c. 18. & Euſebius in Chronico, ſequitnr eam captam anno 70. Epochæ Chriſti, quo ex Faſtis Veſpaſianus fuit iterum Conſul. & confirmatur quia ex Ioſepho ſupra, et Dione in Nerone, capta fuit die 8. Septembris die Sabbati, quo character eſt anni 70. litera G.

22 Cenſorinus aureo illo libro de die Natali, quem ſcripſit ad Q. Caerellium die Natalitio eiuſdem Caerellij offerendum, notiſque illuſtrauit Aldus Manuccius capite 8. Annum quo ſcribebat inſigniuit illuſtrioribus Epochis Annorum dicens. *Hic annus, cuius velut index, & titulus quidam eſt Vlpij, & Pontiani Conſulatus, ab Olympiade prima M. eſt, & XIV. ex diebus dumtaxat æſtiuis, quibus Agon Olympicus celebratur, à Roma autem condita CMXCI. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur. Eorum verò Annorum, quibus Iulianis nomen eſt CCXXCIII. Sed ex die Kal. Ianuar. vnde Iulius Cæſar anni à ſe conſtituti fecit principium. At eorum, qui vocantur Anni Auguſtani CCLXV. perinde à Kal. Ianuarij, quamuis in ante diem XVI. Kal. Febr. Imper. Cæſar, D. F. Auguſtus, ſententia Munatij Planci, à Senatu cæteriſque ciuibus appellatus eſt, ſe VII. & M. Vipſanio Agrippa III. Coſs.* Dixerat autem paulo ante de Anno illo, quo Cæſar intercalatis tribus menſibus annum correxerat: *Adeo aberratum eſt, vt C. Cæſar Pontifex Maximus ſuo III. & M. Aemilij Lepidi Conſulatu, quo retro delictum corrigeret &c.* & infra eodem capite aſſerit ab hoc anno, quo ſcribebat numerari annos centum ad præteritum *Pij, & Brutij Conſulatum.* Proinde ex hoc gemmeo Cenſorini loco, habemus certos quatuor annos Conſulares detrahendo enim Olympiadicis annis 1014. Annos 776. ante Epocham Chriſti, quibus lib. 3. oſtendimus incœpiſſe Iphiti Olympiades, reſtant Anni Epochæ Chriſti 238. pro *Vlpij, & Pontiani* Conſulatu, & hinc incluſiuè numerando retro annos centum, prouenit Annus 139. pro *Pij, & Bruttij* Conſulatu, ſubtrahendo autem Chriſti annos 238. Auguſtanis 265. relinquitur Annus ante Chriſtum 27. pro Conſulatu 7. *Auguſti, & Vipſanij Agrippæ* 3. Tandem ſubtrahendo eoſdem annos 238. Iulianis 283. relinquitur Iulianus Annus primus nempe 45. ante Epocham Chriſti quo *C. Iul. Cæſar* fuit quartum Conſul, adeoq; tertius eius, & M. Æmilij Conſulatus, ſeu annus correctionis fuit 46. ante Epocham Chriſti.

Sed aliunde confirmatur, quia à C. Iulij Cæſaris Conſulatu IV. ideſt Iuliano primo excluſiuè, omnes Faſti numerant vſque ad Conſulatum *Cl. Neronis II.* & *Calpurnij Piſonis* incluſiuè annos 38. at horum Conſulatus incidit in annum 7. ante Epocham Chriſti, vt oſtenſum eſt num. 4. ergo quartus Cæſaris, primuſq; Iulianorum annus in annum 45. ante Epocham Chriſti.

23 Idatius in Faſtis affirmat, *Tiberiano*, & *Dione Conſulibus*, currente anno 7. Diocletiani, viſam fuiſſe in Africa, vbi morabatur Maximianus Herculeus Auguſtus, Eclipſim Solis tantam, *vt tenebræ factæ ſint.* Alibi ſuo loco de Diocletiano, nunc circa illa tempora, nullus annus, ſaluis regulis Aſtronomicis, capax fuit Solis Eccliſis tantæ, niſi annus Epochæ Chriſti 291. die 15. Maij, quo Carthagine hora, ferè 3 ¾. poſt meridiem Eclipſim Solarem digitorum 11 ½. ſupputauit Petauius lib. 8. c. 13. Huic igitur Anno adnotandus eſt Conſulatus *Tiberiani, & Dionis.*

24 Iulius Firmicus l. 1. c. 2. ait Optati, & Paulini Conſulatu, *Solem medio diei tempore Lunæ radijs, quaſi quibuſdam obſtaculis impeditum, cunctis mortalibus fulgida ſplendoris ſui denegaſſe lumina, quod futurum Mathematicorum ſagax intentio prædixerat.* Hos Conſules Faſti communiter ponunt anno Epochæ Chriſti 334. quo Petauius lib. 8. c. 13. ex Pariſinis Tabulis ſupputauit Solarem Eclipſim digitor. 10 ½. Iulij die 17. hora Romæ poſt mediam noctem: eſto ex Prutenicis nequeat extricari hæc Eclipſis. Confirmatur Ergo hinc Annus 334. horum Conſulum.

25 Caſſiodorus affirmat in *Conſulatu Philippi, & Saleae Solem defeciſſe*; hos Conſules ipſe, & alij Faſti collocant anno 14. poſt Conſulatum *Optati, & Paulini*, quem modò oſtendimus fuiſſe anno Ep. Chriſti 334. ergo *Philippo, & Saleę* debetur Annus 348. rectè, quia hoc ipſo anno Octobris die 9. hora 7 ½. Conſtantinopoli fuit Eclipſis Solis digitor. 8. non autem 15. Aprilis, quo apud Borcales nulla Eliplis fuit, vt contra Vecchietum notauit Petauis lib. 12. cap. 47.

26 Ammianus Marcellinus lib. 20. narrat Eclipſim Solis in Meſopotamia viſam ad Tigrim *Conſulibus Conſtantio X. & Iuliano III.* his verbis. *Eodem tempore per Eoos tractus cælum ſub textum caligine cernebatur obſcura, & à primo Auroræ exortu, vſque ad meridiem Stellę iugiter intermicabant. Hiſq; terroribus accidebat, quòd cum lux cæleſtis operiretur, è mundi conſpectu penitus luce abrepta, defeciſſe diutius Solem pauidę mentes hominum eſtimabant: primò attenuatum in Lunae corniculantis effigiem, deinde in ſpeciem auctum ſemeſtrem, poſteaq; in integrum reſtitutum.* Nempe quia alijs, atq; alijs locis, ob parallaxim longitudinis durauit Eclipſis tandiu, non alio vtique anno circa illa tempora (ideſt anno 12. poſt Philippi, & Saleæ Conſulatum) quàm 360. Epochæ Chriſti, cuius Auguſti die 28. Aſtronomica praxis repræſentat Eclipſim digitor. 11. Orto vix Sole in Meſopotamia, ſed ob vapores horizontis, viſa eſt totalis. Igitur Anno huic debet ſignari Conſulatus X. *Conſtantij, & III. Iuliani.*

27 Valentinianum electum fuiſſe in Imperatorem anno vno ante ipſius primum Conſulatum cum fratre Valente, conſtat ex Ammiano Marcellino lib. 26. ſed quando electio inſtabat, noluiſſe illum prodire in publicum ob ſuperſtitionem Biſſexti narrat idem Marcellinus his verbis: *Accitus implendiq; negotij præſagus, vt ſubodorari dabatur, vel ſomniorum aſſiduitate, nec videri die ſecundo, nec prodire in medium voluit, Biſſextum vitans Februarij menſis tunc illuceſcens, quod aliquoties rei Romanae fuiſſe cognorat infauſtum.* Eraut autem tum Conſules *Iouianus, & Varronianus*, vt patet partim ex Marcellino, partim ex Socrate lib. 4. cap. 15. Victore, & alijs. Ex Faſtorum autem communi ſerie certum eſt, dubitari de hoc anno non poſſe turitne 360. an. 368. Epochæ Chriſti, ſed cum fuiſſe aut 363 aut 364. aut 365. Iam verò certiſſimum eſt ab Auguſti correctione, quam totum Imperium Romanorum, & ipſa Romana Eccleſia recepit Biſſextilem fuiſſe annum 364. cum quartus quiſq; Epochæ Chriſti omnium Computiſtarum ſuffragijs ſit Biſſextilis: Ergo anno 364. electus fuit Valentinianus, Conſulib. *Iouiano, & Varroniano*, Anno vero ſequenti 365. *Valentinianus primum Conſul cũ fratre ſuo Valente.* Ideoq; ex nota Biſſexti Onuphrius probat Faſtos quoad hos Annos ritè à ſe ordinatos eſſe, & Baronius ait, hunc annum eſſe clauum maximum, quo fixa manet hac in parte Chronologia.

28 Petauius lib. 8. de doctrina temporum c. 23. & l. 13. in Chronico ad Annum Chriſti 393. refert ex Chronico Proſperi, & Marcelli *Theodoſio III. et Abundantio Conſulibus, renunciatum eſſe à Theodoſio Patre Honorium Auguſtum, et hora diei tertia tenebras eſſe factas Romae, & Byzantij.* Supputat autem Eccliſim hanc Anno 393. Epochæ Chriſti, die 20. Nouembris digitorum 9 ½. Romæ hora poſt mediam noctem 9. minut. 38. Conſtantinopoli autem digitorum 10 ¾. ſemihora ferè poſt meridiem. Quare hoc an-

no 393. dicti Consules conueniunt. Vide Baronium ad hunc annum tomo 4.

29 Idem Petauius lib. 8. c. 13. ex Idatio profert Eclipsim Solis factam Consulibus *Arcadio V. & Honorio V.* quam ipse supputat ex Astronomia Anno Epochæ Christi 402. die 11. Nouembris digitorum ferè 10 ½. Romæ hora post mediam noctem 8 ½. & ideo rectè in Chronico lib. 13. hos Consules huic anno præfigit: Et biennio errauit Scaliger lib. 6. emend. temp. pag. mihi 610. vbi Consulatum V. Arcadij, & Honorij retrahit ad Annum Epochæ Christi 400.

30 Idatius in Chronico, Marcellinus, Iornandes, Chronicon Alexandrinum, & Liechtembergius notant Solis deliquium Romæ visum Consulibus *Honorio XII. et Theodosio VIII.* Reuera autem Astronomici Canones exhibent ibi Eclipsim Solis Anno Epochæ Christi 418. die 19. Iulij digitorum 11 ½. hora Romæ ferè 12 ½. post mediam noctem præcedentem: scitè igitur in Fastis ad hunc annum 418. Hi Consules referuntur.

31 Prosper in Chronico priore, seu Consulari narrat S. Hieronymum obijsse *Theodosio IX. et Constantino III. Cōsulibus.* Idemq; in breuiore Chronico edito à Petro Pithoeo, correctoq; ex manuscripto, addit: *Hieronymus apud Bethleem moritur anno aetatis* 98. & sequenti anno subdit: *Solis hoc anno facta defectio.* Prædictos Consules adnotauit in suo Chronico Petauius Anno Epochæ Christi 420. quia anno sequenti accidit Solis Eclipsis die 17. Maij, vt confessus erat Scaliger lib. 6. pag. 611. Baronius porrò ad an. 372. contendit S. Hieronimum vixisse non 98. sed 78. annos.

32 S. Gregorius Turonensis l. 2. c. 3. loquens de Hunnorum aduentu ait: *Tunc & Sol teter apparuit, ita vt vix pars, vel tertia luceret &c.* annumque consignat Consulibus *Valentiniano VII. et Auieno*, nempe Valentiniano iuniore, quo anno cœpit imperare Martianus; Indictione 3. videlicet Anno Epochæ Christi 450. quo die Aprilis 27. accidit illa Eclipsis.

Hactenus igitur stabilitos habemus ex Eclipsibus immediatè, vel mediatè ex Olympiadicis annis, aut ex Bissexto Consulares annos 55 sed potissimum Annos primorum Consulum, & Annum primum Iulianum, quo C. Iulius Cæsar fuit IV. sine Collega. Supereſt, vt hos conferamus in vnam Synopsim, tamquam immobiles cardines, seu terminos Fastorum Consularium, addentes numeros marginales, ex quibus repetenda est horum comprobatio, & interualla inter hos annos, seu quot anni, & Consulatus, aut Magistratus Consulum loco creati intercedere debent ab anno præcedenti exclusiuè, vsq; ad sequentem inclusiuè: vt cerneret est in Tabula sequenti, in qua tamen non est cur ponamus omnes, quos iam posuimus in Tabella numeri 3.

Anni ante Christum.	Interualla	CONSVLES CERTI. TAB. II.		Marginal. Numeri
508	Ann.	L. Iunius Brutus.	I. Tarquinius Collatinus.	2
500	8	Posthumius Cominius Auruncus.	T. Lartius Flauus.	3
448	52	Ap. Claudius Crassinus Consul, & Decemuir.		3
447	1	L. Valerius Poplicola Potitus.	M. Horatius Barbatus.	3
264	183	Ap. Claudius Caudex.	M. Fuluius Flaccus.	5
260	4	Cn. Cornelius Scipio.	C. Duilius.	5
219	41	L. Aemilius Paulus.	C. Liuius Salinator.	6
218	1	P. Cornelius Scipio.	T. Sempronius Longus.	6
217	1	C. Flaminius.	Cn. Seruilius Geminus.	7
216	1	C. Terentius Varro.	L. Aemilius Paulus.	7
208	8	M. Claudius Marcellus.	T. Quinctius Crispinus.	8
207	1	C. Claudico Nero.	M. Liuius Salinator.	8
203	4	Cn. Seruilius Caepio.	C. Seruilius Geminus.	9
202	1	Tib. Claudius Nero.	M. Seruilius Geminus.	10
196	6	L. Furius Purpureo.	M. Claudius Marcellus II.	11
190	6	L. Cornelius Scipio.	C. Lælius Nepos.	12
168	22	L. Aemilius Paulus II.	C. Licinius Crassus.	13
104	64	C. Marius II.	C. Flauius Fimbria.	14
46	58	C. Iulius Cæsar III.	M. Antonius Lepidus.	22
45	1	C. Iulius Cæsar IV.	sine Collega.	22
27	18	Imp. Cæsar Augustus VII.	M. Vipsanius Agrippa III.	22
7	20	Teb. Claudius Nero II.	Cn. Calpurnius Piso.	4
Ann. Chr.				
5	11	Cn. Cornelius Cinna Magnus.	L. Valerius Messhala Volusus.	15
9	4	C. Popaeus Sabinus.	Q. Sulpicius Camerinus.	21
14	5	Sextus Pompeius Nepos.	Sextus Apuleius Nepos.	16
45	31	M. Vinicius Quartinus II.	M. Statilius Coruinus.	17
46	1	P. Valerius Anaticus II.	M. Iunius Silanus Messhala.	18
49	3	Cn. Pompeius Longinus Gallus.	Q. Veranius Lætus.	19
59	10	C. Vipsanius Poplicola Apronianus.	C. Fonteius Capito.	20
72	13	Fl. Vespasianus Augustus IV.	Titus Vespasianus F. II.	21
79	7	Fl. Vespasianus IX.	Titus Vespasianus F. VII.	21
139	60	Imp. Antoninus Pius II.	Bruttius Præsens.	22
238	99	M. Vlpius Crinitus.	C. Nonius Proculus Pontianus.	22
291	53	C. Iunius Tiberinus.	Cassius Dio.	23
334	43	L. Ranius Optatus.	M. Iunius Cæsonius Paullinus Iunior.	24
348	14	Fl. Philippus.	Fl. Salleas, vel Salias.	25
360	12	Imp. Constantius Aug. X.	Fl. Claud. Iulianus Cæs. III.	26
364	4	Imp. Iouianus Aug.	Fl. Varronianus puer.	27
365	1	Imp. Valentinianus Aug.	Comp. Valens Aug. frater Valentiniani.	27
393	28	Imp. Theodosius Aug. III.	Abundantius.	28
402	9	Imp. Arcadius Aug. V.	Imp. Honorius Aug. V.	29
418	16	Imp. Honorius Aug. XII.	Imp. Theodosius Iunior Aug. VIII.	30
420	2	Imp. Theodosius Iun. Aug. IX.	Fl. Constantius Cæsar III.	31
450	30	Imp. Placidius Valentinianus Aug. VII.	Gennadius Coruinus Valerius Auienus.	32

COROLLARIA ex Tabula I. num. 3. & ex Tabula II. post num. 32.

1 COROLLAR. Annus primus Epochæ Christi à Kalendis Ianuarij concurrit *cum Iuliano Anno quadragesimo sexto; atque adeo cum Consulatu C. Iulij Augusti Filij, & L. Aemilij Pauli; et cum Vrbis conditę anno secundum Censorinum, seu Varroniano 753. vsque ad Palilia, seu diem 21. Aprilis, à quo die incœpit Vrbis Annus 754. Ac demum concurrit cũ Olympiadis 194. Anno 4. vsq; ad Neomeniam proximam Solstitio æstiuo, ideſt ad diem 9. Iulij, à quo iniuit Olympiadis 195. Annus primus.* Ostendimus enim Numero 22. ex Censorino, & Olympiadibus lib. 3. stabilitis, Iulianum Annum primum, & C. Iulij Cæsaris Consulatum quartum, fuisse Annum 45. ante Epocham Christi vsitatam exclusiuè sumptam; Ergo huius annus primus, est Iulianus 46. in quem etiam conspirant doctissimi quiq; Chronologi, quid quid sit de vero anno, quo natus, & quo circumcisus fuit Christus. Porrò Anno 46. Iuliano Consules fuisse non quidem Augustum XIII. vt habet Cassiodorus, nec Augustum XIV. Consulem, vt habet ex Mendoso Dione Genebrardus, & Baronius, quia Tacitus lib. 1. Analium, & Suetonius tredecim tantum Consulatus Augusto expresè tribuunt, cum quibus concinit Statius in Syluis canens.

Ter Latio decieſq; tulit labentibus annis.
Auguſtus Faſces; &c.

Sed *C. Iulium Caesarem Augusti filium, aut Nepotem, cum L. Aemilio Paulo,* vt ponunt S. Epiphanius, & Eusebius, ostenduntq; ex Tabulis Marmoreis, Neapolitana, & Anagnina, alijsq; antiquis inscriptionibus Sigonius, Onuphrius, & Pighius, quibus subscribunt Dekerius, Gordonus, Petauius, & Salianus ex nostris, et præterea in Chronicis Samerius, Mercator, Buntingus, Temporarius, Caluisius, Heluicus. Ego verò inde confirmo, quia ex Tabula II. à Consulatu secundo *Tiberij Claudij Neronis, et Cn. Calpurnij Pisonis* exclusiuè, vsque ad Consulatum *Cinnę Magni, et Valerij Messhalę* inclusiuè numeratum, oportet interceſſisse, vndecim annos Consulares cum suis Consulibus, sed si hoc anno Iuliano 46 ponantur post Lentulum, et Pisonem Vinicius, et Alfenus, vt ponunt Antonius Contius, Holoander, Glareanus, Functius, et Pnrygio in suis Chronologijs, non intercederent nisi anni, et Consulatus 10. si verò hoc anno ponantur Augustus Imperator, et Consul XIV. repugnat Tacito, Suetonio, Statio, Cassiodoro, quibus ex certissima traditione constabat Octauianum Augustum tredecim tantùm Consulatus gessisse, ergo ponendi illi Consules, quos diximus. Nec obstat Dio, in quo mendum ex Lacuna in eo magna, à sciolo quodam factum agnoscere licet. Neque verò hic est ille annus, quo C. Iulius Cæsar petens Consulatum ab Augusto ob ætatem immaturam repulsus est, sed annus ab hinc, quintus, vt colligitur ex Tacito, nempe Augusto XII. Consule, quo tamen anno designatus est Consul, et decretum vt quinquenio post Consulatum gereret, vnde confirmatur nostra assertio, nec obstat quod hoc anno esset Caius in Asia, teste Suetonio. Ad obiectiones vero, quæ ex Iosepho peti possent respondet egregiè Salianus ad Annum Mundi 4054. nu. 9. Quare non erat cur Baronius in postrema editione Colonien. sententiam Onuphrij detereret, quam prius secutus fuerat.

Quoad V. C. Annos, et Olympiadum sequitur vtrumq; ex Censorino loco adducto num. 22. et nexu eorum cum Iulianis annis, sed de his alibi suo loco fusius.

II. COROLARIVM. *Errarunt in interuallis Consularibus Baronius annis 2. Contius 6. Glareanus 2. Holoander 3. Onuphrius Panuuinus 5. Petauius 3. Salianus 2. Sigonius 3.* & idem iudicium esto de reliquis, quos vel hi in his interuallis, vel hos alij sectati, & imitati sunt. Hos enim nominare placuit tanquam primarios Fastorum Consularium constructores, pauciſque nœuis notatos. Nam multo pluribus, & sæpius errarunt, Diodorus Siculus, Cassiodorus, & alij aliquot. Nunc de hic nominatis parua.

Baronius enim anno suo 261. ponit *Memmium Fuscum, & Pomponium Bassum*; anno vero sequenti prætermisso *Fulvio Aemiliano*, & *Basso* iterum Cons. autumans Fulvium eundem fuisse ac *Fuscum*, horum loco ponit *Gallienum* IV. & Valerianum anno 262. qui debebant poni anno 263. Rursus inter annos 276. & 277. omittit *Claudium Tacitum*, & *Fulvium Aemilianum*, & statim anno 277. ponit *Probum, & Paulinum* quos debebat ponere anno 278. immò, si priorem Fulvium inseruisset, posterior hic incidisset ipsi in 279. Duobus igitur annis absorptis coincidunt eius Anni Christi, cum annis Epochæ vulgaris Christianorum: vt oportebat in Aera Diocletiani & anno primo Valentiniani: causa enim expungendi duo illa paria Consulum fuit, quia annum primum Diocletiani narrat esse 284. Epochæ Christi vsitatæ, & primum Valentiniani Imperatoris, & Consulis sciebat fuisse Bissextilem; & non alium quàm annum Christi 364. At si admisisset duos illos binarios Consulum incidisset Valentiniani annus primus in annum Christi 366. à Consulatu *Lentuli, & Massalini* à quo exclusiuè computat Baronius annos Christi, existimans eosdem esse, quos vulgo Romana Ecclesia, & Christianus orbis computat. Sed oportebat aduertere Epocham vulgarem Christi, seu Dionysianam inire à Consulatu *Lentuli, & Pisonis* exclusiuè; & *C. Iul. Cæsares, ac L. Aemilij Pauli* inclusiuè, vt diximus Coroll. 1.

Contius autem *Potiti*, & *Barbati* Consulatum includit, in 3. anno Decemvirorum, & à *Potiti*, & *Barbati* Consulatu exclusiuè, ad Consul. App. *Claudij Caudicis* inclusiue ponit annos 185. cum debeant poni tantum 183. annos enim Vrbis ipsi 420. & 429. ponit sine Consulibus anno autem Iuliano 46. prætermittit Consulatum *C. Iulij Cæsaris*, et *L. Aemilij Pauli*, ita vt *à Claudio Nerone II. & Calpurnio Pisone* excl. vsq; ad *Cinnam, Messalam*, inclusiuè ponat annos tantum 10. cum debent poni 11. deinde à duob. *sextiis*, ad *Vinitium*, et *Quartinum* ponit 32. annos, cùm non sit ponendi nisi 31. quia vnum annum integrum dat Tiberio ante Consulatum *Drusi, & Norbani*. Deniq; ab *Optato, & Paulini, ad Philippi, et Salleæ* inclus. ponit annos 13. cũ debeantur 14. quia post Consulatum An. antij, et Albini, nempe annum sine Consulibus interponit cum Cassiodoro.

Glareanus, et Haloander à Cõsulatu *Cossi Cornelij Lentuli, et L. Calpurni Pisonis* exclus. vsq; ad Consul. *Cinnæ, et Messhalæ* inclusiuè non ponunt nisi annos 10. cum deberent ponere 11. et admittere ante Vinicium atq; Alfenum, Consulatum *C. Iulij Cæsaris, et L. Aemilij Pauli* vt iam ostendimus in dictis pro 1. Corollario. Præterea *Haloander, ab Optato, et Paulino* exclus. ad *Philippum, et Saleam* inclus. ponit annos 15. cum debeant tantùm 14. et à Theodosio III. Ad Honorij, et Arcadij V. Consul annos 10. cum debeantur 9.

Onuphrius Panuuinus *Potiti, et Barbati* Consulatum includit in 3. anno decemuirorum, et à *Potiti, et Barbati* Consulatu exclusiuè ad Consul. *Appij Claudij Caudicis* ponit annos 185. cum non sint ponendi nisi 183. quia inter anarchiam, et Consulatum *Mamerci, et Laterani* ponit dictaturas *Camilli, et Manlij* sine Consulibus; deinde post. *Furium Camillum, et Brutum Saeuam*; ponit *Papirij* dictaturam sine Consulatu, quæ dictaturæ includendæ erant in præcedenti anno. Præterea à *Varronis, et Aemilij Pauli* Consulatu exclus. ad *Marcellum, et Crispinum* inclus. habet annos 9. cum debeant esse 8. quia *M. Claudio Marcello* dat seorsim vnum annum integrum sine Collega, cum tamen fuerit eodem anno Consul cum *Q. Fabio Maximo IV.* Denique *ab Vlpio, et Pontiano* exclus. ad *Tiberianum, et Dionem* incl. debent poni anni 53. ille autem ponit 52. omittens *Licinium Valerianum, et Maximum*.

Petauius vno anno deficit includens *Potitum, et Barbatum* in tertio anno Decemuirorum *à Potito* autem, et *Barbato* exclus. *ad Ap. Claudium* Caudicem inclus. ponit annos 185. cum sint tantum 183. debeatq; expungi à Petauio dictatura Camilli quam ponit anno 368. ante Christum, et Papirij, quam anno 324. includendæq; sint in anno præcedenti.

Salianus cum Sigonio deficit includens *Potitum, et Barbatum* in tertio anno Decemuiratus, et *à Potito, ac Barbato* excl. ad *App. Claud. Caudicem* inclusiuè ponit cum *Sigonio* annos 184. cum debeant poni 183. quia ponunt Papirij dictaturam primam seorsim extra annos Consulares. Præterea *Sigonius* in primo interuallo ponit *Sp. Lucretium* in anno distincto, cum fuerit suffectus.

CAPVT IV.

De Consulibus Romanis in communi, Fastis Consularibus, eorumq; Authoribus, ac præcipuis erroribus, vel controuersijs de quibusdam Annis Consularibus.

CONCLVSIO IV.

Non obstantibus erroribus, aut dissidijs Authorum, possunt ordinari Fasti Consulares partim certò, partim multo probabilius, quàm hactenus factum nobis constet; eo nempe ordine, quem in nostris Fastis Consularibus exhibebimus.

1 IMbecilli enim est, vel impatientis ingenij, propter opinionum diuersitatem ab vlteriori veritatis inquisitione desistere; aut illa certò vel probabilius agnita, auctoritati magnorum alioquin virorum aliter sentientiũ, aut ex incertioribus,& obscurioribus certiora,et clariora impugnantiũ,succumbere.Iam verò partim ex demonstratis capite præcedenti, partim ex controuersijs, aut erroribus aliorũ hoc ipso capite dissoluendis,corrigendisue constabit de causis, aut occasionibus eorum, et inde de modo Fastos Consulares rectiùs,quàm hactenus factum sciamus, concinnandis: præsertim cum summi illi viri, qui primas tenere videntur in hoc genere, quosq; in 2. Corollario præcedentis capitis nominauimus, perpaucis in annis correctione indigeant,nec vlli eorum plusquam quinquies, multi autem minus errauerint. Velle autem in omnibus certitudinem æquaem,quando ea nequit humana industria obtineri, nec acquiescere probabilius electis, delicati nimis genij est, ne dicam ingenij obstinati. Audiant hi Liuium, dicentem *Dictatoris primùm creandi mentio orta, sed neque quo anno, neque quibus Consulibus, nec quis primus Dictator creatus sit, constat:* & intra: *Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, vt nec qui Consules secundùm quosdam, nec quid quoq; anno actum sit, in tanta vetustate non rerum tantùm, sed authorum quoque digerere possis.* Quod ipsum questus est Dionysius Halicarnasseus l.1. & ante hos Cicero in Bruto, patebitq; cuicunque conferenti Capitolinos Fastos cum Siculis, & Diodori, aut cum Cassiodoreis. Hæc tamen non obstant aliorum annorum certè, aut probabiliori Syntaxi, quam si quis negligat, in magnos errores,aut maiores perplexitates se inducet: valebitque sæpè quod semel de Anno Christi nati, & mortui dixit S. Augustinus lib.2. de Doctrina Christiana cap. 28. *Per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sæpe quæruntur à nobis, & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est,nonnullos coegit errare, vt putarent quadraginta, & sex annorum ætate passum esse Dominum.* At præmittenda sunt aliqua de Consulibus in communi.

2 Consulum Romanorum alij *Ordinarij* fuerunt, & per se primo creati, alij *Suffecti* in locum eorum, qui abdicassent se Consulatu, aut mortui essent, alij deniq; *Honorarij*, qui sub Cæsaribus adlegebantur tanquam collegæ honoris, & tituli Consularis, sed non Officij, & potestatis, quòd bino quoque mense tractitatum indicat Tacitus. Sed nec merè *Suffecti*: nec merè *Honorarij* suo nomine, aut cognomine insignibant, aut distinguebant annum; ideoq; *Suffecti* Consules in Fastis interius, & longius à sinistro margine notari solent; *Honorarij* verò rarò ne interius quidem, cùm aliquando sub Commodo Imperatore vnus annus habuerit 25. Consules. *Ordinarij* autem exterius notabantur in Tabulis, quia suo nomine, aut cognomine annum denominabãt, & distinguebant, etiam,si per vnicum tantum mensem Consulatum gessissent, vt ex Cicerone, Plinio, Ausonio, & alijs ostendit Onuphrius in comment. Fastor. pag. 116. vnde illud Lucani lib.5.

Careat tantum ne nomine tempus
Menstruus in Fastis distinguit nomina Consul.

Et licet non semper prima die anni capesserent magistratum, tamen Consules iam designati, & illo anno inituri consulatum, suo nomine afficiebant totum annum iam inde à Ianuario, vt colligitur ex Dione l.60. & fusius docet Onuphrius loco citato: Hinc Statius 4. Syluarum.

Læta bis octonis accedit purpura Fastis
Cæsaris, insignemq; aperit Germanicus annum.

Et Martialis lib.11. de 3. Neruæ consulatu.

Et quæ purpureis iam tertia nomina Fastis
Iane refers Neruæ, vos precor ore pio.

3 Tempus ineundi Consulatum diuersis temporibus diuersum fuit: Primus Consulum Iunius Brutus iniuit statim post Regifugium, seu post 7. Calend. Martij, ideoq; ille dies celebrabatur, tanquam libertatis acquisitæ exordium, vt iam ostendimus cap.3. num. 2. postea tamen mutatum est tempus hoc, ita vt Dionysius lib.6.dicat Spurium Cassium,& Posthumum Cominiũ Consules Anno V.C.261. iniuisse kal. Septembris citius quàm antea soleret. De Tribunis Consularibus loquens Liuius lib.5. ait, *Populum Romanum Tribunos creasse, qui non idibus Decembris die solemni, sed ex templo Kalendis Octobris Magistratus occiperent.* Sed lib.3. dixerat, *L. Ebutium, & P. Seruilium Kalendis sextilibus* consulatum iniuisse, & paulo post de Decemuiris agens scribit: *Idus tamen Maiæ solemnes erant ineundis Magistratibus*, additq; eos illo anno, qui fuit 449. ante Epocham Christi iniuisse Decemuiratum in plenilunio. Sed ab Anno Vrbis Capitolino 531. seu à tempore belli Punici secundi, ante Epocham Christi 222. vsq; ad annum V. C. 600. iniuerunt Consulatum Idibus Martij, vt liquet ex Liuio passim, docentq; Sigonius in comm. ad Annum 531. Gruchius l.1. de Comitijs, Salianus ad Annum Vrbis 531. Nam anno Vrbis 521. M. Pomponius Consul de Sardibus triumpharat Idibus Martij, vt narrat Liuius, ideoque aliquanto antea consulatum iniuerat, nempe idibus Februarij, vt putat Sigonius. Sed Anno V. C. 531. C. Flaminius Consul triumphauit vi. Idus Martij, vt habent Tabulæ Capitolinæ, statimq; coactus est abdicare, & per interregem creatus est Consul M. Claud. Marcellus, & Cn. Cornel. Scipio, vt narrat Plutarchus in Marcello, quare hi primi verisimillimè inierunt Consulatum Idibus Martij, deinceps enim sæpe Liuius has Idus memorat; vt cum Anno Vrbis 536. dicit l.22. *Caium Seruiliũ Romæ Idibus Martijs iniuisse Magistratum.* Primi autem Consules, qui ob subitum motum Celtiberiæ iniuerunt Consulatum ipsis Kalendis Ianuarij, fuerunt *Q. Fuluius Nobilior, & T. Annius Luscus*, nempe anno V. C. Capitolino 600. Varroniano 601. idest ante Epocham Christi 153. vt habetur ex Cassiodoro, à quo deinceps tempore semper initus fuit Consulatus kalendis Ianuarij, vt consentiunt Sigonius, & Gruchius supra, & Salianus ad Annum Mundi 3901. Hæc de Ordinarijs Consulibus,& ordinario tempore: nam non rarò extraordinaria de causa alijs diebus iniuere,vt de Ebutio Calendis sextilibus supra meminimus, & Anno ante Ep. Christi 391. Tribuni Militares Consulari potestate inierunt Kalendis Quinctilibns, vt narrat Liuius lib.5. *Suffecti* verò Consules statim à morte, vel abdicatione Ordinariorum eligebantur, & inibant Consulatum, nec subrogatio prætermittebatur, etiam si perpauci dies supererent ad finem anni Consularis, adeo vt Cæsar, teste Dione, & Cicerone l.7. Epist. ad Curium, mortuo Q. Fabio Consule vltimo die anni, in reliquas horas Consulem declararit *C. Caninium*, quem per iocum *Dialem Consulem* appellat, idemq; referunt Plutarchus, & Suetonius in Cæsare. Ætas porrò ordinaria petendi consulatum erat annus 42. & gerendi 43. vt colligitur ex quinta Philippica Ciceronis.

De Auctoribus Fastorum Consularium.

4 AD duas classes reducuntur Scriptores, vel Authores Fastorum Consularium. *Prima* est illorum, qui Annales, Historias, aut Chronica ita construxerunt, vt singulis annis suos Consules adscripserint cuiusmodi fuere in primis Dionysius Halicarnasseus, de cuius diligentia satis dixi cap. 3. num. 3. sed de 20. ipsius libris non habemus, nisi 11. terminatos Olympiade 83. seu vsq; ad annum

ante

ante Christum 447. cum tamen in prohemio testetur se opus suum deducturum, vsq; ad initium belli Punici: Floruit autem eodemmet teste sub Augusto Imper. sub quo pariter vixit *Diodorus Siculus*, de cuius 40. libris habemus tantuumodo 15. nempe priores quinque, & ab 11. ad 20. sed in Consulibus adnotandis, siue Fastos Siculos, siue alios deprauatos auctores secutus, subinde aberrat, & aliquando 7. & 8. annis; vt aduertit, & probat Petauius lib. 9. de Doctrina temporum c. 49. certè libro 11. primos Consules quos ex ipso habemus, facit Sp. *Cassium*, & *Proculum Virginium* Olympiade 75. hoc est ante Christi Epocham anno 480. cùm tamen illi fuerint Consules anno 486. Vltimos verò Consules, quos ex eodem habemus lib. 20. adscribit anno 3. Olympiadis 119. idest anno ante Ep. Christi 302. nominatq; *M. Liuium*, & *M. Aemilium*, & rectè; quare ex libris eius extantibus non habemus annos consulares, nisi 178. & hos non vbique incorruptos. *De Polybio*, qui & ipse Consules recenset non habemus, nisi libros 6. quos ipse orditur ab Olympiade 140. idest anno ante Christum 120. quintum autem absoluit Olympiadis eiusdem anno 4. sed Liuius ab Vrbe condita exorsus, vsque ad Augusti mortem scripsit libros 140. de quibus non extant, nisi 45. reliquos per Epitomem suppleuit *L. Florus*; exceptis autem per paucis annis adnotat Liuius cuiusq; anni Consules eosdem quos Dionysius, profitetur autem se vsum in primis *libris Magistratuum Annuorum*, & præterea *libris linteis*, qui ad Monetæ ædem seruabantur. Liuium excepit *Cornelius Tacitus* Annales incipiens ab Augusti morte initioq; Tiberij, & ijs subiungens Historiam, vsque ad Ser. Sulpicium Galbam Imper. & T. Vinium Consules, & quotannis ferè indicans Consules, nempe ab Anno Christi 14. ad annum 69. At *Dion Cassius* Nicænus, ab Vrbe condita vsque ad Alexandrum Mammeam Historiam suam perduxit, videlicet vsque ad illum annum, quo idemmet Dion Consul fuit cum Alexandro Seuero Imp. II. videlicet annum Epochæ Christi 229. quæ est historia 981. annorum, quam si totam haberemus nihil ferè desiderari posset quo ad res Romanas, & ordinem Consulum, reliquorumq; Magistratuum, sed de libris ipsius 80. quos Suidas memorat, habemus tantum 25. nempe annorum 121. à bello Cretico, vsque ad mortem Claudij, seu à libro 36. ad 60. inclusiuè, quare exciderunt nobis priores libri 35. & posteriores 20. licet extet fragmentum trigesimi quinti. Illum tamen in Epitomen redegit *Io. Xiphilinus* à Iulio Cæsare, vsque ad Alexandrum Seuerum. Porrò *Ammianus Marcellinus* sub finem libri 31. de se scribit his verbis: *Hæc vt miles quondam, & Græcus, à principatu Cæsaris Neruæ exorsus, ad vsque Valentis interitum pro mensura virium explicaui.* Sed & huius libri 13. priores desiderantur. Hi sunt Historici rerum Romanarum, qui Consulum, & Magistratuum nomina suis in operibus continenter ferè tradiderunt, apud alios enim puta Plutarchũ, Suetonium, Velleium, Plinium, Appianum, Eutropium &c. quædam nomina Consulum sparsim tantùm, & rarò reperire licet.

5 *Secunda* classis eorum est, qui nihil aliud; aut ferè nihil quàm Consules, aut his æquiualentes Magistratus in suis Fastis, aut Chronicis complexi sunt, cuiusmodi fuere *Tabulæ Censorinæ*, quas Dionys. *& libri Magistrattum*, *ac lintei*, quos, vt diximus, Liuius commemorat. Sed tales in primis fuere Tabulæ Capitolinæ, quas Verrius Flaccus insignis Grammaticus ordinauit, & iussu, ac impensis Augusti Marmoreis Laterculis incidi curauit, vt colligitur ex Suetonij libro de Illustribus Grammaticis dicentis: *Verrius Flaccus libertinus docendi genere maximè inclaruit, namque ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia, de qua scriberent, sed & præmio, quod victor auferret; id erat liber aliquis antiquus pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque præceptor nepotibus electus, transijt in palatium cum tota Schola, verum vt neque amplius posthac discipulum reciperet; docuitq; in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatij tunc erat: & sestertia centena in annum accepit. Decessit aetatis exactæ sub Tiberio: statuam habet pedestrem.* Sic enim legendum cum Antonio Augustino; aut *Pro Vestae* cum Gabriele Faerno: non vt corrupti Codices habent. *Praeneste in inferiore fori parte contra hemicyclum in quo Fastos à se ordinatos, et marmureo parieti incisos publicarat.* Et sanè non procul ab eo loco, vbi quondam fuerat Vestæ templum, Anno Domini 1547. sub Paulo III. inter forum, & Sacrâ viam eggestis ruderibus, casu inuenta sunt fragmenta marmorea Tabularum Capitolinarum in Crypta quadam, vnde impensis Alexandri Farnesij Cardinalis effossa, & ab eodem Cardinali donata Populo Romano, atq; cum alijs ex tota Vrbe collectis per Gentilem Delphinium ciuem Romanum translata sunt, & concinnata in eam formam, quæ nunc visitur in area Palatij Capitolini Conseruatorum Vrbis; quæ quidem Tabulæ multos deinde ad Fastos ordinandos excitarunt vt mox dicemus.

6 Præter Verrium Flaccum, alius quidam ignoti nominis, Fastos Consulares marmoribus cõsignauit, cuius fragmentum in hortis Colotianis reperit Delphinius continens Consules à 4. *Caesaris Consulatu*, vsque ad Cn. Domitium, & C. Asinium Pollionem, & deinde ab 11. Aug. Consulatu ad *M. Valerium*, & *Publ. Sulpicium*. Sed eiusdem seculi alius author Fastorum Municipalium Consules diligenter tradidit, cuius fragmentum marmoreum, continens Consules *à Lucio Sempronio, et L. Scribonio*, vsq; *ad vi. Consulatum Augusti, et Agrippę* ex Petri Appiani inscriptionibus memorat Onuphrius. Post Verrium autem Flaccum *Crator, et Chrysorus* Fastos Consulares scripserunt; ait enim Theophilus Episc. Antiochenus lib. 3. contra Autolycum: *Regibus annuus successit Magistratus, Consules scilicet, quorum nomina recensere superuacaneum reor, quod si quis scire cupit, legat Chrysorum, et Cratorem M. Aurelij Veri Libertum. Crator enim à condita Vrbe, vsq; ad obitum patroni sui Veri manifestè, et accurratè annotauit, quum nomina, tum tempora Magistratuum annuorum.* Sed neutrum habemus nunc sicut nec Fastos Consulares Ausonij Galli Burdegalensis, qui Anno Domini 379. Consul fuit cum Olibrio, & versibus his ad Proculum de se canit.

Vrbis ab aeternæ deductam Rege Quirino
Annorum seriem cùm Procule accipies.
Mille annos centumque et bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen ad vsq; leges.

In quo mirum est illum errare annis 13. aut 14. cum ab V. C. ad eius Consulatum numerandi sint anni 1132. si autem legas *ter* pro *bis*, ter noueni faciunt 27. & remanet adhuc error saltem annorum 4. Hanc tamen ille opinionem de annis Vrbis elegerit, non enim desunt, qui annis 4. in hoc dissideant. Dicauit autem suos Fastos Gregorio, cui scribit sic.

Ignota aeternę ne sint tibi tempora Romae
Regibus, et Patrum ducta sub Imperijs.
Digessi Fastos, et nomina praepetis aeui
Sparsa iacent Latiam si qua per historiam.

7 Postea Io. Cuspinianus in Commentario in Chronicum Cassiodori, tres alios Authores incertos adducit, vnum qui Consulum nomina digessit à Bruto, vsq; ad Honorium, et Theodosium iuniorem, suspicaturq; fuisse Paulum Orosium; alterum qui Consules à Iulio Cæsare ad Theodoricum Regem Gothorum, recensет; et tertium, qui ab obitu Placidij Valentiniani Imp. ad mortem Theodorici Regis Gothorum: ad quem Theodoricum scripsit *M. Aurelius Cassiodorus* suum Cronicum consulare productum, vsque ad Consulatum *Flauij Eutharici Cillicę, et Iustini Senioris Imp.* idest vsque ad Annum Domini 519. reliqui enim additi sunt à nescioquo studioso. Cassiodorum autem notis, et Commentarijs illustrauit Io. Cuspinianus Viennensis, Maximiliani Cæsaris Consiliarius, et Iurisconsultissimus, qui floruit anno 1530. sed Cassiodorus ex Dionysio, Liuio, Fastis Capitolinis, alijsq; certioribus monumentis sæpius aberrare conuincitur, præsertim in antiquioribus seculis aliqua omittens, aliqua interponens, quæ non oportuit; sæpe tamen vtilis est ad supplendos aliorum defectus.

Deinceps Hieronymus Surita nactus est in antiqua Siciliæ bibliotheca vniuersale Chronicon Græcum cum nominibus Consulum à Bruto, et Collatino, vsque ad primum Heraclij Imperatoris annum, quorum Fastorum Siculorum copia facta fuit Onuphrio, qui fatetur eos vitiosos esse, ac deprauatissimos. Successit his Prosperi Aquitani, qui fuit à Secretis Leonis Magni Papæ, Chronicon Consulare, qui ait in Prologo se inchoare, vbi desijt S. Hieronymus, et ab *Ausonij*, atq; *Olybrij* Consulatu, idest ab Anno Domini 379. vsq; ad Valentinianum VI. et Nonium Consules producit suum Chronicum, quod exhibet Onuphrius post suos Commentarios in Fastos, adiungens ex Cuspiniano incerti

autho-

authoris chronicon *à Valentiniano VIII. & Anthemio Consulibus*, vsq; ad *Olybrium Consulem solum*, ideſt ab Anno Domini 455. & 526. Addit præterea *Marcellini Comitis* Chronicon, qui fuit Caſſiodoro antiquior, hunc enim ipſemet Caſſiodorus laudat libro 1. introductorij cap. 17. & Iuſtiniani Cancellarium fuiſſe ſcribit, ſed longè diuerſus eſt ab Ammiano Marcellino; Porrò ipſe quoque Marcellinus Comes in Chronici prohemio profitetur ſe inchoare ab indictione VII. & Conſulatu *Auſonij, & Olybrij*, & perduxiſſe Chronicum per annos 161. vſque ad 4. Conſulatum Iuſtiniani Auguſti.

8 Anno verò Domini circiter 1138. *Petrus Piſanus* Monachus Caſſinenſis, & Cardinalis lib. 4. Hiſtoriæ Caſſinenſis ſcripſit à ſe compoſitum fuiſſe Chronicon Regum, Troianæ gentis, Conſulum, & Dictatorum; nec multo poſt *Marianus Scotus* Monachus Fuldenſis in ſuo Chronico à IESV Chriſti Natali, vſq; ad annum 1091. Conſulum nomina digeſſit.

Præcedenti autem Seculo præter Io. Cuſpinianũ de quo ſupra; *Gregorius Haloander* Miſnenſis Faſtos Conſulares anno 1539. concinnauit ab Vrbe condita, vſque ad Iuſtiniani Auguſti 4. Conſulatum; quos impreſſos habemus poſt codicem Iuſtiniani, ſed vt oſtendi in fine capitis præcedentis, octies corrigendus eſt in totidem annis conſularibus. Poſt hunc *Henricus Loſitus Glareanus* anno 1535. vulgauit ſuam Chronologiam à Troia capta vſque ad annum Vrbis ipſi 752. in qua ad illuſtrandum præcipuè Liuium, Romanos Conſules digeſſit vſque ad Conſulatum *Cl. Tiberij Neronis IV. & Druſi Cæſaris II.* excluſiuè, & inde reliquum ex Haloandro tranſcripſit. Eum autem aliquibus in locis, quoad interualla corrigendum diximus ſub finem præced. capitis.

9 Poſt erutas autem Tabulas Capitolinas *Bartholomæus Marlianus* Mediolanenſis, ipſas ex alijs authoribus ſuppleuit vſque ad Auguſti obitum, & eleganti commentario confirmauit, quod Luculentius deinde præſtitit *Carolus Sigonius* Mutinenſis, Faſtoſq; Conſulares, ac Triumphos actos ab Vrbe condita, vſq; ad Auguſti obitum, anno 1550. edidit cum inſigni commentario, & quidem tanta diligentia, & cura, vt in antiquiſſimis tantum interuallis duo tantummodo emendatione digna repererim, iuxta dicta ad finem præcedentis Capitis. Eodem pariter tempore *Onuphrius Panuuinus* Veronenſis, Eremita Auguſtinianus, non ſolum Tabulas Capitolinas, minio impreſſas, ſuppleuit nigro charactere, vbi vetuſtas eas corruperat, idque ex incredibili numiſmatum, inſcriptionum, & hiſtoriarum eruditione, ſed eruditiſſimis quoq; commentarijs locupletauit: eſto in aliquot annis eum correctione indigere docuerim ad capitis præcedentis finem. Tandem *Antonius Contius* Nouiodunenſis, inſignis Iuriſconſultus ſub Annum Domini 1570. Faſtos Conſulares mira diligentia concinnauit à *Brutto, & Collatino* vſq; ad Annum Domini 526. quo ſolus fuit quinto Conſul *Anicius Olybrius*, ſubiungens 87. ſcriptores, quibus in ea ſtructura vſus eſt. Quos Faſtos habemus poſt librum 12. Codicis Iuſtiniani impreſſas Venetijs anno 1574. eum tamen quinque in locis emendandum, docui ſub finem præcedentis capitis.

10 Reliquos Chronologos, qui ex Haloandro, Glareano, Sigonio, Panuuino, & Contio Faſtos Conſulares in ſuos annales, aut libros Chronologicos tranſcripſerunt, & ad primam claſſem pertinent, longum, & ſuperuacaneum eſſet commemorare, puta Mercatorem, Bunſingum, Caluiſium, Lycoſtkenem, Heluicum, Temporarium, Sammerium, Functium, Gordonum &c. Tres tamen memoratu digniſſimos non tacebo, videlicet *Iacobum Salianum* qui tom. 5. & 6. Annalium veteris teſtamenti Conſules recenſuit à Iunio Bruto & Colatino, vſq; ad Conſules *Serg. Sulpicium Galbam, & L. Cornellium Syllam*, ſub quibus mortuum fuiſſe putat Saluatorem noſtrum IESVM CHRISTVM; anno ætatis ſuæ 34. per 3. menſes inchoato, ſed Aeræ Chriſtianæ 33. Ante illum autem Eminentiſs. S.R.E. Cardinalis *Cæſar Baronius* ſuos Annales conſignarat à Conſulibus ab ortu Chriſti, nempe, vt ipſe putat à Conſulatu *Cn. Cornelij Lentuli, & M. Valerij Meſſalini*, vſq; ad vltimos Conſules. At *Dionyſius Petauius* libro 13. de Doctrina Temporum, Chronicum ſuum conſtruxit à Mundi conditu, vſque ad Annum Chriſti 533. ſingulis annis ſuos adſcribens Conſules, nempe ab anno ante Chriſtum 509. oſtendimus autem ad finem præcedentis capitis corrigendos eſſe Baronium, & Salianum in 2. Annis, & Petauium in 3.

11 Nos autem veſtigijs inſiſtentes, non tam Haloandri, & Glareani, qui Faſtos Capitolinos non viderunt, quàm Sigonij, Onuphrij, Contij, Baronij, Petauij, & Saliani, eorumq; laboribus fruentes. ſed emendatis, quæ præcedenti capite emendanda oſtendimus; Faſtos Conſulares ordinauimus, capite ſequenti exhibendos. Nunc præcipuas circa hos controuerſias, aut dubia expediemus ordinatim progrediendo per Annos Vrbis conditæ, iuxta ſupputationem Varronis, ac Cenſorini, adſcribentes eis annos ante vulgarem Epocham CHRISTI.

DVBIA PRAECIPVA, CIRCA FASTOS, SEV ANNOS CONSVLARES.

ANNI Vrb. C. Varroniani.	ANNI Ante Epoch Chriſt.	
246	508	Controuerſiam de Primorum Conſulum Anno, eorumq; initio, & duratione in Conſulatu, iam cap. 3. num. 2. determinauimus ex Dionyſio Halicarnaſſeo, & alijs, nec opus eſt hic plura addere.
249	505	Conſules huius anni, nempe *Sp. Lartius Flaccus, & T. Herminius* omiſſi à Liuio, ſupplendi ſunt ex Dionyſio vt dixi c. præc. n. 2. & ex Caſſiodoro, ac libro Cuſpiniani, in quo cognomen eſt *Ruſi*, pro *Flacco* conſentiunt Sigonius, & Onuphrius hos Conſules non reſpui à Tabulis Capitolinis.
265	489	Horum duorum annorum Conſules omiſit Liuius, videlicet Q. Sulpicium Camerinũ.
266	488	*Sp. Lartium Flaccum iterum*, deinde *C. Iuliũ Iulum, T. Pinarium Rufum*, quos tamen interſerunt Dionyſius, & liber Cuſpiniani, requiriq; ab ordine Faſtorum Capitolinorum docent Sigonius, & Onuphrius.
306	448	Hoc anno tertio Decemuiratus includunt totum Conſulatum *L. Valerij Potiti, & M. Horatij Barbati* Sigonius, Onuphrius, Cõtius, Petauius, Salianus, quia Tabulæ Capitolinæ horum Conſulum triumphos adnotant Anno Vrbis Capitolino 304. qui eſt Varronianus 305. ſignantes triumphum *Barbati* idib. Sextilibus, & *Potiti* VII. kal. Septembris, & quia Rufus, ac Tacitus dicunt Decemuiros nõ gubernaſſe, niſi duos annos. Sed Dionyſius Halicarnaſſeus, vt retuli cap. 1. nu. 3. expreſsè dicit hos Conſules creatos eſſe *Anno ſequenti annum 3. Decemuiratus*, idemque lib. 2. dixit Tribunos militares cum Conſulibus creatos anno 3. Olympiadis 84. nempe anno ante Epoch. Chriſti 422. & Vrbis Varroniano 312. à *Potiti* autem, & *Barbati* Conſulatu excluſiuè ad Tribunos illos incluſiuè, omnes Faſti numerant annos Conſulares quinq; ergo *Potiti*, & *Barbati* Conſulatus incidit maiori ſui parte in Annum Vrbis Varronianum 307. Liuius quoq; ac Dionyſius ſatis indicant Decemuiros maximam partem anni tertij perſtitiſſe in Decemuiratu, ideoq;

ANNI Vrb.C. Varroniani.	Ante Epoch Chriſ.	
		ideoq; cum Haloandro, & Glareano, & Caſſiodoro Conſules hos deſignatos quidem, & electos ſub finem anni 3. Decemuiratus ponimus, ſed eorum Conſulatum ad annum ſequentem pertinere, videlicet
307	447	ad Vrbis Varronianum 307. Capitolinum 306. nec difficile fuit in Tabulis Capitolinis horum triũphos notare Anno CCCIV. pro CCCVI. Rufus autem, & Tacitus intelligendi ſunt de Decemuiratu legitimo, aut integris annis; conſtat enim ex Dionyſio, & Liuio eos abſque Comitijs iniuiſſe annum 3. Decemuiratus, & retinuiſſe violenter, ac priuata authoritate, donec ob Appij libidinem coacti ſunt abdicare.
312	442	Hoc Anno nempe Olympiadis 84. tertio cum Dionyſio poſuimus Tribunos militares vnà cum Conſulibus *L. Papyrio Mugillano*, & *L. Sempronio Atratino*, cùm Cicero ipſe lib. 9. Epiſtolar. fam. ep. 21. dicat *Papyrium Mugillanum*, & *Sempronium Atratinum* Conſules fuiſſe anno Vrbis trecenteſimo duodecimo; eſto eos cum Liuio retrahant in annum antecedentẽ Onuphrius, Cuſpinianus, Salianus, Sigonius, Contius.
322	432	Hoc anno poſuimus Conſules *C. Iulium* III. & *L. Virginium* II. cũ Licinio Macro apud Liuium lib. 4. dicentem: *Eoſdem Conſules in ſequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium inuenio: Valerius Antias, & Q. Tubero, M. Manlium, & Q. Sulpicium Conſules in eum annum edunt. Cæterum in tam diſcrepanti editione, & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur, neuter Tribunos militum eo anno fuiſſe, traditum à Scriptoribus antiquis diſſimulat. Licinio libros haud dubiè ſequi linteos placet, & Tubero incertus veri eſt; ſed inter cætera vetuſtate incomperta, hoc quoq; in incerto poſitum.* Vbi tamen indicat ſe Licinio potiùs, quàm Tuberoni credere, & Licinium ſequuti ſunt in hoc Euſebius, Caſſiodorus, Cuſpinianus, Sigonius, Onuphrius, Pighius, Contius, Petauius, Salianus; eſto Tuberonem ſequantur Haloander, & Glareanus, Faſtiq; Siculi; Diodorus tamen addit Tribunos.
384	370	Hic fuit vltimus annus Anarchiæ Romanæ, à quo excluſiuè vſque ad Conſules *L. Aemilium* ex patritijs, & *L. Sextium Lateranum* ex plebe creatos incluſiuè interponunt annos quinque Petauius, & olim Onuphrius, Pighius, Sigonius, quia vnum annum ſeorſim Dictaturæ Camilli tribuunt, eò quòd in Faſtis Capitolinis linea diſtinguantur Dictatores à Tribunis; at linea illa nõ ſemper eſt ſignũ anni diſtincti, ſed ſolum Magiſtratus diſtincti, vt alijs exemplis oſtendit Salianus ad Annum Mundi 3686. nu. 8. & ipſemet Sigonius in ſupplemento illorũ lapidum lineolam illam omiſit. Annos verò tantummodo 4. nos interpoſuimus cum Saliano, Haloandro, Glareano, Contio, & Langio l. 2. de Annis Chriſti c. 11. Quia euidens eſt Liuium l. 6. in 3. anno Tribunorum militarium includere dictaturã *M. Furij Camilli*, qui tamen ſtatim ſe abdicauit, eique ſuffectus eſt Dictator *P. Manlius*; anno verò 4. Tribunorum militarium, ob repentem famam belli Gallici, iterum Dictator creatus eſt *M. Furius Camillus*, quam

ANNI Vrb.C. Varroniani.	Ante Epoch Chriſ.	
		acceptauit, geſſitq; nec vlli Dictatori licebat tunc vltra ſex menſes eum magiſtratum gerere. Igitur non vnus annus ſeorſim dictaturæ Camilli tribuendus eſt, ſed ea inſerenda eſt anno 4. Tribunor. militarium, & anno ſequenti Conſules *L. Aemilius Mamercus*, ac *L. Sextius Lateranus*: nempe Vrbis Varroniano 389. & ante Epocham
389	365	Chriſti 365.
422	332	Hoc anno nullos fuiſſe Conſules putant Sigonius, Onuphrius, Contius, Haloander, Gordonius, propter peſtem in Vrbe graſſantem, alij iungunt præcedentis anni Conſules, nempe anni 421. Vrbis; cum Conſulibus anni 423. ne vacuum annum interponant, vt Glareanus, Cuſpinianus, Genebrardus, ſed Pighius, Salianus, & Langius l. 2. de annis Chriſti c. 11. ponunt *L. Papirium Curſorem, ſeu Spurium, & C. Poetilium*, quia Solinus c. 32. affirmat his Conſulibus Alexandriam conditam Olympiade 112. Quæ ex Stabilitis c. 3. nu. 1. incœpit anno ante Chriſti Epocham 332. non eſt igitur cur omittantur, cum non turbent Chronologiam, immò cohæreant cum interuallis cap. 3. ſtabilitis.
430	324	Hoc anno Conſules fuere *L. Furius Camillus*, & *Iun. Brutus Scæua*, ſed vt diſertè narrat Liuius l. 8. cum Senatus *Brutum* contra Veſtinos, & *Furium* contra Samnites miſiſſent bellaturos, *Furius* morbo graui implicitus, iuſſus eſt dicere Dictatorem, idq; dixit *L. Papirium Curſorem* belli gerendi cauſa; ſub cuius anni finem patrum rogatũ creauit ſequentis anni Conſules. *C. Sulpicium Longum II. & Q. Aemilium Cæretanum*, Ergo Dictaturæ Papirij non eſt aſſignandus annus vnus integer ſine vllis Conſulibus, vt aſſignant Sigonius, Onuphrius, Pighius, Gordonius, Mercator, Contius, Glareanus, Petauius; ſed intra eundem annum includenda Dictatura *Papirij* cum Conſulatu *Furij*, & *Bruti*, quod Liuio Conſonum fatetur ipſe Glareanus, & ita euicit Langius lib. 2. de Annis Chriſti cap. 11.
441	313	Licet Lucius omittat huius anni Conſules *L. Papirium Curſorem V. & C. Iunium Bubulcum* II. Supplendi tamen ſunt ex Caſſiodoro, cum Glareano, Sigonio, Onuphrio, Contio, Petauio, Saliano &c.
445	309	Hunc annum eximendum à Faſtis Conſularibus contendit Langius l. 2. de Annis Chriſti, nec aſſignandum dictaturæ Papirij, eo quòd Liuius lib. 9. dicat à Papirio victos Etruſcos, & Samnites, & Mox concludat: *Eodem anno cum reliquis Etruſcorum ad Peruſiam, quæ ipſa inducarum fidem ruperat Fabius Conſul, nec dubia, nec difficili victoria dimicat.* Sed reſpondemus Fabio prorogatum magiſtratum vſq; ad finem huius belli, vt aduertit Glareanus, & Salianus, Eſto Liuius, & Caſſiodorus ob connexionem materiæ omnia hæc ſimul referant, quaſi vno anno facta; contra verò, Faſti Capitolini, Sigonius Onuphrius, Stephanus Pighius, Contius, Gordonius, Salianus, alijq; multi ponunt hunc annum ſine Conſulibus, & cum Papirio dictatore C. Iunium Bubulcum Magiſtrum Equitũ. Glareanus verò ſine Dictatore ponit Q. Fabium Rutilianum III. & P. Decium Murem II. Nos media via incedentes ponimus *Conſulatum* II. Q. Fabij ſed cum eo

Di-

ANNI Vrb.C. Varroniani,	ANNI Ante Epoch Christ.	
		Dictatorem Papirium & M. Equitum, & sequenti anno. *Q. Fabium III. & Decium II.*
446	308	Huius, & sequentis anni Consules à Liuio omissos, rectè ponunt cum Tabulis Capitolinis, cum Cicerone in Catone, & cum Cassiodoro Sigonius, Onuphrius, & terè omnes.
490	264	Dubium de his Consulibus, & anno primo Belli Punici iam discussimus cap. 3. nu. 5.
514	240	Anno Vrbis Capitolino 513. qui est Varroni 514. Verrius Flaccus in Tab. Capitolinis ponit Consules. *C. Clodium*, seu *Claudium Centhonem*, qui fuit Cæci filius, & M. *Sempronium Tuditanum*, in quo Sigonius, Onuphrius Glareanus, Contius, Salianus, Petauius cæteriq; consentiunt. Vnus Heruartus in sua Chronologia noua mouet dubium ex Cicerone in Bruto, & Tusculana 1. vbi hos Consules consignat anno Vrbis 510. sed plerique Codices habent *quartodecimo, & quingentesimo*: & rectè.
522	232	Post Consules huius anni, nempe *Lepidum, & Malleolum*, Glareanus annum vnum inserendum putat, ante Consulatum *Papirij, & Pomponij* sed anni illius inserti Consules non nominat; nos cum omnibus alijs, & secuti interualla cap. 3. stabilita hunc annum expunximus.
535	219	Liuij error, seu potius Librariorum corrigendus dum lib. 33. ab Anno Vrbis conditæ Capitolino 534. ad 595. numerat annos octo pro quinque.
537	217	Eclipsim Solis, quam cap. 1. num. 7. hoc anno euenisse diximus *Seruilio*, & *Flaminio* II. Consulibus, frustra Heruartus ad annum 209. ante Christum refert, vt octennij errorem in Fastis cõmuniter receptis probet, sed frustra; cum illa, de qua nos, satis congruat historiæ, & Fastis communibus.
650	104	Iam c. 3. nu. 14. hunc annum Ecclipsi stabiliuimus, contra Heruarti sophismata.
711	43	Hoc anno *C. Octauius*, qui postea *Augustus*, factus est Consul cum *Q. Pedio*, in locum Hirtij, & Pansæ, qui fuit annus Vrbis Capitolinus 710. non 707. vt malè habet Epitome Liuiana, aut 709. vt Valerius, vt ostendit Petauius lib. 9. cap. 49. & lib. 12. cap. 38.

ANNI Vrbis Varroniani.	ANNI Epoch Christi.	
	1	C. Iulium Cæsarem, & Æmilium Paulum, malè omissos hoc anno ab Haloandro, Glareano, & Contio ostendimus iam cap. præcedenti post Tab. II. pro Corollario I. differentes.
767	14	Inter duos *Sextios* anni huius Consules, & *Drusum, ac Norbanum*, quos nos cum communi opinione anno sequenti ponimus, Cõtius nullo idoneo teste interponit vnum annum, quem soli Claudio Tiberio Cæsari adsignat.
783	30	Hoc Anno Consules fuisse *Vinicium, & Longinum*, nempe Vrbis Varroniano 783. tradit Velleius, qui eo anno scribebat; Quare Fasti Siculi qui ponunt *Rufum*, & *Rubellinum*, intelligendi sunt de Consulibus suffectis, aut Honorarijs.
830	77	*Vespasiano Augusto* octauum Consule, ordinarium Consulem fuisse *Titum Cæsarem* VI. suffectum verò *Flauium Domitianum* VI. ait Contius, Onuphrius, Petauius, secuti Cassiodorum, esto Haloander ponat Domitianum pro Ordinario.
862	109	Cùm Euagrius l. 2. c. 12. inter terræmotum illum, qui Antiochiam concussit anno 2. Leonis Imperatoris, ideſt Christi (vt omnes numerant) 458. & illũ qui Antiochiam subuertit Traiano ibi versante numeret solidos annos inter lapsos 347. aut 348. ideo priorem terrę motum ad annum Epochę Christi 109. consignauimus in nostro Chronico. Quoniam verò Dio l. 68. narrat *Pedonem* Consulem eo terræmotu oppressum esse, & in Fastis eius collega fuit *Meßalla* ideo duos hosce Consules anno 109. cum Baronio (cui annus hic est 111.) adscribimus propius Cassiodorum, non autem anno 115. vt aliqui, quos inter Eusebius terræmotum illum perperam anno 115. consignat: Anno autem 115. cum Cassiodoro, Consules dedimus *Hadrianum*, & *Salinatorem*.
1006	253	De Diffidijs ab hoc anno, qui Onuphrio est 254. vsque ad Probi tempus, inter Baronium, & Onuphrium, eruditissimè Petauius lib. 11. de Doctrina temporum c. 27. Hunc autem & nos secuti sumus in Fastis quoad hæc tempora, paucis exceptis, sed de Baronio vide dicta c. 3. Corollario II.
1099	346	Cap 3. num. 24. & 25. Ostendimus à Consulatu *Optati*, & *Paulini* exclusiuè vsq; ad Consulatum *Philippi*, *et Saliæ* inclusiuè numerandos esse annos consulares tantummodo 14. proinde expungendus est post Consulatus *Amantij, & Albini*; quem cũ Cassiodoro, Haloander, & Contius interponunt aucto interuallo ad annos 15.
1117	364	De Anni huius Consulatu, nempe *Iouiani*, & *Varroniani*, ex Bissexto confirmato, vide dicta cap. 3. num. 27. quare emendandus est S. Hieronymus ad Eusebij Chronicon, qui ponit annum 366. vt aduertit Contius in Fastis ad Annum Christi 364. qui Haloandro est 367.
1132	379	*Ausonium, cum Olibrio* Consulem fuisse hoc anno, nempe Vrbis Varroniano 1132. Haloander, Contius, Onuphrius, & Cassiodorus, qui eos subiungit Consulibus *Valenti* VI. & *Valentiniano* II. ponunt, quare autem ipsemet Ausonius in Annis Vrbis dissentiat, vide quæ hoc capite diximus nu. 4. vbi de Ausonij Fastis.
1140	387	Iosephus Scaliger putauit hoc anno depraua-tos esse Fastos, quia ponunt Consulem *Valentinianum Augustum* III. *cum Eutropio*, prout etiam habetur in Cod. Theodosiano lib. 11. Tit. XXVIII. cum tamen Ammianus Marcellinus lib. 28. Socrates, & alij cum Valentiniano III. Consule, componant Valentem Cons. III. sed hoc est παράδοξα Scaligeri, annorum 17. Valentinianus enim, de quo loquitur Ammianus, & Socrates, est *Valentinianus* alter, & senior, qui Anno Domini 370. fuit Consul III. cum *Valente* III.
1146	393	Hoc Anno Consules fuerunt *Theodosius 3. & Abundantius*, vt habent plerique Fasti, esto loco *Abundantij* Onuphrius habeat *Honorium*, sed hunc quidem Theodosius declarauit Augustum, Constantinopoli, sed non propterea Consulem fecit; ideoq; in hoc secuti sumus Cassiodorum, Haloandrum, Contium, Petauium.

ANNI Vrb. Varroniani.	Ante Epoch Chriſ.	
1158	405	Hoc Anno Conſules fuerunt *Stilicho II. & Anthemius*, vt narrant Idatius in Chronico, & Marcellinus, quo anno Cyclus Solis fuit 22. Litera Dominicalis A. & dies VII. Kalend. Nouembris incidit in feriam 5. eſto errore Sculptoris in quadam inſcriptione Romæ dicatur hoc anno 2. Conſulatus Stilitichonis, die VII. kal. Nouemb. incidiſſe in Feriam VI. Quare non erat cur Scaliger dubitaret hinc de Conſulatu hoc Stilitichonis: Vide Petauium lib. 11. c. 46. His expeditis ſupereſt vt Faſtos Conſulares à nobis ordinatos hoc loco exhibeamus, quod præſtamus capite ſequenti.

CAPVT V.

TABVLA FASTORVM CONSVLARIVM

Quorum fundamenta iacta ſunt Libro hoc Capite I. II. & III.

Anni ante Ep. Chriſ.	
753	ROMVLVS I. Rex Romanorum, regnare cœpit, & regnauit annos 37. menſes 2. ac dies 18.
715	NVMA poſt Interregnum vnius ferè anni cœpit regnare, regnauitq; annos 43.
671	TVLLVS Hoſtilius regnare cœpit, regnauitq; annos 32.
639	ANCVS Martius Numæ fil. cœpit regnare, regnauitq; annos 24.
615	L. TARQVINIVS Priſcus regnare cœpit, regnauitq; annos 37.
578	SERV. TVLLIVS regnare cœpit, regnauitq; annos 44.
534	L. TARQVINIVS Superbus regnare cœpit, regnauitq; annos 25.
	CONSVLES PRIMI.
508	L. Iunius Brutus M. F. *Quo in prælio occiſo, ſuffectus eſt*: Sp. Lucretius Tricipitinus, *& huic mortuo ſuffectus eſt M. Horatius Puluillus.*
	L. Tarquinius Collatinus Egerij F. Aruntius N. *qui abdicare coactus eſt, eiq; ſuffectus eſt.*
	P. Valerius Voluſi F. appellatus mox Poplicola.
507	P. Valerius Poplicola II.
	T. Lucretius Tricipitinus.
506	P. Valerius Poplicola III.
	M. Horatius Puluillus II.
505	Sp. Lartius Flaccus, *ſeu* Rufus.
	T. Herminius Aquilinus.
504	M. Valerius Voluſus.
	P. Poſthumius Tubertus.
503	P. Valerius Poplicola IV.
	T. Lucretius Tricipitinus II.
502	P. Poſthumius Tubertus II.
	Agrippa Menenius Lanatus.
501	Opiter Virginius Tricoſtus.
	Sp. Caſſius Viſcellinus.
500	Poſtumus Cominius Auruncus.
	T. Lartius Flauus.
499	Ser. Sulpicius Camerinus.
	M. Tullius Longus.
498	P. Veturius Geminus.
	T. Æbutius Helua.
497	T. Lartius Flauus II.
	Q. Cloelius Siculus.

Anni ante Ep. Chriſ.	
496	A. Sempronius Atratinus.
	M. Minucius Augurinus.
495	A. Poſtumius Albus, *qui* deinde Regillenſis.
	T. Virginius Tricoſtus Cœlimontanus.
494	M. Claudius Sabinus.
	P. Seruilius Priſcus.
493	A. Virginius Tricoſtus.
	T. Veturius Geminus.
492	Sp. Caſſius Viſcellinus II.
	Poſt. Cominius Auruncus II.
491	T. Geganius Macerinus.
	P. Minucius Augurinus.
490	A. Sempronius Atratinus II.
	M. Minucius Augurinus II.
489	Q. Sulpicius Camerinus.
	Sp. Lartius Flaccus II.
488	C. Iulius Iulus.
	P. Pinarius Mamercinus.
487	Sp. Nautius Rutilus.
	Sex. Furius Fuſus.
486	C. Aquilius Tuſcus.
	T. Sicinius Sabinus.
485	Sp. Caſſius Viſcellinus II.
	Procul. Virginius Tricoſtus.
484	Q. Fabius Vibulanus.
	Ser. Cornelius Maluginenſis.
483	L. Æmilius Mamercus.
	K. Fabius Vibulanus.
482	M. Fabius Vibulanus.
	L. Valerius Potitus.
481	C. Iulius Iulus.
	Q. Fabius Vibulanus II.
480	K. Fabius Vibulanus II.
	Sp. Furius Fuſus.
479	Cn. Manlius Cincinnatus.
	M. Fabius Vibulanus II.
478	K. Fabius Vibulanus III.
	Virginius Tricoſtus II.
477	L. Æmilius Mamercus II.
	C. Seruilius Structus.
476	C. Horatius Puluillus.
	T. Menenius Agrippa Lanatus.
475	A. Virginius Tricoſtus.
	Sp. Seruilius Structus.
474	P. Valerius Poplicola.
	C. Nautius Rutilus.
473	L. Furius Medullinus.
	M. Manlius Vulſo.
472	L. Æmilius Mamercus III.
	Vopiſcus Iulius Iulus.
471	P. Furius Fuſus.
	L. Pmarius Mamercinus.
470	T. Quinctius Capitolinus.
	Ap. Claudius Sabinus.
469	Tib. Æmilius Mamercus.
	Valerius Potitus II.
468	A. Virginius Cælimontanus.
	T. Numicius Priſcus.
467	T. Quinctius Capitolinus II.
	Q. Seruilius Priſcus.
466	Tib. Æmilius Mamercus II.
	Q. Fabius Vibulanus.
465	Q. Seruilius Priſcus II.
	Sp. Poſtnmius Albus.
464	T. Quinctius Capitolinus III.
	Q. Fabius Vibulanus II.
463	Poſtumius Albus.
	Sp. Furius Medullinus.
462	P. Seruilius Priſcus.
	L. Æbutius Helua.
461	L. Lucretius Tricipitinus.
	T. Veturius Geminus.
460	P. Volumnius Amitinus.
	Ser. Sulpicius Camerinus.
459	P. Valerius Poplicola II.
	C. Claudius Sabinus.

Anni ante Ep. Chriſ.

458 Q. Fabius Vibulanus III.
L. Cornelius Maluginenſis.
457 C. Nautius Rutilus II.
L. Minucius Augurinus.
456 C. Horatius Puluillus.
Q. Minucius Augurinus.
455 M. Valerius Maximus.
Sp. Virginius Tricoſtus.
454 T. Romilius Vaticanus.
C. Veturius Cicurinus.
453 Sp. Tarpeius Montaca.
A. Aterius Fontinalis.
452 Sex. Quintilius Varus.
P. Horatius Trigeminus.
451 P. Sextius Capitolinus.
T. Mencius Agrippa Lanatus.
450 DECEMVIRI *Conſulari poteſtate nempe*
Ap. Claudius Craſſinus.
T. Genucius Augurinus.
Sp. Veturius Craſſus.
C. Iulius Iulus.
A. Manlius Vulſo.
Sp. Poſtumius Albus.
Ser. Sulpicius Camerinus.
P. Sextius Capitolinus.
T. Romilius Vaticanus.
P. Horatius Trigeminus.
449 DECEMVIRI *Conſulari poteſtate nempe*
Ap. Claudius Craſſinus II.
Q. Fabius Vibulanus.
M. Cornelius Maluginenſis.
M. Rabulerius.
L. Minucius Augurinus.
Q. Poetelius.
T. Antonius Merenda.
Cæſo Duilius.
M. Sergius. Sp. Oppius Cornicen.
448 DECEMVIRI *Conſulari poteſtate nempe*
Ap. Claudius Craſſinus III.
Q. Fabius Vibulanus II.
M. Cornelius Maluginenſis II.
M. Rabulerius II.
L. Minucius Augurinus II.
Q. Poetelius II.
T. Antonius Merenda II.
Cæſo Duilius II.
T. Sergius II.
Sp. Oppius Cornicen. II.
Abdicarunt ob libidinem Appij, & horum loco deſignati, creati; Conſules pro anno ſeq.
447 L. Valerius Potitus.
M. Horatius Barbatus.
446 Larſ. Herminius Exquilinus.
T. Virginius Tricoſtus.
445 Geganius Macerinus.
C. Iulius Iulus.
444 T. Quinctius Capitolinus IV.
Agrippa Furius Fuſus.
443 M. Genucius Augurinus.
C. Curtius Medullinus.
442 TRIBVNI *Milit. tres Conſulari poteſtate.*
A. Sempronius Atratinus. T. Cloelius Siculus.
L. Atilius Longus, *Sed vitio facti abdicarunt eiſq; ſubrogati Conſules.*
L. Papirius Mugillanus. L. Sempronius Atratinus
441 M. Geganius Macerinus II.
T. Quinctius Capitolinus V.
440 M. Fabius Vibulanus.
Poſtumus Aebutius Helua.
439 C. Furius Fuſus Pacillus.
M. Papirius Craſſus.
438 Proc. Geganius Macerinus.
L. Menenius Agrippa Lanatus.
437 T. Quinctius Capitolinus VI.
Agrippa Menenius Lanatus.
436 TRIBVNI *Milit. Conſulari poteſt. tres.*
M. Aemilius Mamercinus.

Anni ante Ep. Chriſ.

L. Quinctius Cincinnatus, &
L. Iulius Iulus.
435 M. Geganius Mamercinus.
L. Sergius Fidenas.
434 M. Cornelius Maluginenſis.
L. Papirius Craſſus.
433 C. Iulius Iulus II.
L. Virginius Tricoſtus.
432 C. Iulius Iulus III.
L. Virginius Tricoſtus II.
431 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. tres.*
M. Fabius Vibulanus.
M. Foſſius Flacinator, &
L. Sergius Fidenas.
430 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. tres.*
L. Pinarius Mamercus.
L. Furius Medullinus, &
Sp. Poſtumius Albus Regillenſis.
429 T. Quinctius Cincinnatus.
C. Iulius Mente.
428 L. Papirius Craſsus II.
L. Iulius Iulus.
427 L. Sergius Fidenas II.
Hoſtus Lucretius Tricipitinus.
426 T. Quinctius Cincinnatus II.
A. Cornelius Coſsus.
425 C. Seruilius Axilla.
L. Papirius Mugillanus II.
424 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
T. Quinctius Cincinnatus.
C. Furius Pacillus.
M. Poſtumius Albus.
A. Cornelius Coſsus.
423 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
A. Sempronius Atratinus.
L. Furius Medullinus II.
L. Quinctius Cincinnatus.
L. Horatius Barbatus.
422 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
Ap. Claudius Craſsus. Sp. Nautius Rutilus.
L. Sergius Fidenas II. Sext. Iulius Iulus.
421 C. Sempronius Atratinus.
Q. Fabius Vibulanus.
420 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
L. Manlius Capitolinus.
Q. Antonius Merenda.
L. Papirius Mugillanus. L. Seruilius Structus.
419 T. Quinct. Capitolinus Barbatus.
N. Fabius Vibulanus.
418 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
T. Quinctius Cincinnatus II.
M. Manlius Capitolinus.
L. Furius Medullinus III.
A. Sempronius Atratinus II.
417 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
Agrippa Menenius Lanatus.
Sp. Nautius Rutilus.
P. Lucretius Tricipitinus.
C. Seruilius Axilla.
416 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
M. Papirius Mugillanus.
C. Seruilius Axilla II.
L. Sergius Fidenas II.
Q. Seruilius Priſcus, *qui & Dictator factus.*
415 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
P. Lucretius Tricipitinus II.
Sp. Veturius Structus II.
Agripp. Menenius Lanatus II.
L. Seruillius.
414 TRIBVNI *Milit Conſul. poteſt. quatuor.*
A. Sempronius Atratinus II.
M. Papirius Mugillen. II.
Q. Fabius Vibulanus.
Sp. Nautius Rutilus II.
413 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
P. Cornelius Coſsus.

L. Quin-

Anni ante Ep. Chriſ.	
	L. Quinctius Cincinnatus.
	C. Valerius Potitus.
	N. Fabius Vibulanus.
412	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
	Q. Fabius Vibulanus II.
	Cn. Cornelius Coſſus.
	P. Poſtumus Albinus.
	L. Valerius Potitus.
411	M. Cornelius Coſſus.
	L. Furius Medullinus.
410	Q. Fabius Ambuſtus.
	C. Furius Pacilus.
409	M. Papirius Mugillanus.
	C. Nautius Rutilus.
408	Aemilius Mamercinus.
	C. Valerius Potitus.
407	Cn. Cornelius Coſſus.
	L. Furius Medullinus II.
406	TRIBVNI *Milit. Patritij tres Conſ. pot.*
	C. Iulius Iulus.
	P. Cornelius Coſſus.
	C. Seruilius Ahala.
405	TRIBVNI *Milit. Patritij quatuor Conſ. pot.*
	C. Valerius Potitus II.
	C. Seruilius Ahalla II.
	L. Furius Medullinus.
	N. Fabius Vibulanus II.
404	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. quatuor.*
	P. Cornelius Coſſus II.
	L. Valerius Potitus II.
	Cn. Cornelius Coſſus.
	N. Fabius Ambuſtus.
403	TRIBVNI *Milit. Conſ. poteſt ſex.*
	C. Iulius Iulus II.
	M. Aemilius Mamercinus.
	T. Quinctius Capitolinus.
	L. Furius Medullinus II.
	Q. Quinctius Cincinnatus.
	A. Manlius Vulſo.
402	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	P. Cornelius Maluginenſis.
	Sp. Nautius Rutilus III.
	Cn. Cornelius Coſſus II.
	C. Valerius Potitus III.
	Cæſo Fabius Ambuſtus.
	M. Sergius Fidenas.
401	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	M. Aemilius Mamercinus II.
	M. Furius Fuſus.
	Ap. Claudius Craſſus.
	L. Iulius Iulus.
	M. Quinctilius Varrus.
	L. Valerius Potitus III.
400	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	C. Seruilius Ahala III.
	Q. Sulpicius Camerinus.
	Q. Seruilius Priſcus.
	A. Manlius Vulſo II.
	L. Virginius Tricoſtus.
	M. Sergius Fidenas II.
399	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex*
	L. Valerius Potitus IV.
	L. Iulius Iulus II.
	M. Furius Camillus.
	M. Aemilius Mamercinus III.
	Cn. Cornelius Coſſus II.
	Cæſo Fabius Ambuſtus II.
398	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	P. Licinius Caluus.
	P. Maelius Capitolinus.
	P. Menius.
	L. Furius Medullinus.
	L. Titinius. L. Publius Philo.
397	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	M. Pomponius.
	L. Aemilius Longus.

Anni ante Ep. Chriſ.	
	C. Duilius. M. Veturius Craſſus.
	Cn. Genucius Augurinus.
	Volero Publ. Philo.
396	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	L. Valerius Potitus V.
	L. Furius Medullinus III.
	M. Valerius Maximus.
	M. Furius Camillus II.
	Q. Seruilius Priſcus II.
	Q. Sulpicius Camerinus II.
395	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	L. Iulius Iulus II.
	L. Furius Medullinus IV.
	L. Sergius Fidenas.
	A. Poſtumius Albinus.
	P. Cornelius Maluginenſis II.
	A. Manlius Vulſo III.
394	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	P. Licinius Caluus.
	L. Titinius II.
	Cn. Genucius Augurinus II.
	P. Maenius II.
	L. Atilius Longus II.
	M. Maelius Capitolinus II.
393	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	P. Cornelius Coſſus.
	P. Cornelius Scipio.
	M. Valerius Maximus II.
	K. Fabius Ambuſtus III.
	L. Furius Medullinus V.
	Q. Seruilius Priſcus III.
392	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	M. Furius Camillus III.
	L. Furius Medullinus VI.
	C. Aemilius Mamercinus.
	L. Valerius Poplicola.
	Sp. Poſtumius Albinus.
	P. Cornelius Scipio.
391	L. Lucretius Flauus.
	Ser. Sulpicius Camerinus.
390	L. Valerius Potitus.
	M. Manlius Capitolinus.
389	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	L. Lucretius Flauus.
	Ser. Sulpicius Camerinus.
	M. Aemilius Mamercinus.
	L. Furius Medullinus VII.
	Agrip. Furius Fuſus.
	C. Aemilius Mamercinus II.
388	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	Q. Fabius Ambuſtus.
	Q. Sulpicius Longus.
	K. Fabius Ambuſtus.
	Q. Seruilius Priſcus IV.
	C. Fabius Ambuſtus.
	Ser. Cornelius Maluginenſis.
	poſtea Dictator. M. Furius Camillus.
387	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	L. Valerius Poplicola II.
	L. Virginius Tricoſtus.
	P. Cornelius.
	A. Manlius Capitolinus.
	L. Aemilius Mamercinus.
	L. Poſtumius Albinus.
386	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	T. Quinctius Cincinnatus.
	Q. Seruilius Priſcus V.
	L. Iulius Iulus.
	L. Aquilius Coruus.
	L. Lucretius Tricipitinus.
	Ser. Sulpicius Rufus.
385	TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
	L. Papirius Curſor.
	C. Sergius Fidenas.
	L. Aemilius Mamercinus II.
	L. Menenius Lanatus.

Anni ante Ep. Chriſ.

L. Valerius Poplicola III.
C. Cornelius.

384 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
M. Furius Camillus IV.
Ser. Cornelius Maluginenſis II.
Q. Seruilius Priſcus VI.
L. Quinctius Cincinnatus.
L. Horatius Puluillus.
P. Valerius Poplicola.

383 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
A. Manlius Capitolinus II.
T. Quinctius Capitolinus.
P. Cornelius. L. Quinctius Capitolinus.
L. Papirius Curſor II.
C. Sergius Fidenas II.

382 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
Ser. Cornelius Maluginenſis III.
P. Valerius Poplicola II.
M. Furius Camillus V.
Ser. Sulpicius Rufus II.
C. Papirius Craſſus.
T. Quinctius Cincinnatus II.

381 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
L. Valerius Poplicola IV.
L. Lucretius Tricipitinus.
A. Manlius Capitolinus II.
Æmilius Mamercinus III.
Ser. Sulpicius Ruffus III.
M. Trebonius Flaccus.

380 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
Sp. Papirius Craſſus. Q. Seruilius Priſcus.
L. Papirius Craſſus.
Ser. Sulpicius Prætextatus.
Ser. Cornelius Maluginenſis IV.
L. Aemilius Mamercinus IV.

379 TRIBVNI *Milit. Conſul poteſt. ſex.*
M. Furius Camillus VI.
Furius Medullinus.
A. Poſtumius Regillenſis.
L. Poſtumius Albinus.
L. Lucretius Tricipitinus III.
M. Fabius Ambuſtus.

378 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
L. Valerius Poplicola V.
L. Menenius Lanatus II.
P. Valerius Poplicola III.
Sp. Papirius Curſor.
C. Sergius Fidenas III.
Ser. Cornelius Maluginenſis V.

377 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
P. Manlius Capitolinus. C. Sextilius.
C. Manlius Capitolinus.
M. Albinus.
L. Iulius Iulus.
L. Antiſtius.

376 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
Sp. Furius Medullinus.
P. Cloelius Siculus.
Q. Seruilius Priſcus II.
M. Horatius Puluillus.
C. Licinius Caluus.
L. Geganius Macerinus.

375 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
L. Aemilius Mamercinus V.
Ser. Sulpicius Prætextatus II.
P. Valerius Poplicola IV.
L. Quinctius Cincinnatus II.
C. Veturius Craſſus.
C. Quinctius Cincinnatus.

374 TRIBVNI Plebis bini ſine Curuli Magiſtratu per quinque annos ſequentes, nempe C. Licinius Caluus.
L. Sextius Lateranus.

373 C. Licinius Caluus II.
L. Sextius Lateranus II.

Anni ante Ep. Chriſ.

372 L. Licinius Caluus III.
L. Sextius Lateranus III.

371 C. Licinius Caluus IV.
L. Sextius Lateranus IV.

370 C. Licinius Caluus V.
L. Sextius Lateranus V.

369 TRIBVNI *Milit. Conſul, poteſt. ſex.*
L. Furius Medullinus II.
P. Valerius Poplicola V.
A. Manlius Capitolinus.
Ser. Sulpicius Prætextus III.
C. Valerius Potitus.
Ser. Cornelius Maluginenſis VI.

368 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
Q. Seruilius Priſcus III.
M. Cornelius Maluginenſis.
C. Veturius Craſſus II.
Q. Quinctius Cincinnatus.
A. Cornelius Coſſus.
M. Fabius Ambuſtus II.

367 TRIBVNI *Milit. Conſul. poteſt. ſex.*
L. Quinctius Capitolinus.
Sp. Seruilius Structus.
Ser. Cornelius Maluginenſis VII.
L. Papirius Craſſus.
Ser. Sulpicius Prætextatus IV.
L. Veturius Craſſus.
Deinde eodem anno Dictatores.
M. Furius Camillus, *& eo abdicante.*
P. Manlius.

366 TRIBVNI *Milit. Conſ. poteſt. ſex.*
A. Cornelius Coſſus II.
L. Veturius Craſſus II.
M. Cornelius Maluginenſis II.
P. Valerius Poplicola VI.
M. Geganius Macerinus.
P. Manlius Capitolinus II.
Eodemq; anno Dictator M. Furius Camillus.

365 L. Aemilius Mamercinus *Conſul Patritius.*
L. Sextius Lateranus *primus à Plebe Conſul.*

364 L. Genucius Auentinenſis.
Q. Seruilius Ahala.

363 C. Sulpicius Peticus.
C. Licinius Stolo caluus.

362 L. Aemilius Mamercinus II.
Cn. Genucius Auentinus.

361 Q. Seruilius Ahala II.
L. Genucius Auentinus II.

360 C. Licinius Caluus II.
C. Sulpicius Peticus II.

359 M. Fabius Ambuſtus.
C. Poetelius Libo.

358 M. Popilius Laenas.
Cn. Manlius Capitolinus Imperioſus.

357 C. Fabius Ambuſtus.
C. Plautius Proculus.

356 C. Marcius Rutilus.
Cn. Manlius Capitolinus Imperioſus II.

355 M. Fabius Ambuſtus II.
M. Popilius Laenas II.

354 C. Sulpicius Poeticus III.
M. Valerius Poplicola.

353 M. Fabius Ambuſtus III.
T. Quinctius Barbatus.

352 C. Sulpicius Peticus IV.
M. Valerius Poplicola II.

351 P. Valerius Poplicola.
C. Marcius Rutilus II.

350 C. Sulpicius Peticus V.
T. Quinctius Cincinnatus.

349 M. Popilius Laenas III.
L. Cornelius Scipio.

348 Ap. Claudius Craſſinus.
L. Furius Camillus.

347 M. Popilius Laenas IV.
M. Valerius Coruus.

T. Man-

Anni ante Ep. Chrif.	
346	T. Manlius Torquatus. C. Plantius Hypſaeus.
345	M. Valerius Coruus II. C. Poetelius Libo.
344	M. Fabius Dorſo. Ser Sulpicius Camerinus.
343	C. Marcius Rutilus III. T. Manlius Torquatus II.
342	M. Valerius Coruus III. A. Cornelius Coſſus Aruina.
341	Q. Seruilius Ahala. C. Martius Rutilus IV.
340	L. Aemilius Mamercinus. C. Plautius Hypſæus II.
339	T. Manlius Torquatus III. P. Decius Mus.
338	T. Aemilius Mamercinus. Q. Publius Philo.
337	L. Furius Camillus. C. Maenius Nepos.
336	C. Sulpicius Longus. P. Aelius Paetus.
335	L. Papirius Craſſus. Cæſo Duilius.
334	M. Valerius Coruus IV. M. Atilius Regulus.
333	T. Veturius Caluinus. Sp. Veturius Albinus.
332	L. Papirius Spurius, C. Paetilius, *Eſto hunc annum ob peſtilentiam ſine Conſulibus aliqui ponant.*
331	A. Cornelius Coſsus Aruina II. Cn. Domitius Caluinus.
330	L. Valerius Potitus. M. Claudius Marcellus.
329	L. Papirius Craſſus II. L. Plautius Venno.
328	L. Aemilius Mamercinus II. C. Plaucius Decianus.
327	P. Cornelius Scapula. P. Plautius Proculus.
326	L. Cornelius Lentulus. Q. Publilius Philo II.
325	L. Papirius Curſor. C. Poetelius Libo II.
324	L. Furius Camillus. Iunius Brutus Scaeua. *Eodemq; anno Dictator.* L. Papirius Curſor.
323	L. Sulpicius Longus II. Q. Aulius Cerretanus.
322	Q. Fabius Maximus Rulian. L. Fuluius Curuus.
321	T. Veturius Caluinus II. Sp. Poſtumius Albinus II.
320	L. Papirius Curſor II. Q. Publilius Philo III.
319	L. Papirius Curſor III. Q. Aulius Cerretanus II.
318	M. Foslius Flaccinator. L. Plautius Venno.
317	Q. Aemilius Barbula. C. Iunius Bubulcus.
316	Sp. Nautius Rutilus. M. Popilius Laenas.
315	L. Papirius Curſor IV. Q. Publilius Philo IV.
314	M. Poetelius Libo. C. Sulpicius Longus III.
313	L. Papirius Curſor V. C. Iunius Bubulcus II.
312	M. Valerius Maximus. P. Decius Mus.
311	C. Iunius Bubulcus III. Q. Aemilius Barbula II.
310	Q. Fabius Maximus Rullianus II. C. Marcius Rutilus.

Anni ante Ep. Chrif.	
309	*Nulli Conſules.* L. Papirius Curſor Dictator II. & C. Iunius Bubulcus magiſter Equitum.
308	Q. Fabius Max. Rullianus III. P. Decius Mus II.
307	Ap. Claudius Cæcus. L. Volumnius Flamma.
306	Q. Marcius Tremulus. P. Cornelius Aruina.
305	L. Poſtumius Megellus. T. Minucius Augurinus.
304	P. Sempronius Sophus. P. Sulpicius Sauerno.
303	Ser. Cornelium Lentulus. L. Genucius Auentinenſis.
302	M. Liuius Denter. M. Æmilius Paullus.
301	*Conſules nulli.* Dictator Q. Fabius Maximus, & M. Aemilius Paullus Magiſter Equitum.
300	Q. Appuleius Panſa. M. Valerius Coruus.
299	M. Fuluius Paetinus. T. Manlius Torquatus.
298	L. Cornelius Scipio. Cn. Fuluius Centumalus.
297	Q. Fabius Max. Rullianus IV. P. Decius Mus III.
296	Ap. Claudius Cæcus II. L. Volumnius Flamma II.
295	Q. Fab. Max. Rullianus V. Q. Decius Mus IV.
294	L. Poſtumius Megellus II. M. Atilius Regulus.
293	L. Papirius Curſor. Sp. Caruilius Maximus.
292	Q. Fabius Max, Gurges. Iunius Brutus Scæua.
291	L. Poſtumius Megellus III. C. Iunius Brutus Bubulcus.
290	P. Cornelius Rufinus. M. Curius Dentatus.
289	M. Valerius Coruinus. Q. Cæditius Noctua.
288	Q. Marcius Tremulus II. P. Cornelius Aruina II.
287	M. Claudius Marcellus. Sp. Nautius Rutilus.
286	M. Valerius Maximus C. Aelius Paetus.
285	C. Claudius Canina. M. Aemilius Barbula.
284	C. Seruilius Tucca. L. Cæcilius Metellus.
283	P. Cornelius Dolabella. Cn. Domitius Caluinus.
282	C. Fabricius Luſcinus. Q. Aemilius Papus.
281	L. Aemilius Barbula. Q. Marcius Philippus.
280	P. Valerius Læuinus. T. Coruncanius Nepos.
279	P. Sulpicius Sauerrio. P. Decius Mus.
278	C. Fabricius Luſcinus II. Q. Aemilius Papus II.
277	P. Cornelius Rufinus II. C. Iunius Bubulcus II.
276	Q. Fabius Maximus Gurges II. C. Genucius Clepſina.
275	M. Curius Dentatus II. L. Cornelius Lentulus.
274	Ser. Cornelius Merenda. M. Curius Dentatus III.
273	C. Fabius Dorſo. C. Claudius Canina II.
272	L. Papirius Curſor II. Sp. Caruilius Max. II.

Sp.

Anni ante Ep. Chriſ.	
271	C. Quinctius Claudius. L. Genutius Clepſina.
270	C. Genucius Clepſina II. Cn. Cornelius Blaſio.
269	C. Fabius Pictor. L. Quinctius Gulo.
268	P. Sempronius Sophus. Ap. Claudius Craſſus.
267	M. Atilius Regulus. L. Iulius Libo.
266	M. Fabius Pictor. D. Iunius Pera.
265	Q. Fabius Maximus Gurges III. P. Decius Mus.
264	Ap. Claudius Caudex. M. Fuluius Flaccus.
263	M. Valerius Maximus. M. Otacilius Craſſus.
262	L. Poſtumius Megellus. Q. Mamilius Vitulus.
261	L. Valerius Flaccus. T. Otacilius Craſſus.
260	Cn. Cornelius Scipio Aſina. C. Duilius Nepos.
259	L. Cornelius Scipio. C. Aquilius Florus.
258	A. Atilius Calatinus. C. Sulpicius Paterculus.
257	C. Atilius Serranus. Cn. Cornelius Blaſio.
256	L. Manlius Vulſo. C. Atilius Regulus.
255	Ser. Fuluius Nobilior. M. Aemilius Paulus.
254	Cn. Cornelius Scipio Aſina II. A. Atilius Calatinus II.
253	Cn. Seruilius Caepio. C. Sempronius Blaeſus.
252	C. Aurelius Cotta. P. Seruilius Geminus.
251	C. Cæcilius Mettellus. C. Furius Pacilus.
250	C. Atilius Regulus II. L. Manlius Vulſo II.
249	M. Claudius Pulcher. L. Iunius Pullus.
248	C. Aurelius Cotta II. P. Seruilius Geminus II.
247	L. Cæcilius Mettellus III. N. Fabius Buteo.
246	M. Otacilius Craſſus II. M. Fabius Licinus.
245	M. Fabius Buteo II. C. Atilius Bulbus.
244	A. Manlius Torquatus. C. Sempronius Bleſenſis.
243	C. Fundanius Fundulus. C. Sulpicius Gallus.
242	C. Lutatius Catulus. A. Poſtumius Albinus.
241	A. Manlius Torquatus II. Q. Lutatius Cerco.
240	C. Claudius Centho. M. Sempronius Tuditanus.
239	C. Mamilius Turrinus. Q. Valerius Falco.
238	T. Sempronius Graccus. P. Valerius Falco.
237	L. Cornelius Lentulus. Q. Fuluius Flaccus.
236	P. Cornelius Lentulus. C. Licinius Varus.
235	T. Manlius Torquatus. C. Atilius Bulbus II.
234	L. Poſtumus Albinus. Sp. Caruilius Maximus.
233	Q. Fabius Max. Verrucoſus. M. Pomponius Matho.
332	M. Aemilius Lepidus. M. Poblicius Malleolus.
231	M. Pomponius Matho II. C. Papirius Maſo.
230	M. Aemilius Barbula. M. Iunius Pera.
229	L. Poſtumius Albinus II. Cn. Fuluius Centumalus.
228	Sp. Caruilius Max. II. Q. Fabius Max. Verrucoſus II.
227	P. Valerius Flaccus. M. Atilius Regulus.
226	M. Valerius Meſſala. L. Apoſtius Fullo.
225	L. Aemilius Papus. C. Atilius Regulus.
224	T. Manlius Torquatus II. Q. Fuluius Flaccus II.
223	C. Flaminius Nepos. P. Furius Philus.
222	Cn. Cornelius Scipio. M. Claudius Marcellus.
221	P. Cornelius Scipio Aſina. M. Minuccius Rufus.
220	L. Veturius Philo. C. Lutatius Catulus.
219	M. Liuius Salinator. L. Aemilius Paullus.
218	P. Cornelius Scipio. T. Sempronius Longus.
217	C. Flaminius. Cn. Seruilius Geminus.
216	L. Aemilius Paulus II. C. Terentius Varro.
215	L. Poſtumius Albinus III. T. Sempronius Gracchus, *ſed Albino antequam iniret occiſo ſuffectus eſt.* Q. Fabius Max. III.
214	Q. Fabius Max. IV. M. Claudius Marcellus III.
213	Q. Fabius Maximus. Q. F. T. Sempronius Gracchus II.
212	Ap. Claudius Pulcher. Q. Fuluius Flaccus III.
211	P. Sulpicius Galba. Cn. Fuluius Centumalus.
210	M. Valerius Laeuinus II. M. Claudius Marcellus IV.
209	Q. Fabius Maximus V. Q. Fuluius Flaccus IV.
208	M. Claudius Marcellus V. T. Quinctius Criſpinus.
207	C. Claudius Nero. M. Liuius Salinator.
206	Q. Cæcilius Metellus. L. Veturius Philo.
205	P. Cornelius Scipio. P. Licinius Craſſus.
204	M. Cornelius Cethegus. P. Sempronius Tuditanus.
203	Cn. Seruilius Cæpio. C. Seruilius Nepos.
202	T. Claudius Nero. M. Seruilius Geminus.
201	Cn. Cornelius Lentulus. P. Aelius Paetus.
200	P. Sulpitius Galba II. C. Aurelius Cotta.
199	L. Cornelius Lentulus. P. Villius Tappulus.
198	T. Quinctius Flaminius. Sex. Aelius Paetus.
197	C. Cornelius Cethegus. Q. Minucius Rufus.

Anni ante Ep. Chrif.	
196	L. Furius Purpureo.
	M. Claudius Marcellus.
195	M. Porcius Cato.
	L. Valerius Flaccus.
194	P. Cornelius Scipio Afric. II.
	T. Sempronius Longus.
193	L. Cornelius Merula.
	Q. Minucius Thermus.
192	L. Quinctius Flaminius.
	Cn. Domitius Aenobarbus.
191	M. Acilius Glabrio.
	P. Cornelius Scipio Nafica.
190	L. Cornelius Scipio Afiatic.
	C. Lælius Nepos.
189	Cn. Manlius Vulfo.
	M. Fuluius Nobilior.
188	C. Liuius Salinator.
	M. Valerius Meffalla.
187	M. Aemilius Lepidus.
	C. Flaminius Nepos.
186	Sp. Poftumius Albinus.
	Q. Martius Philippus.
185	Ap Claudius Pulcher.
	M. Sempronius Tuditanus.
184	P. Claudius Pulcher.
	L. Porcius Licinus.
183	Q. Fabius Labeo.
	M. Claudius Marcellus.
182	L. Aemilius Paullus.
	Cn. Baebius Tamphilus.
181	P. Cornelius Cethegus.
	M. Baebius Tamphilus.
180	A. Poftumius Albinus.
	C. Calpurnius Pifo.
179	L. Manlius Acidinus.
	Q. Fuluius Flaccus.
178	M. Iunius Brutus.
	A. Manlius Vulfo.
177	C. Claudius Pulcher.
	Ti. Sempronius Gracchus.
176	Cn. Cornelius Scipio.
	Q. Petillius Spurinus.
175	P. Mucius Scævola.
	M. Æmilius Lepidus II.
174	Sp. Poftumius Albinus.
	Q. Mucius Scævola.
173	L. Poftumius Albinus.
	M. Popillius Lænas.
172	C. Popillius Lænas.
	P. Ælius Ligus ex plebe.
171	P. Licinius Craffus.
	C. Caffius Longinus.
170	A. Hoftilius Mancinus.
	A. Atilius Serranus.
169	Q. Marcius Philippus II.
	Cn. Seruilius Cæpio.
168	L. Aemilius Paullus II.
	C. Licinius Craffus.
167	Q. Aelius Paetus.
	M. Iunius Pennus.
166	C. Sulpicius Gallus.
	M. Claudius Marcellus.
165	T. Manlius Torquatus.
	Cn. Octauius Nepos.
164	A. Manlius Torquatus.
	Q. Caffius Longinus.
163	Ti. Sempronius Gracchus II.
	M. Iuuentinus Thalna.
162	P. Cornlius Scipio Nafica.
	C. Martius Figulus.
161	M. Valerius Meffala.
	C. Fannius Strabo.
160	L. Anicius Gallus.
	M. Cornelius Cethegus.
159	Cn. Cornelius Dolabella.
	M. Fuluius Nobilior.

Anni ante Ep. Chrif.	
158	M. Aemilius Lepidus.
	C. Popillius Laenas II.
157	Sex. Iulius Cæfar.
	L. Aurelius Oreftes.
156	L. Cornelius Lentulus.
	C. Marcius Figulus II.
155	P. Cornelius Scipio Nafica II.
	M. Claudius Marcellus II.
154	Q. Opimius Nepos.
	L. Poftumius Albinus.
153	Q. Fuluius Nobilior.
	T. Annius Luficus.
152	M. Claudius Marcellus II.
	L. Valerius Flaccus.
151	L. Licinius Lucullus.
	A. Poftumius Albinus.
150	T. Quinctius Flaminius.
	M. Acilius Balbus.
149	L. Marcius Cenforinus.
	M. Manlius Nepos.
148	Sp. Poftumius Albinus.
	L. Calpurnius Pifo.
147	P. Cornelius Scipio Afric.
	C. Liuius Druſus.
146	Cn. Cornelius Lentulus.
	L. Mummius Achaicus.
145	Q. Fabius Æmilianus.
	L. Hoftilius Mancinus.
144	Ser. Sulpicius Galba.
	L. Aurelius Cotta.
143	Ap. Claudius Pulcher.
	Q. Cæcilius Metellus.
142	L. Cæcilius Metellus.
	Q. Fabius Seruilianus.
141	Cn. Seruilius Cæpio.
	Q. Pompeius Rufus.
140	C. Cælius Sapiens.
	Q. Seruilius Cæpio.
139	Cn. Calpurnius Pifo.
	M. Popillius Laenas.
138	Cn. Cornelius Scipio Nafica.
	D. Iunius Brutus.
137	M. Aemilius Lepidus.
	C. Hoftilius Mancinus.
136	P. Phurius Philus.
	Sex. Atilius Serranus.
135	Ser. Fuluius Flaccus.
	C. Calpurnius Pifo.
134	P. Cornelius Scipio African. II.
	C. Fuluius Flaccus.
133	P. Mucius Scævola.
	L. Calpurnius Pifo Frugi.
132	P. Papillius Laenas.
	P. Rupilius Nepos.
131	P. Licinius Craffus.
	L. Valerius Flaccus.
130	M. Perperna.
	C. Claudius Pulcher.
129	C. Sempronius Tuditanus.
	M. Aquillius Nepos.
128	Cn. Octauius Nepos.
	T. Annius Luſcus.
127	L. Caffius Longinus.
	L. Cornelius Cinna.
126	M. Aemilius Lepidus.
	L. Aurelius Oreftes.
125	M. Plautius Hypfaeus.
	M. Fuluius Flaccus.
124	C. Caffius Longinus.
	C. Sextius Caluinus.
123	Q. Cæcilius Mettellus.
	T. Quinctius Flaminius.
122	Cn. Domitius Aenobarbus.
	C. Fannius Nepos.
121	Q. Fabius Maximus. L. Opimius Nepos.
120	P. Manilius Nepos. C. Papirius Carbo.

L. Cæ-

Anni ante Ep. Chriſ.	
119	L. Cæcilius Metellus.
	L. Aurelius Cotta.
118	M. Porcius Cato.
	Q. Marcius Rex.
117	L. Cæcilius Metellus.
	Q. Mutius Scævola.
116	C. Licinius Geta.
	Q. Fabius Maximus.
115	M. Aemilius Scaurus.
	M. Cæcilius Metellus.
114	M. Acilius Balbus.
	C. Portius Cato.
113	C. Cæcilius Mettellus.
	Cn. Papirius Carbo.
112	M. Liuius Druſus.
	L. Calpurnius Piſo.
111	P. Cornelius Scipio Naſica.
	L. Calpurnius Beſtia.
110	M. Minucius Rufus.
	Sp. Poſtumius Albinus.
109	Q. Cæcilius Metellus.
	M. Iunius Silanus.
108	Ser. Sulpicius Galba.
	M. Aurelius Scaurus.
107	L. Caſſius Longinus.
	C. Marius.
106	C. Atilius Serranus.
	Q. Seruilius Cæpio.
105	P. Rutilius Rufus.
	C. Manilius Nepos.
104	C. Marius II.
	C. Flauius Fimbria.
103	C. Marius III.
	L. Aurelius Oreſtes.
102	C. Marius IV.
	Q. Lutatius Catulus.
101	C. Marius V.
	M. Aquilius Nepos.
100	C. Marius VI.
	L. Valerius Flaccus.
99	M. Antonius.
	A. Poſtumius Albinus.
98	Q. Cæcilius Metellus.
	T. Didius Nepos.
97	Cn. Cornelius Lentulus.
	P. Licinius Craſſus.
96	Cn. Domitius Ænobarbus.
	C. Caſſius Longinus.
95	L. Licinius Craſſus.
	Q. Mucius Scævola.
94	C. Cælius Cal us.
	L. Domitius A nobarbus.
93	C. Valerius Flaccus.
	M. Herennius.
92	C. Claudius Pulcher.
	M. Perperna.
91	L. Marcius Philippus.
	Sex. Iulius Cæſar.
90	L. Iulius Cæſar.
	P. Rutilius Lupus.
89	Cn. Pompeius Strabo.
	L. Porcius Cato.
88	L. Cornelius Sulla.
	Q. Pompeius Rufus.
87	Cn. Octauius Nepos.
	L. Cornelius Cinna.
86	L. Cornelius Cinna II.
	C. Marius VII.
85	L. Cornelius Cinna III.
	Cn. Papirius Carbo.
84	Cn Papirius Carbo II.
	L. Cornelius Cinna IV.
83	L. Cornelius Scipio Aſiaticus.
	C. Norbanus Flaccus.
82	C. Marius.
	Cn. Papirius Carbo III.

Anni ante Ep. Chriſ.	
81	M. Tullius Decula.
	Cn. Cornelius Dolabella.
80	L. Cornelius Sulla II.
	Q. Cæcilius Metellus Pius.
79	Q. Seruilius Vatia.
	Ap. Claudius Pulcher.
78	M. Æmilius Lepidus.
	Q. Lutatius Catulus.
77	D. Iunius Brutus.
	M. Aemilius Lepidus.
76	Cn. Octauius Nepos.
	C. Scribonius Curio.
75	L. Octauius Nepos.
	C. Aurelius Cotta.
74	Licinius Lucullus.
	M. Aurelius Cotta.
73	M. Terentius Varro.
	C. Caſſius Longinus.
72	L. Gelius Popliçola.
	Cn. Cornelius Lentulus.
71	Cn. Aufidius Oreſtes.
	P. Cornelius Lentulus.
70	Cn. Pompeius Magnus.
	M. Licinius Craſſus.
69	Q. Hortenſius. Q. Cæcilius Metellus.
68	L. Cæcilius Metellus.
	Q. Marcius Rex.
67	C. Calpurnius Piſo.
	M. Acilius Glabrio.
66	M. Aemilius Lepidus.
	L. Volcatius Tullus.
65	P. Cornelius Sulla.
	P. Antronius Paetus.
64	L. Iulius Cæſar.
	C. Marcius Figulus.
63	M. Tullius Cicero.
	C. Antonius Nepos.
62	D. Iunius Silanus.
	L. Licinius Murena.
61	M. Pupius Piſo.
	M. Valerius Meſſala.
60	L. Afranius.
	Q. Cæcilius Metellus Celer.
59	C. Iulius Cæſar.
	M. Calpurnius Bibulus.
58	L. Calpurnius Piſo.
	A. Gabinius.
57	P. Cornelius Lentulus Spinther.
	Q. Cæcilius Metellus.
56	Cn. Cornelius Lentulus.
	L. Marcius Philippus.
55	Cn. Pompeius Magnus II.
	M. Licinius Craſſus II.
54	L. Domitius Aenobarbus.
	Ap. Claudius Pulcher.
53	Cn. Domitius Caluinus.
	M. Valerius Meſſala.
52	Cn. Pompeius Magnus III.
	Q. Cæcilius Metellus.
51	Ser. Sulpicius Rufus.
	M. Claudius Marcellus.
50	L. Aemilius Paullus.
	C. Claudius Marçellus.
49	C. Claudius Marcellus II.
	L. Cornelius Lentulus.
48	C. Iulius Cæſar II.
	P. Seruilius Vatia.
47	Q. Fufius Calenus. P. Vaticinus.
46	C. Iulius Cæſar III.
	M. Aemilius Læpidus.
45	C. Iulius Cæſar IV. *Sine collega.*
44	C. Iulius Cæſar V.
	M. Antonius Nepos.
43	C. Vibius Panſa.
	A. Hirtius. *Suffecti.* Cæſar Octauianus, & Q. Pedius.

M. Æmi-

Anni ante Ep. Chriſ.	
42	M. Æmilius Lepidus II.
	L. Munatius Plancus.
41	P. Seruilius Vatia Iſauricus.
	L. Antonius.
40	Cn. Domitius Caluinus II.
	C. Aſinius Pollio.
39	L. Marcius Cenſorinus.
	C. Caluiſius Sabinus.
38	Ap. Claudius Pulcher.
	C. Norbanus Flauus.
37	M. Vipſanius Agrippa.
	L. Caninius Gallus.
36	L. Gellius Poplicola.
	M. Cocceius Nerua.
35	L. Cornificius.
	Sex Pompeius.
34	L. Scribonius Libo.
	M. Antonius II.
	Sed abdic. & ſubſtituit.
	L. Sempronium Atratinum.
33	C. Cæſar Octauianus II.
	L. Volcatius Tullus.
32	Cn. Domitius Ænobarbus.
	C. Soſius Nepos.
31	C. Cæſar Octauianus III.
	M. Valerius Meſſalla Coruinus.
30	C. Cæſar Octauianus IV.
	M. Licinus Craſſus.
29	C. Cæſar Octauianus V.
28	Sex. Appuleius.
	C. Cæſar Octauianus VI.
27	M. Hiſpan. Agrippa II.
	C. Cæſar Octauianus VII.
26	M. Hiſpan. Agrippa III.
	C. Cæſar Octauianus VIII.
	T. Statilius Taurus II.
25	C. Cæſar Octauianus IX.
	M. Iunius Silanus.
24	C. Cæſar Octauianus X.
	C. Norbanus Flaccus.
23	C. Cæſar Octauianus XI.
	A. Terentius Murena.
22	M. Claudius Marcellus.
	L. Arruntinus.
21	Q. Aemilius Lepidus.
	M. Lollius.
20	M. Appuleius Nepot.
	P. Silius Nerua.
19	C. Sentius Saturninus.
	Q. Lucretius Cinna Viſpillo.
18	Cn. Cornelius Lentulus.
	P. Cornelius Lentulus.
17	C. Furnius.
	P. Iulius Silanus.
16	L. Domitius Aenobarbus.
	P. Cornelius Scipio.
15	M. Liuius Druſus Libo.
	Cn. Calpurnius Piſo.
14	M. Licinius Craſſus.
	C. Cornelius Lentulus.
13	Ti. Claudius Nero.
	P. Quinctilius Varus.
12	M. Valerius Meſſalla.
	P. Sulpicius Quirinus.
11	Paul. Fabius Max.
	Q. Aelius Tubero.
10	Iul. Antonius.
	Q. Fabius Max. Africanus.
9	Cl. Druſus Nero.
	T. Quinctius Criſpinus.
8	C. Marcius Cenſorinus.
	C. Aſinius Gallus.
7	Ti. Cl. Druſ. Nero II.
	Cn. Calpurnius Piſo II.
6	D. Lælius Balbus.
	C. Antiſtius Vetus.
5	C. Cæſar Octauian. XII.
	L. Cornelius Sulla.
4	C. Caluiſius Sabinus II.
	L. Paſienus Rufus.
3	Cn. Cornelius Lentulus.
	M. Valerius Meſſalinus.
2	C. Cæſar Octauian. XIII.
	M. Plautius Silanus.
1	Coſſus Cornelius Lentulus.
	L. Calpurnius Piſo.

CHRISTI Anni iuxta Epocham Vulgarem.

1	C. Iulius Cæſar Auguſti Nepos.
	L. Aemilius Paullus.
2	P. Vinicius Nepos.
	P. Alphinius Varus.
3	L. Aelius Lamia. L. Seruilius Geminus.
4	Sex. Aelius Catus.
	C. Sentius Saturninus.
5	L. Valerius Meſſalla.
	Cn. Cornelius Cinna Magnus.
6	M. Aemilius Lepidus.
	L. Arruntius Nepos.
7	A. Licinius Nerua.
	Q. Cæcilius Metellus Creticus.
8	M. Furius Camillus.
	Sex. Nonius Quinctilianus.
9	Q. Sulpicius Camerinus.
	C. Poppæus Sabinus.
10	P. Cornelius Dolabella.
	C. Iulius Silanus.
11	M. Aemilius Lepidus.
	T. Statilius Taurus.
12	Ti. Germanicus Cæſar.
	C. Fonteius Capito.
13	C. Silius Nepos.
	L. Munacius Plancus.
14	Sex. Pompeius Nepos.
	Sex. Appuleius Nepos.
15	Druſus Iulius Cæſar.
	C. Norbanus Flaccus.
16	T. Statilius Seſenna.
	L. Scribonius Libo.
17	C. Cœlius Rufus.
	L. Pomponius Flaccus.
18	Cl. Tib. Nero III.
	Germanicus Cæſar II.
19	M. Iunius Silanus.
	L. Norbanus Balbus.
20	L. Valerius Meſſala.
	M. Aurelius Cotta.
21	Cl. Tiberius Nero IV.
	Druſus Iul. Cæſar II.
22	C. Sulpicius Galba.
	D. Haterius Agrippa.
23	C. Aſinius Pollio.
	C. Antiſtius Vetus.
24	Sex. Cornelius Cethego.
	L. Viſellius Varro.
25	Coſſus Cornelius Lentulus.
	C. Caluiſius Sabinus.
26	Cn. Cornelius Lentulus. C. Caluiſius Sabinus.
27	M. Licinius Craſſus.
	L. Calpurnius Piſo.
28	Ap. Iunius Silanus.
	P. Silius Nerua.
29	C. Rubellius Geminus.
	C. Futius Geminus.
30	L. Caſſius Longinus.
	M. Vinicius Quartinus.
31	Cl. Tib. Nero Cæſar V.
	L. Aelius Silanus.
32	Cn. Domitius Aenobarbus.
	A. Vitellius Nepos.
33	Serg. Sulpicius Galba.
	L. Cornelius Scilla.

Anni Ep. Christi.	
34	Paullus Fabius Perſicus.
	L. Vitellius Nepos.
35	C. Ceſteus Camerinus.
	M. Seruilius Rufus.
36	Q. Plautius Laelianus.
	Sex Papinius Gallieanus.
37	Cn. Acerronius Proculus.
	C. Porcius Nigrinus.
38	C. Cæſar Caligula II.
	L. Apronius Cæſianus.
39	M. Aquillius Iulianus.
	P. Nonius Aſprenas.
40	C. Cæſar Caligula III. ſolus.
	deinde L. Gellius.
41	C. Cæſar Caligula IV.
	Cn. Sentius Saturninus.
42	Ti. Claudius Imp. II.
	L. Licinius Largus.
43	Ti. Claudius Imp. III.
	L. Vitellius II.
44	L. Quinctius Criſpinus II.
	T. Statilius Taurus.
45	M. Vinitius Quartinus II.
	M. Statilius Coruinus.
46	C. Valerius Aſiaticus II.
	M. Valerius Meſſala.
47	Claud. Imp. IV.
	C. Vitellius Nepos III.
48	A. Vitellius *poſtea* Imp.
	L. Vipſanius Poplicola.
49	C. Pompeius Gallus.
	Q. Veranius Lætus.
50	C. Antiſtius Vetus.
	M. Suillius Rufus.
51	Ti. Claud. Imp. V.
	Ser. Cornelius Scipio Orfitus.
52	P. Cornelius Sulla.
	L. Siluius Otho.
53	D. Iunius Silanus.
	Q. Haterius Antonius.
54	Q. Aſinius Marcellus.
	M. Acilius Auiola.
55	Nero Claudius Imp.
	L. Antiſtius Vetus.
56	Q. Voluſius Saturninus.
	P. Cornelius Scipio.
57	Nero Claudius Imper. II.
	L. Calpurnius Piſo.
58	Nero Claudius Imper. III.
	M. Valerius Meſſala.
59	C. Vipſanius Poplicola.
	L. Fonteius Capito.
60	Nero Claudius Imper. IV.
	Coſſus Cornelius Lentulus.
61	C. Cæſonius Paetus.
	T. Petronius Sabinus.
62	P. Marius Celſus.
	L. Aſinius Gallus.
63	L. Memmius Regulus.
	T. Virginius Rufus.
64	C. Lecanius Baſſus.
	M. Licinius Craſſus.
65	P. Siluius Nerua.
	C. Iulius Veſtinus.
66	C. Suetonius Paullinus.
	L. Pontius Teleſinus.
67	L. Fonteius Capito.
	C. Iulius Rufus.
68	C. Silius Italicus.
	M. Galerius Trachalus.
69	Serg. Sulp. Galba Imp.
	T. Vinius Critpinianus.
70	Flau. Veſpaſianus Imper. II.
	T. Veſpaſianus Cæſar.
71	Fl. Veſpaſianus. III.
	M. Coccéius Nerua.

Anni Ep. Christi.	
72	Flau. Veſpaſianus IV.
	T. Veſpaſianus Cæſar II.
73	D. Flau. Domitianus.
	M. Valerius Meſſalinus.
74	Fl. Veſpaſianus V.
	T. Veſpaſianus III.
75	Flau. Veſpaſianus VI.
	T. Veſpaſianus IV.
76	Flau. Veſpaſianus VII.
	T. Veſpaſianus V.
77	Flau. Veſpaſianus VIII.
	T. Veſpaſianus VI.
78	L. Ceionius Commodus Verus.
	C. Cornelius Priſcus.
79	Flau. Veſpaſianus IX.
	T. Veſpaſianus VII.
80	T. Veſpaſianus Imper. VIII.
	Fl. Domitianus VII.
81	M. Plautius Siluanus.
	T. Annius Pollio.
82	Flau. Domitianus VIII.
	T. Flauius Sabinus.
83	Flau. Domitianus IX.
	T. Virginius Rufus.
84	Flau. Domitianus Imper. X.
	Ap. Iunius Sabinus.
85	Flau. Domitianus Imper. XI.
	T. Aurelianus Fuluus.
86	Flau. Domitian. Imp. XII.
	Ser. Cornelius Dolabella.
87	Flau. Domitianus Imper. XIII.
	A. Voluſius Saturninus.
88	Flau. Domitianus Imp. XIV.
	L. Minucius Rufus.
89	T. Aurelius Fuluus.
	A. Sempronius Atratinus.
90	Flau. Domitian. Imper. XV.
	M. Cocceius Nerua II.
91	M. Vulpius Traianus.
	M. Acilius Glabrio.
92	Flau. Domitian. Imper. XVI.
	A. Voluſius Saturninus II.
93	Sex. Pompeius Collega.
	Cornelius Priſcus.
94	L. Nonius Aſprenas.
	M. Arricinus Clemens.
95	Flau. Domitian. Imper. XVII.
	T. Flauius Clemens.
	Conſulatus Domitiani, quando fuit ſuffectus ſexies ſubintelligẽdi ſunt, licet eos non poſuerim.
96	C. Fulius Valens.
	C. Antiſtius Vetus.
97	M. Coceius Nerua Imper. III.
	T. Virginius Rufus III.
98	M. Coceius Nerua Imp. IV.
	M. Vlpius Traianus II.
99	C. Soſius Senecio.
	A. Cornelius Palma.
100	M. Vlpius Traianus Imp. III.
	M. Cornelius Fronto.
	C. Plinius Iunior, & Cornutus Tertullus honorarij.
101	M. Vlpius Traianus Imper. IV.
	Sex. Articuleius Paetus.
102	C. Soſius Senecio II.
	T. Licinius Sura.
103	M. Vlpius Traianus Imper. V.
	L. Appius Maximus.
104	Suranus.
	P. Neratius Marcellus.
105	T. Iulius Candidus.
	A. Iulius Quadratus.
106	L. Ceionius Commodus.
	L. Tutius Certalis.
107	C. Soſius Senecio III.
	L. Licinius Sura II.

Ap.

Anni Ep. Christi.	
108	Ap. Annius Trebonius.
	M. Atilius Bradua.
109	M. Valerius Meſſalla.
	C. Popilius Pedo.
110	Claudius Criſpinus.
	Solenus Orfitus Haſta.
111	L. Calpurnius Piſo.
	M. Vettius Ruſticus.
112	M. Vlpius Traianus Imper. VI.
	C. Iulius Africanus.
113	L. Publius Celſus.
	C. Clodius Criſpinus.
114	Q. Ninnius Haſta.
	P. Manlius Vopiſcus.
115	Hadrianus, & Salinator.
116	Æmilius Ælianus.
	L. Antiſtius Vetus.
117	Quinctius Niger.
	T. Vipſanius Apronianus.
118	Hadrianus Imper. II.
	T. Claudius Fuſcus.
119	Ael. Hadrian. Imper. III.
	Q. Iunius Ruſticus.
120	L. Catilius Seuerus.
	T. Aurelius Antoninus.
121	M. Annius Verus II. & Augur.
122	M. Acilius Auiola.
	C. Corellius Panſa.
123	Q. Arrius Paetinus.
	C. Veranius Apronianus.
124	M. Acilius Glabrio.
	C. Bellicius Torquatus.
125	P. Cornelius Scip. Aſiaticus.
	C. Vettius Aquilinus.
126	M Lollius Pedius.
	Q Iunius Lepidus.
127	Gallicanus.
	C. Cœlius Titianus.
128	L. Nonius Aſprenas.
	M. Annius Libo.
129	P. Iuuentius Celſus.
	Q. Iunius Balbus.
130	Q. Fabius Catullinus.
	M. Flauius Aper.
131	Ser. Octauius Lenas.
	M. Antonius Rufinus.
132	Serius Augurinus.
	Arrius Seuerianus.
133	Heberus.
	Iunius Silanus Siſenna.
134	C. Iulius Seruilius.
	C. Vibius Iuuentius.
135	Pompeianus Lupercus.
	L. Iulius Atticus.
136	L. Ceionius Commodus Verus.
	Sex. Vetulenus.
137	L. Aelius Hadrianus.
	P. Cœlius Balbinus.
138	Sulpicius Camerinus.
	Quinct. Niger Magnus.
139	Antoninus Pius Imper. II.
	Bruttius Præſens.
140	Antoninus Pius Imper. III.
	M. Aurelius Cæſar.
141	M. Paeduceus Priſcinus.
	T. Hoenius Seuerus.
142	L. Cuſpius Rufinus.
	L. Statius Quadratus.
143	T. Bellicius Torquatus.
	T. Claudius Atticus.
144	Lollianus Auitus.
	C. Gauius Maximus.
145	Antoninus Pius Imper. IV.
	M. Aurelius Cæſar II.
146	Sex. Erucius Clarus II.
	Cn. Claudius Seuerus.

Anni Ep. Christi.	
147	M. Valerius Largus.
	M. Valerius Meſſalinus.
148	C. Bellicius Torquatus.
	M. Saluius Iulianus.
149	Ser. Corn. Scipio Orfitus.
	Q. Nonius Priſcus.
150	Romulus Gallicanus.
	Antiſtius Vetus.
151	Sex. Quinctilius Gordianus.
	Sex. Quinctil. Max.
152	Sex. Acilius Glabrio.
	C. Valerius Verianus.
153	Bruttius Præſens II.
	M. Antonius Rufinus.
154	M. Aurelius Cæſar II.
	Sextilius Lateranus.
155	C. Iulius Seuerus.
	M. Rufinus Sabinianus.
156	M. Ceionius Siluanius.
	C. Serius Augurinus.
157	Barbatus.
	Regulus.
158	Q. Flauius Tertullus.
	C. Sacerdos.
159	Plautius Quinctillus.
	Statius Priſcus.
160	T. Vibius Batus.
	Ap. Annius Bradua.
161	M. Aurelius Imper. III.
	L. Aurelius Cæſar II.
162	Q. Iunius Ruſticus.
	Vettius Aquilinus.
163	L. Papirius Aelianus.
	Iunius Paſtor.
164	C. Iulius Macrinus.
	L. Cornelius Celſus.
165	L. Arrius Pudens.
	M. Gauius Orfitus.
166	Q. Seruilius Pudens.
	L. Fufidius Pollio.
167	L. Aurelius Verus Imper. III.
	T. Vinidius Quadratus.
168	L. Vettius Paullus.
	T. Iunius Montanus.
169	Sotius Priſcus.
	Q. Cœlius Apollinaris.
170	L. Iulius Clarus.
	M. Aurelius Cethegus.
171	T. Ticinus Serenus.
	C. Scoedius Natta.
172	Claudius Maximus.
	Cornelius Scipio Orfitus.
173	M. Aurelius Seuerus II.
	T. Claudius Pompeianus.
174	Annius Trebonius Gallus.
	L. Flaccus.
175	Calpurnius Piſo.
	M. Saluius Iulianus.
176	T. Vitraſius Pollio.
	M. Flauius Aper.
177	L. Aurelius Commodus Imper.
	Plautius Quinctillus.
178	Vettius Ruffus.
	Cornelius Scipio Orfitus.
179	L. Aurelius Commodus Imper. II.
	Veſpronius Candidus.
180	Bruttius Præſens.
	Sex. Quinctilius Gordianus.
181	L. Aurelius Commodus Imper. III.
	Antiſtius Burrhus.
182	Petronius Mamertinus.
	M. Vettius Trebellius.
183	L. Aurelius Commodus Imp. IV.
	M. Aufidius Victorinus.
184	M. Eggius Martellus.
	M. Papirius Ælianus.

Anni Ep. Christi.	
185	M. Atilius Bradua.
	Triarius Maternus.
186	L. Aurelius Commodus V.
	M. Acilius Glabrio.
187	Clodius Crispinus.
	Papirius Aelianus.
188	C. Allius Fuscianus.
	Duillius Silanus.
189	Iunius Silanus.
	Q. Seruilius Silanus.
190	M. Aurelius Commodus Imper. VI.
	Petronius Septimianus.
191	Cassius Apronianus.
	M. Atilius Bradua II.
192	L. Aurelius Commodus Imp. VII.
	L. Heluius Pertinax.
193	Q. Solsius Falno.
	C. Iulius Clarus.
194	L. Septimius Seuerus Imper. II.
	Clodius Albinus.
195	Q. Flauius Tertullus.
	T. Flauius Clemens.
196	Cn. Domitius Dexter.
	L. Valerius Messalla.
197	Ap. Claudius Lateranus.
	M. Marius Rufinus.
198	T. Aterius Saturninus.
	C. Annius Trebonius.
199	P. Cornelius Anullinus.
	M. Aufidius Fronto.
200	Ti. Claudius Seuerus.
	C. Aufidius Victorinus.
201	L. Annius Fabianus.
	M. Nonius Mucianus.
202	L. Septimius Seuerus Imper. III.
	M. Aurelius Cæsar.
203	P. Septimius Geta.
	L. Septimius Plautianus.
204	L. Fabius Septimius.
	M. Annius Libo.
205	M. Aurelius Antoninus Imper. II.
	P. Septimius Geta II.
206	M. Nummius Annius.
	Fuluius Æmilianus.
207	M. Flauius Aper.
	Q. Allius Maximus.
208	M. Aurelius Antoninus Imper. III.
	P. Septimius Geta III.
209	Ti. Claudius Pompeianus.
	Lollianus Auitus.
210	M. Acilius Faustinus.
	C. Cæsonius Macer.
211	Q. Epidius Rufus.
	Pomponius Bassus.
212	L. Pompeius Asper, *& alter Asper.*
213	M. Antoninus Caracalla Imp. IV.
	P. Cœlius Balbinus.
214	Silius Messalla.
	Q. Aquilius Sabinus.
215	Aemilius Laetus.
	Anicius Cerealis.
216	Q. Aquilius Sabinus.
	Sex. Cornelius Anullinus.
217	Bruttius Præsens. Extricatus.
218	M. Opelius Antonin.
	Diadumenus Cæsar, & Aduentus.
219	M. Aurelius Antoninus Aug. II.
	& Sacerdos.
220	M. Aurelius Antonin. III.
	M. Aurelius Eutychianus.
221	Annius Gratus.
	Claudius Seleucus.
222	M. Aurelius Antoninus IV.
	M. Aurelius Alexander Seuerus.
223	Maximus.
	Papirius Aelianus.

Anni Ep. Christi.	
224	Claudius Iulianus.
	Claudius Crispinus.
225	L. Turpilius Dexter.
	M. Mæcius Rufus.
226	M. Aurelius Alexand. Seuerus Imper. II.
	C. Quinctillius Marcellus.
227	Cælius Balbinus.
	M. Clodius Pupienus.
228	Vettius Modestus.
	Probus.
229	M. Aurelius Alex. Seuerus Imper. III.
	Cassius Apron. Dio.
230	Calpurnius Agricola.
	Clementinus.
231	T. Claudius Pompeianus.
	Felicianus.
232	Iulius Lupus. Maximus.
233	Maximus II. Ouinius Paternus.
234	Maximus III. Vrbanus.
235	L. Catilius Seuerus.
236	L. Ragonius Vrinatius Quinctian.
	C. Iulius Maximin. Imper.
237	C. Iulius Africanus.
	P. Titius Perpetuus.
238	L. Ouinius Rusticus Cornelianus.
	M. Vlpius Crinitus.
239	C. Nonius Proculus Pontianus.
	M. Antonius Gordianus Imper.
240	M. Aciolus Auiola.
	Vettius Sabinus.
241	Venustus.
	M. Antonius Gordianus Imper. II.
242	T. Claudius Pompeianus.
	C. Aufidius Atticus.
243	C. Asinius Prætextatus.
244	C. Iulius Africanus. Aemilius Pappus.
	Fuluius Aemilianus.
245	Peregrinus.
	M. Iulius Philippus Imper.
246	Ti. Fabius Titianus.
	Bruttius Præsens.
247	Nummius Albinus.
	M. Iulius Philippus Imper. II.
248	M. Iulius Philippus Cæsar.
	M. Iulius Philippus Imper. III.
249	M. Iulius Philippus Cæsar II.
	Fuluius Aemilianus.
250	Vettius Aquilinus.
	Decius Augustus Imper. II.
251	Annius Maximus Gratus.
	Decius Augustus Imper. III.
252	Q. Herennius Etruscus.
	C. Vib. Trebonian. Gallus.
253	C. Vibius Volusianus.
	C. Vib. Volusianus II.
254	M. Valerius Maximus.
	Licin. Valerian. II.
255	Gallienus.
	Licin. Valerian. III.
256	Gallienus II.
	M. Valerius Maximus.
257	M. Acilius Glabrio.
	Licin. Valerian. IV.
258	Gallienus III.
	M. Aurelius Memmius Fuscus.
259	Pomponius Bassus.
	Gallienus IV.
260	Valerianus Iunior.
	Fuluius Aemilianus.
261	Pomponius Bassus II.
262	Gallienus V. Patron. Volusianus.
263	Gallienus VI. Pompeius Faustinus.
264	Nummius Albinus.
	Maximus Dexter.
	Licinius Gallienus VII.
	Aemilius Saturninus.

Anni Ep. Christi.	
265	Licinius Valerianus Cæsar. L. Cæsonius Macerlucillus.
266	Licinius Gallienus VIII. Sabinillus.
267	Quinius Paternus. Arcesilaus.
268	Quinius Paternus II. Marinianus.
269	M. Aurel. Claud. Imper. Quinius Paternus III.
270	Flau. Antiochianus. Furius Orfitus.
271	L. Domitius Val. Aurel. Imper. C. Iulius Capitolinus.
272	Quietus. Voldumianus.
273	M. Claudius Tacitus. Furius Placidianus.
274	L. Domitius Val. Aurelian. Imp. II. C. Iulius Capitolinus.
275	L. Domitius Val. Aurelian. Imp. III. T. Nonnius Marcellinus.
276	M. Claudius Tacitus Imper. II. Fuluius Æmilianus.
277	M. Aurelius Probus Imp. II. M. Furius Lupus.
278	M. Aurelius Probus Imper. II. M. Furius Lupus.
279	M. Aurelius Probus Imper. IV. C. Iunius Tiberianus.
280	Iunius Messalla. Gratus.
281	M. Aurelius Probus Iumper. IV. C. Iulius Tiberianus.
282	M. Aurelius Probus Imper. V. Pomponius Victorinus.
283	M. Aurelius Carus Imper. II. M. Aurelius Carinus Cæsar.
284	M. Aurelius Carus Imper. II. M. Aurelius Numerianus Imper.
285	Valer. Diocletianus Imp. II. Aristobulus.
286	Maximus Iunius Priscillianus. Vettius Aquilinus.
287	C. Valerius Diocletianus Imper. III. Maximianus Herculeus.
288	M. Aurelius Maximus. Pomponius Ianuarius.
289	Annius Bassus. L. Ragonius Quinctianus.
290	C. Valerius Diocletianus Imper. IV. Valerius Maximianus II.
291	C. Iunius Tiberianus. Cassius Dio.
292	Afranius Hannibalianus. M. Aurelius Asclepodotus.
293	C. Valer. Diocletian. Imper. V. Val. Maximianus III.
294	Constantius Chlorus. Galerius Maximianus.
295	Nummius Tuscus. Annius Cornelius Anullinus.
296	C. Valer. Diocletian. VI. Constantius Cæs. II.
297	Maximianus Hercul. V. Galer. Maximian. Cæsar. II.
298	Anitius Faustus. Seuerus Gallus.
299	C. Valer. Diocletian. VII. Maximian. Hercul. VI.
300	Constantius Chlorus III. Galer. Maximian. Armentarius III.
301	Postumius Titianus. Fl. Popillius Nepotianus.
302	Constantius Chlorus IV. Galer. Maxim. Armentar. IV.
303	C. Val. Diocletian. VIII. Maximian. Hercul. VII.
304	C. Val. Diocletian. IX. Maximianus Hercul. VIII.
305	Constantius Chlorus V. Galer. Maxim. Armentar. V.
306	Constantius Chlorus VI. Galer. Maxim. Armen. VI.
307	Maximian. Hercul. IX. Constantinus.
308	C. Valer. Diocletian. X. Galer. Maxim. Arment. VII.
309	Maxentius. Romulus.
310	Maxentius. *Sine Collega.*
311	Gallerius Maximianus Aug. VIII. Licinius Augustus.
312	Fl. Val. Constantinus Aug. II. Licinius Aug. II.
313	Fl. Val. Constantinus Aug. III. Licinius Augustus III.
314	Ceionius Rufus Volusianus. Anianus.
315	Fl. Val. Constantinus Aug. IV. Licinius Aug. IV.
316	Rufius Caecina Sabinus. Q. Aradius Rufinus.
317	Quinius Gallicanus. Septimius Bassus.
318	Licinius Augustus V. Crispus Cæsar.
319	Fl. Val. Constantinus Aug. V. Licinius Cæsar.
320	Fl. Val. Constantinus Aug. VI. Constantinus Iunius Cæs.
321	Crispus Cæsar II. Constantinus Cæsar II.
322	Petronius Probianus. Anicius Iulianus.
323	Acilius Seuerus. Fl. Iunius Rufinus.
324	Crispus Cæsar III. Constantinus Cæsar III.
325	Anicius Paullinus. Publius Iulianus.
326	Fl. Valerius Constantinus Aug. VII. Iulius Constantius.
327	Constantinus Cæsar IV. Maximus Basilius.
328	Fl. Magnus Ianuarius. Fabius Iustus.
329	Fl. Val. Constantinus Aug. VIII. Constantinus Cæsar V.
330	Quinius Gallicanus. L. Aurelius Symmachus.
331	Annius Bassus. Ablauius Ægyptius.
332	Quinius Pacatianus. Mecinius Hilarianus.
333	Fl. Valerius Delmatius. M. Aurelius Xenophilus.
334	L. Ranius Optatus. Anicius Faustus Paullinus.
335	Fl. Valerius Constantius. C. Ceionius Albinus.
336	Fl. Popillius Nepotianus. Facundus, seu Secundus.
337	T. Fabius Titianus. Felicianus.
338	Vrsus . . . . . Polemius . . . .
339	Fl. Val. Constantius Aug. II. Constans Augustus.
340	Fl. Septimius Acyndinus. L. Aradius Proculus.
341	Fl. Antonius Marcellinus. Cœlius Probinus.
342	Constantius Aug. III. Constans Aug. II.
343	M. Memmius Placidus. Fl. Pisidius Romulus.

Do-

Anni Ep. Christi.	
344	Domitius Leontius.
	Saluſtius.
345	Amantius Celonius. Rufius Albinus.
346	Conſtantius Aug. IV.
	Conſtans Aug. III.
347	Fl. Rufinus.
	Fl. Euſebius.
348	Fl. Philippus. Fl. Sacllas.
349	Vlpius Limenius.
	Fabius Catullinus.
350	Sergius . . . . Nigrianus.
351	*Poſt Conſulatum Sergi, & Nigriani.*
352	Conſtantius Auguſtus V.
	Conſtantius Gallus Cæſar.
353	Conſtantius Aug. VI.
	Conſtantius Gallus II.
354	Conſtantius Aug. VII.
	Conſtantius Gallus III.
355	Fl. Arbetius.
	Mauortius Lollianus.
356	Conſtantius Aug. VIII.
	Cl. Iulianus Cæſar.
357	Conſtantius Aug. IX.
	Cl. Iulianus Cæſar II.
358	Datianus. Neratius Cercalis.
359	Euſebius. Hypatius.
360	Conſtantius Auguſtus X.
	Cl. Iulianus Cæſar III.
361	Fl. Taurus. Fl. Florentius.
362	Fl. Mamertinus. Fl. Neuitta.
363	Cl. Iulianus Aug. IV.
	Secundus Saluſtius.
364	Iouianus Aug.
	Varronianus *puer nobil.*
365	Valentinianus Auguſtus.
	Valens Auguſtus.
366	Gratianus *puer*.
	Fl. Dagalaifus.
367	Fl. Lupicinus. Fl. Iouinus.
368	Valentinianus Aug. II.
	Valens Aug. II.
369	Felix Valentinianus.
	Sex. Aurelius Victor.
370	Valentinianus Auguſtus III.
	Valens Aug. III
371	Gratianus Auguſtus II.
	Sex. Anicius Probus.
372	Fl. Modeſtus. Fl. Arintheus.
373	Valentinianus Aug. IV.
	Valens Aug. IV.
374	Gratianus Aug. III.
	Fl. Equitius V. C.
375	*Poſt Conſulatũ Gratiani III. & Equitij*
376	Valens Aug. V.
	Valentinianus *Iunior* Aug.
377	Gratianus Aug. IV.
	Fl. Merobaudes V. C.
378	Valens Aug. VI.
	Valentinianus Auguſtus II.
379	D. Auſonius Gallus.
	Q. Clodius Olybrius.
380	Gratianus Aug. V.
	Theodoſius Aug.
381	Poſtumus Syagrius.
	Fl. Annius Eucherius.
382	Poſtumus Syagrius II.
	Fl. Antonius.
383	Fl. Merobaudes II.
	Fl. Saturninus.
384	Fl. Ricimer. Fl. Clearchus.
385	Arcadius Auguſtus. Fl. Bauto.
386	Fl. Honorius *puer*. Fl. Euodius.
387	Valentinianus Auguſtus III.
	Fl. Eutropius.
388	Theodoſius Aug. II.
	Fl. Cynegius.
389	Fl. Timaſius. Fl. Promotus.
390	Valentinianus Auguſtus IV.
	Fl. Neoterius.
391	Ti. Fabius Titianus.
	Q. Aurelius Symmachus.
392	Arcadius Aug. II. Fl. Rufinus.
393	Theodoſius Aug. III.
	Fl. Abundantius.
394	Arcadius Aug. III. Honorius Aug. II.
395	Sex. Anicius Olybrius.
	Sex. Anicius Probinus.
396	Arcadius Aug. IV.
	Honorius Aug. III.
397	Fl. Cæſareus.
	Pontius Atticus.
398	Honorius Aug. IV.
	Fl. Euthychianus.
399	Manlius Theodorus.
	Fl. Eutropius.
400	F. Stilicho V. C. Fl. Aurelianus.
401	Ragonius Celſus. Fl. Frauitta.
402	Arcadius Aug. V.
	Honorius Aug. V.
403	Theodoſius *Iunior* Aug.
	Fl. Rumoridus.
404	Honorius Auguſtus VI.
	Fl. Ariſtaenetus.
405	Fl. Stilicho V. C. II.
	Fl. Anthemius.
406	Arcadius Aug. VI.
	Sex. Anicius Probus.
407	Honorius Aug. VII.
	Theodoſius Aug. II.
408	Anitius Baſſus. Fl. Philippus.
409	Honorius Aug. VIII.
	Thodoſius Aug. III.
410	Fl. Varanes. Fl. Tertullus.
411	Theodoſius Aug. IV. *ſine Collega*.
412	Honorius Aug. IX.
	Theodoſius Auguſtus V.
413	Fl. Lucianus. Fl. Herodianus.
414	Fl. Conſtantius V. C. Fl. Conſtans.
415	Honorius Aug. X.
	Theodoſius Aug. VI.
416	Theodoſius Auguſt. VII.
	Iunius Quartus Palladius.
417	Honorius Aug. XI.
	Fl. Conſtantius V. C. II.
418	Honorius Auguſtus XII.
	Theodoſius Auguſtus VIII.
419	Fl. Monaxius. Fl. Plintha.
420	Theodoſius Auguſtus IX.
	Fl. Conſtantius V. C. III.
421	Fl. Agricola. Fl. Euſtathius.
422	Honorius Aug. XIII.
	Theodoſius Aug. X.
423	Rufius Marinianus.
	Fl. Aſclepiodotus.
424	Fl. Caſtinus. Fl. Victor.
425	Theodoſius Aug. XI.
	Placid. Valentinianus Cæſar.
426	Theodoſius Auguſtus XII.
	Valentinianus Auguſt. II.
427	Fl. Hierius. Fl. Ardaburius.
428	Fl. Felix. Fl. Taurus.
429	Fl. Florentius. Fl. Dionyſius.
430	Theodoſius Aug. XIII.
	Valentinianus Auguſt. III.
431	Anicius Baſſus. Fl. Antiochus.
432	Fl. Ætius V. C. Fl. Valerius.
433	Theodoſius Aug. XIV.
	Fl. Anicius Maximus.
434	Fl. Aſpar. Fl. Ariobindus.
435	Theodoſius Aug. XV.
	Valentinianus Aug. IV.
436	Fl. Iſidorus. Fl. Lenator.

Fl. Ac-

Anni Ep. Christi.	
437	Fl. Ætius V. C. II.
	Fl. Sigisuuldus.
438	Theodosius Aug. XV.
	Anicius Glabrio Faustus.
439	Theodosius Aug. XVII.
	Fl. Festus.
440	Valentinianus Aug. V.
	Fl. Anatolius.
441	Fl. Cyrus Panapolites *sine Collega.*
442	Fl. Dioscorus. Fl. Eudoxius.
443	Fl. Anicius Maximus.
	Fl. Paternus.
444	Theodosius Aug. XVIII.
	Decius Albinus.
445	Valentinianus Aug. VI.
	Fl. Nonius.
446	Fl. Aetius V. C. III.
	Q. Aurelius Symmachus.
447	Fl. Ardaburius.
	Probus Alypius.
448	Rufius Postumianus.
	Fl. Zeno.
449	Fl. Protogenes.
	Turcius Secund. Astenius.
450	Valentinianus Aug. VII.
	Gennadius Auienus.
451	Marcianus Augustus.
	Clodius Adelphius.
452	Fl. Herculanus.
	Fl. Asporatius.
453	Fl. Opilio. Fl. Vincomalus.
454	Fl. Aetius. Fl. Studius.
455	Valentinianus Augustus VIII.
	Fl. Anthemius.
456	Fl. Ioannes. Fl. Varanes.
457	Fl. Constantinus. Fl. Rufus.
458	Leo Augustus.
	Maioranus Augustus.
459	Fl. Ricimer. Fl. Patricius.
460	Fl. Magnus. Fl. Apollonius.
461	Fl. Seuerinus.
	Fl. Dagalaiphus.
462	Leo Augustus II.
	Vibius Seuerus Aug.
463	Decius Basilius Felix.
	Fl. Vibianus.
464	F. Rusticus. Anicius Olybrius.
465	Fl. Basiliscus.
	Fl. Herminericus.
466	L. Augustus III.
	Ti. Fabius Titianus.
467	Fl. Pusæus. *Fl.* Ioannes.
468	Anthemius Augustus, *sine Collega.*
469	*Fl.* Zeno. *Fl.* Marcianus.
470	*Fl.* Seuerus. *Fl.* Iordanus.
471	Leo Augustus IV. *Fl.* Probianus.
472	*Fl.* Festus. *Fl.* Marcianus.
473	Leo Augustus V. *sine Collega.*
474	Leo Augustus *Iunior sine Collega.*
475	Zeno Augustus II. *sine Collega.*
476	Basiliscus Aug. II.
	Fl. Armatus.
477	*Post Consulatum Basilij, & Armati.*
478	*Fl.* Illus V. C. *sine Collega.*
479	Zeno Augustus II. *sine Collega.*
480	*Fl.* Placidius *sine Collega.*
481	*Fl.* Seuerinus. *Fl.* Trocondus.
482	Anicius Faustus *sine Collega.*
483	Theodoricus Amalus Rex Gothor.
484	*Fl.* Venantius.
485	Q. Aurelius Symmachus *Iun. sine Col.*
486	Maurus Decius.
	Fl. Longinus.
487	Anicius Manlius.
	Seuerinus Boetius V.C. *sine Collega.*
488	*Fl.* Sufidius. Claudius Dynamius.

Anni Ep. Christi.	
489	Anicius Probinus.
	Eusebius Chronio.
490	Anicius Faustus. *Fl.* Longinus II.
491	*Fl.* Olybrius *Iunior sine Collega.*
492	Anastasius Aug. *Fl.* Rufinus.
493	Decius Albinus.
	Eusebius Chronio II.
494	Fl. Præsidius.
	Turcius Asterius.
495	*Fl.* Viator.
	Fl. Æmilius.
496	*Fl.* Paullus *sine Collega.*
497	Anastasius Aug. II. *sine Collega.*
498	Decius Paullinus.
	Ioannes Scitha.
499	*Fl.* Ioannes Gibbus.
	Fl. Asclepius.
500	*Fl.* Patricius. *Fl.* Hypatius.
501	*Fl.* Pompeius.
	Rufius Auienus.
502	Rufius Anienus *Iunior.*
	Fl. Probus.
503	*Fl.* Dexecratus.
	Fl. Volusianus.
504	*Fl.* Cethacus *sine Collega.*
505	Manlius Theodorus.
	Fl. Sabinianus.
506	*Fl.* Messalla. *Fl.* Areobinda.
507	Anastasius Aug. III.
	Venantius Decius.
508	Venantius Decius *Iunior.*
	Fl. Celer.
509	Opportunus V. C. *sine Collega.*
510	Manlius Seuerinus Boetius.
	Fl. Eutharicus.
511	*Felix* Gallus. Secundinus.
512	*Fl.* Paullus. *Fl.* Muschianus.
513	Anicius Probus.
	Fl. Clementinus.
514	M. Aurelius Cassiodorus *Senator sine Collega.*
515	*Fl.* Anthemius.
	Fl. Florentius.
516	*Fl.* Petrus V. C. *sine Collega.*
517	Anastasius Augustus IV.
	Fl. Agapitus.
518	*Fl.* Florentius II. *Fl.* Magnus.
519	Iustinus Augustus.
	Eutharius Cilica V. C.
520	Fl. Vitalianus V. C.
	Fl. Rusticus.
521	Iustinianus V. C.
	Fl. Valerius.
522	Q. Aurelius Symmachus V. C.
	Seuerinus Boetius V. C.
523	Anicius Maximus *sine Collega.*
524	Iustinus Augustus II.
	Fl. Opilio.
525	Anicius Probus.
	Fl. Philoxenus.
526	Anicius Olybrius *Iunior sine Collega.*
527	*Fl.* Mauortius *sine Collega.*
528	Iustinianus Aug. II. *sine Collega.*
529	Maurus Decius, *sine Collega,* vel
	Basilius *Iunior.*
530	Postumus Lampadius V. C.
	Fl. Orestes V. C.
531	*Post Consulatum Lampadij, & Orestis.*
532	*Post Consulatum Lampadij, & Orestis.*
533	Iustinianus Aug. III. *sine Collega.*
534	Iustinianus Aug. IV.
	Theodorus Paulinus *Iunior.*
535	Fl. Belisarius V. C. *sine Collega.*
536	*Post Consulatum Belisarij.*
537	Post Consulatum Belisarij II.
538	Fl. Ioannes. Fl. Volusianus.
539	Fl. Appio Ægyptius *sine Collega.*

Anni Ep. Christi.			Expositio Prænominum.
540	Fl. Iustinus V. C. *sine Collega.*		
541	Basilius Iunior V. C. *sine Collega.*		
542	Post Consulatum Basilij II.		A. Aulus.
543	III.		Ap. Appius.
544	IV.		C. Caius.
545	V.		Cl. Claudius.
546	VI.		D. Decius.
547	VII.		Fl. Flauius.
548	VIII.		K. Kaeso, vel Cæso.
549	IX.		L. Lucius.
550	X.		M. Marcus.
551	XI.		P. Publius.
552	XII.		Q. Quinctus.
553	XIII.	Post Consulatum Basilij Iunioris.	Ser. Seruius.
554	XIV.		Serg. Sergius.
555	XV.		Sex. Sextius.
556	XVI.		T. Titus.
557	XVII.		Ti. Tiberius.
558	XVIII.		V. C. Vir Clarissimus.
559	XIX.		
560	XX.		
561	XXI.		
562	XXII.		
563	XXIII.		
564	XXIV.		
565	XXV.		
566	Iustinus Imperator, & Consul.		
567	Iustinus Imper. & Consul II. Et sic ipso viuente, post eum enim prorsus desiere Consules.		

CAPVT VI.

De Annis Punicorum Bellorum, aliorumue celebriorum in Historia Romana.

1 COnstitutis ritè Annis Consulum Romanorum, constituti etiam manent Anni primi Bellorum insigniorum, quæ Romani gesserunt, seu gerere cœperunt Consulibus apud Polybium, Liuium, alioſue Historicos nominatis, sunt autem infrascripti.

Anni Ante Ep. CHRISTI.	Primi Bellorum Vrbis C. Varroniani.	BELLVM DVCIBVS.	CONSVLES, sub quibus Bella cœpta sunt.
342	412	Samniticum vtroq; Consule.	M. Valerius Coruus III. Cornelius Cossus Aruina.
281	473	Tarentinum. Æmilio Barbula.	L. Aemilius Barbula. Q. Marcius Philippus.
264	490	Punicum I. Consulibus.	Ap. Claudius Caudex. M. Fuluius Flaccus.
225	529	Gallicum Cisalpinum. L. Aemilio.	L. Aemilius Papus. C. Atilius Regulus.
218	536	Punicum II. Consulibus.	P. Cornelius Scipio. T. Sempronius Longus.
200	554	Philippicum Consulibus.	P. Sulpicius Galba II. C. Aurelius Cotta.
191	563	Antiochenum. M. Acilio.	M. Acilius Glabrio. P. Cornelius Scipio Nasica.
171	583	Persicum. P. Licinio.	P. Licinius Crassus. C. Cassius Longinus.
194	605	Punicum III. vtroque Cons.	L. Marcius Censorinus. M. Manilius Nepos.
125	629	Allobrogicum. M. Fulvio Flacco.	M. Plautius Hypsaeus. M. Fuluius Flaccus.
113	641	Cimbricum I. Papirio Carb.	C. Cæcilius Metellus. Cn. Papirius Carbo.
111	643	Iugurthinum. L. Calpurnio.	P. Cornel. Scipio Nasica. L. Calpurnius Bestia.
90	664	Marsicum, *seu* Italicum, & Sociale. *Hoc anno decretum à Romanis, licet anno præcedenti semina iacta.*	L. Iulius Cæsar. P. Rutilius Lupus.
89	665	Mithridaticum Cassio, & Aquilio.	Cn. Pompeius Strabo. L. Porcius Cato.
88	666	Ciuile Bellum I. *inter* Marium, & Syllam.	L. Cornelius Sylla. Q. Pompeius Rufus.
81	673	Sertorianum *inter* Syllam, & Sertorium.	M. Tullius Decola. Cn. Cornelius Dolabella.
73	681	Spartacum; Clodio Prætore contra Spartacum misso.	M. Terentius Varro. C. Cassius Longinus.
68	686	Creticum, Q. Metello *Proconsule.*	L. Cæcilius Metellus. Q. Marcius Rex.
67	687	Piraticum Pompeio Duce.	L. Calpurnius Piso. M. Acilius Glabrio.
58	696	Gallicum. C. Iulio Cæsare.	L. Calpurnius Piso Cæsoninus. A. Gabinius.
54	700	Parthicum. M. Crasso *Proconsule.*	L. Domitius Aenobarbus. Ap. Claudius Pulch.
49	705	Ciuile Bellum II. *inter* Cæsarem, & Pompeium Magnum.	C. Claudius Marcellus II. L. Cornelius Lentulus.
48	706	Pharsalicum.	C. Iulius Cæsar II. P. Seruilius Vatia.
47	707	Alexandrinum, & Ponticum.	Q. Fufius Calenus. P. Vatinius.

CA-

CAPVT VII.

De Annis Imperatorum Romanorum, cum vsitata Christi Epocha connectendis, & primò de Annis Iulij Cæsaris, & Octauiani Augusti.

CONCLVSIO VII.

Romanum Imperium exordium habuit à C. Iulio Cæsare III. Dictatore Anno ante Ep. CHRISTI XLVI. Octauiani autem Augusti imperium non hæreditaria successione ab Idibus Martij Anni XLIV. sed vel à primo ipsius Consulatu inito 19. Augusti mensis, anno ante Epoch. CHRISTI XLIII. vel potiùs ab ipsius Triumuiratu inito 27. Nouembris eiusdem anni; esto Aera Augusti Hispanica numeranda sit à Kal. Ianuarij Anni XXXVIII. ante Ep. CHR. eiusque Imperium stabilitum fuerit per Actiacam victoriam die 2. Septembris Anni XXXI. & in Aegypto per mortem M. Antonij, & Cleopatræ, Anno XXX. quando solus imperare cœpit, à cuius die 29. Augusti mensis, Aegyptij Annos Augustanos numerare cœperunt, quos tamen Romani numerabant à Kal. Ianuarij, Anni ante Epocham CHRISTI XXVII. eo quòd illo anno in ante diem 17. Ianuarij, sententia Munatij Planci à Senatu, cæterisq; ciuibus appellatus sit Imper. Cæsar D. F. Augustus.

Prima pars Conclusionis de Iulio Cæsare.

1 COnstat ex omnibus Historicis, qui de rebus Romanis agentes de Pompeio Magno, & C. Iulio Cæsare scripserunt, C. Iulium Cæsarem tum demum libertati Romanæ iugum imposuisse, & Imperium Romanum vsurpasse, quando post victoriam Pharsalicam de Pompeio, confectoq; bello Pontico, Alexandrino, Africano, Romam venit, & inde Hispaniam, vnde Romam reuersus die 26. Iulij, quater eodem mense triumphauit, multasq; leges ablq; Senatus consulto sanciuit, Annumque ordinauit, esto professus sit, ad inuidiam declinandam, se non vt Dominum, sed vt Patrem patriæ rempublicam administraturum, constat autem ex ijsdem Scriptoribus, præsertim Suetonio, Dione, Appiano, & Plutarcho, Fastisq; Capitolinis, Inscriptoribus, & Numismatibus, confecta hæc fuisse Anno illo, quo fuit tertium Consul, & mox Dictator, cum M. Æmilio Lepido, priùs Consule, vt eum appellat Censorinus c. 8. deinde Magistro Equitum, vt eum appellant Tabulæ Capitolinæ, quæ eodem anno Cæsarem prius quidem Consulem quando eius Triumphos Consignant, sed post Triumphos Dictatorem appellant, & sic soluimus controuersiam hanc: esto enim quidam adducti à Saliano in Scholijs ad Annum Mundi 4008. contendant hoc anno Cæsarem, & Lepidum fuisse merè Consules; Dio tamen lib. 42. disertè dicit: *Sequenti anno Dictaturam Consulatumq; tertium vtrumq; magistratum gessit, Collega in vtroq; magistratu Lepido adscito.* Suetonius autem in Cæsare c. 76. cum dixisset eum abusum dominatione, nimiosq; honores recepisse, *vt continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuam inter Reges &c. Simulacra iuxta Deos;* subiungit tamen: *Tertium, & quartum Consulatum titulo tenus gessit contentus Dictaturæ potestate decreta cũ Consulatibus simul.* Hirtius quoque in libris de bello Hispaniensi, & Africano, ait Cæsarem sub initium mensis Sextilis Romam venisse III. Dictatorem, & IV. designatum esse, esto Cicero in Philippicis obijciat Antonio, quod adscribi in Fastis ad Lupercalia iusserit hanc inscriptionẽ. C. CÆSARI DICTATORI PERPETVO, M. ANTONIVM CONSVLEM POPVLI IVSSV REGNVM DETVLISSE. Obseruandum autem in Fastis Capitolinis, vt obseruat quoq; Sigonius, Dictaturæ Cæsaris primæ adiectum titulum potestatis datæ illis verbis *Comit. Hab. Causa*, sed II. III. & IV. Dictaturæ appositum, *Imper. Caussa*, vt significaretur supremum fastigium, & summa potestas: cum antea Dictatoribus apponi solerent in Fastis hi tituli. *Comit. Hab. Caussa*, vel *Rei Gerundæ caussa*, vel *Seditionis Sedandæ Caussa*, vel *Reip. constituendæ Caussa*, nunquã verò aliàs *Imp. Caussa.* Itaq; videtur Populus Romanus, in quo tandem radicaliter est ius datum Regibus, vt subditos regant ad felicitatem temporalem procurandam, seruandam, & augendam, sicut idem Populus olim Regno in Tyrannidem conuerso Regibus abrogatis vnà cum Patritijs, Consulatum instituerat, iure Imperium Cæsari detulisse, & ipsum Cæsarem iure retinuisse, nisi populus id metu, & non sponte fecit; atque ita Imperium Romanum non super basi Tyrannidis, sed iusto fundamento erectum fuisse, quod pluribus ostendit Io. Baptista Guarinus conciuis meus, Libro de hoc argumento edito: sed quidquid sit de hac controuersia, constat ex dictis cap. 3. nu. 22. de Anno Iuliano, Annum hunc Confusionis maxima sui parte illaq; in primis, quà Cæsar post Triumphos se pro Imperatore gessit nedum Dictatore & Consule III. spectare ad Annum XLVI. ante Ep. Christi, atq; adeo ad Vrbis Conditæ Annum Varronianum DCCVIII. à die 21. Aprilis iam initum, qui tamen in Tab. Capitolinis est tantum DCCVII. & ex dictis lib. 3. esse Annum III. Olympiadis CLXXXIII. à Neomenia Solstitij æstiui inchoatum.

Porrò C. Iulius Cæsar, vt scribit Suetonius, natus erat Romæ *C. Mario, & L. Valerio Consulibus, ad III. Idus Quinctileis*, ergo ex Fastis Anno ante Christi Epocham centesimo, die 13. Iulij, occisus autem fuit à coniuratis in ipsa curia 23. vulneribus confossus Idibus Martij, quibus postea vetitum, ne vnquam Senatus ageretur, anno quo V. Consul erat cum M. Antonio, idest anno XLIV. ante Ep. Christi, vt cum Suetonio reliqui tradunt, atq; adeo ætatis anno 56. vt idem Suetonius habet, intellige nondum expleto, qui adiungit, eum testamento quod antea fuerat, instituisse hæredem ex dodrante, & in familiam nomenque adoptasse C. Octauium, qui erat ipsi nepos ex sororis filia Attia, vt aiunt Suetonius, Dio, & Appianus, non autem filius sororis, vt putauit Plutarchus.

Secunda pars Conclusionis de initio Imperij C. Iulij Cæsaris Octauiani.

2 EMinentiss. Card. Cæsar Baronius in Apparatu ad Annales, & Georgius Heruartus cap. 188. suæ nouæ Chronologiæ Imperium Octauiani Augusti ab ipso die necis C. Iulij Cæsaris numerandum putant, & Baronius quidem ad id mouetur, quia Cassiodorus statuit CHRISTVM Dominum, ac Saluatorem nostrum natum *L. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messalino Consulibus*, & plerique antiquorum affirmant natum Anno 42. Imperij Augusti, qui numerus cum Fastis, & Annis Consularibus componi nequit, nisi à die necis Cæsaris ineatur Imperiũ Octauiani. At Heruartus mouetur exemplo plurium Imperatorum, qui statim successerunt à die necis, vel obitus prædecessoris in Imperio. At valde dispar est ratio illorum, & Octauiani; reliqui enim successerunt in locum certi, & iam acceptati, aut agniti pro Imperatore. At Iulij Cæsaris Imperium nondum fundatum erat certa omnium Senatorum sententia, & consensu, nec Monarchia Romana pacificè fundata, vt obseruat Lipsius. Multo minus ipse Octauianus ante Consulatum, aut Triumuiratum agnitus est pro Imperatore, esto Brutus timuerit, ne si Consul fieret, ad Imperium aspiraret, ideoque scripserit ad Ciceronem vrgentem, vt Consolatus Cæsari Octauiano decerneretur illa

verba; *Itaq; timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis suis, quàm inde, si Consul factus sit, descensurum.* Immò cum audita nece Cæsaris, & testamento, ex Apollonia Romam venisset à Dolabella suffecto in locum Cæsaris in Consulatu, contemptus est, vtpote nõdum annorum 19. & ab alterius Consulis Antonij Lictoribus Summotus fuit, nec ausus est repetere hæreditatem ex lege curiata adoptationis, sed adijt hæreditatem solùm ex testamento. Occisis deinde Hirtio, & Pansa Consulibus Octauianus petijt Consulatum, nec statim obtinuit, donec Senatus sibi metuens eum Consulem designauit, ipse autem Consulatu postea inito legem curiatam de adoptione tulit, & ex inde tantum in nomen patrui transiuit, ac ab omnibus C. Cæsar Octauianus appellatus est. Quæ autem dixi constant ex Dione l. 46. Appiano l. 3. Plutarcho in Bruto, & Octauio. Quomodo igitur Imperator ante Consulatum dici potest, si tum priuatus, & nondum legitimus successor C. Iulij Cæsaris, ipso etiam agnoscente agebat? De die tamen initi Consulatus non conuenit inter omnes. Velleius l. 2. ait iniuisse cum Q. Pedio Collega decimo Kal. Octobris, sed plerique aiunt iniuisse XIV. kal. Septembris, nempe 19. Augusti Mensis. De Mense testatur Dio l. 55. nam cum aliqui suaderent, vt Septembri quo natus erat, nomen Augusti imponeret ipse inquit Dio, *Sextilem prætulit, quod eo Mense primum Consul factus esset*, & confirmatur ex illo Senatus Consulto, quod promit Macrobius l. 1. Saturn. c. 12. *Cum Imperator Cæsar Augustus Mense Sextili, & primum Consulatum inierit, & triumphos in Vrbem intulerit &c.* De die verò idem Dio l. 56. ait. *Vita excesit 19. Augusti, qua die quondam primum Consulatum iniuerat.* Et Cornelius Tacitus l. 1. Annalium. *Multus hinc ipso de Augusto sermo plerique vana mirantibus, quod idem dies accepti quondam Imperij Princeps, & vitæ supremus.* Consentiunt enim omnes Suetonio affirmante Augustum obijsse 14. kal. Septembris, ex quo loco Taciti Lipsius corrigendum ait alterum ipsius locum Taciti (si tamen est Taciti) de causis corruptæ eloquentiæ, vbi dicitur Augustus imperasse annos 58. cum enim mortuus sit duobus Sextijs Consulibus, idest Anno Epochæ Christi 14. & Consul factus sit post *Hirtium*, & *Pansam*, Anno ante Epocham Christi 43. vt ex Fastis cap. 3. stabilitis, & c. 5. ordinatis constat, non potuit imperasse, nisi annos 56. vt habent Suetonius, Ausonius, Eusebius, Eutropius, Io. Baptista Egnatius, alijq; multi, ideoq; frustra Baronius subsidium suæ opinioni emendicauit ab hoc corrupto Taciti loco, aut à Iosepho tribuente ipsi annos 57.

3 Proinde verior, & communiter ferè recepta opinio est, Annos Imperij Augusti incundos, vel à die 19. Sextilis mensis, quo ille Consulatum, seu vt loquitur Tacitus *Imperium* accepit, aut à die 27. Nouembris, quo Triumuiratum iniuit quibus præiuit etiam Solinus c. 2. dicens de Hirtio, & Pansa: *Quorum Consulatu Cæsar Augustus Consul creatus est octauum, ac decimum annum agens, qui ita principatum ingressus est, vt vigilantia ipsius non modo securum, verum etiam tutum imperium esset*, & Suetonius c. 8. quatenus ait eum non nisi post aditam hæreditatem tenuisse Rempublicam annos ferè 12. partim cum Antonio, & Lepido Triumuiris partim cum solo Antonio, solum autem annos 44. quorum summa est 56. Hinc Eutropius l. 7. *Octauianus Augustus Romam rediit XII. anno postquam Consul fuerat: ex eo Rempublicam per XLIV. annos solus obtinuit, ante enim XII. annis cum Antonio, & Lepido tenuerat, ita ab initio principatus eius, vsq; ad finem LVI. anni fuerunt.* Incipit ergo, vt vides à Consulatu eius Imperium, nec aliter verificari potest annus 56. nisi ineatur à Consulatu, cum mortuus sit 19. Augusti duobus Sextijs Consulibus. Ideoque cum his numerandi quotquot aiunt eum imperasse annos 56. vt *Ausonius* in Cæsaribus, *Io. Bapt. Egnatius* in Octauio: *Sextus Aufus* initio Breuiarij, vbi ait Romanam Rempublicam stetitse sub Consulibus vsq; ad vltimos Consules Hirtium, & Pansam. Huic verò nostræ opinioni suffragantur *Lipsius* in notis ad Tacitum, *Cassiodorus*, & *Cuspinianus* in Chronico Consulari ponentes Octauianum Aug. Imperatorem II. post Consules Hirtium, & Pansam *Eusebius* in Chronico addens Olympiadis 184. annum 2. Sigonius in Fastis ad Annum Vrbis DCCX. vbi tractat de Augusto, Salianus ad Annum Mundi 4011. nu. 2. Glareanus in Chronol. in Consul. Hirtij, & Pansæ *Scaliger* lib. 5. de emendatione temporum p. 405. in fine tit. *de excessu Augusti, & initio Tiberij*, vbi concludit. *Non frustra igitur sunt quidam ex veteribus, qui Augustum annos LVI. imperasse scribunt. A die enim primi eius Consulatus, ad diem obitus, tot sunt Anni Iuliani præcisè.* Petauius lib. 10. de doctr. temporum c. 64. Onuphrius l. 2. Com. in Fastos ad Annum Vrbis DCCXI. vbi de Triumuiris, vbi profert lapidem Colotianum, in quo Triumuiri appellantur *Imperatores ex die V. Kal. Decembris.* Esto Petauius, & Onuphrius agnoscant aliud quoque principium quando solus, aut vltro consentiente Senatu imperauit, de quo infra: item *Langius* lib. 2. de Annis Christi cap. 17. *Paulus Forosemproniensis* in sua Summa par. 2. l. 11. c. 2. *Tirinus* in Chronico Sacro c. 44. Omnes deniq; illi, qui aiunt Augustum imperasse annos 56. vt *Torniellus* ad Annũ Mundi 4066. & alij supra nominati. Standum enim in hoc Romanæ historiæ peritioribus Tacito, Suetonio, Dioni, Solino, Ausonio, Eutropio, Sexto Rufo, quàm extraneo homini Iosepho l. 18. Antiq; c. 3. dicenti Augustum imperasse annos 57. menses 6. & dies 2. & cum Antonio 14. vixisse annos 77. in quibus omnibus turpiter errat, cum vix annos 12. cum Triumuiris rexerit, vixeritq; solum annos 75. menses 10. dies 25. vt infra ostendemus; sed nec Theophilus, nec Hermanus contractus audiendi sunt, dicentes eum imperasse annos 56. & menses ferè 7.

Tertia pars Conclusionis de Aera Hispanica.

4 AEra Augusti Hispanica, nomen sumpsit, & initium ab *Aere* quod Augustus edicto promulgato iussit solui pro tributo, & censu, postquam Hispaniam subiecerat per Domitium Caluinum, qui eos vicit, Consulibus *L. Marcio Censorino, & C. Caluisio Sabino*, vt narrat Dio l. 48. quare is fuit annus ante Epocham Christi 39. licet edictum promulgatum sit Tarracone anno sequenti nempe 38. ante Christum, seu 4. Augusti completo. Refert enim Io. Vasæus in Chronico Hispaniæ c. 22. omnes Hispanos Aeram hanc vsurpare tanquam 38. annis priorem Epocha Christi, additq; in Eusebij Alcobacensis manuscripto ad annum Augusti 4. legi hæc verba. *Hoc tempore edicto Augusti Cæsaris æs in tributum, & censum dari iubetur, ex quo Aera collecta est*, mox concludit: *Igitur quatuor annis si addas triginta octo, habebis quadragesimum secundum Augusti annum, quo anno natus est IESVS Christus Mundi Saluator.* Sed multo ante S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. 3. cõtra Iudæos scripsit: *Aera enim inuenta est ante triginta, & octo annos, quam Christus nasceretur: Nunc acclamatur Aera 724. detractis igitur 38. annis, vsque ad Natiuitatem Christi, residui sunt anni 686.* Ambrosius Morales Historicus Hispanus ex peruetusta membrana Cõcilij Toletani depromit hæc verba. *Incipiunt exemplaria professionum in Concilio Toletano cõtra sectam Priscilliani æra CCCCXXXVIII.* Qui annus ait Morales *erat Christi CD. Fl. Stilichone, & Aureliano Consulibus*, & rectè esto Scaliger l. 5. pag. 446. ex fasta sua serie Fastorum dicat fuisse Consules Fl. Mænlium Theodorum &c. Scholiastes quoq; tertij Concilij Toletani, ait Hispanos eodem anno, quo Aera hæc cœpta est, recepisse formam Anni Iuliani (quod placet Scaligero quoq; & Petauio lib. 10. c. 68.) additq; inco pisse anno 6. à nece Cæsaris, qui est octauus Iulianus, & Concilium illud inchoatum Æra Cæsaris 627. Anno Domini 589. Nicæna ipsa Synodus (nam extra Hispaniam quoq; vsurpata fuit hæc Aera) notatur Aera CCCLXIII. At hæc inita, & terminata fuit anno Epochæ Christi CCCXXV. quibus addendo 38. fit Aera 363. Idatius quoq; in Chronico testatur *Honorio VIII. & Theodosio Consulibus, Alanos Vandalos, ac Suevos irrupisse in Hispaniam Aera CCCCLVII. iv. Kal. Octobris feria 3.* Fuit hic annus, vt in Fastis notaui Epochæ Christi 409. & confirmatur ex Charactere feriæ. Anno enim 409. Cyclus Solis fuit 26. Litera Dominic. C. ideoq; dies 28. Septembris incidit in Feriam 3. adde nunc annis 409. annos 38. & fit annus Æræ 447. notatus ab Idatio. Idem præterea ait *Currente anno V. Leonis Imperatoris Aera D. VI. Nonis Martij pullorum cantu ab occasu Solis, Luna in sanguinem plena conuertitur, idem dies sexta feria fuit.* Fuit hic annus Epochæ Christi 462 triplici charactere firmatus, videlicet anni V. Leonis; & Feriæ, quia hoc anno Cyclus Solis 23. indicat literam G. ideoq; dies 2. Martij incidit in feriam 6. & tandem Eclipsi Lunæ, quã supputauit Petauius

ex

ex Parisinis Tabulis hoc anno Martij die 2. quadrante post mediam noctem Compostellæ, & digitis 9. maiorem, vt refert l. 10. c. 68. adde iam annis 468. annos 38. fitq; Aera 506. ab Idatio notata. Sed idipsum confirmari posset multis alijs locis, ex Concilijs Barcinonensi, Cæsaraugustano, Hispalensi, Emeritano, Carthaginiensi, ipseq; Isidorus in Chronico plerumq; huic numero consentit, esto alicubi dissentiat à se ipso, ideoq; in hoc, vt testis varius non sit recipiendus, contra tot alios contestes: Et ob eandem causam non audiendus, aut corrigendus Io. Mariana lib. 3. de rebus Hispaniæ c. 24. vbi ait Aeram Cæsaris Augusti inchoasse anno, quo Consules fuerunt Cn. Dionysius, & C. Asinius Pollio, Vrbis conditæ 714. & tamen postea fatetur *Annum Christi primum esse trigesimum nonum Aeræ Cæsaris*, hoc posterius verum est; at prius illud falsum, quia illi Consules fuerunt anno 40. ante Epocham Christi, non 38. similiter errauit L. Andreas Resendius, qui vt habetur in tomo I. Hispaniæ Illustratæ pag. 633. & tomo II. pag. 829. Aeram hanc iniuit ab anno 4. post necem Iulij Cæsaris, qui fuit 40. ante Ep. Christi.

Maneat igitur *Aeram Cæsaris Augusti* inire à Kalendis Ianuarij anni ante Epocham Christi 38. vt præter *S. Iulianum* Archiep. *Io. Vasæum*, *Ambrosium Moralem*, Computumq; Scholiastis Concil. Tolet. & *Idatij* adductos supra, docent, aut tenent *Genebrardus* l. 2, Chronol. vbi de 4. Monarchia, *Scaliger* de emend. temp. l. 5. pag. 445. *Vbbo Emmius* in Canone Chronico ad Annum Iulianum octauum, *Petauius* l. 10. de doctrina temporum c. 68. *Torniellus* ad annum Mundi 4014. *Henricus Philippi* in Synopsi Chronologica c. 13. & 17. *Tirinus* in Chronico Sacro c. 44. *Fonseca* tom. 1. de Vita Christi pag. 219. vbi affert edictum Augusti. Vsi sunt porrò Hispani hac Aera vsq; ad Annum Domini 1383. quo Ioannes V. Castellæ Rex Segobiæ in Conuentu principum iussit antiquari hanc Aeram, numerariq; annos ab Ortu Christi, quod paulo ante Valentini, & paulo post Lusitani fecerunt, vt narrat Vasæus, Sepulueda, & Mariana.

Quarta pars Conclusionis de Actiacæ victoriæ tempore.

5 IMperium Octauiani Augusti, quando solus imperare cœpit, exuto potestate Lepido, & victo ad Actium M. Antonio, fuisse annis 12. post primum Consulatum ipsius, & ferè 12. post susceptum Triumuiratum iam didicimus num. 3. ex Suetonio cap. 8. & Eutropio l. 7. vnde sequitur victoriam accidisse anno ante Epocham Christi 31. ipso Octauiano III. Consule, cum M. Valerio Messala Coruino; Vrbis conditæ Varroniano 723. iam à die 21. Aprilis inito; nam vt tradit Dio M. Antonius ad Actium Epiri promontorium proelio nauali victus est ab Augusto IV. nonas Septembris, & coactus fugere cum Cleopatra Alexandriam, quæ victoria comparauit Augusto absolutum Imperium, ideoq; Dio lib. 55. dixit: *Ex quo primum die Cæsar rerum potitus est solus, & ex quo imperij eius recensio præcisè sumitur*, & in Tabulis Capitolinis Sigonij, & Onuphrij, ad Annum Vrbis Capitolinum scriptum legitur: *Hoc Anno ex A. D. IV. non. Sept. Quo die M. Antonius ad Actium victus est, Imp. Cæsaris Diui F. C. N. Imperium incipit*. Nulla verò de hoc Anno Controuersia est apud Chronologos, sed mira consensio: sic Glareanus in Chronologia ad Vrbis Annũ 723. adnotauit hæc: *C. Cæsar Octauianus solus: Augusti verum Imperium*. Scaliger lib. 5. pag. 453. *Petauius* l. 10. c. 69. vbi cum Scaligero notant, si intercalatio non fuisset vitiosa, diem huius victoriæ futurum fuisse 3. Septembris in vera forma anni Iuliani, *Salianus* ad annum 4023. *Langius* l. 2. de Annis Christi cap. 17. & alij plurimi.

Quinta pars Conclusionis de morte Antonij, & Cleopatræ.

6 VIcto ad Actium Antonio, cum hic vna cum Cleopatra fugisset in Ægyptum, Augustus venit Brundusium, vbi Senatus illi obuiam venit, recepitq; quartum consulatum, quem gessit postea cum M. Licinio Crasso, inde hyeme adhuc durante in Peloponesum, & inde in Aegyptum properauit, captoque Pelusio, & victo apud Pharum Antonio equistri prælio (qui propterea falso rumore de Cleopatræ morte perculsus sibi manus consciuit die prima Augusti) captaq; Alexandria eodem mense, & extincta Cleopatra, solus sine vllo æmulo pacificè imperare cœpit. Narrant hæc Dio lib. 51. Plutarchus in Antonio, Suetonius in Octauio, Appianus, Orosius. De anno captæ Alexandriæ constat ex Consulatu Augusti 4. & Licinij Crass. à Dione asserto, qui ex Fastis iam c. 3. & 5. ordinatis, fuit annus 30. ante Epocham Christi, & confirmatur ex dictis de Anno Actiacæ victoriæ quem constat fuisse præcedentem. Sed de mense ac die non omnes consentiunt. Baronius enim in Apparatu nu. 104. debellatam Alexandriam putat VI. Kal. Aprilis quia in Kalendario Colotiano ad VI. Kal. Aprilis notatum est. *Hoc die Cæsar Alexandriam recepit*. At Macrobius lib. 1. Saturn. c. 12. recitans causas, ob quas ex Senatus consulto mensis Sextilis dictus est Augustus, hanc inter præcipuas adducit, quòd hoc mense Aegyptus in potestatem Pop. Romani redacta sit, finisq; bellis ciuilibus impositus. Chronologus apud Clementem Alexandrinum lib. 1. strom. ait. *Ab obitu Alexandri ad Augusti victoriam quando Antonius seipsum ad Alexandriam interemit anni sunt ducenti nonaginta quatuor, cum Augustus esset IV. Consul*. Mortuus est autem Alexander anno ante Christi Epocham 324. post Solstitium æstiuum, vt docuimus lib. 3. c. 4. quare subductis annis 294. restat annus 30. ante Epocham Christi, iam ex Consulatu 4. Augusti iterum confirmatus: & cum Orosius dicat Antonium se occidisse kalendis Augusti, mensis quoq; confirmatus remanet. Ptolemæus quoq; l. 3. c. 8. à morte Alexandri ad Regnum Augusti primamque diem Thoth, numerat annos 294. incidit autem dies prima mensis Thoth eo anno in diem 29. Augusti, sed ob vitiosam intercalationem, vt aduertit Petauius l. 10. c. 69. nam si iustè intercalatum esset, debuit in forma anni Iuliani cadere in diem 31. Augusti; Idcirco Aegyptij recepto anno Iuliano fixoq; capite anni sui in die 29. Augusti, inde reliquos annos numerare cœperunt. Postremò plures Chronologorum subscribunt Orosio, & Macrobio, videlicet Augustum potitum esse Alexandria totaq; Ægypto, mense ipso Augusto, esto ob compositas ibi res, Dio Imperium hoc auspicetur à die 2. Septembris & Horatius in Ode 14. lib. 4. canat

Nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemq; & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit.

Vbi Imperij radicem, & initium à nece Cæsaris videtur numerare, inde enim ad Alexandriam captam sunt tria lustra, idest anni 15. vt aduertit Scaliger l. 5. pag. 445. sed Salianus ad annum Mundi 4025. aduertit Horatium non accipere tertium lustrum completum.

Sexta pars Conclusionis de Annis Augustanis Romanorum.

7 CEnsorinus de die Natali, cap. mihi 8. scribit annum quo Consules fuerunt *Vlpius, et Pontianus, esse Iulianum 283. à Kalendis Ianuarij, at eorum qui vocantur anni Augustani, 265. perinde à kal. Ianuarij: quamuis in ante diem XVI. kal. Febr. Imp. Cæsar, D. F. Augustus, sententia Munatij Planci, à Senatu cæteriſque ciuibus appellatus est, se VII. & M. Vipsiano Agrippa III. Coss.* Iam cap. 3. stabiliuimus Iulianum annum primum fuisse 45. ante vulgarem Epocham Christi, his si demas annos 18. quibus Iulianus 283. excedit Augustanum 265. restat pro primo Augustano annus ante Ep. Christi 27. quo ipso anno in Fastis c. 5. notauimus septimum Augusti, & tertium Agrippæ Consulatum. Scaliger l. 5. pag. 456. miratur Censorinum non consentire de die Ouidio 1. Fastorum canenti, Augustum appellatum Idib. Ianuar.

Idibus in magni castus Iouis æde Sacerdos,
Semimaris flammis viscera libat ouis.
Redditaq; est omnis populo prouincia nostro
Et tuus Augusti nomine dictus auus,

& ita notatur in Kalendario Romano apud Gyraldum. Orosius l. 6. hæc habet: *Anno ab V. C. DCCXXV. ipso Imperatore Cæsare Augusto quinquies, & L. Apuleio Coss. Cæsar victor ab Oriente rediens octauo idus Ianuarias Vrbem triplici triumpho ingressus est, ac tum ipse Iani portas, sopitis omnibus finitisq; bellis ciuilibus, clausit. Hoc die primum Augustus consultatus est.* De anno Clausi Iani verum dicit, attestante id Dione l. 52. id enim factum est anno Vrbis 725. Varroniano nempe 29. ante Epocham Christi, quando erat V. Consul, cum L. Apuleio. Sed de Augusti appellatione fallitur tum in die, si Ouidio aut Censorino standum sit, tum in anno, sicut & Eusebius in Chronico, dicens Augustum appellatum anno XV. Augusti, anno vno postquam se Antonius, & Cleopatra interfecerunt: contra quem, & contra absurditates Heruarti vide Petauium lib. 10. de doctrina temporum c. 70. sed de die & mense tam in Triumphis, quam in appellatione Augusti fallitur Orosius, cum apud Macrobium l. 1. Saturn. c. 12. extet Senatus Consultum tale: *Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili, & primum Consulatum inierit, & triumphos tres in Vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ secutæque sint eius auspicia & fidem: Sed & Aegyptus hoc mense in potestatem Populi Romani redacta sit, finisq; hoc mense bellis ciuilibus positus sit; atq; ob has causas hic mensis huic Imperio felicissimus sit, ac fuerit, placere Senatui vt hic mensis Augustus appelletur.*

Meritò proinde Sigonius ad annum Vrbis Capitolinum DCCXXIV. qui Varroni est DCCXXV. & cum Pighio Salianus ad annum Mundi 4025. reprehendunt Orosium, tum in anno, tum in mense lapsum, docentq; cum Macrobio tres illos triumphos celebratos æstate mense Augusto, primum quidem VIII. Idus Sextiles de Pannonibus, Dalmatis, Iapygibus, Gallis; Secundum VII. Idus Sextilis, de Macedonia ob victoriam Actiacam ad Actium; Tertium VI. Idus Sext. de Ægypto subacta, in quo Cleopatræ corpus translatum est. Sed Onophrium decepit Orosius, ideoque in Triumphis, & Ouationibus hos quidem Triumphos notat anno Vrbis Capitolino DCCXXIV. sed apponit dies VIII. VI. V. *Idus Ianuar.*

de his tribus Triumphis est illud Virgilij 8. Æneid.

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Moenia, dijs Italis votum immortale sacrabat.

De Natali Anno, die, & Horoscopo Augusti.

8 SVetonius in Octauio Augusto c. 5. scribit: *Natus est Augustus M. T. Cicerone, & Antonio Coss. IX. Kal. Octobris paulo ante Solis ortum, regione palatij ad cap. Babula.* Aulus Gellius lib. 15. c. 7. recitat epistolam ipsius D. Augusti ad Caium nepotem suum occasione Climacterici anni iam elapsi scriptam his verbis IX. *kal. Octobris*: *Aue mi Cai, meus ocellus iucundissimus, quem semper medius fidius desidero, cum à me abes: sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem (vbicumque hoc die fuisti) spero lætum, & bene valentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. Nam vt vides κλιμακτῆρα, communem seniorum omnium tertium, et sexagesimum annum euasimus etc.* Itaque in Kalendario Romano ad IX. Kal. Octobris Gyraldus notatum refert *Natalis Augusti*: & Ianus Gruterus in inscriptionibus profert cippum marmoreum Narbone erutum, in quo legitur: *Plebs Narbonensis aram Narbone in foro posuit, ad quam quotannis IX. kal. Octobris, qua die eum sicuti felicitas orbi terrarum Rectorem edidit etc.* Keplerus in Rudolphinis cap. 17. præcepto 65. addit Octauium patrem Augustum tardius in Senatum coactum summo mane ob periculum coniurationis Catilinariæ veniisse, & moram excusasse puerperio vxoris, quæ paulo ante Solis ortum pepererat; Nigidiumq; ex partus tempore amplissimam nati fortunam prædixisse. Tandem Germanicus in Arateis, vbi de Capricorno canit, docet Augustum natum sub Capricorno; sic.

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes, patriamq; pauentem
In Coelis tulit, et maternis intulit astris.

Annus quo Consules fuere *Cicero, et Antonius* in Fastis certissimè est ante Epocham Christi 63. & Vrbis Varronianus 691. Anni forma tunc erat Pompiliana, & September habebat dies 29. vt dixi lib. 1. c. 21. num. 5. ergo ix. kal. Octobr. erat 22. Septembris: quotus autem fuerit & cuius mensis dies in forma anni Iuliani retroficta, sciri non potest, quia nescimus quibus annis eo tempore intermissa, vel præproperata fuerit à Pontificibus intercalatio mensis Mercedonij dierum 22. aut 23. imperitè enim Scaliger lib. 5. Emend. Temporum pag. 443. supponit intercalari solitos quotannis dies 10. ideoq; annum illum incœpisse a die 13. Octobris, si antecedens annus fuit communis, aut à die 23. Octob. si intercalarius; & priori modo Septembrem Pompilianum totum occupari à Iulio Iuliano, posteriori vero diem 21. Septembris Pompiliani incidisse in diem vltimam Iulij Iuliani, quando Sol iam erat in Leone non in Cancro. Vnde concludit, si Augustus natus est horoscopante Capricorno oportere natum esse anno communi, & Sole occaso, & in Cancro constituto, & Suetonium errasse dum ait natum ante Solis ortum: Nam sic oportuisset Solem esse in Capricorno, ac proinde natum esse aut Decembri, aut Ianuario Iuliano, & consequenter non Septembri Pompiliano, sed Martio, & ipse Petauius l. 10. de doctr. tempor. c. 64. approbat quoad hoc Scaligerianum discursum de hallucinatione Suetonij. Keplerus loco citato, habita ratione mensis Mercedonij ex suo typo anni confusionis concludit diem 22. Septembris Pompiliani incidisse, aut 23. vel 24. Iunij Iuliani, aut 16. vel 17. Iulij, quando certè Sol non erat in Capricorno sed in Cancro: At quia ipse Augustus in nummis argenteis, nedum Germanicus *in* carminibus professi sunt natiuitatem hanc sub Capricorno, & tamen Suetonius, & ipsa excusatio Octauij de puerperio paulo ante Solis ortum negari nequeunt, Keplerus conciliat hoc ex Manilio; ex eo quod Veteres sub eo sidere natum quemque putarent, quod eo nascente Luna occupabat, potuisseq; illo anno Lunam ingredi Capricornum ineunte Iulio Iuliano. Sic & nos c. 2. dum de natali Vrbis retulimus ex Solino Romam conditam Luna in Libra constituta, ideoque Manilium ei Libram adnotasse pro natalitio sidere.

De Augusti obitu & vera ipsius Aetate.

9 MOrtuum esse Augustum prope Nolam duobus Sextijs Consulibus Anno Epochæ Christi 14. ostendimus cap. 3. nu. 16. ex Eclipsi Lunari narrata à Tacito 1. Annalium, & Dione l. 56. quorum vterque, eos Consules adnotat, vt & Suetonius addens c. 100. in Octauio: *Obijt in cubiculo eodem, quo pater Octauius, duobus Sextis Pompeio, & Apuleio Coss. decimoquarto Kal. Septembris hora diei nona LXX. & VI. ætatis anno diebus V. & XXX. minus.* Dio vero l. 54. occasione Templi Quirini noui ab Augusto ædificati, & dedicati ait. Id *templum cum sex, ac septuaginta columnis decorasset, totidemq; omnino annos ipse vixerit, occasionem nonnullis dedit hoc, vt dicerent non forte fortuna, sed consultò ipsum hoc columnarum numero vsum fuisse.* Eutropius l. 7. de Augusto: Obijt autem LXXVI. *anno morte communi in oppido Campaniæ Atella*; esto aliqua corrupta exemplaria habeant LXXXVI. Sed ex ipso Eutropio emendanda cum paulo ante dixerit Augustum extorsisse Consulatum anno ætatis xx. & ex inde Rempublicam gubernasse annos LVI. Dion quoq; l. 56. ait Augustum vixisse annos LXXV. menses x. & dies xxvij. Apparet ergo cum, ac Suetonium in hac computatione vsos esse forma anni Iuliani, in qua à die 19. quo mortuus est, vsque ad 22. Septembris, qui eius natali adscriptus est, vt num. 8. diximus, & quo complesset annos 76. desunt 35. dies, sed quia natus est quando erat in vsu forma anni Pompiliani, videtur plus reipsa vixisse, & Scaligero quidem lib. 5. pag. 465. iuxta suam opinionem diei Natalitij Augusti videtur vixisse annos 76. & præterea quantum interest ab extremis partibus Cancri ad 19. Augusti, nempe dies circiter 20. Petauius quoq; lib. 11. c. 6. in hoc subscribit Scaligero: Sed ob ignoratam luxati anni rationem, non possumus hos dies præcisè definire, neq; sufficit ætati Augusti addere illos dies quos C. Iulius Cæsar addit anno cõfusionis nempe dies 67.

præter

præter intercalarium menſem, ſic enim defectus dierum 35. de quo Suetonius compenſaretur, & præterea ſupereſſent dies 32. Itaq; hoc tantum pro certo ſupponere poſsumus Auguſtum vixiſſe annos 76. & inſuper vnum circiter menſem. Certum quoq; eſt Ioſephum lib. 18. antiq; c. 3. aſſerentem Auguſtum vixiſſe annos 77. non poſſe intelligi de completis, ſed ſolum de inchoatis, quòd ſcitè expreſſit Aurelius Victor in Epitome hiſtoriæ Auguſtæ dicens: *Annos ſeptem, & ſeptuaginta ingreſſus Nolæ morbo interiit*: ideſt Atellæ prope Nolam, vt habet Euſebius, & Eutropius: plures tamen Chronologorum Suetonium, & Dionem ſecuti, & obliti diuerſitatis annorum Pompiliani, & Iuliani, non conceſsere Auguſto annos 76. integros. Eſto iam Synopſis dictorum de Auguſto.

Anno ante Epocham Chriſti.	C. I. CÆSAR OCTAVIANVS AVGVSTVS.
100	C. Iulius Cæſar naſcitur iii. Idus Quintiles anni Pompiliani.
63	Octauius nepos Iulij Cæſaris, ex Attia filia ſororis naſcitur Romæ, Conſulibus Cicerone, & C. Antonio ix. kal. Octobris Pompiliani ſub ortum Solis, Luna in Capicorno conſtituta; ſed Iunio, aut Iulio anni Iuliani.
47	C. Iulius Cæſar iii. Conſul imperare cœpit, & Annum corrigit.
45	Annus 1. Iulianus dier. 365. &c. Iulio Cæſare iv. Conſule ſine collega.
44	C. Iulius Cæſar idib. Martij annos 56. ingreſſus occiditur ſucceditq; ei ex Teſtamento Iulij Octauius in dodrante.
43	C. Iulius Octauianus Conſulatum init die 19. Sextilis, annorum penè 20. & i de primus eius principatus; die verò 29. Nouembris Triumuir cum Collegis imperare cœpit.
38	Aeræ Auguſti Hiſpanicæ initium à kal. Ianuarij ob edictum de Aere in cenſum tributumue ſoluendo, quæ durauit vſque ad annum Domini 1383.
31	Actiaca Victoria C. Iul. Octauiani de M. Antonio, & Cleopatra prælio nauali ad Actiũ Epiri promotorium iv. Septembris.
30	Victis & ſe interficientibus M. Antonio, & Cleopatra initio Sextilis Menſis, & Alexandria capta, totaq; Ægypto ſubacta, Cæſar Octauianus ſolus abſq; æmulis imperare cœpit; inde anni Auguſtani Ægyptiorum, ſed à die 29. Auguſti menſis, in quẽ Thoth prima dies incidit, quæ recepta Iuliani anni forma, fixa deinde manſit ad diem 29. Auguſti.
29	C. I. Cæſ. Octauianus Ianum clauſit viii. idus Auguſti, & triumphauit de Macedonia ob Victoriam ad Actium; & vii. idus, ac vi. duos alios triumphos egit.
27	C. Iulius Cæſar Octauianus, appellatus eſt à Senatu, & Ciuibus reliquis *Auguſtus*, & in honorem eius menſis Sextilis nominatus eſt *Auguſtus* ob cauſas num. 7. adductas.
Epocha Chriſti An. 14.	Octauianus Auguſtus moritur Atellæ prope Nolam 19. Auguſti menſis, annis reuera 76. expletis, & inſuper menſe vno circiter cùm imperaſſet cum Triumuiris an. 12. ſolus 44. & in totum 56. ſeu 55. menſ. 8. d. 2.

CAPVT VIII.

De Annis Imperatorum, ab Auguſti obitu, vſque ad obitum Traiani.

CONCLVSIO VIII.

Ex Eclipſibus, & Hiſtoricis fide dignoribus, ab Auguſti obitu, vſque ad obitum Traiani interceſſere Anni CII. Menſes XI. & dies non pluresquam XXIV. ad Captam verò à Tito Hieroſolymam Anni LXVI. ac dies XII. Imperatorum verò intra Annos prædictos CII. tempora fuere, vt in infraſcripta Synopſi determinauimus.

Nomina Imperatorum.	Anni Epochæ Chriſti.	Natus eſt A. M. D.	Incœpit Imperium. An. M. D.	Obijt An. M. D.	Imperauit An. M. D.	Vixit An. M. D.
Cl. Tiberius Nero.	ante Chr.	42. Nou. 16	14 Aug. 19	37 Mart. 16	22 6 28	77 4 0
Caius Caligula.	Chr.	12. Aug. 31	37. Mart. 16	41 Ianuar. 24	3 10 9	28 4 24
Tib. Claudius.	ante Chr.	10. Aug. 1	41 Ianuar. 24	54 Octobr. 13	13 8 20	63 2 13
Nero Claudius.	Chr.	37. Dec. 15	54 Octob. 13	68 Iunij 10	13 7 28	30 5 26
Serg. Sulp. Galba.	ante Chr.	5. Dec. 24	68 Iun. 10	69 Ianuar. 15	0 7 5	72 0 22
Otho Syluius.	Chr.	32. Apr. 28	69 Ianuar. 15	69 April. 20	0 3 4	36 11 22
Aulus Vitellius.	Chr.	15. Sept. 7 vel 27	69 April. 20	69 Decemb. 25	0 8 5	54 3 21 vel 1
Flau. Veſpaſianus.	Chr.	9. Nou. 17	69 Iulij 1	79 Iun. 24	9 11 24	69 7 7
Titus Veſpaſianus.	Chr.	41. Dec. 30	79 Iunij 24	81 Sept. 13	2 2 20	39 8 14
Flau. Domitianus.	Chr.	51. Oct. 24	81 Sept. 13	96 Sept. 18	15 0 5	44 10 24
M. Cocceius Nerua.	Ch. vel vel	27. 30. 32. Mart. 17	96 Sept. 18	98 Ianuar. 27	1 4 9 vel vel	71 68 65 10 10
M. Vlpius Traianus.	Chr.	53. Oct. 27 inito.	97 Sept. 18	117 Auguſto inito	19 10 paulo plus	63 9 4

1 C *Laudius Tiberius Nero* filius Liuiæ, quæ poſtea fuit vxor Octauiani Auguſti, teſte Suetonio in Tiberio, *natus eſt Romæ xvi Cal. Decemb. M. Aemilio Lepido iterum, & Munatio Planco Conſulibus.* Ergo ex Faſtis c. 3. & 5.

& 5. ſtabilitis natus eſt anno ante Chriſti Epocham XLII. eum enim annum conſularem in Faſtos, & acta publica relatum aſſerit Suetonius, qui non ſecus, ac Tacitus lib. 1. Annal. & Dio l. 56. affirmat in Auguſto c. 100. eum ſucceſſiſſe ſtatim à morte Octauiani Auguſti in Imperio, nempe à die 19. Auguſti Conſulibus duobus Sextijs, ideoq; anno Epochæ Chriſti xiv. vt ex Eclipſi Lunæ oſtendimus cap. 3. num. 16. de morte Suetonius c. 73. ſic: *Obijt in villa Luciliana, octauo & ſeptuageſimo ætatis anno, tertio, & vigeſimo Imperij, decimo ſeptimo Kal. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Porcio Nigro Coſſ.* Conſentit de numero annorum Imperij 23. & vitæ 78. emendatus Codex Eutropij l. 7. qui habet non Lxxxiij. ſed Lxxiix. ex quo numero, & Faſtis Conſularibus ſequitur eum obijſſe anno ante Epocham Chriſti 37. Porrò initium Imperij Tiberij inchoandum eſſe à morte Auguſti, & non ante, communiſſima eſt ſententia Chronologorum penè omniũ, & in primis *Sigonij* in Com. ad Sulpicium Seuerum, *Onuphrij* in Com. ad Faſtos anno Vrbis Capitolino DCCLXVII. *Scaligeri* l. 5. de emend. Temp. pag. 465. *Saliani* ad annum Chriſti 30. *Langij* lib. 2. de annis Chriſti c. 17. *Petauij* l. 11. de doctrina temporum c. 7. vbi pluribus, & egregiè confutat Heruartum, & Cappellum contendentes Imperij Tiberiani annos 23. numerandos eſſe à biennio ante Auguſti mortem, vt ſic annos nati, & baptizati Chriſti retrahant totidem annis, eo quod Suetonius triennio poſt Varrianam Cladem c. 18. commemoratam c. 21. dicat de Tiberio: *Lege per Conſules lata, vt Prouincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret.* Immo Velleius dicat id factum à S. P. Q. R. poſtulante patre eius, ſcilicet adoptiuo, *vt æquum ei ius in omnibus Prouincijs, exercitibuſq; eſſet.* Sed quam multis alijs collata eſt Proconſularis, aut Tribunitia poteſtas, nec propterea tamen inde inchoatum eſt eorum Imperium; Deinde expreſsè Suetonius, Dio, & Tacitus Imperium Tiberij ab obitu Auguſti ineunt, nec antea vllus, nedum Legiones Pannonicæ illum pro Imperatore agnouerant, antequam aperiretur Auguſti teſtamentum, & ipſemet Tiberius ſimulauit ſe recuſare Imperium, vt videretur quaſi coactus illud acceptare, vt narrat Suetonius c. 24. Non erat igitur cur tam leui de cauſa Antonius Cappellus in Differt. de anno Paſſionis Chriſti c. 5. & Heruartus c. 248. Nouæ Chronologiæ, à communi ſententia recederent.

2 *C. Cæſar Caligula*, filius Cæſaris Germanici, & Druſi Nepos, *natus eſt pridie Calend. Septemb. patre ſuo, & C. Fonteio Capitone Conſulibus*, ait Suetonius cap. 8. in Cæſare Caligula, & cap. 58. narrat necatum eſſe à coniuratis, confoſſumq; vulneribus 32. *Nono Cal. Februarias, hora quaſi ſeptima*; et c. 59. addit: *Vixit annos vigintinouem, imperauit triennio, & decem menſibus, diebuſq; octo*; Dio verò ait eum ipſo die obitus Tiberij, ſuſcepiſſe Imperium, *cum annum ageret 25. illudq; tenuiſſe annos tres, menſes decem, & dies nouem*; & Eutropius l. 7. *Interfectus in Palatio eſt, anno ætatis ſuæ xxix. Imperij iii. Menſe x. Dies viii.* Vnde corrigendus Egnatij codex, vbi dicitur: *Occubuit annum agens xxviii.* Eſt autem exactior Dionis numeratio ob Biſſextilem annum interiectum. Ex dictis autem de Conſulib. c. 58. & ex fine Tiberij, ac prædicto tempore Imperij, & vitæ, ſequitur eum natum eſſe anno 12. Epochæ Chriſti, & cœpiſſe imperare anno 37. & interfectum anno 41. Reliqua vide in Synopſi: contra Heruarti autem caput 250. qui annum vnum detrahit Imperio Caligulæ, lege Petauium l. 11. c. 8. neque enim ob quædam dubia de Conſulatibus Caligulæ orta ex diuerſis lectionibus, & ambiguo modo loquendi Suetonij, debemus recedere ab expreſso per eundem numero annorum Imperij, immò ex hoc tanquam manifeſtiore, & Dionis authoritate, atq; Eutropij firmato, reliqua dubia explicare. Multo minus requirere debemus exactum tempus à Poetis, puta ab Auſonio in Cæſaribus, vbi canit de Caio Caligula.

Tertia finit hyemes graſſantia tempora Caij

& de Tito Veſpaſiano.

Ter dominante Tito, cingit noua Laurea Ianum.

Rotundo enim numero vſus eſt, cum aliunde ſciamus Caligulam vltra triennium, & Titum multo minus triennio imperaſſe. Standum itaq; hic communi Chronologorum cum *Onuphrio* in Faſtis ad annum Vrbis Capitolinum DCCIX. *Scaligero* l. 5. pag. 466. & *Petauio* ſupra.

3 De *Tiberio Claudio* Cæſare Suetonius in Claudio c. 1. ſic. *Claudius natus eſt, Iulio Antonio, Fabio Africano Conſulibus, Calend. Auguſti Lugduni, eo ipſo die, quo primum ara ibi Auguſto dedicata eſt*: ſucceſſit autem in Imperio Caligulæ anno Epochæ Chriſti 41. vt num. 2. oſtendimus, quo anno Conſules erant Caius ipſe IV. & Sentius Saturninus ſucceſſiſſe autem ſtatim, Caligulæ, non obſtante biduo, quo de mutando Reipub. ſtatu hæſitatum erat, tradit Suetonius c. 10. & 11. & c. 44. veneno occiſum aſſerit, & cap. 45. ait: *Exceſſit III. Idus Octobris, Aſinio Marcello, Acilo Auiola Conſulibus, LVIV. ætatis; Imperij XIV. anno.* Dio quoq; l. 60. & Clemens Alex. 1. Stromatum dant eius Imperio annos 13. menſes 8. & dies 20. & vitæ 63. & Hegeſippus l. 2. de Vrbis excidio ait: *Claudius exactis tribus & decem annis defecit.* At Eutropius l. 7. de eo rotundis numeris ſcribit. *Vixit annos LXIV. Imperauit XIV.* Ex ſolis Faſtis cap. 3. & 5. ſtabilitis patet eum natum eſſe anno X. ante Epocham Chriſti, exceſſiſſe autem anno Epoch. Chriſti 54. Porrò c. 3. n. 17. ex Dionis lib. 60. retulimus M. Vinicio, & Statilio Coruino Conſulibus ipſa die natali Claudij, nempe kal. Auguſti fuiſſe Solis Eclipſim, Romæ conſpicuam, & ibidem diximus eam non in alium annum cadere poſſe, quàm in Epochæ Chriſtianæ annum 45. conſentientibus etiam calculis Petauij l. 11. c. 9. Scaligeri l. 5. pag. 466. & plurimor. Chronologorum. At ex Faſtis hic annus poſt vltimum Caij Caligulæ, & Saturnini Conſulatum, ſub quò Claudius Caio ſucceſſit eſt quartus, ergo rurſus ex his habemus annum 41. pro initio Claudij. Præterea antiquus Chronologus apud Clemẽtem Alex. 1. Strom. à Morte Alexandri Magni ad Claudij Imp. initium numerat annos CCCLXV. ſed ex dictis libro 3. obijt Alexander anno 324. ante Epocham Chriſti, quo anno Thoth. Ægyptiorum incidit in 12. Nouembris, detractis autem 324. ab annis 365. reſtat annus Epochæ Chriſti 41. pro initio Claudij, nec deeſt annus vnus, vt malè putat Scaliger l. 5. pag. 466. quia putat Chronologum illum numerare annos à Thoth anni præcedentis, nempe 325. ante Epocham Chriſti, ſed inſcitè. Tandem anno VI. Claudij accidit Lunæ Eclipſis Conſulibus Valerio Aſiatico & Silano, quam c. 3. nu. 18. retulimus, & inde oſtendimus illum annum fuiſſe 46. Epochæ Chriſti, ergo primus Claudij fuit 41. Tot igitur argumentis ignoratis, vel diſſimulatis, Heruartus cap. 251. ſuæ Chronologiæ litem de vno anno ſuſcitauit contra communem ſententiam, rationibus adeo leuibus, vt pigeat referre illas, nedum refellere, quod tamen egregiè præſtitit Petauius lib. 11. de doctrina temporum c. 9. Obijſſe autem Claudium poſt mediam noctem & ante auroram colligitur ex Suetonio cap. 44. & Seneca in ludo mortis Claudij.

4 *Domitius Nero Claudius*, ſtatim, ac palàm factum eſt de obitu Claudij, ei ſucceſſit: nam Suetonius in Claudio c. 45. ſcribit: *Mors eius celata eſt, donec circa ſucceſſorem omnia ordinarentur.* & in Nerone c. 8. quod eſt de initio imperij eius ait: *ſeptemdecim natus annos, vt de Claudio palàm factum eſt, inter horam ſextam ſeptimamq; proceſſit ad excubitores: cum ob totius diei diritatem, non aliud auſpicandi tempus accomodatius videretur; proq; Palatij gradibus Imperator conſalutatus &c.* Dixerat vero c. 6. *Nero natus eſt 11. menſes, quam Tiberius exceſſit, 18. Calend. Ianuarias: iam tum quidem exoriente Sole.* Ita habent omnes antiqui codices cuſi, & manuſcripti, vt teſtatur Torrentius; vſus autem eſt Suetonius hoc ſingulari modo deſignandi tempus natiuitatis Neronianæ, quià acutè aduertit, eum natum eſſe oriente Sole, quando nondum completi erant exactè, ſed poſt aliquot horas complendi erant 11. menſes à morte Tiberij qui mortuus fuerat anno Epochæ Chriſti 37. Martij 16. vt oſtendi num. 1. ſed paulo ante mediam noctem ſubſequentem, at Nero natus eſt 18. kal. Ianuarij ideſt 15. Decembris hora circiter 7. poſt mediam noctem antecedentem; à qua Romanidies inibant, ſed horis circiter 17. ante mediam noctem ſubſequentem; Iam verò à die 16. Martij ad finem menſis ſuperfuere dies 15. deinde ſucceſſere octo integri menſes, & de Decembri alteri 15. dies, qui cum reſiduis 15. Martij componunt menſem dierum 30. ſed non completum adhuc in ortu Solis, quo natus eſt Nero. Oportere autem IX. illos menſes numerare non ante mortem Tiberij, vt quidam malè intelligentes Suetonium contendunt, ſed poſt mortem eius patet: *Primò* quia retrocedendo à die 16. Martij anni 37. quo Tiberius

berius obijt vsq; ad 15. Decembris anni antecedentis non sunt IX. sed III. tantum menses, & ideo Petauius lib. 11. de Doctrina temp. c. 15. putauit corrigendum Suetonij textum, & pro ix. scribendum iij. sed nulla necessitate, & contra Suetonij sententiam, vt mox patebit; secundò enim Suetonius dicit Neronem salutatum esse Imperatorem septemdecim natum annos, vt ex cap. 8. retulimus, atqui erat dies Octobris 13. anni Epochæ Christi 54. qua Claudius obijt, vt ostendi nu. 3. & qua Nero ei successit: iam si ab anno 36. Christi vt vellet Petauius, dieq; 15. Decembris numeretur tempus, vsque ad annum 54. diemq; 13. Octobris, consurgent anni 17. & menses penè 10. ità vt ad complendum annum ætatis 18. desint tantum 63. ergo malè dixisset Suetonius Septemdecim natus annos, iam enim fuisset natus Octodecim: At si numeres tempus à die 15. Decembris anni 37. Epochæ Christi, seu à nono mense post mortem Tiberij, vsq; ad 13. Octobris anni 54. Christi inuenies annos 16. integros, & 10. fere menses, verumq; erit, quod Suetonius affirmat, Neronem septemdecim annos natum imijsse imperium. Hinc autem reijcienda est multo magis Heruarti c. 254. opinio portentosa, qua vult legendum in Suetonio: *Ante annum, & iij. menses quam Tiberius excessit*, nec esse necessitatem legendi *ante post*, vel *Antij post*, vt apud Petauium supra Pulmannus ex Turnebo legit, nec displicuit Guilelmo Pelisserio. Potius ergo ex duobus hisce locis Suetonij clarioribus, & firmioribus corrigendum est quod de Nerone scribit c. 57. *Obijt xxx. & secundo ætatis anno, die quo quondam Octauiam interemerat*. Nam ex Plinio lib. 3. Epistola 7. hæc habemus de Silio Italico Poeta, & Consule: *Vtque nouissimus à Nerone factus est Consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero Consules fecerat, decessit. Illud etiam notabile vltimus ex Neronianis Consulibus obijt, quo Consule Nero perijt*. Certum autem est ex interuallis anniſq; Consulum à nobis stabilitis c. 2. & 5. *C. Silium Italicum*, vna cum M. *Valerio Trachalo* Consulem fuisse anno Epochæ Christi 68. ergò & hoc anno perijt Nero, qui vt clarè ex Dione elicitur, se ipsum interemit anno imperij xiv. post iv. Idus Iunij, cum imperasset annos xiij. menses vij. & dies xxviij. videlicet à die 13. Octobris anni 54. ad diem 10. Iunij anni 68. Eusebius quoque l. 3. hist. Eccl. c. 5. & Auctor libelli de vita, & moribus Romanorum ab Augusto ad Theodosium, & Georgius Abbas in Chronico Vveingartensi, Eutropius mox afferendus, & Egnatius annos tantum 13. integros, & 14. initos adscribunt Neronis imperio. Numerando autem tempus à die 15. Decembris anni Ep. Christi 37. vt supra numerandum docuimus, vsq; ad diem 10. Iunij, anni 68. quo perijsse Neronem ex Plinio, & Dione firmauimus, sunt anni tantummodo xxx. solidi, & menses V. Diesq; xxvj. ergo perijt ætatis anno xxxj. nondum completo. Itaque in Suetonio legendum, vt legit Eutropius, qui l. 7. pro *Secundo*, habet altero sic *Obijt trigesimo & altero ætatis anno, imperij*. xiv. At si perijsset anno ætatis 32. imperasset etiam annos 14. solidos, quod est contra Dionem & reliquos adductos, nec obijsset anno 68. Christi Consule *Silio Italico*. Restat vt scrupulus eximatur Heruarto, qui c. 254. docet ex Dione Caium Caligulam, mortuo patre Neronis, relegasse Agrippinam anno penultimo sui imperij, & ex Suetonio Neronem tunc fuisse *trimulum*: sed rectè dicit Suetonius, nec ob id necesse est conturbare Chronologiam, nam Caligulæ annus penultimus ex dictis num. 2. fuit Epochæ Christi 40. in cuius die 15. Decembris Nero impleuit tres annos, si quidem natus est anno 37. Christianæ Epochæ. Præterea ex dictis hic de Nerone & num. præcedenti de Claudio intelliges quare Ausonius in Cæsaribus dixerit duabus hebdomadibus annorum ideſt annis 14. Imperij, defuisse vnum Consulem ideſt non completos fuisse annos 14. dum canit.

Claudius hebdomadem duplicem trahit, & Nero dirus
Tantumdem; summæ Consul sed defuit vnus.

Denique incensam à Nerone Vrbem C. Lecanio & M. Licinio Consulibus, hoc est anno Ep. Christi 64. habemus ex Tacito l. 16. Annalium, vnde de SS. Apostolorum Petri, & Pauli carcere, & postea Martyrio, eiusq; tempore argumentum suo loco ducemus. Interim corrigendus Tirinus cap. 44. Chronici sacri, vbi deceptus à Iosepho, ponit Neronis mortem die 13. Aprilis.

5 *Sergius Sulpicius Galba* Consularis Legatus in Hispania, mortuo Nerone, & extincta in eo prosapia Cæsarum à militibus acclamatus est Imperator, eiq; adhuc absenti, vt pote ex patricia prosapia Sulpiciorum orto, Senatus titulos principibus dare solitos decreuit: De illo Suetonius c. 4. sic *Sergius Galba Imperator M. Valerio Messala, Cn. Lentulo Coss. natus est ix. Calendas Ianuarij in villa colli supposita prope Terracinam*. Ergo ex Fastis anno 3. ante Epocham Christi die 24. Decembris; & cap. 18. ac 19. satis significat occisum esse non multo post quam *Calendis Ianuarij sacrificanti corona de capite* exciderat, tandem c. 23. concludit. *Perijt tertio, & septuagesimo ætatis anno, imperij mense septimo*. Eutropius quoq; l. 7. ait de Nerone: *Huic Ser. Galba successit, cum LXXIII. annum ageret ætatis*. Tacitus quoq; l. 17. ideſt primo Historiarum cum dixisset: *Initium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Consules erunt*, & post 9. paginas *xviij Kal. Februarij sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruspex Vmbricius, triſtia exta, & instantes insidias, ac domesticum hostem prædicit*; tandem pag. 17. nece ipsius descripta exclamat: *Hunc exitum habuit Ser. Galba tribus, & septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus, & alieno imperio felicior quam suo*, & Plutarchus in Galba affirmat, Senectutem ei exprobratam, quando post obitum Neronis à populo, & Senatu dictus est Imperator, & addit. *Natus is tum erat annos LXXIII.* & infra narrat occisum *xviij. Kal. Februarij*. De septimo mense Imperij Suetonio adstipulatur Eusebius in Chronico; Aurelius Victor cæsum ait mense septimo ac die 7. licet Dio habeat menses 9. & dies 13. sed à die 11. Iunij, quo Neronem mortuum ponit, ad 18. kal. Februarij nempe 15. Ianuarij, quo Galbam occisum dicunt Tacitus, & Plutarchus numerantur menses 7. & dies 5. tantùm. Verum si Nero perijt anno Epochæ Christi 68. die 10. Iunij, Consulib. Silio, & Galerio, vt ostendimus nu. 4. & Galbæ secundus Consulatus cum T. Vinio debetur anno Epoc. Christi 69. vt ex Fastis patet, et ab hoc Consulatu ad 2. Titi Cæsaris Consulatum Fasti omnes numerant annos 3. ideoq; 2. Titi Consulatus cadit in annum 72. Epochæ Christi, quod etiam gemina Eclipsi firmauimus cap. 3. nu. 21. si hæc inquam vera sunt, et ex altera parte natus ponatur Galba die 24. Decembris Lentulo, et Messalino Consulibus, vt supponit Suetonius, nempe anno ante Epocham Christi 3. certum est inde numerando, vsq; ad 15. Ianuarij anni 69. Epochæ Christi non intercessisse nisi annos integros 70. et dies 22. Ergo Galba cœsus est anno ætatis 71. dieq; 22. non autem anno 73. et tamen in annum 73. conspirant Suetonius, Tacitus, Plutarchus, et Eutropius, quibus consentit et Zonaras, et Dio potiùs fauet, cùm ait vixisse annos 72. cito Egnatius dicat *iugulatum ab Othone annos natum LXX*. Quoniam verò certior est annus initi imperij, et necis, et in annum ætatis 73. inchoatum conspirant tot alij scriptores, Scaliger l. 5. Emend. temp. pag. 472. et Petauius l. 11. de doctrina temp. c. 16. concludunt Suetonium hallucinatum esse in anno natiuitatis, et debuisse hunc ponere biennio ante, *Consulibus Octauiano Augusto xij. & L. Cornelio Sulla*, nempe anno 5. ante Epocham Christi, et sanè ania errandi potuit esse nomen *Cornelij*, vt pro *Cornelio* Sulla acceperit *Cornelium Lentulum*; Nili dicamus eum loqui de Lentulo, et Messala, non enim dicit Messalinum, sed suffectus Augusto, et Cornelio Sullæ, de qua tamen subrogatione non constat.

6 *Otho Syluius* natus ex M. Syluio Othone vt videtur Aprilis 28. anno Epochæ Christi 32. quo Consules fuere Domitius Aenobarbus, et Aulus Vitellius cuius loco videtur subrogatus Camillus Aruntius: Ait enim Suetonius in Othone c. 2. *Otho Imperator IV. Calend. Maij natus est, Camillo Aruntio, & Domitio Aenobarbo Coss.* Salutatus verò est Imperator à militibus ante ipsam cædem Galbæ, vt narrat idem c. 6. sed eodem die nempe 15. Ianuarij anni Epochæ Christi 69. vt ostensum est nu. 5. addit Suetonius c. 7. eum vergente die veniſſe in Senatum Imperiumque confirmatum acceptasse, et c. 8. sub idem tempus exercitum iurasse in verba Vitellij, et c. 9. ac 10. Othonem tribus prælijs superatum à Vitellio, nouissimòq; apud Bebriacum, et cap. 11. narrat modum, quo se Otho pugione interemit, concluditque. *Exanimatus est, & celeriter Veliternam (ita præceperat) funeratus trigesimo octauo, ætatis anno nonagesimo, & quinto imperij die*. Numerando autem à die 15. Ianuarij, qua cæso Galbæ successit, dies 95. incidit

Otho-

Othonis nex voluntaria in diem 20. Aprilis, & die 28. expleuisset annos 37. si quidem natus esset 28. Aprilis anni 32. Epochæ Christi, vt igitur verum sit eum mortuum esse anno 38. ætatis emendandus est Suetonius cap. 2. & pro iv. scribendum xiv. kalend. Maij. Sic enim die 18. Aprilis explesset annos 37. & die 20. ingressus esset annum 38, aut sequendus Tacitus, qui lib. 2. Histor. de Othone scribit: *Hunc finem habuit septimo, & trigesimo ætatis anno* et Plutarchus in Othone, qui ait: *Obijt anno ætatis xxxvij. cum imperasset menses tres*, et Egnatius, qui ait: *Vixit annos xxxvij.* Quæ opinio est ferè Dionis dicentis *vixisse annos xxxvij. minus diebus decem* esto Eutropius lib. 7. secutus Suetonius dicat de Othone: *Obijt trigesimo octauo ætatis anno nonagesimo & quinto imperij die.*

7 *Aulus Vitellius* à Senatu, audita morte Othonis, acceptatus est Imperator narrante Suetonio. *Natus est octauo Calend. Octobris, vel vt quidam dicunt, septima idus Septembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco Consulib.* Nempe ex Fastis nostris anno 15. Epochæ Christi, & ex eodem cap. 17. ac 18. *Apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, atq; confectus est, & inde vnco tractus in Tyberim perijt cum fratre, & filio anno vitæ septimo, & quinquagesimo.* Eutropius lib. 7. idem habet de anno ætatis, sed addit: *Imperij mense viii. & die vno.* Ante hunc Tacitus lib. 3. Histor. *Pater illi L. Vitellius, septimum, & quinquagesimum annum explebat.* At Egnatius. *Vita illi annorum LVII. Imperium vix octimestre.* Contra tamen Aurelius Victor non dat illi nisi annos quinquaginta quinque, dum in Cæsaribus dicit: *Confosso corpore in Tyberim deijcitur, tyrannidis octauo mense, annos natus quinquaginta, & quinque amplius.* Dio verò adhuc minus, dum asserit *vixisse annos LIV. imperasse ab eo die, quo in Germania salutatus fuit Imperator à militibus, annum vnũ minus diebus decem; post Othonem verò, menses octo, dies quinque.* Quod si verum est, cum Otho se interfecerit die 20. Aprilis, vt dixi num. 6. si inde numerentur menses 8. & dies 5. cadit eius mors in diem 25. Decembris eiusdem anni 69. Epochæ Christi. Sed si ab anno 15. eiusdem Epochæ, & 8. Cal. Octobris, idest 24. Septembris numeretur tempus vsque ad 25. Decembris anni 69. non sunt nisi anni solidi 54. menses 3. & dies vnus; si verò iuxta aliam opinionem relatam à Suetonio natus sit 7. die Septembris, erunt anni 54. menses 3. & dies 17. Falsum igitur quod de illius ætate dicunt Suetonius, Tacitus, Eutropius, Egnatius, aut si falsus est Dio, & Aurelius, oportet Suetonium perperam Consules, sub quibus natus est, designasse, & natum esse anno 13. Epochæ Christi, sed hæc dissentio non turbat Chronologiam, satis enim nobis est scire Imperij eius initium, ac finem.

8 *Flauius Vespasianus*, vt narrat Suetonius cap. 2. *natus est in Samnijs, vltra Reatem, vico modico, cui nomen est Phalacrine, xv. Calend. Decembris vesperi. Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. quinquennio antequam Augustus excederet.* At nos cap. 3. ex Eclipsi ostendimus Augustum obijsse anno Epochæ Christi 14. ergo Vespasianus natus est anno ab hinc quinto antea, nempe 9. Christi, quo ipso Consules fuere Sulpicius, & Poppæus, cap. 24. Suetonius concludit: *Consulatu suo nono &c. extinctus est vij. Calend. Iulij annum gerens ætatis sexagesimum, ac nonum superque mensem, ac diem septimum.* Sed Eutropius lib. 7. omisit mensem dum dixit: *Extinctus est in villa propria, annum ætatis agens LXIX. imperij nonum, ac diem septimum.* Egnatius: *Perijt anno ætatis vndeseptuagesimo.* Certè à die 17. Nouembris anni 9. Christianæ Epochæ, ad diem 24. Iunij anni Epochæ Christi 79. quo fuit ix. Consul, & obijt, sunt anni integri 69. menses 7. dieque 7. vt notauit Suetonius.

Quoad initium Imperij, si hoc à nece Vitellij, à qua solus absq; æmulo pacificè imperauit, numeretur, cum Vitellius necatus sit die 25. Decembris anni 69. Epochæ Christi, ad 24. Iunij anni 79. sunt anni 9. menses 6. & dies vnus. Sed multo ante necem Vitellij acclamatus, & agnitus est pro Imperatore; scribit enim Suetonius c. 15. in vita Vitellij: *Octauo Imperij mense desciuerunt ab eo exercitus Moesiarum, atq; Pannoniæ, item ex transmarinis Iudaicus, & Syriacus: ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba iurarunt*; verlabatur enim Vespasianus tanquam Legatus consularis in Iudæa, bello Iudaico intentus: sed cap. 6. in Vespasiano inquit: *Tiberius Alexander præfectus Aegypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Calendis Iulij: qui principatus dies imposterum obseruatus est: Iudaicus deinde exercitus v. idus Iulij apud ipsum iurauit.* Nec multum discrepat Tacitus l. 2. Histor. dicens: *Initium ferendi ad Vespasianum Imperij, Alexandriæ, cœptum festinante Tiberio Alexandro, qui Kalendis Iulij Sacramento eius legiones adegit, isque primus principatus dies in posterum celebratus; quamuis Iudaicus exercitus v. nonas Iulij apud ipsum iurasset, eo ardore, vt ne Titus quidem filius expectaretur.* Numerando igitur tempus à Kalendis Iulij anni Ep. Christi 69. vsq; ad diem 24. Iunij anni 79. quo Vespasianus obijt, sunt Imperij anni integri 9. menses 11. & dies 24. seu vt numerat Xiphilinus ex Dione anni 10. minus dies 6. qui tamen excedit in ætate, dum ait vixisse annos 69. & menses 8.

Porrò Suetonius cap. 4. indicat Vespasianum fuisse Consulem suffectum antequam esset Imperator, dum dicit: *accepit præterea Consulatum, quem gessit per duos nouissimos anni menses*, licet autem olim non consueuerint in Fastis notari Consules suffecti, posteà tamen non rarò notati sunt, non ità tamen vt illi annum denominarent, id enim ordinarij tantum præstabant, sed tamen ita, vt quando postea alijs annis ordinarij Consules erant in Consulatuum numero computarentur vices, quibus Consules erant suffecti, ideoq; in Fastis anno 70. Epochæ Christi, quo Vespasianus fuit Consul ordinarius, eum diximus Consulem II. et sequenti anno Consulem III. et anno 72. Consulem IV. cum Tito II. quo scilicet anno fuisse hos Consules ostendimus c. 3. n. 21. ex gemina Eclipsi à Plinio relata, et sic notandos esse numeros horum Consulatuum ostendunt ex inscriptionibus, et nummis *Onuphrius* in Com. Fast. ad Vrbis annũ Capitolinum DCCCXXIII. ac *Petauius* de Doctrina Temporum in Paralipomenis ad caput 16. libri 11. et ita etiam numerantur in Fastis Siculis, et à Cassiodoro, atq; Cuspiniano. Ex quibus respondeas Baronio ad annum suum Christi 74. contendenti cum 2. Titi Consulatum iungendum III. Vespesiani ex Plinio, sed Codices emendati habent IV. et de suffectis iam distinctionem indicauimus.

De Anno Hierosolymæ captæ à Tito.

9 Opportunum censeo hic agere de hoc anno. Scribit enim Iosephus lib. 6. de Bello Iudaico c. 48. captam Hierosolymam à Tito: *Anno Vespasiani secundo, die octaua mensis Gorpiæi*, addit Xiphilinus ex Dione fuisse feriam septimam; ergo, vt bene computat Petauius lib. 11. cap. 17. cum Nouilunium acciderit die 25. Augusti, à qua circiter die inijt Gorpiæus, sequitur vrbem captam fuisse die 31. Augusti, quia Cyclus Solis 23. et litera Dominicalis G. dat eo die feriam 7. Templum tamen succensum fuerat Augusti mensis die 5. nempe, vt ait Iosephus die 10. *Ab*, seu *Loi*, esto Iudæi cum R. Iosue ponant diem 9. *Ab*, quo item dicunt à Chaldæis olim incensum. Quoad annum Eusebius quoq; in Chronico affirmat vrbem hanc captam anno 42. ab anno 15. Tiberij, & lib. 3. Historiæ dicit euersam esse anno 40. à Passione Domini, quàm anno 18. Tiberij adnotat, ideoq; vrbem captam *quadraginta solidis annis expletis post factum in Christum admissum*. At Clemens Alexandrinus, qui cum Origene supponit Christum passum anno 15. Tiberij lib. 1. Strom. non mirum, si à Passione ad Vrbem captam numerat annos 42, et menses 3. Iam igitur cum ex dictis de Vespasiani initio, annus eius secundus inceperit à Kalendis Iulij anni Epochæ Christi 70. et Vrbs capta sit postea die 31. Augusti, imo iam, & prouecto per duos menses anno 2. Imperij Vespasiani, sequitur Vrbem hanc eodem anno 70. captam fuisse, quem Petauius censet fuisse à conditu Templi 1085. à prima conflagratione 659. certè iam inierat Olympiadis CCXII. annus secundus, et Vrbis Varronianus *DCCCXXXII.*

10 *Titus Vespasianus* Flauij Vespasiani filius, asserente Suetonio c. 2. in eius vita, *Natus est iij. Calend. Ianuarias insigni anno Caiana nece.* Ostensum est autem num. 2. Caium Caligulam necatum esse anno Epochæ Christi 41. Ianuarij 24. Ergo Titus natus est eodem anno, sed die 30. Decembris sequentis. Successit autem statim Patri in Imperio: tandem, vt ait Suetonius c. 11. *Excessit in eadem, qua pater, villa, idibus Septembris, post biennium, ac menses duos, dieq; 20.*

quam

quam succeſſerat patri, altero,& quadrageſimo ætatis anno. Numerando enim tempus ab anni Epochæ Chriſti 79. die 24. Iunij, qua num.8. diximus Veſpaſianum obijſſe, vſq; ad idus Septembris, ſeu diem 13. anni 81. incluſiuè, ſunt anni 2. ſolidi, & menſes 2. dieſq; 20. Numerando autem à natiuitatis anno 41. eiuſq; Decembris 30. vſque ad annum 81. diemq; 13. Septembris, ſunt anni ſolidi 39. menſes 8. & dies 14. Corrigendus ergo Eutropius l. 7. dicens de Tito: *Perijt poſt biennium menſes octo, & dies 20. quam Imperator erat factus ætatis anno altero, & XL.* & Aurelius Victor in Cæſaribus, dicens: *Ita biennio poſt, ac menſes ferè nouem amphitheatri perfecto opere interijt anno æui quadrageſimo.* Niſi putarunt incœpiſſe imperare vna cum patre ab initio circiter anni 79. aut annos 2. & menſes octo, vel nouem numerant ab eo tempore, quo cœperit amphitheatrum fabricare.

11 *Flauius Domitianus* Titi frater, vt de illo c.1. teſtatur Suetonius: *Natus eſt IX. Calend. Nouembris, patre Conſule deſignato, inituroq; menſe inſequenti honorem.* Dixerat autem de Veſpaſiano cap. 4. eum Conſulem fuiſſe factum nempe Honorarium, vel ſuffectum per duos vltimos anni menſes, idque ſub Claudio Imperatore. Succeſſit autem Tito ſtatim in Imperio. Titus autem obijt anno 81. Ep. Chriſti die 13. Sept. ergo inde incœpit Imperium Domitiani. Confirmatur porrò initium Imperij Domitiani ex Ptolemæo, qui lib.7. Almageſti c.3. refert Agrippam Mathematicum anno Domitiani 12. obſeruaſſe Lunam coniunctam cum Auſtrali ſuccedente Vergiliarum, ſeu Pleiadum, idque fuiſſe anno Nabonaſſaris 840. die 2. menſis Tybi; videlicet, vt ex dicendis libro 5. patebit anno Epochæ Chriſti 92. die 29. Nouembris, in quo conſentiunt Scaliger lib.5. emend. temp. 475. & Petauius l. 11. de doctr. temp. cart. 19. ergo ſi die 13. Septembris anni 92. compleuerat annos Imperij 11. & die 29. Nouembris erat iam in anno 12. vtiq; primum iniuerat anno 81. Epochæ Chriſti. Scribit autem Suetonius c.17. *Occiſus eſt XIV Calendas Octobris anno ætatis XLV. Imperij XV.* idemq; habet Eutropius l.7. ſed vt habet Aurelius Victor in Cæſaribus: *Quinto, & quadrageſimo anno vitæ, dominationis circiter quintodecimo.* Melius Egnatius dixit: *Poſt vitæ annum quintum, & quadrageſimum, Imperij quintum, ac decimum confoßus occubuit.* Nam Dio, ſeu Xiphilinus ex Dione in vita Domitiani aſſerit occiſum fuiſſe *C. Valente, & Antiſtio Vetere Conſulibus*, & idipſum affirmat Eutropius initio libri 8. vbi agit de Nerua ſucceſſore Domitiani; At hi Conſules fuere anno Epochæ Chriſti 96. quo ipſo anno finem Domitiani, & initium Neruæ ponit Ptolemæus in Catalogo Principum, qui poſt Alexandrum Magnum regnarunt apud Petauium parte 2. Rationarij temporum in fine libri 4. vbi ponitur Nerua incœpiſſe anno 420. ab obitu Alexandri, quem l.3. oſtendimus obijſſe anno 324. ante Epocham Chriſti, his enim ſubtractis anno 420. reſtat Chriſti annus 96. Deniq; vt refert Suetonius c.16. *Domitianus pridie, quam periret affirmauit fore, vt ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret, factumq; aliquod exiſteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem;* iam verò die 14. kal. Octobris, quo vt idem refert occiſus eſt, nempe 18. Septembris Luna fuit in gradu 24. Aquarij circa meridiem.

Numerando igitur tempus ab anni Epochæ Chriſti 81. die Septembris 13. quo incœpit Domitianus imperare, vſq; ad anni 96. diem 18. quo occiſus eſt, ſunt anni integri 15. & dies 5. quos, vt paucos neglexit Suetonius, & Eutropius: at non ſic intelligendi ſunt anni vitæ, compleuiſſet enim 45. ſi peruenifſet ad Octobris 24. quo natus erat, quare expleuit annos 44. menſes 10. & dies 24. Ideoq: natus eſt anno Epochæ Chriſti 51.

Porrò Ioſephus initio libri de vita ſua narrat, natum ſe eſſe anno primo Cai Cæſaris, & in fine libri Antiquitatum dicit abſoluiſſe opus ſuum anno 13. Domitiani, & ætatis ſuæ 56. Caius autem inijt Imperium anno Epochæ Chriſti 37. Martij 16. ex dictis num.2. & Domitiani annus 13. ex nuper dictis incœpit anno Epochæ Chriſti 93. die Septembris 13. Si Ioſephus natus eſſet anno 37 die 13. Septembris, vel ante, iam anno Chriſti 93. die 13. Septembris compleſſet annos 56. quot ſunt ſi 37. ſubtrahas annis 93. Natus igitur eſt anno 37. ſed poſt 13. Septembris, & opus ſuum cõplere potuit, vel anno 93. vel etiam 94. nondum completo ætatis 56. Quare fruſtra Scaliger l. 5. pag.476. contendit Ioſephum vno anno erraſſe, & aut natum eſſe anno ante primum Cai, aut opus abſoluiſſe anno 57. ætatis, ideoque inaniter gloriatur dicens: *Ita quotidie periclitando fidem noſtræ methodi, alienos errores deprehendimus*, & merito perſtringitur à Petauio lib.11. c. 19. qui tamen & ipſe corrigendus, dum dicit Caium cœpiſſe 24. Ianuarij, fuit enim lapſus calami, vel memoriæ, ſed nihil nocens ſupputationi intentæ.

12 Circa Neruæ, Traianiq; initia mirificè ſe torſerunt Chronologi, præſertim Scaliger lib.5. de emend. tempor. pag. 487. Petauius l.11. de doctrina temp. c.21. & 22. & in Rationario temp. parte 2. c.6. Kriſtmannus poſt Alfragani comment. à pag. 389. nec aliter ſe extricare nouerunt, quã dicendo Faſtorum annos peruerſos eſſe, vt Scaliger, aut Ptolemæum vno anno aberraſſe, vt Kriſtmannus, & Petauius; ſed nulla neceſſitate, vt mox oſtendemus: oportebat enim eos aduertiſſe Traianum non incœpiſſe Imperium tantummodo à morte Neruæ, ſed antea ab ipſo adoptatum ſic eſſe, vt iam tum Imperium adminiſtraret. Certè Aurelius Victor de Cæſaribus ait: *Quid enim Nerua Cretenſi prudentius, mægiſq; moderatum? qui cum extrema ætate apud Sequanos, quò Tyranni defecit metus, Imperium arbitrio legionis cœpiſſet; vbi proſpexit, niſi à Superioribus, robuſtioribuſq; corpore, animoq; geri non poße, menſe ſexto, ac decimo ſemet eo abdicauit &c. Namq; Vlpium Traianum Italica Vrbe Hiſpaniæ ortum, ampliſſimi ordinis tamen, atq; Conſulari loco adrogatum accepit, & dedit:* Eutropius autem lib.8. *Domitiano exitiali tyranno Nerua ſucceſſit, vir in priuata vita moderatus, & ſtrenuus; nobilitatis mediæ; qui ſenex admodum, operam dante Petronio ſecundo præfecto Prætorij, item Parthenio interfectore Domitiani, Imperator factus æquiſſimum ſe, & ciuiliſſimum præbuit. Reipublicæ diuina prouiſione conſuluit, Traianum adoptando. Mortuus eſt Romæ poſt annum, & quatuor menſes Imperij ſui, ac dies octo, ætatis LXX. & altero anno.* Xiphilinus autem ex Dione in Nerua, ait Neruam aſcendiſſe in Capitolium, & alta voce pronunciaſſe, *M. Vlpium Traianum deinceps Imperatorem*, & concludit: *His confectis exceſſit è vita: imperauit annum vnum, menſes quatuor, & dies nouem. Vixit autem annos quinque, & ſexaginta, menſes 10. & totidem dies.* Notanda quoq; ſunt verba illa Plinij in Panegirico ad Traianum de Nerua. *Ruenſq; Imperium ſuper Imperatore Imperatoris tibi voce delatum eſt:* & paulo poſt: *Aſſumptus es in laborum, curarumq; conſortium, ſuſcepiſti Imperium, poſtquã alium ſuſcepti pœnitebat:* & infra: *Inde quaſi depoſito Imperio, qua ſecuritate? qua gloria lætus? (nam quantulum refert, deponas an partiaris Imperium, niſi quod difficilius hoc eſt, non ſecus, ac præſenti tibi innixus, tuis humeris ſe patriamque ſuſtentans, tua iuuenta, tuo robore inualuit:* & iterum: *Simul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator, & conſors Tribuniciæ poteſtatis, & omnia pariter, & ſtatim factus es:* & mox: *Non ſolum ſucceßor Imperij, ſed participes etiam, ſociuſq; placuiſti.* Quia verò aberat Roma Traianus, quando à Nerua eſt declaratus Imperator, ſubdit Plinius: *Eras Imperator, & eſſe te neſciebas.* Egnatius verò de Nerua dicit. *Vt optime verò ſemper de omnibus meritus eße videatur, Traiani præſertim adoptione factum eſt, quem abſentem, dum ſenectam ſuam contemni videt, Cæſarem appellauit, Homerico etiam verſu ad Imperiũ adhortatus &c. Imperauit anno vno, menſibus IV. vixit annos LXVIII.*

Conſtat igitur ex hactenus dictis Neruam non ſolum adoptaſſe in filium, & ſucceſſorem in Imperio futurum poſt ſui mortem Traianum, ſed abdicaſſe ſe Imperio, dum adhuc viueret, vt loquitur Aurelius Victor, vel ita ipſi communicaſſe Imperium, vt tamen ipſi omnem penè curam regendi Imperij, nedum Imperatoris nomen impoſuerit, atque adeo verum initium Imperij Traiani multo ante mortem Neruæ incœpiſſe. Nerua porrò mortuus eſt anno Epochæ Chriſti 98. Ianuarij die 27. Nam cum ſucceſſerit Domitiano occiſo die 18. Septembris anni Chriſti 96. vt oſtenſum eſt numero 11. & imperarit menſes 16. ac dies 8. vel 9. vt nos docent Eutropius, & Dio; ſi ab anni 96. die 18. Septembris, vſque ad anni 97. diem 18. Septembris vnum annum numeremus, inde verò quatuor alios menſes, & dies octo excluſiuè, ſed dies 9. incluſiuè abſoluentur menſes 4. die 18. Ianuarij anni 98. & reliqui dies 9. die 27. Ianuarij. Sed quia Aurelius Victor affirmat Neruam ſe abdicaſſe *Menſe ſexto, ac decimo,*

cimo, sine appendice vlla dierum, atq; adeo nondum absoluto mense 16. sequitur eum se abdicasse ante diem 18. Ianuarij. Siue id fecerit ipsis calendis Ianuarij, quibus Consulatum iniuit cum Traiano, siue etiam antea. Nam consideranti mihi attentè Plinij dicta in Panegyrico, videtur procul dubio Traianum Romam accitum. & per aliquod tempus Neruæ in Imperio regendo satisfeciisse: loquens enim de subsecuta morte Neruæ, inquit: *Cùm abundè expertus esset, quàm bene humeris tuis sederet Imperium, tibi terras, te terris reliquit*. Sed vt quæ ad Neruam spectant expediamus, si ex probatis supra, mortuus est anno 98. Epochæ Christi die 27. Ianuarij, aut vixit annos 71. vt ait Eutropius, & sic natus est anno 27. Epochæ Christi; aut vixit annos 68. vt ait Egnatius, & sic natus est anno 30. Ep. Christi, aut denique; vixit annos 65. menses 10. & dies 10. vt habet ex Dione Xiphilinus, & sic natus est anno Epochæ Christi 32. die 17. Martij. Senectus Neruæ magna, fauet Eutropio, minuta computatio fauet Dioni: eligat Lector quam malit: id enim Chronologiam nostram non turbat, cui de initio, & fine Imperij cura est.

13 *Traianum* inijsse Imperium, non à morte Neruæ, sed multo ante probatum arbitror numero præcedenti: corrigendus ergo Onuphrius lib. 2. Comm. in Fastos, qui ad annum Vrbis Capitolinum DCCCL. de Traiano ait: *Qui solus iv. kal. Februarij Imperij iura suscepit: à quo die anni eius principatus numerantur, quum Tribunicæ potestatis tempus à xiv. Kal. Octobris superioris anni digeratur*: primum membrum de solo Traiano verùm est, secundum de initio numerandi eius principatum falsum est. Sed Onuphrio debeo quod mihi confirmarit, id quod antea in mentem venerat, videlicet Neruam eo ipso die, quo Domitiano occiso successerat, nempe 14. Kal. Octobr. idest 18. Septemb. sed anno vno euoluto, atq; adeo anno Epochæ Christi 97. adoptasse Traianum, quia erat dies natalis Imperij Neruæ: verba Onuphrij ad annum DCCCL. sunt hæc: *Hoc autem anno Traianum adoptatum, & Cæsarem appellatum fuisse, ex sequentis anni Consulatu liquet, Tribuniciam verò potestatem tunc, cum Cæsar appellatus est eum suscepisse, ex his quas afferam inscriptionibus, intelligi poterit. Dies autem adoptionis, nominis Cæsaris adepti, & Tribuniciæ potestatis susceptæ procul dubio fuit xiv. Kal. Octobris, qui erat dies Natalis Imperij Neruæ, vt semper obseruatum est, atque ex Plinij Epistolis ad Traianum intelligitur*. Accipio conditionem mi Onuphri, sed meminisse debebas eundem Plinium in Panegyrico dixisse. *Simul Filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribuniciæ potestatis, & omnia pariter, & statim factus es*. Ergo & eodem die 18. Septembris non solum Cæsar, & Tribunus, sed etiam Imperator creatus est. Esto Nerua non se abdicarit Imperio, nisi mense 16. nondum absoluto, vt ex Aurelio Victore didicimus. Tandem itaque nacti sumus verum Initium Imperij Traiani, videlicet Annum Epochæ Christi 97. diemque 18. Septembris, eo enim die Nerua in Capitolio, & deinde in Senatu Traianum declarauit Principem Cæsarem, & Tribunum, & Imperatorem; esto non incœperit solus administrare Imperium, nisi ab abdicatione Neruæ, sub finem huius anni, vel ineunte anno 98. à kal. Ianuarij, nec solus absolutè, nisi mortuo Nerua die 27. Ianuarij anno 98.

Mortem Traiani tradit Xiphilinus ex Dione sic. *Mox intercute aqua repletus, apud Selinuntem Ciliciæ Vrbem, quæ deinde Traianopolis cognominata est defectus, ibiq; statim extinctus est, cum imperasset annos vndeuiginti menses sex, & dies quindecim, vixisset sexaginta quatuor*. Idem in Adriano narrat mortem Traiani occultatam per aliquot dies, vt adoptio procederet, & Adrianum Antiochiæ Syriæ declaratum esse Imperatorem vi Epistolarum, quibus non Traianus, sed Plotina vxor Traiani subscripserat: Ælius autem Spartianus in vita Adriani narrat, hunc in Syria accepisse literas adoptionis *V. Iduum Augusti, at* III. *Iduum earumdem iussisse, vt natalis adoptionis celebraretur, quando exitus ei Traiani nunciatus est*, igitur ante V. Augusti iam Traianus obierat. Eutropius lib. 8. de Traiano ait: *Apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris extinctus est: obijt autem ætatis anno* LXIII. *mense nono, & die quarto; Imperij autem* XIX. *mense* VI. *& die* XV. Crassiore modo Egnatius scribit: *Vixit annis* LXIIII. *Imperauit* XX. Iam si annos 19. menses 6. & dies 15. Imperij numeremus ab Anni Epochæ Christi 97. die 18. Septembris, incidet mors eius in annum 117. diemque 3. Aprilis; contra si numeres à morte Neruæ, idest 27. Ianuarij anni 98. incidet mors Traiani in anni 117. diem 11. Augusti, idest in III. Idus Augusti, vnde Adrianus voluit celebrari initium suæ adoptionis, & natalis Imperij: Sed tamen aliquot diebus antea mortuus erat Traianus; si verò à Kalendis Ianuarij circa quas Nerua abdicauit, cadit mors in diem 16. Iulij, & inde retronumerando annos 64. seu potius, cum Eutropio 63. menses 9. & dies 4. oportet natum esse Traianum anno Epochæ Christi 53. circa diem 12. Octobris. Quare cum Augustus obierit anno Christi 14. die 19. Augusti; interceserunt ab Augusti Imperatoris obitu ad Traiani Imp. obitum anni solidi CXI. menses 10. dieisq; non plures quàm 24. vt diximus in Conclusione, quia Traianus non vixit vltra diem 16. Iulij, sed potius paucis ante diebus obijt.

14 Quando igitur Ptolemæus lib. 7. Almagesti cap. 3. Refert Menelaum Astronomum Romæ obseruasse Spicam Virginis penitus à Luna tectam Anno primo Traiani, & Nabonassari 845. die Mechir 15. sequente 16. exacta iam hora 10. licet dies illa Mechir cadat in diem 9. Ianuarij anni 98. Epochæ Christi, & Nerua obierit die 27. Ianuarij eiusdem anni, non propterea Ptolemæus errauit vno anno, nec in hoc secutus est falsum Canonem, vt malè suppositunt Kriftmannus, & Petauius, locis initio numeri 12. adductis, nec ob id turbandi sunt Fasti, vt contendit Scaliger: Quia annus primus Imperij Traiani non incœpit tantum à die 27. Ianuarij, sed multo ante diem 9. quod vtiq; notum erat, & Menelao, & Ptolemæo tunc viuentibus. Postremò ex dictis corrigendi sunt Scaliger, qui Traianum mortuum posuit anno periodi Iulianæ 4829. idest Christi 116. & Petauius, qui lib. 11. c. 21. mortuum ait die 10. Augusti.

CA

CAPVT IX.

De Annis Imperatorum ab obitu Traiani ad necem Macrini.

CONCLVSIO IX.

Ab obitu Traiani, seu potius ab initio Hadriani ad necem Opilij Macrini sunt anni vnus, & centum deficientibus diebus 63. aut 65. & huius interualli Anni, Menses, ac dies Imperatorum, ordinandi sunt, vt in infrascripta Synopsi.

Nomina Imperatorum.	Natus est Epochæ Christi. Anno.	Mens.	Dies	Iniuit Imperium Ep. Christi An.	M.	D.	Obijt Ep. Chr. An.	M.	D.	Imperauit An.	M.	D.	Vixit An.	M.	D.
Ælius Hadrianus.	76	Ianuar.	24	117	Aug.	11	138	Iulij	10	20	10	29	62	5	19
M. Antoninus Pius	86	Sept.	19	138	Iulij	10	161	Mart.	7	22	7	26	74	5	18
M. Aurelius cum	121	April.	26	161	Mart.	7	180	Mart.	17	19	0	11	58	10	22
L. Aelio Vero fratre	.	.	.	161	Mart.	7	169	med.hieme		9	ferè	. . .	.	.	.
L. Ael. Commodus.	161	Auguſt.	31	180	Mart.	17	193	Ianuar.	1	12	9	14	31	4	1
Aelius Pertinax.	126	April.	1	193	Ianuar.	1	193	Mart.	28	0	2	28	66	11	27
Didius Iulianus.	133	Ianuar.	2	193	Mart.	28	193	Maij	2	0	2	5	60	4	0
Septimius Seuerus.	146	April.	11	193	Maij	11	211	Febr.	4	17	8	20	64	9	25
Peſsennius Niger.	.	.	.	193	Maij	2	194	.	.	.	.	.	.	.	.
Clodius Albinus.	.	.	.	193	Maij	2	197	Febr.	19	.	.	.	3	9	17
Antoninus Baſſianus	178	April.	6	211	Febr.	4	217	April.	6	6	2	2	43	0	1
Caracalla. vel	192	April.	6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	29	0	1
Macrinus cum	164	.	.	217	April.	6	218	Iun.	7	1	2	0	54	.	.
Diadumeno.	202	.	.	217	April.	6	218	Iun.	9	1	2	3	16	.	.

1 IAm capite præcedenti num. 13. oſtendimus Hadrianum non iniuiſſe Imperium à die mortis Traiani, ſed à die XI. Auguſti menſis, quo accepit nuncium de illius morte, hunc enim iuſſit celebrari tanquam natalem Imperij ſui, & ſimul oſtendimus, annum hunc fuiſſe 117. Epochæ Chriſti quidquid ſit de morte Traiani, quam certum eſt præceſſiſſe per aliquot dies ante 11. Auguſti. Confirmari poſſet hic annus ex Ptolemæo lib. 4. Almageſti cap. 9. vbi refert Eclipſim Lunæ obſeruatam à ſe *anno octauo Hadriani*, Græcè enim habetur τῷ ἢ ἔτει Ἀδριανοῦ eſto Latini aliqui codices habeant *anno nono*, adiitque fuiſſe Nabonaſſari annum DCCCLXXII. & eius diem 17. Pachon, ſequente 18. At ex canone annorum Nabonaſſari, de quo lib. 5. certum eſt fuiſſe diem 5. Aprilis anni Epochæ Chriſti 125. ergo ſi huius anni die 5. Aprilis currebat annus octauus Hadriani, vtiq; anno 118. currebat eodem die primus Hadriani ſed initus anno 117. Verùm huic loco aduerſantur Anni Hadriani alibi aſſignati à Ptolemæo. Nam lib. 3. cap. 8. refert Æquinoctium à ſe obſeruatum anno Nabonaſſari 880. Athyr 7. aitq; hunc eſſe annum 17. Hadriani, & ex Canone Nabonaſſareo fuit dies illa 25. Septembris anni 132. Epochæ Chriſti. Ergo primus Hadriani incœpiſſet anno 116. Epochæ Chriſti. Rurſus lib. 4. c. 6. notat Eclipſim Lunæ anno Nabonaſſari 882. Choiac 2. ſequente 3. videlicet anno Epochæ Chriſti 134. Octob. 20. & tunc ait fuiſſe Hadriani annum 19. & ibidem refert aliam Eclipſim Lunæ obſeruatam à ſe anno Nabonaſsari 883. Pharmuthi 19. ideſt anno Epochæ Chriſti 136. Martij 16. & hunc ait eſse annum 20. Hadriani, quæ duo nequeunt ſubſiſtere niſi annus primus Hadriani incœperit anno 116. Ep. Chriſti. Vt concilientur hæc tria loca cum primo ex Ptolemæo adducto, & cum hiſtorico Chronologiſmo; dicendum videtur, aut aliquos numeros in Ptolemæi textu corruptos eſse, aut cum Petauio l. 11. c. 22. & in 2. parte Rationarij c. 6. Ptolemæum ſequutum eſse Canonem quendam Regum ac Principum, qui eſt Theonis in Commentarijs in Canones Manuales, & habetur in Manuſcriptis, & Græco codice Bibliothecæ Regiæ poniturq; in fine Rationarij ab eodem Petauio, in eo enim Canone à Caligulæ initio deinceps anni principum vno anno abundant, eo quod annorum tantum, non autem menſium quibus imperarunt ratio habita ſit vel potius dicendum eſt Ptolemæum aut à Thoth præcedente annos Imperatorum numerare, aut cum audiuiſset annos Traiani computari à morte Neruæ quæ fuit 27. Ianuarij, & tamen Menelaus obſeruationem ſuam factam eodem anno die 9. Ianuarij dixiſset factam anno 1. Traiani exiſtimaſse annos imperatorios anno 1. amplius, quam alij faciebant, denominandos, ita vt qui primus eſset exteris; Romanis ſecundus appellaretur. Quidquid eſto, Aſtronomicarum obſeruationum à Ptolemæo adductarum tempora non nituntur annis Imperatorum, ſed Nabonaſsari, qui Ptolemæo compertiſſimi fuerunt.

De anno mortis Hadriani, & vitæ ſpatio diſcrepant Auctores. Dio in eius vita teſtatur inſtructum ſe à patre ſuo Aproniano qui præerat Ciliciæ quando Hadrianus inchoauit Imperium, concludit ſic. *Vixit autem annos ſexaginta duos, menſes quinque, & dies vndeuiginti; imperauit annos viginti, & menſes vndecim* vt habet codex Græcus. Aurelius Victor nil aliud quàm: *Vixit annos ſexaginta duos.* At Eutropius lib. 8. *Obijt in Campania ſexagenario maior, Imperij anno xxj. menſe x. die xxix.* Aelius Spartianus, in ſuo Aelio Hadriano ait. *Natus eſt Romæ ix. Calend. Febr. Veſpaſiano vij. & Tito V. Conſulib.* nempe ex noſtris Faſtis anno Epochæ Chriſti 76. Ianuarij 24. ſed in fine inquit: *Vixit annis LXX. menſibus V. diebus XVII. imperauit annis XXI. menſibus IX.* Sed ex Dione, & Eutropio ſcribendum annum XX menſ. XI. Cum ergo iuiuerit imperium anno Epochæ Chriſti 117. die 11. Auguſti; ſi inde numerentur anni 20. & menſes 11. cadet Hadriani mors in anni 138. diem 10. vel 11. Iulij, vnde retrocedendo per annos 62. menſes V. & die 19. quos vixit iuxta Dionem, incidit natiuitas eius in diem 24. Ianuarij anni 76. quod conſonum eſt anno Conſulari & diei à Spartiano adſcripto; & hinc patet emendandum numerum illum vitæ LXX. legendumque LXII. Huic verò ſtatim ſucceſſit M. Antonius Pius.

2 *M. Antoninus Pius*, narrante Iulio Capitolino in eius vita: *natus eſt tertiodecimo Calendas Octobris, ſub Domitiano duodecimum, & Cornelio Dolabella Conſulibus.* Ergo ex Faſtis anno 86. Epochæ Chriſti, 19. Septembris, iniuit autem imperium anno 138. die 11. Iulij, vt docuimus nu. præcedenti, & confirmatur quia anno ſequenti 139. fuit Conſul cum Brutio præſente, à quò anno incluſiuè ad Conſulatum Vlpij, & Pontiani, Iulianumq; 283. ideſt Epochæ Chriſti 238. incluſiuè annos centum computat Cenſorinus c. 8. vnde patet corrigendos Euſebium, & Scaligerum qui Hadriani mortem, & Antonini initium retrahunt ad annum Epochæ Chriſti 137. Neque obſtat quod Ptolemæus in ſuis obſeruationibus huic opinioni faueat; iam enim dixi-

mus eum aliquos annos Imperatorios vno anno retrahere ob cauſas num. præcedenti indicatas, de quo & contra Euſebium atq; Scaligerum plura Petauius l.11. de doctr. tempor. c.23. de Morte Capitolinus nil aliud dicit, quàm *Perijt anno LXX.* at Xiphilinus ex Dione: *Imperauit annos* 24. Eutropius verò lib. 8. *Obijt vitæ anno 73. imperij* 23. Egnatius Capitolino inhærens ſcribit obijſse *Septuagenarium*. Sed Onuphrius lib. 2. Com. in Faſtos ad annum Vrbis Capitolinum 914. colligit eum mortuum eſse anno Epochæ Chriſti 161. quod ex numis probat, & Martij 7. Quia ex Spartiano ponit Hadrianum obijſse die 10. Iulij, vt & nos, Marcum autem Aurelium, qui Pio ſucceſſit, imperaſse annos 19. & dies 11. idque conſtare apud omnes, mortuumq; eſse 17. Martij teſtibus Dione, & Tertulliano; quare regrediendo diebus vndecim à die 17. Martij, deuenitur in diem 7. Martij, quo abſoluit imperij annos 19. Cæterùm ſi ab anno 138. Chriſti, dieq; Iulij 10. numerentur imperij Antonini Pij anni 23. ſolidi, eorum finis cadet in annum 161. diemque 10. Iulij, à quibus regrediendo ad diem 7. Martij, deſunt anno 23. menſes 4. & dies 4. Imperaſset ergo annos 22. menſes 7. & dies 26. aut 27. & ſic verè dixiſset Eutropius eum mortuum eſse imperij anno 23. labente. Ab anno autem 86. Chriſti, & die 19. Septembris, quà natus eſt, vſque ad annum 161. & diem 7. Martij, qua mortuus, ſunt anni Solidi 74. menſes 5. & dies 18. Ergo non tantummodo 70. annos vixit.

3 Defuncto Antonino Pio ſucceſſere *M. Aurelius Antoninus Philoſophus*, & *L. Aelius Verus* eius Frater anno Epochæ Chriſti 161. Martij 7. Natus eſt autem M. Aurelius teſte Iulio Capitolino in eius vita, *Romæ VI. Calendas Maias, auo ſuo iterum & Augure Conſulibus*, dixeratque paulo ante auum ipſius fuiſſe M. Annium Verum, qui Conſules fuere anno 121. Epochæ Chriſti: narrata deinde morte L. Aelij, poſteà de M. Aurelio ſcribit: *Octauo decimo anno imperij ſui ſexageſimo, & primo vitæ diem vltimum clauſit.* At Eutropius lib. 8. ait, L. Ælium mortuum xj. *imperij anno* de M. Aurelio inquit: *Obijt xviij. imperij anno, & anno vitæ LXI.* Sed longè aliter apud Onuphrium lib. 2. Com. Faſtor. ad Vrbis annum 933. Dio & Tertullianus, dicentes M. Aurelium apud Syrmium in Pannonia obijſse 16. kal. Aprilis, ideſt 17. Martij Imperij anno xix. & die xi. vitæ verò anno Lviij. menſe xi. & die xx. vt idem Dio refert. At in meo Græco codice Xiphilini lego *Annos vitæ quinquaginta octo, menſes decem, & dies vitæ vigintiduos; Imperij autem Annos vndeuiginti, dieſq; vndecim.* Huic autem ſtandum eſt, quia Dio diligentior in computando, & vicinior illi tempori: numerando autem à die 26. Aprilis, qua natus eſt, ad ſequentis anni diem 17. Martij, quo mortuus eſt, incluſiuè, ſunt menſes decem, & dies 22. ſed à die 7. Martij, quo imperare cœpit cum fratre, ad diem 17. Martij, quo obijt, eſt vnus annus, & dies vndecim incluſiuè, ergo mortuus eſt anno 180. Epochæ Chriſti, ab anno enim 161. Martij 7. quo ſucceſſit Antonino Pio, ad annum 180. diemq; 17. Martij ſunt anni imperij 19. & dies 11. Rurſus, ab anno 121. & April. 26. die Natiuitatis, ad annũ 180. dieq; 17. Martij ſunt anni vitæ 58. menſes 10. dieſq; 22.

4 Sed de *Lucij Aelij Veri* morte quoad annum emendandus eſt Codex Eutropij, vbi dicitur obijſse anno Imperij XI. & ſcribendum IX. nam mortuus eſt anno Epochæ Chriſti 169. quo ſcilicet profectus eſt cum M. Aurelio ad bellum Marcomannicum, ſed apoplexia correptus inter Concordiam, & Altinum obijt, vt narrat ipſemet Eutropius, & Spartianus. Galenus autem de præcog. ad Poſthumum c. 9. refert Lucium media hieme obijſſe. Annum autem nonum imperij eius, colligit Baronius ex Tribuniciæ poteſtatis anno IX. qui habetur in ſepulcrali ipſius inſcriptione, & ex regula generali, quam Dio lib. 53. tradit, videlicet tot annos imperij eſse, quot Tribuniciæ poteſtatis, ſi tamen ante imperij initium eam non geſserint, ſicut non geſserat Lucius Aelius Verus. Vide *Baronium* ad annum ipſi 171. qui nobis eſt 169. Chriſti.

6 Mortuo M. Aurelio anno Epochæ Chriſti 180. Martij 17. ſucceſſit filius eius *l. Aurelius Aelius Commodus*, qui teſte Lampridio *natus eſt Lanuuij pridie Calendas Septembres, patre patruoq; Conſulibus*: nempe ex Faſtis anno Epochæ Chriſti 140. aut 145. aut 161. his enim annis M. Antonius Pius, cum M. Aurelio Conſules fuere, ſed ex annis vitæ, & imperij conſtabit, natum anno 161. ſcribit enim Aurelius Victor in Cæſaribus *ſtrangulatum eſse à validiſſimo palæſtrita, anno vitæ triceſimo ſecundo*; Eutropius autem lib. 8. ſtrangulatum: cùm annis xij. poſt patrem, & viij. menſibus imperaſset; at Dio, qui ſub eo vixit accuratiùs notat tempus dicens ſtrangulatum eſse à Narciſſo athleta, cùm vixiſset ἔτη δώδεκα, καὶ μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας τεσσαρὰς, καὶ δύο: *ideſt annos duodecim menſes nouem, & dies quatuordecim*: additq; ἐβιώσε δὲ ἔτη τριάκοντα ἕν, καὶ μῆνας τέσσαρας videlicet: *Vixit autem annos triginta unum, & menſes quatuor*. Igitur ab anno Epochæ Chriſti 161. dieq; 31. Auguſti, quo natus eſt numerando annos 31. & menſes quatuor, cadit eius mors in finem anni 192. & initium 193. ſed numerando Imperij annos 12. menſes 9. & dies 14. ab anni 180. die 17. Martij, quo imperare cœpit, incidit mors in ipſas Calendas Ianuarias anni 193.

6 Calendis Ianuarij anni Epochæ Chriſti 193. ſed nocte antecedente, vt narrat Capitolinus factus eſt Imperator à Senatu *Aelius Pertinax*, cùm eſſet ſexagenario maior, enitente Læto præfecto Prætorij; occiſus eſt autem à militibus; concluditq; Capitolinus: *Natus autem Calend. April. Falcone, & Claro Conſulibus vixit annis LX. menſ. vij. dies xxvj. imperauit menſibus* 11. *diebus* 25. Nam hi Conſules fuerunt anno 193. Aurelius Victor ait: *Heluius Pertinax imperauit octoginta quinque*. Eutropius lib. 8. *Pertinax grandæuus iam vt qui ſeptuagenariam attigiſſet ætatem ex S. C. imperare iuſſus eſt, octogeſimo imperij die occiſus eſt*. Xiphilinus, ex Dione: *Vixit annos ſexaginta ſeptem deficientibus ad menſem quartum diebus tribus. Imperauit autem dies octoginta ſeptem*: cui ſi ſtemus potiuſquàm reliquis, cadit eius nex in diem 28. Martij, & natiuitas eius in annum 126. diemq; 1. Aprilis, ad quem menſem, qui eſt quartus in anno, incundum deerant dies tres, vt indicat Dio.

7 Occiſo Pertinace ſucceſſit pactione pecuniæ, *Didius Iulianus*, ſed & ipſe occiſus eſt, & narrante Spartiano, vixit annis 56. menſibus 4. imperauit menſibus 2. diebus 5. At Xiphilinus ex Dione affirmat: *vixiſſe annos 60. menſeſq; ac dies 4. & imperaſſe dies 66.* Ergo à die 28. Martij anni 193. quo Pertinax occiſus eſt numerando incluſiuè dies 66. cadit eius mors in diem 2. Maij, vnde retro numerando annos 60. & menſes 4. incidit eius natiuitas in anni 133. diem 2. Ianuarij.

8 Interfecto Didio *L. Septimius Seuerus*, qui erat Legatus in Pannonia, audita nece Didij, à Legionibus, quamuis repugnans, appellatus eſt Imperator idibus non Auguſti repugnans, appellatus eſt Imperator idibus non Auguſti, vt habet Dio, qui per eaſti, vt habet Spartianus, ſed Maij, vt habet Dio, qui per ea tempora vixit. Interim tamen *Peſcennius Niger* in Syria, & *Claudius Albinus* in Britannia Imperium vſurparunt, ſed Albinum Seuerus conciliauit ſibi, oblata Cæſaris dignitate, & rerum potitus contra Nigrum profectus eſt, quem anno ſequenti vicit, ita vt Niger obtruncatus ſit, vel Antiochiæ, vt habet Dio, Eutropius, & Herodianus lib. 3. vel apud Cyzicum, vt Spartianus, qui ait Seuerum natum *eſſe Erucio Claro II. & Seuero Conſulibus ſexto Idus Aprilis*, ideſt anno Epochæ Chriſti 146. Aprilis 8. & addit: *Perijt Eboraci in Britannia &c. anno Imperij xviij iam ſenex*: Aurelius Victor ſcribit Albinum, qui ſe Cæſarem fecerat, apud Lugdunum occiſum; Septimium verò Seuerum imperaſſe annos 18. Eutropius quoq; lib. 8. ait Albinum, qui ſe fecerat Cæſarem victum, & occiſum apud Lugdunum; Seuerum autem *Eboraci valde ſenem obijſſe Imperij anno xviij. & menſe vj.* Sed accuratior Dio affirmat: *natum eſſe die 11. Aprilis, vixiſſe annos 65. menſes 11. & dies 25. imperaſſe annos 17. menſes 8. & dies 3.* Igitur numerando ab anni 146. die 11. Aprilis annos 65. menſ. 9. dies 25. cadit eius mors in anni 212. diem 4. Februarij. Sed ſi ab anni 193. idibus Maij, ſeu die 15. numerentur Imperij anni 17. menſ. 8. & dies 3. caderet mors in anni 211. diem 18. Ianuarij. Petauius tamen cum Onuphrio, & plurimis ponunt Seuerum mortuum 4. Februarij anno Epochæ Chriſti 211. quod ſi verum eſſet, aut falſus eſſet Dio de tempore vitæ Seueri, aut Spartianus de Conſulibus, ſub quibus natum ponit, aut Faſtos hic peruerſos eſſe dicendum eſſet. Retinendo autem eos Conſules ad annum Epochæ Chriſti 146. cum Onuphrio, & Petauio, & inde à die 11. Aprilis numerando, vſq; ad anni 211. diem 4. Februarij, ſunt anni vitæ 64. menſes 9. dies 25. Quoniam verò anni ſequentium Imperatorum, vſq; ad Æram Diocletiani cogunt nos finem Seueri ſtatuere anno 211. adeoq; die 4. Februarij, nec Faſtos ſemel

bene

bene ordinatos mutare possumus; Statuemus quoq; Seuerum vixisse annos 64. menses 9. diesq; 25. sed imperasse ab Idibus Maij anni 193. annos 17. menses 8. & dies 20. Albinus autem, vt ex Herodiano, & Dione colligitur, sumptis armis contra Seuerum, victus tandem, & occisus est apud Lugdunum 19. Februarij, Laterano, & Rufino Consulibus, ideſt anno Epochæ Christi 197. quare ab vsurpato imperio dominatus est annos 3. menses 9. dies 17.

9 Ex duobus filijs Seueri Bassiano, & Antonino Geta; ipse Geta hostis Reipublicæ iudicatus est, & à maxima parte receptus pro Imperatore M. Aurelius Antonius Bassianus Caracalla pro successore deputatus à patre, tot enim notis nominatus est, sed proprium ei nomen *Bassianus*, & cognomen distinctiuum *Caracalla*, qui anno sequenti ideſt Epochæ Christianæ 212. 26. Februarij occidit in gremio matris Getam fratrem agentem annum 22. & menses 9. vt scribit partim Herodianus, partim Spartianus, & circiter viginti millia eorum, qui Getæ fauerunt, iussit interfici. Addit Spartianus natum esse Caracallam *VIII. Idus Aprilis, & eodem die occisum fuisse à Macrino præfecto Prætorij per Martialem Centurionem, cùm vixisset annos XLIV. imperasset annos VI.* at Eutropius lib. 8. ait: *Defunctus in Oriente apud Edessam anno imperij VI. mense II. vix egressus ætatis XLIII.* Longè aliter habet ex Dione Xiphilinus, qui ait vixisse ἔτη ἐννέα καὶ εἴκοσι, ideſt annos 29. & imperasse annos sex, menses duos, & dies aliquot; cui adstipulatur Aurelius Victor, quatenus dicit: *Vixit annos ferè triginta*. In hac diuersitate assumemus eum imperasse annos 6. & menses 2. ac dies totidem, videlicet à die 4. Februarij anni 211. Christi, quo successit Seuero Patri, vsq; ad annum 217. diemque Aprilis 6. qui fuit dies eius Natalis ac lethalis, ex quo ingressus est annum 30. iuxta Dionem, & Aurelium, aut 44. iuxta Spartianum, & Eutropium.

10 Caracalla occiso exercitus creauit Imperatorem Opilium Macrinum cum Diadumeno eius filio, sed eosdem milites interfecerunt anno sequenti cum imperassent menses quatuordecim 7. die Iunij anni 218. Epochæ Christi, vt ex Eutropio habemus & Aurelio Victore: Xiphilinus tamen dat eorum imperio annum vnum & menses duos, & dies tres, quo posito interfecti fuissent die 9. Iunij. De illorum ortu, & ætate mirum silentium; nisi quod ex Herodiano & alijs Onuphrius colligit vitæ annos 54. Macrini, & 56. Diadumeni.

Cùm ergo Traianus obierit anno Epochæ Christi 117. die circiter 16. Iulij, sed Hadrianus non iniuerit imperium, nisi die xj. Augusti vt, dictum est sub finem capitis vij. & Macrinus occisus sit anno 218. Iunij 7. aut 9. patet ab initio Hadriani ad finē Macrini intercessisse annos CI. deficientibus diebus LXIII. aut LXV. vt in Conclusione diximus.

CAPVT X.

De Annis Imperatorum à nece Macrini, vsq; ad finem Diocletiani, & de duplici Epocha Diocletiani.

CONCLVSIO X.

A nece Macrini ad finem Imperij Diocletiani sunt anni octoginta sex, intra quos Anni Imperatorum distribuendi sunt, vt in infrascripta Synopsi. Diocletiani autem Epocha, & Imperium absolutè incipit à die 17. Septembris Anni CCLXXXIV. Epochæ Christi vnde, sed à die 29. Augusti Epocham SS. Martyrum computant Alexandrini, potiùs quàm ab Anno CCCIII. quo Persecutio Diocletiani incœpit.

Nomina Imperatorum.	Natus est An.	M.	D.	Imperium init An.	M.	D.	Obijt An.	M.	D.	Imperauit An.	M.	D.	Vixit An.	M.	D.
Antoninus Alagabalus.	204			218 Iun.		7	222 Mart.		10	3	9	4	18		
Alexander Seuerus.	205 Dec.		15	202 Mart.		10	235 Mart.		18	13	0	8	29	3	7
Iul. Maximinus cum filio.	174			235 Mart.		18	238 Mart. ex.			3	.	.	65		
Maximinus eius filius.	218			235 Mart.		18	238 Mart. ex.			3	.	.	21		
Gordianus Senior cum	158			236			237			1	6	0	80		
Gordiano filio suo qui	192			236			237			1	6	0	46		
Pupienus & Clod. Balbinus.				237 Maij		26	238 April.			0	11	&c.			
Anton. Gordianus puer.	222			238 Mart.			244 April.			6			22		
Philippus Senior cum filio				244 April.			249 April.			5					
Philippus Iunior.	237			244 April.			249 April.			5			12		
Decius cum filio	202			249 Maio			251 Decemb.			2	6	0	50		
Decius filius.				249 Maio			251 Decemb.			2	6	0			
C. Vibius Gallus cum Hostiliano, & mox cum filio.	209			251 Decemb.			254 Mart. ex.			2	4	6	46		
C. Vib. Volusianus cum patre.				251 Decemb.			254 Mart. ex.			2	4	6			
Aemilianus.	215			253 Decemb.			254 April.			0	4	ferè	40		
Licinius Valerianus.				253 Decemb.			260 exeunte			6		&c.			
Licinius Gallienus.	219			253 Decemb.			268 Mart.			14	4	0	50		
Flauius Claudius.				268 Mart.		24	270 post Mart.			2		&c.			
M. Aurelius Quinctilius.				270 Febr.		3	270 Febr.		20	0	0	17			
L. Domitius Valer. Aurelianus				270 Mart.		&c.	275 Ianuar.			4	10	ferè			
M. Claudius Tacitus.	201 Septembr.			275 Sept.		25	276 Apr.		12	0	6	20	75	5	0
M. Annius Florianus.				276 April.		12	276 Iul.		1	0	2	20			
M. Aurelius Probus.				276 Iul.		1	282 Aug.		12	6	4	0			
M. Aurelius Carus.				282 Aug.		12	283 Aug. ex.			2		&c.			
Numerianus cum Caro.				282 Aug.		12	284 Septemb. in.			2		&c.			
Carinus cum Caro.				282 Aug.		12	285 Maio			2	8				
C. Valer Diocletianus.	248			284 Sept.		17	304 abdicauit			20			68		
							316 ob. 3 Dec.								
Maximianus Herculeus.	251			284 Sept.		17	304 abdicauit			20			60		
							310 obijt								

Varius

1 VArius Heliogabalus, quia putabatur filius Antonini Bassiani, accepit Imperium, voluitq; se dici Antoninum Heliogabalum, vt scribit Lampridius, occisusq; est à militibus. Sed verè varij sunt Historici de illius tempore, nam Aurelius Victor dicit vixisse annos 16. Eutropius autem lib. 8. inquit: *Biennio post & viij. Mensibus, tumultu interfectus est militari*. Xiphilinus ex Dione ait vixisse annos octodecim, & imperasse *annos tres, menses nouem, & dies quatuor*: Solet autem numerare includendo terminos; quare à nece Macrini anniq; 218. Iunij 7. computando annos 3. menses 9. & dies 4. cadit mors Heliogabali in annum Epochæ Christi 222. diemq; 10. Martij. In inscriptionibus tamen vetustis scribitur Alagabalus.

2 Alagabalo occiso successit eius Consobrinus *Alexander Seuerus* Mammeæ filius, qui antea Cæsar à Senatu fuerat appellatus, vt narrat Lampridius, qui addit, eum cum matre occisum fuisse, & concludit, *Imperauit annis xiij. dies ix. vixit annis xxix. mens. iij, diebus vij*. Aurelius Victor inquit: *Imperauit annos tredecim*; & Eutropius lib. 8. *Perijt in Gallia militari tumultu xiij. imperij anno, & die viij*. Consentit his Herodianus. Ergo ab anno 222. dieq; 10. Martij, qua occisus est Alagabalus numerando annos 13. & dies 8. incidit Seueri nex in anni 235. diem 18. Martij, & hinc retronumerando vitæ annos 29. menses 3. diesq; 7. cadit eius natiuitas in diem 15. Decembris anni 205. Confirmatur autem initium Seueri ex Canone Hippolyti Epiſcopi Portuensis, excerpto ex statua quadam Romæ adhuc conseruata, quem adducunt Scaliger lib. 5. de emend. tempor. pag. 491. & Petauius lib. 7. de doct. tempor. c. 60. & lib. 11. cap. 24. in eo enim dicitur: *Anno primo Imperij Alexandri facta est decimaquarta Paschalis, idibus Aprilis Sabbatho, cum mensis esset Embolimæus*. Hic verò Character nulli ex proximis annis conuenit, nisi Epochæ Christi 222. quo die 13. Aprilis fuit decimaquarta terminus Paschalis, inciditq; in Sabbathum Cyclo Solis 7. & Litera Dominicali F. id indicantibus, ideoq; Pascha celebratum fuit die 14. Aprilis, ex quo Scaliger, & Petauius corrigunt Agathiam vno alteroue anno hic excedentem.

3 Mortuo Seuero *Maximinus Thrax* ex patre Micca Gouleo, & matre Ababa Alana obscurissimis parentibus natus, primus è militari corpore factus est ab exercitu Imperator, absq; authoritate Senatus, vt tradit Capitolinus in Maximinis patre, ac filio, qui simul imperare cœperunt anno Epochæ Christi 235. Martij 18. vt dictum est de morte Seueri; Anno autem sequenti, seu 236. Milites exercitus Romani ob crudelitatem Maximini, *Gordianum* virum grauissimum, ac Proconsulem in Africa, licet Senem, ac recusantem coegerunt acceptare Imperium, eumq; vna cum filio Augustum appellarunt omnes, qui erant in Africa, qua de re scripsit Carthagine Gordianus ad Senatum, recitatæq; sunt hæ literæ 6. Calendas Iunias, & Senatus omnia hæc confirmauit, iudicauitq; hostem Maximinum: Sed cùm imperassent anno vno, & mensibus sex Gordianus iunior in prælio contra Capelianum Maximini partes sustinentem occisus est, annum agens 46. quo audito Gordianus Senior annum agens octogesimum laqueo vitam cum Imperio finiuit. Horum autem mortem audit Senatus 7. Calendas Iunias contra Maximinum creauit Imperatores Maximum Pupienum, & Claudium Balbinum, quos etiam Populus Augustos appellauit, Gordianum autem nepotem Gordiani Senioris, & filium Iunioris Cæsarem crearunt, & simul Imperatorem; Cùm autem Pupienus, & Balbinus viderent se fauore superari à Gordiano licet agente tunc annos 16. conati sunt eum extrudere ab Imperio, & ideo anno sequenti trucidati sunt à militibus, nempe anno Epochæ Christi 238. quo ipse Maximinus annorum 65. vnà cum puero annorum 21. iussu Pupieni discerptus fuerat, cum imperasset triennio, & paucis diebus. Ipse demum Gordianus adolescens, cum vixisset 22. imperasset annos 6. occisus est seditione militum concitata à Philippo Arabe, qui sibi Imperium vsurpauit. Hæc nos ex Capitolino præcipuè in Maximinis Maximo Balbino, & Gordianis, Aurelio Victore, Eutropio lib. 9. Herodiano lib. 3. & Zosimo lib. 1. compilauimus, licet ipse Capitolinus citet Herodianum. Maximinum verò Eutropius ait imperasse triennio, & paucis diebus.

Ex dictis tempora horum ita destribuenda sunt, vt *Iulius Maximinus* cum filio *Maximino* imperare cœperit anno Epochæ Christi 235. Martij 18. quando Seuerus occisus est, & cum imperarint triennio, & paucis diebus, extincti sint anno 238. sub finem Martij; Gordianus vero Senior vnà cum filio in Africa creati sint Imperatores anno 236. & anno 237. interierint, eodemq; incœperint, Pupienus, Balbinus, & Gordianus adolescens, sed anno 238. interfectis post Maximinum Pupieno, & Balbino, Gordianus adolescens solus imperare cœperit, isque demum interfectus fuerit anno sexto Imperij sui, videlicet anno 244. mense circiter Aprili, quia Maximinus occisus fuerat exeunte Martio, & Pupienus, & Balbinus paulo post occisi sunt, & inde solus Gordianus imperare cœpit. Sed quia Capitolinus dicit duos priores Gordianos imperasse annum, & menses sex, & eorum morte audita Senatum congregatum esse 7. Kal. Iunias, & tres Imperatores creasse, necesse est Gordianos ab exercitu in Africa factos Imperatores initio circiter anni 236. esto tardius multo literæ Gordiani recitatæ sint in Senatu, aut in Capitolino priore loco legendum 6. Kal. Ianuarias.

4 Sed nunc de Eclipsi Solis agendum, de qua Iulius Capitolinus in Gordiani Iunioris vita sic. *Posteaquam constitit apud veteranos quoque solum Gordianum imperare inter populum, & milites, ac veteranos pax roborata est, & hic finis belli intestini fuit, cum esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod Eclipsis Solis facta est, vt nox crederetur, neque sine luminibus accensis quidquam agi posset*. Ex tenore huius narrationis apparet hanc Eclipsim euenisse illo anno, quo Gordianus solus imperare cœpit, vt exprimit Capitolinus, atq; adeò anno Ep. Christi 238. & confirmatur, quia hoc anno designatus est Consul Gordianus, & consulatum iniuit anno sequenti, cum Auiola, vt est in Fastis ad annum 239. Denique si Capitolinus loqueretur de Eclipsi Solis facta anno 237. quo anno creati sunt tres Imperatores Pupienus, Balbinus, & Gordianus, cum Pupienus, & Balbinus anno sequenti occisi sint, debebat potius horum exitio applicari omen illius Eclipsis; Idcircò Buntingus in sua Chronologia dicit Eclipsim, de qua Capitolinus, esse illam, quæ accidit anno 238. Consulibus Vlpio, & Pontiano die 2. Aprilis hora Romæ post mediam noctem 7. 25. vt supputauit Petauius l. 8. esto hæc non fuerit, nisi digitorum 8 ¼. At Scaliger lib. 5. tit. *de Gordiani initio*, & Petauius lib. 11. de Doct. tempor. c. 24. elegerunt Eclipsim factam anno 237. die 12. Aprilis hora Romæ 4. minut. 51. post meridiem, quia fuit digitorum 10 ½. ex Parisinis Tabulis, vel 11. & 27. ex Prutenicis, quare ob viciniam horizontis visa est totalis, qualem requirit Capitolini narratio; Keplerus quoque ob hanc causam in Astronomia Optica pag. 293. ait fuisse anno 237. Sed fieri potest, vt Eclipsis quoq; anni 238. iuxta veriores Tabulas Astronomicas fuerit digitorum 11. in aliquo Italiæ tractu, & ob viciniam horizontis visa sit totalis, aut Capitolinus Eclipsim eam, quæ præcessit mortem duorum Gordianorum, confuderit cum illa, quæ facta est anno eo, quo solus imperare cœpit Gordianus puer. Quidquid sit de his; duos errores in Chronologia corrigere oportet, vnum Lansbergij, alterum Petauij, & Onuphrij.

5 Lansbergius enim in Thesauro obseruationum pag. 124. Censorinum audet accusare erroris in anno illo ipso, in quo scribebat aureum suum libellum de die Natali, & quem optimi quique Chronologi recipiunt pro fundamento insigniorum Epocharum; ait enim. *Est autem manifestus error Censorini conferentis Consulatum Vlpij Criniti, & Proculi Pontiani in annum Iulianum 283. qui fuit annus Christi 238. Index enim anni Consulatus Vlpij Criniti, & Proculi Pontiani, est Eclipsis illa Solis, quæ nocturnas quasi tenebras effecit Romæ, facta verò est ea, non anno Iuliano 283. vt Censorinus vult, sed Iuliano 282. hoc est Christi 237.* Hæc Lansbergius, sed gratis assumit Eclipsim anni 237. fuisse indicium Consulatus Vlpij, & Pontiani, id enim nemo antiquorum scriptorum dixit, nedum Consorinus, quinimmo eorum Consulatum eligit pro Indice, & titulo anniquo scribebat, & quem sex alijs celeberrimis Epochis illustrauit, inter quas est Iuliana. Quare Eclipsis anni 237. fuit Corneliano, & Perpetuo Consulibus.

6 Onuphrius autem Panuuinus l. 2. Comm. in Fastos, ad annum Vrbis Capitolinum 990. agens de Gordianis, ait hoc anno Consules fuisse Perpetuum, & Cornelianum, sed

in co-

in eorum locum ſuffectos fuiſſe Iulium Silanum, & Meſſium Gallicanum, ſub quibus creatos, ſeu confirmatos ait Senatus Conſulto Gordianos duos Imperatores *VI. Kal. Iunias*, & ſtatim addit poſt eorum creationem *vix menſe exacto* Gordianos extinctos eſſe, & tamen paulo poſt, ait, *Duo verò Gordiani relati ſunt inter Diuos, cum menſem & dies ſex imperaſſent ita Herodianus, & Capitolinus*. Sed Capitolinus Florentiæ impreſſus Anno 1519. in Gordianis dicit: *Imperauerunt anno vno, & menſibus ſex*, idque non per notas numerales exprimit, ſed ita vt modò retuli, perperam igitur Onuphrius pro anno menſem, & pro menſibus dies ſubſtituit. Præterea, cum Capitolinus idem dicat in Maximinis VI. kal. Iunias confirmatos fuiſſe Gordianos Imperatores à Senatu, & in vita Maximi, & Balbini dicat Senatum audita morte Gordianorum, & Maximini feſtinatione ad Vrbem *ſeptimo Calendas Iunias in ædem Concordiæ concurriſſe*, & creaſſe tres Imperatores Pupienum, Balbinum, & Gordianum adoleſcentem, quomodo fieri poteſt, vt eodem anno prius audita ſit mors Gordianorum VII. Kal. Iunij, quàm ipſi confirmati ſint Imperatores VI. kal. Iunij? Deinde Onuphrius anno eodem ponit interfectum circa Kal. Octobris Maximinum cum filio, ſed Eutropius repugnat, qui ait Maximinum imperaſſe triennio, & paucis diebus; ergo cum mortuo Seuero anno 235. Martij 18. ſucceſſerit, neceſſe eſt occiſum eſſe anno 238. paucis diebus poſt 18. Martij.

7 Denique Petauius lib. 11. c. 24. ſupponit *Gordianos* anno Chriſti 236. Imperium ſuſcepiſſe circa Maium, eoq; interfectos anno ſequenti Iunio exeunte ijſq; ſuffectos in Imperio Pupienum, Balbinum, & Gordianum puerum, ſed Pupienum, & Balbinum anno 237. interfectos eſſe eodem ferè quo inierant menſe, ſed diuerſo anno, nempe 238. vbi Gordianis dat imperium vnius, & amplius anni, ſicut & Pupieno, ac Balbino; ſed quatenus ſupponit Maximinum occiſum anno 237. contradicit Eutropio aſſerenti Maximinum imperaſſe annos 3. & aliquot paucos dies, & Aurelio Victori dicenti de Maximino: *Imperauit annos tres*. Quod autem ait Capitolinus in Gordiano Iuniore Balbinum, & Maximinum imperaſſe biennio intelligendum eſt de duorum annorum parte, quia ſcilicet imperarunt à VII. kal. Iunij anni 237. vſq; ad Aprilem circiter ann. 238.

8 *Philippus Arabus* factus à Gordiano præfectus Prætorij, Gordianum iuſſit occidi, ſibiq; imperium vſurpauit cum imperaſset annos ſex, vt tradunt Capitolinus, & Aurelius Victor, ideoq; circa Aprilem anni 244. vt ſupra diximus; confirmatur autem hic annus ex dictis cap. 2. num. 9. vbi oſtendimus Philippos patrem ac filium ludos ſeculares celebraſſe à die 21. Aprilis anni Epochæ Chriſti 247. quo incœpit Vrbis annus Milleſimus Varronianè, anno Imperij ſui 3. iam completo, vſque ad 21. Aprilis anni 248. quo fuerunt Conſules Philippus pater III. & filius II. Vtinam reliqua horum tempora tam certa eſsent. Nam Aurelius Victor in Cæſaribus inquit: *M. Iulius Philippus imperauit annos quinque. Filius autem eius C. Iulius Saturninus, quem potentiæ ſociauerat Romæ occiditur, agens vitæ annum duodecimum*. Eutropius quoq; lib. 9. ait: *Senior Philippus Veronæ; Romæ Iunior interfecti ſunt annis V. imperauerunt*. Caſſiodorus autem in Chronico ſcribit Philippum regnaſse annos VI. ſed completos, numerat enim pariter Conſulum 7. ſub eo, & ait occiſum eſse Conſulibus Decio II. & Etruſco; Euſebius quoque, Oroſius, & Baronius dant Philippis annos 6. plenos, & 7. iam initos. Egnatius ait occiſum poſt quintum imperij annum, Onuphrius imperaſse annos plus minus quinque: Petauius l. 11. c. 26. imperaſse annos quinque Solidos, & aliquot menſes, quia in numis antiquis notatur annus VI. Tribuniciæ ipſius poteſtatis: videntur ergo perijſse anno 249. Conſulibus Æmiliano, & Aquilino, ſub quibus Decius in Pannonia ſumpſit imperium. Cum ergo plures dent Philippis annos quinque aut paulo plus; ex dictis de fine Gordiani circa Aprilem anni 244. ſequitur Philippos extinctos eſse Aprili, aut Maio anni 249. Conſulibus Æmiliano, & Aquilino iuxta Faſtos à nobis ſtabilitos, nec ſtandum inſcriptioni illi, quam affert Baronius anno 253. ſed vt retentiorem contemſit Onuphrius, & Petauius, vt infra dicam in fine num. 9.

9 De *Decijs* Eutropius lib. 9. *Cum biennio ipſe & pater imperaſset, vterq; interfecti ſunt*. Zonaras quoq; p. 2. Annalium. *Decius nondum completo biennio imperij turpiter perijt*, & Egnatius: *Imperauit vterque biennium*, & Onuphrius l. 2. in Faſtos: *Imperarunt vnà annos duos, & menſes, dieſq; aliquot*. Quod verius eſt, tum quia Aurelius Victor de Decio patre, ait expreſsè: *Imperauit menſes triginta vixit annos quinquaginta*. Tum quia Trebellius Pollio in Valerianis recitat decretum Senatus factum iuſsu Decij, & ab eo approbatum poſtea; quod ſcribit factum, *VI. Kal. Nouembris duobus Decijs Conſulibus*, ergo ex veriorib. Faſtis c. 3. ſtabilitis, factum eſt anno 251. die 27. Octobris, quare cum imperare cœperint. Aprili mortuis Philippis anno 249. Epochæ Chriſti, vt dictum eſt ſupra, ſi inde numerentur menſes 30. cadit interitus Deciorum in finem Octobris, aut in Nouembrem, vel ſi non ſtatim iniuerunt à morte Philipporum, ſed à menſe Maio, cadit in Decembrem, & ita ſentit Petauius lib. 11. c. 26. Errarunt ergo qui Deciorum imperio tribuerunt minus biennio; & multo magis Euſebius, & Caſſiodorus in Chronicis dicentes Decium regnaſse annum 1. & menſes 3. quos ſecutus eſt Baronius ad annum Chriſti ipſi 253. & 254. vbi aſcrit necatis Philippis Decios regnare cœpiſse anno 253. Ianuario, & hos perijſse menſe Aprili anni 254. ob vetus monumentum Veronæ repertum, in quo ſcriptum eſt. *Anno Chriſti CCLIII. Im. Diuus Philippus Senior Veronæ, & Romæ iunior à ſatellitibus interficiuntur*. Sed vt aduertit Petauius lib. 11. cap. 26. ſuppoſititia, & nouitia eſt illa inſcriptio, cum longè poſt Philippos cœpti ſint numerari anni à Chriſti ortu, & eius auctor falſam de annis Chriſti Chronologiam ſecutus eſt, ideoq; illa merito neglecta fuit ab Onuphrio, quamuis Veronenſi.

10 Extinctis ergo Decijs exeunte anno Chriſti 251. *C. Vibius Trebonianus Gallus*, vnà cum filio *C. Vibio Voluſiano* Imperium vſurparunt. De his ſatis diſtinctè Aurelius Victor in Cæſaribus, poſt Deciorum mortem relatam. *Hæc vbi Patres comperere Gallo, Hoſtilianoq; Auguſta imperia; Voluſianum Gallo editum Cæſarem decernunt. Deinpeſtilentia oritur, qua atrocius ſæuiente Hoſtilianus interijt, Gallo Voluſianoq; fauor quæſitus*. Et in Epitome. *Vibius Gallus, cum Voluſiano filio ſuo imperarunt annos duos: horum temporibus Hoſtilianus Perpenna à Senatu Imperator creatus, non multo poſt peſtilentia conſumptus eſt. Sub his etiam Æmilianus in Moeſio Imperator effectus eſt, contra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu ſuo cæduntur, anno ætatis pater ſeptimo circiter, & quadrageſimo. Æmilianus verò menſes quatuor dominatus, apud Spoletium cæſus eſt: Vixit annis quatuor minus quinquaginta*. Eutropius lib. 9. *Mox Imperatores creati ſunt, Gallus, Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus ſub his Æmilianus in Moeſia res nouas molitus eſt, ad quem opprimendum cum ambo profecti eſſent Interamnæ interfecti ſunt, non completo biennio: Æmilianus imperauit, ac tertio menſe extinctus eſt*. At Euſebius, & Caſſiodorus in Chronico aiunt Gallum, & Voluſianum regnaſse annos 2. & menſes 4. nihil de Æmiliano memorantes. Zonaras par. 2. Annalium dat imperio Galli, & Voluſiani annos 2. & menſes 8. & Æmiliano menſes 4. non integros, & vitæ 40. Egnatius quoq; illis dat annos 2. menſes 8. & Æmilianum appellat *Imperatorem trimeſtrem*, Onuphrius l. 2. in Faſtos ait Gallum, & Voluſianum obtinuiſse Imperium per menſes ſex, Æmilianum 4. menſe necatum. Baronius cenſet iniuiſse Imperium anno 254. & deſijſse 257. ita vt duos annos integros regnarint, & partem anni 254. exeuntis parte anni 257. ineuntis, quia in nummis antiquis Occonis reperitur hæc perigraphe *Imp. Cæſ. C. Vib. Voluſiano Aug. P. M. Tr. P. IIII. Coſ. II.* Qua ratione permotus Petauius lib. 11. c. 26. concludit, eos attigiſse de annis quatuor, quia Voluſianus quater Tribuniciam poteſtatem habuit, ideoq; putat eos anno 251. iniuiſse, & anno 254. Quo tamen anno non fuit Conſul Voluſianus, ſed tamen Imperator adhuc, & Tribunus Plebis. Sed de Æmiliano nihil Euſebius, et Caſſiodorus, nihil Baronius, & Petauius, quaſi verò totus ferè ipſius dominatus ab eo die, quo cœpit res nouas moliri, includatur in Imperio Galli, & Voluſiani. His omnibus perpenſis exiſtimo Gallum, & Hoſtilianum iniuiſſe Imperium anno Chriſti 251. exeunte, & non multo poſt Voluſianum ante anni 252. initium, & anno 253. item exeunte, ſed nondum completo biennio Imperij eorum, Æmilianum ſalutatum eſse Imperatorem à militibus, & inde ex Scythia deuicta veniſse in Italiam,

anno

anno 254. & Martio circiter exeunte, Gallo, et Volusiano interfectis, paulo post, & ipsum occisum fuisse, nondum completo quarto mense Imperij, ex quo primum salutatus fuerat Imperator. Hinc factum puto, vt qui Gallo, & Volusiano dederunt biennium tantum, nec illud integrum, locuti sint de tempore quo soli absq; æmulo, & ante Æmilianum, ac Valerianum Imperarunt; illi verò qui dant ipsis annos 2. & menses 4. locuti sint de spatio, quo vixere Imperatores partim soli, partim cum æmulis; qui denique annos 2. & menses 8. decepti sint in distinguendo menses 4. Aemiliani ab vltimis 4. mensibus Galli, & Volusiani; Onuphrius verò videtur inter opiniones de mensibus 4. & 8. mediam elegisse de mensibus 6, sed via media non est semper verior.

11 *C. Licinius Valerianus* in Rhætia eodem tempore, vt indicat Aurelius Victor in Cæsaribus, immò aliquanto ante quàm Aemilianus in Mœsia, vt expresè docet Zonaras p. 2. Annalium, creatus est ab exercitu Imperator, atq; adeo viuentibus adhuc Gallo, & Volusiano, ex dictis nuper de ipsis, & quidem eodem mense, quo Aemilianus, videlicet exeunte Nouembri, vel ineunte Decembri anni Christi 253. & deinde anno sequenti Consul fuit, extinctisq; Gallo, Volusiano, & Aemiliano Senatus Gallienum Valeriani filium Cæsarem creauit, quem ipse postea Augustum fecit, vt narrant Aurelius Victor in Epitome, & Eutropius lib. 9. Porrò Victor in Cæsaribus ait Valerianum victum fuisse à Sapore Persarum Rege *Imperij anno sexto*, & in Epitome inquit; *Licinius Valerianus cognomento Colobius imperauit annos quindecim*, intellige partim per se, partim per filium; nam paulo post de Gallieno subiungit: *Regnauit annos quindecim, cum patre septem, & solus octo: vixit annos quinquaginta.* De annis 15. consentiunt Eusebius, Cassiodorus, Zonaras, Zosimus; sed horum anni ita distribuendi sunt, vt Valerianus, & Gallienus Nouẽb. circiter Anni Christi 253. imperare cœperint, sed cum æmulis; soli autem anno 254. mense Aprili, anno verò 260. Valerianus captus sit à Sapore anno sexto Imperij absoluti, sed septimo iam inito à primo exordio, & paulo post excoriatus sit, ac salitus à Sapore, vt narrant Eusebius l. 4. de vita Constantini; & Zosimus lib. 1. & tum demum Gallienus solus imperare cœperit anno eodem 260. propemodum exeunte, & ipse demum anno 268. occisus sit mense Martio, quo Claudium successorem habuit, vt mox videbimus, completurus Imperij annos 15. si peruenisset ad Decembrem.

12 *Flauius Claudius* antea designatus ad Imperium à Gallieno, huic extincto, post aliquem tumultum militum subrogatus est, cui electioni magnis acclamationibus consensit Senatus, statim ac ex literis ipsius Claudij nunciata est electio ipsius *nono Calendas Aprilis*, vt expresè narrat Trebellius Pollio in Claudio: errat enim Onuphrius, qui habet xij. Kal. April. Flauius Vopiscus in Aureliano ait Claudium obijsse pridie nonas Februarij; Aurelius Victor in Epitome inquit: *Claudius imperauit annis duobus.* Eutropius lib. 9. de eo. *Intra biennium Imperij morbo interijt*: Eusebius, & Cassiodorus in suis Chronicis aiunt imperasse *annum* 1. *& menses* 9. Sed cõputando à die 24. Martij, quo die, vel paucis ante iniuit Imperium anno Christi 268. vsq; ad 270. diemq; Februarij 4. quo perijsse colligitur ex Vopisco, sunt annus vnus, & menses 10. ac dies 11. aut 15. Sed compleuisse annos 2. & aliquantulum excessisse docet Baronius ex oraculo de vita Claudij, quod recitat Trebellius;

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

quod tamen intelligi posset figuratè, sufficeretq; attigisse de annis 268. 269. 270. solidior est itaq; altera probatio, quam adducit ex Porphyrio, qui tunc viuebat, dicente de Plotino: *Agebat Plotinus annos sex, & sexaginta secundo Claudij Imperatoris anno peracto.* Obierit ergo Claudius anno 270. sed post 24. Martij; cui defuncto Senatus substituit Quintilium eius fratrem, sed hic audita electione Aureliani facta à toto exercitu, incisis sibi venis vigesimo Imperij die perijt, vt narrat Vopiscus in Aureliano.

13 *Aurelianus* extincto Claudio anno Christi 270. post diem 24. Martij subelectus ab exercitu, & confirmatus à Senatu imperauit annos quinque, & menses sex, vt miro consensu affirmant Orosius, Eusebius in Chronico, Cassiodorus in Chronico, Aurelius Victor in Epitome, Eutropius l. 9. sed Idatius in Chronico ait occisum fuisse ipsomet *Aureliano III. & Marcellino Consulibus*, Ergo ex nostris Fastis, anno Christi 275. Vopiscus autem in eius vita narrat occisum fuisse inter Heracleam & Byzantium & hoc nuncio Romam perlato *Senatum die tertio nonas Februarias in curiam Pompilianam conueniisse*, dumq; vltro citroq; mitterentur litteræ Roma in Thraciam, & hinc Romam, deferente Senatu electionem Imperatoris militibus, & exercitu Senatui; tandem post interregnum sex mensium à Senatu electum fuisse Tacitum VII. kal. Octobris, vt idem Vopiscus habet in Tacito, vbi addit eodem mense Septembri natum eum & factum Imperatorem. Iam si numeremus à fine Martij anni 270. quo electus est Aurelianus, vsque ad Ianuarium anni 275. quo videtur occisus Aurelianus, si quidem Byzantio Romam, literæ de hac nece non sunt perlatæ nisi die 3. Februarij non sunt nisi anni solidi 4. & menses 10. non integri, à fine autem Ianuarij, vel initio Februarij, vsq; ad 25. Septembris, quo electus est Tacitus, sunt menses 7. & dies 25. si non menses 8. Itaque, qui interregnum includerunt in Aureliani Imperio, illud extendentes vsque ad electionem Taciti, numerarunt annos 5. & menses 6. cum tamen deberent numerare menses ferè 8. Propius ad veritatem accessit Onuphrius in Fastis, vbi ait Aurelianum occisum die 29. Ianuarij, imperasse annos IV. menses XI. dies VII. & Interregnum magnum fuisse mensium VIII. & Eutropius, ac Egnatius, quatenus dicunt interregnum fuisse mensium 7.

14 M. Claudius Tacitus die 25. Septembris anni Christi 275. electus est, vt modò docui; & quidem annorum 75. vt tradit Zonaras p. 2. Annalium, occisus; est *sexto mense Imperij*, vt narrat Vopiscus, seu *ducentesimo Imperij die*, vt exprimit Aurelius Victor in Epitome, licet Eutropius l. 9. dicat *intra VI. mensem*. Eusebius, & Cassiodorus in Chronico dicunt regnasse menses 6. Aurelio subscribit Onuphrius in Fastis dans Tacito menses 6. et dies 20. quos numerando à die 25. Septembris, cadit eius mors in anni 276. bissextilis diem 12. Aprilis quo 76. annum agebat completurus eum Septembri: nam hoc mense natum esse scribit Vopiscus; qui in Floriani vita ait Florianum Taciti fratrem vsurpasse sibi Imperium, sed vix duobus mensibus illud tenuisse, quia occisus fuit Tarsi à militibus, qui audiuerant Probum ab omni exercitu electum imperare, Aurelius Victor in Epitome ait ipsum *dies sexaginta Imperio vsum*; Eutropius lib. 9. *Florianus duobus mensibus, & diebus xx. in Imperio fuit*. Zonaras par. 2. Annalium: *minus tribus mensibus imperasse*: Eusebius in Chronico dat ei dies 80. at Cassiodorus 84. Numerando itaque à die 12. Aprilis dies 80. cadit eius mors in kalendas Iulij, non in V. Nonas, vt habet Onuphrius.

15 Defuncto Tacito anno 276. die 17. Aprilis Exercitus elegit *M. Aurelium*, seu *Valerium Probum*, quem Vopiscus scribit interfectum à militibus Syrmij *anno Imperij quinto.* Aurelius Victor imperasse ait *annos sex*: Eutropius lib. 9. *imperauit annos sex, menses IV.* idemq; habet Eusebius in Chronico, at Cassiodorus *annos VI. menses III.* Iulianus in Cæsaribus scribit annum septimum inchoasse, idest de annis 7. Iulianis participasse; Itaque si ab anno 276. dieq; 12. Aprilis, numeremus annos 6. & menses 4. cadit mors Probi in Augusti diem circiter 12. anni Epochæ Christi 282. quo ipse erat V. Consul, cum Victorino; at si detrahantur 80. dies quibus Florianus imperauit, tempus, quo solus sine æmulo imperauit Probus, erit annorum 6. & dierum circiter 40. Falsò igitur Onuphrius l. 2. in Comm. Fastorum dixit de Probo: *Cæso Floriano V. Nonas Iulij pacificè imperauit, vt omnes tradunt annos quinque, & menses quatuor*, & in Fastis malè inquit *IV. Nonas Nouembris Probus Augustus occisus est*. Baronius autem Vopisco inhærens de anno quinto Imperij, contendit eum desijsse imperare anno Christi 283. qui est Epochæ Christianæ 282. vt anno 284. Diocletiani initiũ possit ponere, et sic possit conuenire annus Christi cum anno Epochæ Christi vlitatæ, antea enim Baronius duobus annis, et postea anno vno ab hoc discrepabat, vt docui c. 3. ad finem in Corollario 2. & propterea indiguit breuiore Imperio Probi. Vetus autem illa inscriptio, quam affert tribuentem Caro annos 2. Tribuniciæ potestatis, & Consulatus, nil aliud probat, quam de duobus annis eum attigisse partem aliquam, & fuisse Consulem Probo suffectum anno 282. Epochæ Christi iterum autem sed ordinarium anno 283.

16 Oc-

16 Occiſo Probo anno Chriſti 282. circa diem 12. Auguſti, ſubrogatus eſt *M. Aurelius Carus*, qui ſtatim Carinum, & Numerianum ſuos filios Cæſares creauit, & anno 284. ad Tigrim fluuium fulmine ictus interijt, vt tradunt Vopiſcus in Caro, & Aurelius Victor in Epitome dicens: *imperauit annos duos*, nempe cum filijs, vt expreſsè aduertit Eutropius l. 9. dicens de Caro; *Qui confeſtim Carinum, & Numerianum filios Cæſares fecit, cũ quibus regnauit duobus annis.* Nam mox extincto Caro *Numerianus* occiſus eſt, & exercitus, contempto Carino, Imperatorem creauit Diocletianum, vt refert idem Eutropius. Euſebius quoq; & Caſſiodorus in Chronicis dant horum trium imperio annos duos, videlicet vſq; ad Diocletiani electionem, nam Carinus poſt hanc vixit, & occiſus fuit anno Chriſti 285. Numerianum autem mortuo Caro Romam non veniſſe doctè oſtendit Petauius l. 11. c. 28. contra ſuſpicionem Scaligeri. Cum verò Diocletianus Imperator ſit appellatus die 17. Septembris anni Epochæ Chriſti 284. vt num. 17. oſtendemus, ſequitur Numerianum paulo ante obijſſe, at multo ante Carum, itaq; ab anni 282. dieq; 12. Auguſti numerando annos duos ſtatuimus Carum extinctum eſſe anno 284. circa Idus Auguſti, & Numerianum ſub finem Auguſti, vel initio Septembris; Numerianus autem ſaltem poſt mortem Patris fuit Auguſtus, vt ex nummo probat Onuphrius lib. 2. Com. in Faſt. ad annum MXXXVI. eſto antea fuerit tantum Cæſar, vt ex alijs inſcriptionibus contendit Baronius.

17 *Diocletianum* paulo poſt mortem Cari, & Numeriani electum fuiſſe ab exercitu Imperatorem, narrat Eutropius l. 9. his verbis; *De Perſide victa exercitus rediens, cùm Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidijs perdidiſſet, Diocletianum Imperatorem creauit Dalmatia oriundum, virum obſcuriſſimè natum.* Diem electionis nedum annum deſignat Chronicon Alexandrinum: nam anno antecedenti Conſulatum II. Diocletiani, & Ariſtobuli, ideſt ex Faſtis verioribus annum Epochæ Chriſti 285. inquit: *Diocletianus Imperator XV. Calendas Octobris Chalcedone renunciatus; V. Calendas Octobris Nicomediam purpuratus intrauit, & Calendis Ianuarij Conſul proceſſit.* Nempe ordinarius, errarunt ergo Onuphrius, Scaliger, Baronius, Kriſtmannus, & alij nõ pauci, qui putarunt Diocletiani Imperium incœpiſſe à die 21. Aprilis, nempe à Natalitio die Vrbis conditæ, putantes id eſſe inſinuatum à Gallicano oratore Claudio Mamertino in panegyri ad Maximianum, fratrem Diocletiani, qui cum ipſo cœpit gubernare, illis verbis. *Reuera enim Sacratiſſime Imperator, meritò quiuis te, tuumq; fratrem Romani Imperij dixerit conditores: eſtis enim, quod eſt proximum, reſtitutores; & ſit licet hic illi Vrbi Natalis dies, quod pertinet ad originem Populi Romani, veſtri Imperij dies ſunt principes ad ſalutem.* Sed vt notat Petauius lib. 11. c. 30. nulla hic littera eſt, quæ ſignificet Diocletianum, & Maximianum incœpiſſe imperare die natali Vrbis, imò potiùs per antitheſim tanquam diuerſi dies comparantur; Ego potius hinc concludo Panegyrim illam dictam fuiſſe ipſo natali die Vrbis, & inde Oratorem arripuiſſe argumentum comparationis prædictæ. Maneat ergo Diocletianum in Oriente incœpiſſe imperare die 17. Septembris anni Epochæ Chriſti 284. eſto in Occidente, vel ſaltem in Gallia non cœperit imperare ſolus, & ab omnibus receptus, niſi anno 285. poſt victum occiſumq; Carinum, ideoq; idem Chronicon Alexandrinum nominatis Conſulibus *Docletiano II. & Ariſtobulo* ſubiungit: *Ab his Conſulibus Diocletianei anni in Paſchalibus digeruntur*, ideſt in Faſtis, & Calendarijs Eccleſiaſticis: & Idatius in Faſtis rectè dixit: *occiſus eſt Carinus, & Margo, & leuatus eſt Diocletianus Imperator, qui ipſo hoc anno cum Ariſtobulo Conſul proceſſerat.* Leuatus dixit non creatus, ſed exaltatus ſupra æmulos ſuos, & ſolus pacificè Imperator ab omnibus acceptatus, etiam qui Carino adhæſerant: Alioquin enim Idatius notat anno præcedenti Diocletiani Imperium abſolutè incœpiſſe, in iiſdem quippe Faſtis, nominatis Cõſulibus. *C. Iulio Tiberiano, & Caſſio Dione*, ſubdit: *His Conſulibus tenebræ factæ ſunt inter diem, & eo anno leuati ſunt Conſtantius, & Maximianus Cæſares die Kal. Martij.* Petauius autem lib. 8. ſupputauit Eclipſim hanc Solis anno, quo in Faſtis verioribus fuere illi Conſules nempe 291. Epochæ Chriſti, defecit enim Sol ferè totus Carthagine die 15. Maij hora 3 ½. poſt meridiem ad digitos, vſque 11 ½. Cum ergo Idatius dicat id factum *Anno 6. Diocletiani*, vtique annus primus à die 17. Septembris initus fuit anno 284. & anno 291. die 15. Maij currebat adhuc 7. annus, complendus die 17. ſequentis Septembris. Qua occaſione diſcimus kalendis Martij anni 291. creatos eſſe Cæſares Conſtantium, & Maximianum Armentarium. Maximianus autem Herculeus tunc morabatur in Africa. Sed Epocha Diocletiani alijs argumentis ſtabilienda eſt.

Primò igitur ex Chronico Alexandrino, & *Secundò* ex Idatio iam conſtat Diocletianum abſolutè Imperatorem creatum anno 284. Epochæ Chriſti, ſed idem probatur *Tertiò* ex S. Ambroſio Epiſtola ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos dicente: *Nec Paſſionem Domini die Dominica poſſe celebrari, etiam ſi quartadecima Luna in Dominicam inciderit: adiungendam hebdomadem alteram ſicut, & ſeptuageſimo ſexto anno ex die imperij Diocletiani factum eſt: Nam tunc vigeſimo octauo die Pharmuthi menſis, qui eſt uono Calendas Maij Dominicam Paſchæ celebrauimus, ſine vlla dubitatione maiorum.* Hæc ille. At annus hic non alius fuit, quàm Epochæ Chriſtianæ 360. Biſſextilis, quo Cyclus Solis fuit V. Litera Dominicalis poſterior A. Cyclus Lunæ, ſeù Aureus numerus xix. & Luna 14. in Kalendario vetere Eccleſiaſtico incidit in diem Dominicã, diemq; 16. Aprilis, id oq; dilatum Paſcha in ſequentem Dominicam, ſeu die m 23. Aprilis, cui in Kalendario Alexandrino reſpondet dies 28. Pharmuthi. Ergo ſi die 23. Aprilis anni 360. currebat Diocletiani annus 76. vt affirmat Sanctiſſimus, & Doctiſſimus Archiepiſcopus Ambroſius, nec erat complendus niſi 17. Septembris, vtiq; detractis 76. ab anno 360. reſtat annus 284. pro initio Diocletiani.

Quartò Dionyſius exiguus Epiſtola prima ſcribit Cyrillum Alexandrinum exortum eſſe ſuum Cyclum ab anno Diocletiani CLIII. & vltimũ terminaſſe in anno CCXLVII. additq; *Nos à CCXLVIII. anno eiuſdem Tyranni potius, quàm principis inchoantes, noluimus circulis noſtris memoriam impij, & perſecutoris innectere.* At primus annus Cycli S. Cyrilli cœpit à die 29. Auguſti anni Epochæ Chriſti 436. & currebat anno 437. vſq; ad 29. Auguſti, & annus vltimus anno 531. & primus Cycli Dionyſiani eſt Chriſti 532. ergo omnibus his bene computatis, annus primus Diocletiani incœpit anno 284. ſi ſubtrahas annis 437. annos 153. vel annis 531. annos 247. vel annis 532. annos 248.

Quintò Ammianus Marcellinus lib. 23. loquens de Iuliano Imperatore, qui in Collegam Conſulatus aſſumpſerat Salluſtium hominem priuatum ait: *Et videbatur nouum, adiunctum eſſe Auguſto priuatum, quod poſt Diocletianum, & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum.* In omnibus autem Faſtis Conſulatus II. Diocletiani cum Ariſtobulo adnotatur anno Epochæ Chriſti 285. in inſcriptionibus autem, quas Baronius ad annum 284. & Petauius l. 11. c. 30. proferunt, Diocletianus appellatur. *Conſul II. & Trib. P. II.* ergo anno antecedenti nempe 284 fuit Conſul primo & ſubrogatus Caro & habuit prima vice Tribuniciam poteſtatem, atque adeo Imperium.

Sexto Zenonem Auguſtum mortuum eſſe anno 207. Diocletiani affirmat Euagrius lib. 3. c. 29. & aliunde certum eſt, & in ſuo loco monſtrabitur mortuum eſſe anno Epochæ Chriſti 491. cui ſi ſubtrahas 207. reſtat pro Diocletiani initio annus 284. ſed *Septimò* magis confirmatur ex Eclipſi Lunæ, quam Theon lib. 6. Comm. in Ptolemæum narrat accidiſſe *Anno* 81. *Diocletiani & 1112. Nabonaſſari die 29. Athyr*: eam enim exhibent Aſtronomicæ Tabulæ anno Chriſtianæ Epochæ 264. die 25. Nouembris, quo completus erat Diocletiani annus 80. die 17. præcedentis Septemb. & iam currebat annus 81. deme igitur annis 364. cõpletos 80. reſtat annus 284. pro initio Diocletiani in quẽ annum conſentit quoad Eclipſim Sclaliger lib. 5. pag. 496.

Octauo Gabriel Patriarcha Alexandrinus Epiſtolam miſſam ad Clementem VIII. Sum. Pontif. quam recitat Baronius in appendice Tomi 6. Annalium, ita claudit: *Scripſimus die decima ſexta menſis Natur benedicti, Anno à SS. Martyribus Milleſimo trecenteſimo decimo, ideſt die 22. Nouembris, Anno Domini MDXCIII.* In altera quoque epiſtola obſignata à Ioanne Como Corepiſcopo Alexandriæ dicitur: *Datum die Sabbathi benedicti, duodecimi menſis Choiac benedicti Coptici anno 1310. à captiuitate Martyrum mundorum, ideſt die decima octaua menſis Decembris Anno Natiuitatis Domini MDXCIII.* ſubtrahe iam

annis Christi 1593. annos Martyrum sub Diocletiano passorum 1309. completos, restabitq; pro initio Diocletiani annus 284.

Meritò igitur initium Epochæ Diocletiani, & simul imperij in anno 284. Christi agnouerunt *Onuphrius* in Fastis. *Baronius* tomo 2. ad annum 284. *Mulerus* in Tabulis Frisicis pag. 494. *Iacobus Kristmannus* de connexione Annorum pag. 422. & 430. *Origanus* tomo 1. Ephemeridum pag. 26. *Keplerus* in Tabb. Rodulphinis pag. 39. & 43. *Henricus Philippi* in Synopsi Chronolog. c. 17. *Paulus Crusius* in tractatu de Aera Diocletiani. *Langius* lib. 1. c. 1. de annis Christi, & *Petauius* l. 11. de Doctrina temporum c. 29. & 30. disputans contra Scaligerum.

De Persecutione Diocletiani, & Epocha Coptitarum, seu SS. Martyrum.

18 EVsebius in Chronico, & in Historia Ecclesiastica lib. 8. c. 2. inquit: *Nonus decimus agebatur annus Imperij Diocletiani, mensis Martius, & dies solemnis Paschæ imminebat cum edicta principis per omnem terram proponebantur, vt cunctæ quæ vsquam sunt, Ecclesiæ ad solum vsque destruerentur &c.* Pergit deinde sequentibus capitibus describere cruciatus innumerabilium SS. Martyrum, quorum multos oculatus testis spectauit. Scaliger autem lib. 5. de emend. Temporum pag. 496. recitat Epistolam Ignatij Patriarchæ Antiocheni ad ipsum datam, vbi dicitur. *Præterea quæsiuisti super Aera Martyrum vsitata ab Aegyptijs, quænam illa sit, & ob quam causam ita appellata. Scito eius initium esse ab anno Regis Diocletiani impij decimonono, in quo auxit persecutionem contra Christianos, cum edixisset eorum Ecclesias destrui, item vt quicunq; idolis non sacrificaret, interficeretur. Quo circa hoc edicto martyrio affecti sunt fidelium terræ Aegypti centum quadraginta quatuor millia, & septingenti homines. Ab eò tempore incipit Aera Elkupti, quam vocant Aeram Martyrum, eorum nempe, quorum sanguinem profudit Diocletianus.* Non repugnat autem eodem anno incœptam, & auctam esse persecutionem, nempe 19. Diocletiani, qui cœpit anno Christi 302. si quidem primus cœpit anno 284. à die 17. Septembris, ergo cum persecutio cœperit Martio, cœpit ea anno 303. vt rectè habet Onuphrius in Fastis, non autem 302. vt habet Baronius ad hunc annum, & Petauius lib. 11. c. 302. Pascha autem indicatum ab Eusebio, non iuxta Calendarium Alexandrinum, sed iuxta antiquiores Canones, & Cyclos determinatum fuit, qua de re Petauius ibidem. Porrò ex literis Patriarchæ Alexandrini indicatis num præcedenti, argum 8. constat Alexandrinos Epocham SS. Martyrum ab ipso initio Imperij Diocletiani computare, ne in annorum Diocletianorum numero ab alijs discrepent, esto eam in odium tyranni, vel ad honorem SS. suorum Martyrum, eam nomment SS. *Martyrum*, quibus potius standum videtur, quam Patriarchæ Antiocheno eam ab anno ipso persecutionis auspicanti. Licet non sit inuerisimile hoc quoque modo ab alijs eam computari solitam, siue in Aethiopia, siue alibi: semper tamen ab initio anni Aegyptij, seu à prima die Thoth affixa ad diem 29. Augusti.

De fine Diocletiani, & Maximiani Herculei.

19 AVrelius Victor in Epitome ait: *Diocletianus imperauit annis vigintiquinque*, & paulo post: *Diocletianus verò apud Nicomediam sponte Imperiales fasces relinquens, in propriis agris consenuit &c. vixit annos sexaginta octo*: & sanè in Fastis ab anno Christi 284. inclusiuè, vsq; ad annum 308. qui sunt anni 25. reperitur Diocletianus adhuc Consul X. quia etsi antea deposuit Imperium, hunc tamen honorem Principes ab eo substituti ei conseruarunt, vt esset Consul licet absens, & nomine suo Fastos insigniret, perindeque haberetur, ac si imperaret. Alioquin idem Victor in Cæsaribus scribit: *Celebrato Regni vicesimo anno, curam Reipubl. abiecit, cum in eam sententiam Herculeum ægerrimè traduxisset, cui anno minus potentia fuerat*, ideſt qui vno anno minusquam Diocletianus gubernarat; nam prius Cæsar deinde Augustus factus est, vt exprimit Eutropius lib. 9. dicens: *Ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit*, & post pauca; *Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum; Constantium, & Maximianum Galerium Cæsares.* Quia tamen iam inde ab initio cum Diocletiano, sub quouis deinde titulo Rempublicam administrauit, ideo Panegyristes, de quo supra ad Maximianum dixit: *Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octauo Consulem Roma &c.* Imperasse itaq; Diocletianum annos 20. & ijs labentibus deposuisse Imperium consentiunt *Aurelius Victor*, *Panegyristes* prædictus *Eusebius*, & *Cassiodorus* in Chronico, *Egnatius* lib. 1. de Cæsaribus, *Onuphrius* in Fastis, *Baronius* ad annum Christi 304. & *Petauius* lib. 11. c. 33. anno ergo 304. deposuere Imperium, eo enim anno currebat annus Diocletiani 20. id factum kalendis Aprilis ait Petauius ex Chronico Idatij. Onuphrius autem die 24. Aprilis; sed Baronius die 19. Februarij, eo quòd Eusebius in Chronico dicat id factum nondū expleto biennio persecutionis indictæ, indicta autem fuerit mense Martio. Sed iam docuimus indictam non anno 302. sed 303 quare, non est cur ob id ab Idatio recedamus. Licet autem Diocletianus esset Nicomediæ, & Maximianus Herculeus Mediolani, conuenerat tamen inter eos, vt eodē die promulgaretur ipsorum abdicatio, & simul substitutio Cæsarum in Augustos, ac successores in Imperio. Qui nimirum fuere hinc Galerius Maximianus Armentarius; inde Constantius Chlorus, qui ita sortiti sunt Imperium, vt Armentario Illyricum, Asia, & reliquus Oriens obuenerit; Constantio autem Africa, Italia, Gallia, & reliquus Occidens: At Constantius postea contentus Gallia, & reliquo Occidente, sponte cessit ipsi Armentario Africa, & Italia, ideoq; Eutropius ait à Galerio Maximiano Armentario creatos fuisse Cæsares Flauium Valerium Seuerum, & Galerium Maximinum; & Seuerum Italiæ, Maximinum autem Orienti præfectos fuisse. At Idatius ait hos Cæsares creatos fuisse prius à Diocletiano, & Maximiano Herculeo, & purpura vestitos: quod verisimilius est, cum valde credibile sit Diocletianum, & Maximianum Herculeum, ante depositionem Imperij non solum de immediatis successoribus cogitasse, sed etiam de mediatis, nec solum duos Augustos sibi substituisse; sed etiam duos Cæsares, futuros aliquando Augustos, creasse; nisi quis dicat designatos tantum, esto ex tempore præfecturæ, ac regiminis tempus quoq; Cæsareæ dignitatis æstimarit Eutropius. Superuixit porrò Maximianus Herculeus, vsque ad annum ætatis suæ 60. & Christi 310. Diocletianus autem, vsq; ad 3. Decembris anni 316. quo miserrimè perijt.

CA-

CAPVT XI.

De Annis Imperatorum à fine Diocletiani, vsq; ad mortem Theodosij senioris.

CONCLVSIO XI.

Anni Imperatorum nonaginta, & vnus, qui à fine Imperij Diocletiani, vsque ad Theodosij senioris mortem, & secundam diuisionem Imperij interceſserunt: ordinandi sunt, vt in infrascripta Synopsi.

Nomina Imperatorum.	Imperare cœpit Christi. An. M. D.	Obijt An. M. D.	Imperauit An. M. D.	Vixit An. M. D.	Natus est An. M. D.
Constantius Chlorus.	304 April. 1	306 Iul. 25	2 3 25		
Galer. Maximian. Armentarius	304 April. 1	311 ante April.	6 &c.		
Flau. Constantinus M.	306 Iul. 25	337 Maij 22	31 2 4	64 vel 65	273 vel 274
Maxentius.	306 Septem. 25	312 Septemb. 24	5 11 29		
Galerius Maximinus.	311 ante Apr.	312 exeunte	2 ferè		
C. Aurelius Licinius.	308 Nou. 11	325 Sept. 18	15 & amplius	60 ferè	266
Constantinus Iunior.	337 Maij 22	340 post Maij 22	3 &c.		
Constans.	337 Maij 22	350 Ianuar. 18	12 7 27	30 ferè	321
				vel 27	324
Constantius.	337 Maij 22	361 Nou. 3	24 5 12	45 ferè	317
Iulianus Apostata.	361 Nou. 3	363 Iunij 26	1 7 23	31	333
Flauius Iouianus.	363 Iun. 27	364 Febr. 16	0 7 21	34	331
Flau. Valentinianus.	364 Febr. 25	375 Nou. 17	11 8 21	55 ferè	321
Flau. Valens.	364 April. 1	378 Aug. 9	14 4 9	50 ferè	329
Flau. Gratianus.	367 Aug. 24		16 0 1	28	356
Sed sine Patre.	375 Nou. 17	383 Aug. 25	7 9 8		
Valentinianus II.	375 Nou. 22		7 9 3		
Imperio pulsus à Maximo obijt autem		392 Maij 15	16 5 23	20 6 circa	371
		Sed sine Maximo	11 5 21		
Maximus Tyrannus.	383 Aug. 25	388 Aug. 27	5 0 2		
Eugenius Tyrannus.	392 Maij 15	394 Sept. 6	2 3 21		
Theodosius Magnus.	379 Ianu. 19	395 Ianuar. 17	15 11 28	49 &c.	346

1 DEfuncto Eboraci Constantio Chloro d. 25. Iulij anni 306. Constantinus Magnus eius filius consensu militum creatus Imperator, contentus fuit titulo Cæsaris; eiusq; imagine Romam delata, Maxentius promissionibus alliciens Tribunos quosdam, ac Prætorianos milites, ab ijs acclamatus est Imperator. Fuit autem Maxentius non filius Maximiani Herculei, vt multi supposuerunt, sed gener, vt ex veteri inscriptione Baronius euincit. Anno autem 307. Seuerus à Maximiano Armentario missus in Italiam contra Maxentium, & à suis desertus, fugit Rauennam, apud quam vt referunt Eusebius, Idatius, & Eutropius occisus fuit; esto Zosimus, & Anonymus apud Petauium dicant occisum fuisse in via Appia, vel ad tres Tabernas: quo audito Maximianus Armentarius creauit Cæsarem C. Aurelium Licinium. At Maximianus Herculeus aspirans ad resumendum Imperium, & Maxentio insidians, Roma pulsus est, vnde in Galliam ad Cõstantinum profectus, collocauit illi filiam suam Faustam ipsumq; appellauit Augustum hoc ipso anno 307. Licet postea Constantino quoq; insidias struens, ijsq; per Faustam detectis, Massiliæ repertus sit laqueo prefocatus, quod Idatius disertè asserit euenisse anno secundo post X. Consulatum Diocletiani; ergo anno Christi 310. Constantini autem quinto, non secundo, vt ex Eusebio ponit Baronius. Deinde anno sequenti, Galerius Maximianus Armentarius, cùm esset VIII. Consul, ideſt anno 311. consumptis genitalibus, pestilenti vlcere extinctus est, eiusq; loco Galerius Maximinus, qui iam Cæsaris titulo præerat Orienti, occupauit Imperium, & anno sequenti 312. persecutionem in Christianos instaurauit; quo anno Constantinus Magnus Maxentium debellauit. Anno porrò 313. Maximinus à Licinio fugatus Tarsum, miserando ibi mortis genere perijt. Diocletianum miserima morte sublatum 3. die Decembris Sabino, & Ruffino Consulibus, ideſt anno 316. ex Idatio, & Eusebio colligimus, Licinium autem anno 325. Sed hæc quæ per modum Periochæ attigimus, paulo distinctius enarranda sunt.

2 *Constantium Chlorum* obijsse Eboraci Anno Epochæ Christi 306. die 25. Iulij, seu 8. kal. Augusti sustinemus cum *Baronio* ad hunc Annum, *Petauio* lib. 11. de doctr. tempor. c. 35. 36. 37. *Scaligero* lib. 5. de emend. temp. & *Vbbone Emmio* lib. 5. Rerum Chronolog. pag. 109. quoad annum Dionysianum, nam quoad Eusebianum more Constantinopolitano fatentur fuisse Christi 307. De die 25. Iulij consentiunt Socrates lib. 1. c. 2. & Idatius in Chronico, de Anno est aliqua controuersia, sed Idatius asserit fuisse illo, quo ipse Constantius VI. & Galerius Maximianus item VI. Consules erant: hic autem in Fastis per nos cap. 3. & 5. stabilitis, fuit Ep. Christi 306. Rursus Eusebius in Chronico testatur Constantium obijsse anno 4. Persecutionis Diocletianæ, & 16. Imperij: At persecutio illa ex dictis cap. præcedenti num. 18. incœpit Martio anni Christi 303. ergo eius annus 4. incœpit Martio anni 306. & eo labente Constantius obijt 25. Iulij. Quia verò teste Idatio Constantius cum Armentario creati fuerant Cæsares, Consulibus Tiberiano, & Dione kal. Martij, nempe ex Fastis anno Christi 291. sequitur anno 306. kal. Martij incœpisse annum 16. principatus, vt eum vocat Eutropius, licet Imperij latè sumpti vocet Eusebius. Idipsum ex Annis Maxentij infra firmabitur, & ex annis Constantini, hunc enim obijsse Maio exeunte anni Christi 337. & imperasse annos 31. ac menses ferè 10. infra ostendemus, ergo anno 306. incœpit primum, & anno 336. trigesimum primum die 25. Iulij, & anno 337. Maio exeunte prouectus erat in anno 32. His fundamentis, vtpote solidioribus innixi, dicimus errasse Aurelium Victorem, qui Constantio *annuum tantum Imperium* in Cæsaribus tribuit, & annos 13. principatus, vt etiam Eutropius lib. 10. Corrigendus quoq; Socrates, qui Constantij obitum notat Olympiadis *CCLXXI.* anno primo; nam hic ex dictis lib. 3. absolutus iam erat anno Christi 306.

multis diebus ante 25. diem Iulij,& iniuerat annus 2.Olympiadis prædictæ à Neomenia Solstitij æstiui. Maneat ergo Constantium obijsse, & Constantinum Magnum iniuisse Imperium anno vtitato Christi 306. die 25. Iulij: eodemq; anno Maxentium creatum Romæ fuisse Imperatorem,quod factum fuisse vij. kal. Octobris asserit Onuphrius lib. 2. Comm. in Fastos ad annum Vrbis *MLXIV*. cuius fundamentum infra expendemus num.4.

3 Idatius in Chronico suo, ac Fastis scribit, Seuerum ad Rauennam occisum esse, *Maximiano IX. & Constantino* Consulibus, & Licinium creatum Imperatorem à Galerio Maximiano 3. Id. Nouemb. Consulibus *Diocletiano X. & Galerio Maximiano VII.* & Maximianum Herculeũ perijsse Massiliæ anno 2. *post Consulatum X. Diocletiani*, ipsum denique Galerium Maximianum Armentarium perijsse, cùm esset ipsemet *Consul VIII. cum Licinio*. Ergo ex Fastis per nos c.3. & 5. stabilitis, obijt Seuerus Christi anno 307. Licinius inijt Imp. anno 308. Maximianus Herculeus obijt anno 310.& Maximianus Armentarius anno 311.atq; adeò cũ incœperit imperare kal. Aprilis anni 304. vt ostensum est num.1. si peruenisset ad Kalendas Aprilis anni 311. impleuisset septennium: malè igitur Victor in Cæsaribus eius Imperio tribuit *quinquennium*, cum impleuerit sexennium, nec mirum erasse hic vno anno, cum similiter errarit in Cõstantio, dans ei annuum Imperium,quod duos annos excessisse iam probauimus: idem tamen Victor dat Maximiano Herculeo vitæ annos sexaginta.

4 *Constantinum* anno V. sui Imperij mouisse bellum contra Maxentium, aserit Eutropius lib. 10. nempe anno Christi 311. Victum autem Maxentium à Constantino ad pontem Miluium anno 6. tyrannidis Maxentij affirmant Eusebius in Chronico, & Victor in Cæsaribus, Idatius verò in Chronico designat annum Consulibus *Constantino II.& Licinio II.* simulq; Aeram Augusti CCCL. quare triplici argumento statuitur hic annus Epochę Christi 312. quia est 6. Maxentij exorsi anno 306. & ex Fastis nostris hoc anno fuere Consules iterum Constantinus, ac Licinius, & subtractis annis 38. Aeræ 350. iuxta regulam firmatam cap.7. num.4. remanet annus 312. Præterea Panegyristes Gallicanus in Panegyri dicta Constantino Augusto Constantij filio, tempus Maxentij victi sic insinuat: *Mille sexaginta annis contractas ex toto orbe diuitias monstrum illud redemptis ad ciuile latrocinium manibus ingesserat*. Loquitur de Anno Epochæ Christi 307. quo Maxentius à præcedenti Autumno Imperator factus cœpit ærario abuti ad tyrannidem, dein pergit. *Sed diuina mens, & ipsius Vrbis æterna maiestas, nefario homini eripuere consilium, vt ex inueterato illo tempore, & fœdissimis latebris subitò prorumperet, & consumpto per desidias sexennio, ipsum diem natalis sui, vltima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum, sacrum & religiosum, vel inchoando violaret*: deerat ergo dies vnus ad inchoandum septennium imperij, & eodem die perijt qua natus erat; Onuphrius autem l.2.Comm. in Fastos ad Vrbis annum Capitolinum 1064. putat Maxentium perijsse VIII. Kal. Octobris, & initurum fuisse septennium imperij VII. Kal. Octobris nisi perijsset, partim ex panegyrico dicto, licet verba non afferat,partim ex coniectura Indictionum, quia Bedas lib. de Ratione Temporum c.46. dixit: *Incipiunt Indictiones ab viij. kal. Octobris, ibidemq; terminantur*. Loquitur de Imperatorijs, & quidem Constantinianis de quibus Chronicon Alexandrinum, seu Fasti Siculi ad annum, quo Consules fuere Constantinus II. & Licinius II. dicunt. Ἰνδικτιώνων Κονσταντινιανῶν ἐν τεῦθεν ἀρχή: ideſt: *Indictionum Constantinianarum hinc sumitur initium*: Annus autem horum Consulum, vt iam diximus est Christi 312. quo victus est Maxentius, Indictiones autem Cæsareas à Septembri huius anni computandas esse, suo loco pluribus ostendemus; Eusebius quoq; ad annum IV. Olympiadis *CCLXXII.* qui cœpit ab æstate Anni Christi 312. dicit ab hoc anno iniri Indictiones Constantinianas. Nihil autem hoc anno Constantinus insigne gessit, aut dignum notatu nouæ Epochæ, præter liberationem Romæ à Maxentij tyrannide, ergo sicut nulla verisimilior causa Indictionum hoc annum institutarum afferri potest, quàm Maxentij extinctio, ita nec verisimilior dici 8. kal. Octobris electæ pro initio Indictionum, quàm eiusdem Maxentij mors; Prudenter igitur Onuphrius loco prædicto, Maxentium eo die victum coniectura vehementissima concluſit, & post eum Langius lib. 1. de annis Christi c.8. nec erat cur Baronius ad annum 312. aut Petauius l.11. c.37. hanc Onuphrij coniecturam reuocarent in dubium, nulla in contrarium causa sufficienti, vt ostendam cap. vltimo, nedũ verisimiliore adducta. Malè tamen Onuphrius notat annum 313. pro 312. Sed postea in Chronico se correxit, & anno 312. *Consulibus Constantino* II. *Licinio* II. *inseruit*: *Hoc anno Maxentius Imperator occisus est*: inchoauerat autem à die 25. Iulij annus Constantiniani Imperij septimus, adeoq; rectè multi cum Eusebio à Pontaco edito annum huius victoriæ appellant Constantini septimũ, esto ob viciniam, vel computando annos à kalendis Ianuarij,vel vsurpando annos iam completos Chronicon Alexandrinum, Theophanes, & Cedrenus appellent annum sextum,

5 Sed insignis, & felix fuit annus Christi CCCXII. tum Christianis, tum ipsi Constantino non solum ob extinctum Maxentium, sed etiam ob interitum Maximini; Maximinus enim cum aduersus Licinum contenderet, Tarsi ex vlcere inguinis infelicissimè interijt, anno altero quàm Galerius Maximianus perierat, vt narrat Eusebius in Chronico, videlicet Anno Christi 312. & consonum est Aurelio Victori in Cæsaribus qui post Maxentij interitum addit: *Dum hæc in Italia geruntur, Maximinus ad Orientem post biennij Augustum imperium fusus fugatusq; à Licinio, apud Tarsum perit*; successerat enim Galerio Maximiano quem anno 311. perijsse docuimus, sed quia Maximinus perijt post Maxentium & exeunte anno 312. ideo erat ingressus biennium Imperij. Diocletianum verò III. Non. Decembris Sabino & Rufino Coss. ideſt anno 316. perijsse apud Salonas affirmat Idatius & Eusebius in Chronico; supererat Licinius extinguendus, de quo mox.

6 Anno Epochæ Christi 323. incœpit bellum alterum inter Constantinum, ac Licinium quandoquidem durauit menses 18. vt ait Cedrenus, Crispo autem III. & Constantino iuniore III. Consulibus, ac Cæsaribus, Licinius tertio prælio victus est apud Chalcedonem XIV. Kal. Octobris, vt refert Idatius in Chronico,videlicet Anno 324. cæsis de Liciniano exercitu ad centum millia, ait Zosimus; Anno deinde sequenti, Licinius Thessalonicæ, & Martinianus in Cappadocia nouis rebus studentes iussu Constantini interfecti sunt, vt narrat Idatius, & Eusebius in Chronico, & Anonymus de gestis Constantini. Aurelius autem Victor in Epitome scribit: *Thessalonicæ Licinius annum Dominationis ferè post quintum decimum, vitæ proximè sexagesimum occiditur*. rectè dicit post quintum decimum, iniuerat enim anno 308. vt diximus num. 3. ideoque anno 324. complerat annos 15. & inchoauit 16. quo currente, sed in annum 325. incurrente occisus est. Et ex hoc tempore Constantinus Magnus absq; æmulis pacificè Monarchiam Imperij Romani obtinuit. Corrigendus autem est Baronius,qui ad Annum Christi 318. refert vltimam victoriam Constantini prope Nicomediam, & Licinij interitum, eo quod in Cod. Theodos. l.1. de Veteranis extet rescriptum datum Consulib. Licinio V. & Crispo nempe anno 318. in quo fit mentio missionis Veteranor.ad Nicomediam post primam victoriam in Thracia. Sed hinc non sequitur vltimam fuisse victoriam ad Nicomediam.

7 Anno Ep. Christi 337. Constantinus Magnus anteà Romæ Sacro Baptismate lustratus, Nicomediæ in villa publica morbo victus, migrauit ad Christum,ipso die Pentecostes circa meridiem, vt narrat Eusebius l. 4. de Vita Constantini. Idatius in Fastis scribit. *Feliciano, & Titiano Consulibus, Constantinus Augustus ad cælestia regna ablatus est XI. Kal. Iunias, & ipso anno nuncupati sunt tres Augusti Constantinus, & Constantius, & Constans V. Id. Septembris.* Eosdem Consules adnotat Chronicon Alexandrinum, & Maij diem 22. diemq; Pentecostes. Socrates pariter ad finem libri 1. ait obisse XI. kal. Iunij, Anno 2. Olympiadis CCLXXVIII. & vixisse annos LXV. regnasse XXXI. quotidem annos imperij, & vitæ aserit Sozomenus lib.2. cap.32. Eutropius autem lib.10. *Constantinus vno & trigesimo imperij sui anno ætatis sexto & sexagesimo Nicomediæ in villa publica obijt*. At Aurelius Victor, licet in Epitome dicat: *Constantinus Constantij Imperatoris & Helenæ filius imperauit annos triginta*. Et paulo post de eodem: *cumque tres, & sexaginta annos vixisset, ex quibus dimidios ita, vt tredecim solus imperaret morbo consumptus*

est,

est, vnde dimidium annorum 63. nempe 31. $\frac{1}{2}$. pro imperio colliguntur: in Cæsaribus tamen de eodem scribit. *Ita anno imperij tricesimo secundoq; cum totum orbem tredecim tenuisset, sexaginta natus atq; amplius duo, rure proximo Nicomediæ (Achyronam vocant) excesit.* Immò in Epitome refert de illo prouerbium. *Decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem nouissimis pupillus ob profusiones immodicas nominatus.* Ergo attigit annum 32. Tribus itaq; Characteribus Chronologicis stabilitur annus 337. mortis Constantini; *Primus* est Imperij annus 31. completus & 32. inchoatus: Eusebius enim in Chronico edito à Pontaco, ait regnasse annos 36. & menses 10. & lib. 4. in vita Constantini, regnasse annos 32. paucis mensibus, ac diebus demptis. Nam cum inierit imperium die 25. Iulij anni Christi 306. vtique anno 337. compleuisset annos 32. si vixisset vsque ad 25. Iulij, sed obijt die 22. Maij, ergo deerant anno 32. dies 64. *Secundus* est Consularis annus: in Fastis enim ritè ordinatis anno 337. notati sunt Consules, *Felicianus, & Titianus*, ab Idatio, & Chronico Alexandrino nominati. *Tertius* est dies Pentecostes incidens in diem 22. Maij Anno enim 337. Cyclus Solis fuit X. Lunæ XV. Litera Dominicalis B. Pascha die 3. Aprilis, & Pentecostes die 22. Maij, sed currebat annus 4. Olympiadis 278. vnde corrigendus in hoc textus Socratis. Ex dicendis quoque de successorum annis, annus hic magis magisq; firmabitur. Vitam eius Eusebius l. 4. definit *annis plus minus sexaginta quatuor.*

8 Constantino Magno defuncto succedere tres filij, qui tamen non sunt omnes Augusti appellati, nisi V. Id. Septembris, postquam constitit eos ita inter se partitos Imperium, vt *Constantinus* Gallias, & quid quid erat trans Alpes obtineret; *Constans* Italiam, Africam, Illyricum Græciam, & Macedoniam cum suis Insulis: *Constantius* Thraciam; Asiam, Orientem reliquum, & Ægyptum. Sed Constantinus bellum Constanti mouens, occisus est ad flumen Alsam prope Aquileiam, vt referunt Aurel. Victor in Epitome, Eutropius l. 10. & S. Hieronymus in suppl. Chronici Eusebij, addens fuisse annum 3. Imperij nempe Christi 340. æstate ineunte: nam Zosimus lib. 2. ait triennium totum effluxisse ab initio imperij ad hanc cædem. *Constans* verò in oppido Helenæ sub Pyrenæo occisus est XV. kal. Februarij Consulibus *Sergio, & Nigriniano*: nempe anno Christi 350. erat hic annus ætatis 30. & Imperij 13. vt ait S. Hieronymus in suppl. Chronici Euseb. sed Aurel. Victor in Epitome inquit: *Interficitur anno tertio decimo Augustæ Dominationis (nam Cæsar triennio fecerat) æui septimo-uigesimoq;* Eutropius autem lib. 10. *Occisus est ætatis anno trigesimo, imperij xvij* intellige ex quo Cæsar factus est. *Constantius* denique Consulibus *Tauro, & Florentio* nempe anno Christi 361. tertio Nonas Nouembris Mopsuestiæ apoplexia correptus interijt, cum Iulianum Imperij successorem designasset; ita Marcellinus lib. 21. & quoad Consules etiam Idatius. At Socrates lib. 2. c. 46. inquit. *Vixit annos XLV. cum imperasset xxxviij.* computatis scilicet 13. quibus cum patre imperauerat; nam solus imperauit annos 24. menses 5. diesq; 12. vt patet computanti ab anni 337. die 22. Maij, quo Constantinus obijt, vsque ad anni 361. diem 3. Nouembris quo Constantius, & ita bene computat S. Hieronymus in supplemento Chronici Eusebiani vbi scribit: *Constantius regnat annos 24. mens. 5. dies 12. moritur anno ætatis 45.* At Aurelius Victor in Epitome inquit. *Constantius in radicibus Tauri Montis apud Mopsocrenem febri acerrima correptus iuterijt, anno æui quarto, & quadragesimo, imperij nono, atq; tricesimo, verùm Augustius quarto, vicesimoque octo solus, cum fratribus sedecim.* Et Eutropius lib. 10. *In itinere obijt imperij anno octauo, & xxx. ætatis quinto, & XL.* Nam hinc ipse computat coimperij cum patre annos. Malè igitur Onuphrius ad vrbis annum 1113. in Com. Fastor. dat illi annos imperij absoluti 25. mens. 5. dies 13.

Non est autem nobis hic opus annos Constantij stabilire per eas Eclipses, quas refert, & examinat Petauius lib. 11. de Doctrina temporum cap. 43. Illa verò quam cap. 3. nu. 26. retulimus ad stabiliendum Consulatum X. Constantij, & III. Iuliani Anno Christi 360. non est hoc loco repetenda.

9 Defuncto Constantio anno Epochæ Christi 361. die 3. Nouembris successit Flauius Claudius Iulianus Apostata impijssimus, indignusq; nepos Magni Constantini ex fratre Constantio, de hoc Eutropius lib. 10. confundens annos ex quo Cæsar à Constantio creatus est, cum annis imperij ait: *Hostili manu interfectus est sexto Kal. Iulias imperij anno septimo ætatis altero, & trigesimo.* Nempe vt scribit Aurelius Victor assumpserat eum in Cæsarem *annos natum ferè tres, atq; viginti*: eadem ferè Marcellinus lib. 25. addens ab vno ex hostibus conto percussum circa noctis medium decessisse Consulibus Iuliano IV. & Salustio, nempe ex nostris Fastis anno Christi 363. Socrates quoq; lib. 3. c. 18. inquit: *Occubuit IV. Kal. Iulij, tertio anno sui imperij, septimo autem postquam à Constantio renunciatus fuisset ætatis suæ trigesimo primo.* Annum appellat tertium spectatis annis, de quibus attigit, nempe partem anni 361. totum 362. & partem de 363. sunt autem à die 3. Nouembris anni 361. ad diem 26. Iunij anni 363. annus vnus integer, menses 7. & dies 23. quibus imperauit. Quomodo autem interfectus sit à S. Mercurio, & S. Artemio Martyribus, & ipse desperatissimus Apostata manum suo sanguine implerit, proieceritq; in aerem blasphemo ore exclamans, *Vicisti Galilæe*, ex Nicephoro lib. 10 cap. 35. Theodoreto l. 3. c. 2. Sozomeno l. 6. c. 2. S. Io. Damasceno Oratione 1. de imaginibus, & alijs disces ex Eminentiss. Baronio ad annum 363. Qui etiam aduertit ea ipsa die occisum fuisse cælitus, qua Martyres duos Sanctissimos aulicos Ioannem, & Paulum interfici iusserat, nempe 26. Iunij. Confirmatur porrò hic annus, quia Idatius annum 401. Aeræ Hispanicæ fuisse dicit, ergo subductis 38. fuit Christi 363.

10 *Iouianus* Iuliano successit ab exercitu electus, & in Galatiæ finibus repentina morte Dadastanæ *decessit imperij mense septimo xiv. Kal. Martij, ætatis minimum tertio, & trigesimo Iouiano ipso, & Varroniano Consulibus*, ita Eutropius lib. 10. sed Victor ait in Epitome. *Repente interijt annos gerens proximè quadraginta.* S. Hieronymus in supplem. Chronici Euseb. ait electum sequenti die post necem Iuliani, regnasse menses 8. vixisse annos 34. Idatius quoq; affirmat electum V. kal. Iulij. Recusasse autem eum imperare, ac regere Iuliani exercitum Idololatriæ peste infectum, & milites exclamasse se esse Christianos, narrant Ruffinus l. 2. c. 1. Theodoretus lib. 4. c. 1. Sozomenus lib. 6. c. 3. Socratesq; l. 3. c. 19. Obijt ergo anno Christi 364. Februarij die 16. Imperauitq; menses 7. & dies 21. Errant autem Eutropius, & Paulus Diaconus eius continuator, numerando hunc annum Vrbis MCXIX. currebat enim adhuc MCXVI. & à Palilibus sequentibus iniuit MCXVII. Varronianus. Socrates, & Ammianus dant Iouiano annos 33. vitæ.

11 Iouiano mortuo electus est ab exercitu in Imperatorem *Valentinianus* apud Nicæam, post dies X. quem Iulianus nolentem sacrificare Idolis, Tribunatu Scutariorum priuauerat, vt narrat Paulus Diaconus, Socrates l. 4. c. 1. & Ammianus Marcellinus lib. 26. sed quia die 24. Februarij debebat inire imperium, ipse metu Bissexti noluit eo die prodire in publicum, vt narrat idem Marcellinus, ex quo nos c. 3. nu. 27. firmauimus Consulatum Iouiani, & Varroniani anno Domini 364. vtpote solo *inter* proximos annos Bissextili. Ipse autem Valentinianus Valentem fratrem Kalendis Martij Tribunum, & Nicomedia Constantinopolim veniens, eundem Kalendis Aprilis omnium votis creauit Augustum, & anno Imperij sui tertio creauit item Augustum Gratianũ filium vix puberem 9. kal. Septembris, vt ait Socrates. Diuisum autem fuit anno eodem 364. Imperium in Orientale, quod Valens obtinuit, & Occidentale, quod Valentinianus. Victor ait: *Valentinianus imperauit annos duodecim minus diebus centum, & anno æui quinto, & quinquagesimo, impetu sanguinis voce amissa, sensu integer expirauit apud Brigetionem Quadorum oppidum*: Ammianus quoq; libro 30. ait extinctum: *ætatis quinquagesimo anno, & quinto Imperij, minus centum dies secundo, & decimo.* Socrates lib. 4. c. 26. addit mortuum *xv. kal. Decembris*. Obijt itaq; Anno Christi 375. die 17. Nouembris, numeratoq; tempore à die 26. Februarij Anni 364. imperauit annos 11. menses 8. & dies 21. deeraniq; ad implendum annum 12. idest ad diem 25. Februarij sequentis dies centum.

12 Valentiniano extincto, *Gratianus* eius filius in Imperio Occidentali successit, sed paulo post, nempe 10. Kal.

De-

Decembris, opera Cerealis, & Equitij, ac Merobaudis Valentinianus puer adhuc quadrimus Valentiniani Senioris filius, & Gratiani ex alia matre frater ab exercitu acclamatus est Augustus, quod Gratianus ratum habuit, & ita Occidentale Imperium duos Augustos habuit. Ita Victor in Epitome, Ammianus l.30. Socrates l.4.c.26. Porrò Victor, & S. Hieronymus in supplem. Chron. dicunt Valentem vnà cum fratre imperasse annos 13. menses 5. Idatius ait Valentem *ipso VI. & Valentiniano Iuniore* II. *Consulibus* 12.miliaribus ab Hadrianopoli conflixisse cum Gotthis V. Id. Aug. & ab eo die amplius non comparuisse; Sauciatus enim deportatus est in villam,& incẽsus à barbaris,vt referunt Socrates l.4.c.38. Theodoretus l.4. c.31. Sozomenus lib. 6.c.31. Nicephorus lib.11. c.50. Ruffinus lib.2. c.13. Ammianus autem Marcellinus lib.31. ait: *Contigit tam dira clades quinto Idus Augusti, eiusdem Valentis quinquagesimo ætatis anno, imperij decimoquarto, adiectis mensibus quatuor, & diebus nouem.* Annus enim ex Fastis fuit Christi 378. numeratoq; tempore ab Anni 364. die 1. Aprilis, vsque ad anni 378. diem 9. Augusti, sunt anni 14. mens. 4. dies 9. corrigendi ergo, qui annos tantum 13. & menses 5. dixerunt.

Gratianus anno sequenti Consulibus *Ausonio, & Olybrio*, nempe Anno Christi 379. Sirmij xiv. kal. Februarij creauit Imperatorem Orientis *Theodosium* Italicę in Hispania natum: ita Idatius, Prosper, & Marcellinus Comes in Chronicis, at Marcellinus, qui præter Consules addit Indictionem vij. & diem xiv. kal. Februarij; Victor autem in Epitome addit fuisse tunc Theodosium annorum xxxiij.hic autem Merobaude II. & Saturnino Consulibus creauit Arcadium filium suum Augustum xvij. kal. Februarij, vt ait Idatius, *& ijsdem Consulibus Indictione ix. Gratianus apud Lugdunum Maximi Tyranni dolo occisus est viij. Kal. Septembris*, vt inquit Marcellinus Comes in Chronico, & Socrates l.5. cap.11. fuit ergo annus Christi 383. numerato itaq; tempore ab anni 375. Nouembris 17. quo patri successit, imperauit annos 7. menses 9. diesq; 8. sed à 9. Kal. Septembris, ideſt 24. Augusti anni 367. quo creatus fuit Augustus à Patre sunt anni solidi 16. & dies vnus, malè igitur Sozomenus, Socrates lib.5. c.11.& alij, qui eius Imperio tribuunt annos tantum 15.nec satis accurati Onuphrius annos dat xvj. & dies vj. Quoad ætatem, Aurelius Victor in Epitome ait vixisse annos xxxviij.quod est improbabile, nã quando creatus fuit Augustus,vix erat puber,at demptis Imperij annis 16. habuisset tunc annos 22. sed nec probabile est vixisse tantum annos 24. vt ponit Onuphrius, nam habuisset tantum 8. quando factus est Augustus, ergo probabilius est in Victore legendum xxviij. vt aduertit Baronius ad annum Christi 383.

13 Maximus autem vsurpauit Imperium Occidentis, pulso Valentiniano Iuniore, & creato Victore filio suo Cæsare, & mox Augusto; Valentinianus autem fugit cum matre Iustina in Orientem ad Theodosium,cum imperasset à die 22. Nouembris anni 375. annos 7.menses 9.& dies 3. vt patet ex dictis de eius electione, & Gratiani morte: perperam igitur Onuphrios in Chronico habet *Annos viij. menses vij. dies xx.* ad hunc annum 383. Maximus deinde cum filio Victore occisus est apud Aquileiam ille à Theodosio, hic ab Arbogaste, Consulibus *Theodosio* II. *& Cynegio*, vt aiunt Prosper in Chronico,& Marcellinus Comes, addens fuisse Indictionem I. erat ergo Annus Christi 388. & Valentinianus iterum in Occidente Imperium resumpsit, sed Arbogastes Valentinianum dolosè apud Viennam Galliæ strangulatum extinxit *Idibus Maij, Consulibusq; Titiano, & Symmacho Indictione IV.* vt ait Marcellinus Comes in Chronico, nempe anno Christi 391. At Prosper id factum dicit sequenti anno Consulibus *Arcadio* II. *& Ruffino*, quo Arbogastes Eugenium Imperatorem creauit anno 392. Epiphanius autem lib. de mensuris, & ponderibus pag. 177. edit. Græcolatinè, scribit Valentinianum repertum in Palatio præfocatum Idibus Maij Sabbato, ac pridie Pentecostes. Ergo erat annus Christi 392. Nam eo anno Cyclus Lunæ fuit xiij. et Solis ix. et litera Dominicalis posterior in anno Bisextili C. quare in Kalendario Nicæno, et Alexandrino Pascha fuit die 28. Martij, et Pentecoste 16. Maij, et dies 15. ideſt Idus Maij incidit in Sabbatum, imperauit ergo iure, si non facto à die 22. Nouembris Anni 375. qua patre mortuo electus fuit, vsque ad anni 392. diem 15.Maij annos 16. menses 5. et dies 23. Maximus autem Tyrannus ab Augusti die 25. anni 383. ad annũ inclusiuè 388.diemq; 27. Augusti, nempe annos 5. et dies 2. vt ait Onuphrius, quos si detrahas Imperio Valentiniani Iunioris, restant pro hoc anni 11. menses 5. dies 21. Erat autem quadrimus, quando electus est anno 375. 22.Nouembris,ergo vixit annos 20. et menses circiter 6.

14 Theodosius deinceps Honorium filium suum secundogenitum ex Placidia, natumq; *Septembri Indictione xij. Consulibus Ricimere, & Clearcho*, vt refert Prosper, et Marcellinus Com. in Chron. videlicet anno Christi 384. creauit Augustum, *se* III. *& Abundantio Consulibus, & hora diei tertia tenebræ factæ sunt*, vt de vtroq; charactere anni testantur Prosper, et Marcellinus in Chron. qui addit Indictionem vj. fuit ergo annus Christi 393. nam, et illo anno Sol defecit ad digitos ferè 10. die 20. Nouembris hora Romæ post mediam noctem 9 ⅔. Anno autem sequenti Theodosius vnà cum Honorio, precibus, ieiunijs, et reuelationibus cælestibus præuijs, militante Cœlo pro ipso, admirabilem illam victoriam de Eugenio, et Arbogaste reportauit, quam indicant Prosper, et Marcellinus in Chronicis, sed in hoc discrepant,quod Prosper id refert ad Consulatum Olybrij, et Probini, cum tamen dixisset anno antecedenti Consulibus Arcadio III. et Honorio II. victoriam illam prædictam fuisse à Io. Anachoreta, at Marcellinus affirmat reportatam *Indictione vij. Arcadio* III. *& Honorio* II. *Consulibus.* Et in eundem annum consentiunt Orosius, et Socrates lib.5.c.25. addens, Eugenium captum fuisse,et occisum viij.Idus Septembris; erat ergo annus Christi 394. cui subscribunt *Onuphrius* in Fastis, et in Chrõnico, *Petauius* in Chronico, et *Baronius* ad hunc annum, apud quem lege mirabilia à Deo patrata ad fauorem Theodosij. Imperauit ergo Eugenius, seu Tyrannus fuit ab anno 392. dieq; 15. Maij, vsque ad 6. Septembris anni 394. annos 2. menses 3. dies 21. ex quo ab Arbogaste Imperium antea vsurpatũ accepit. Tandem Theodosius iam Monarcha,distributo Imperio Orientali Arcadio, et Occidentali Honorio, *Consulibus Olybrio,& Probino*, obijt Mediolani,nempe anno Christi 395. 16. Kal. Febr.ideſt Ianuarij 17.Cõsules illos adnotant Prosper Marcellinus, et Cassiodorus in suis Chronicis, at Socrates lib.5. cap. 26. addit diem 14. kal. Februar. Imperauit solus annos xj. vt ait Egnatius; at vj. cum Gratiano, & xj. solus, vt ait Paulus Diaconus, omnino autem vel xvj. tantum, vt ait Marcellinus in Chronico, vel 17. vt Aurelius Victor in Epitome, Ruffinus lib.2. et Zonaras parte 3. Annalium. Atqui ex dictis num. 12. creatus est Imperator anno 379. Ianuarij 19. cum esset annorum 33. Inde igitur vsque ad anni 395. diemq; 17. Ianuarij sunt anni 16.deficientibus diebus 2. non abundantibus, vt ponit Onuphrius in Fastis, et in Chronico; et anni vitæ erant 49.esto 50. numeret Victor, et 60. Socrates.

Constat igitur à fine Imperij Diocletiani, ad mortem vsque Theodosij Magni, ac secundam diuisionem Romani Imperij in Orientale, et Occidentale (nam prima facta est Valentiniano, et Valente imperium ineuntibus) ideſt ab Anni 304. kalen. Aprilis, vsque ad 17. Ianuarij anni 395. esse ferè annos 91. deficientibus diebus 73.

CAPVT XII.

De Annis Imperatorum Occidentalium, vsq; ad initium Regum Italiæ sub Gothis.

CONCLVSIO XII.

Ab obitu Theodosij Magni, seu Senioris, vsque ad initium Odoacris primi Italia Regis interceſſere Anni Octogintaunus, Menſes VII. Dieſq; VIII. qui ordinandi ſunt, vt in ſequenti Synopſi.

Nomina Imperatorum.	Imperare cœpit An.	M.	D.	Obijt An.	M.	D.	Imperauit An.	M.	D.	Vixit An.	M.	D.	Natus eſt An.	
Flauius Honorius.	395	Ianuar.	17	423	Aug.	15	29	8	25	39	ferè		384	Sept.
Valentinianus III.	425	Octob.	23	455	Mart.	17	29	4	25	36	ferè		420	
Maximus Tyrannus.	455	Mart.	17	455	Iun.	12	0	2	26					
Auitus Gallus.	455	Iulij	10	456	Maij	17	0	10	8					
Maioranus.	457	April.	1	461	Auguſt.	6	.	.	.					
	fuit depoſitus.			461	Aug.	2	4	4	2					
Seuerus.	461	Nouemb.	19	465	Aug.	15	3	8	26					
Interregnum.							1	8	28					
Anthemius.	467	April.	12	472	Iulij	11	5	2	29					
Olybrius.	472	Iul.	11	472	Octob.	23	0	3	13					
Interregnum.							0	4	13					
Glycerius.	473	Mart.	5	474	Iun.	24	1	3	20					
Iulius Nepos.	474	Iun.	24	475	fugatus eſt Aug.	28	1	2	4					
Auguſtulus Momilius.	475	Octob.	31	476	relegatus		0	9	24					
Odoacer I. Rex Italiæ.	476	Aug.	24		Aug.	24								

1 ROmam ſub Honorio Rauēnę degente captam ab Alarico Rege Gotthorum Anno Chriſti CDX. communis eſt opinio meliorum Chronologorum præcipuè *Onuphrij* l. 3. Com. in Faſtos, *Scaligeri* l. 5. de Emend. Temp. *Baronij*, tomo V. ad hunc annum, & *Petauij* l. 11. de doctrina temporum c. 47. Diem fuiſſe IX. Kal. Septemb. aſſerunt Sigebertus, & Theophanes, annum deſignant per Conſules *Flauium Varari*, ſeu *Varanen*, & *Fl. Tertullum* Caſſiodorus, Proſper & Marcellinus Comes in Chronicis, qui addit Indictionem VIII. & Varanem ſolum, nam Tertullus ab Attalo multo tardius creatus eſt circa Kal. Iulias. Tertulli tamen meminit etiam Paulus Diaconus l. 55. c. 14. Oroſius tamen appellat eum vmbratilem Conſulem. Fallitur igitur Cedrenus, qui captam ponit Indictione IX. Auguſti die 26. & Oroſius l. 7. c. 42. ac Paulus Diaconus continuator Eutropij l. 13. qui dicunt captam anno Vrbis conditæ MCLXIV. nam annus Vrbis 1164. Varronianus non incœpit niſi anno Chriſti 411. ſed aliàs quoq; Oroſium inconſtantem eſſe docet Petauius ſupra. At Idatius, qui hoc tempore viuebat, tàm in Chronico, quàm in Faſtis ait Alanos, Vandalos, & Sueuos Hiſpaniam inuaſiſſe Conſulibus *Honorio VIII. & Theodoſio iuniore III. Aera* 447. *quarto kal. Octobris feria* 3. & eodem anno ait Alaricum Romam ingreſſum eſſe; Annus autem hic fuit Chriſti 409. ſed Idatius fortè loquitur de anno eodem computato ab ingreſſu Barbarorum in Hiſpaniam, qui non eſt abſolutus, niſi anno Chriſti 410. die 28. Septembris, intra quem annum Alaricus Vrbem cepit. Petauius autem ſuſpicatur, eum à Paſchate annos inire; ſed quidquid ſit ſtandum opinioni communi cenſeo.

2 Honorium Rauennæ mortuum eſſe hydropicum annorum 40. et regni 30. ſcribit Zonaras parte 3. annalium; licet Paulus Diaconus lib. 14. dicat mortuum eſſe prope Romam, et regnaſſe cum Patre annos XII. cum fratre XIII. cum fratris filio Theodoſio XV. diem mortis XVIII. Kal. Sept. ideſt 15. Auguſti notat Theophanes, et Socrates lib. 7. c. 23. Annum verò Conſulatus *Mariniani, & Aſclepiodoti*, Caſſiodorus, Proſper, et Marcellinus in Chronicis, ſed Marcellinus addit Indictionem VI. et viſam fuiſſe per multos dies Stellam Crinitam; ergo ex Faſtis fuit annus Chriſti 423. Natum porrò Septembri Anni Chriſti 384. et Auguſtum creatum à patre anno *393.* die 20. Nouembris oſtendimus Capite præcedenti nu. 14. et Theodoſium mortuum eſſe anno 395. Ianuarij 17. computatis ergo ex his, ſequitur Honorium obijſſe anno 39. nondum completo, ſed deficientibus diebus pluſquam 16. et imperaſſe annos 29. Menſes 8. dies 25. poſt mortem autē patris annos 28. menſes 6. et dies 29. corrigendumq; eſſe tum Onuphrium l. 3. in Faſtis, qui ait mortuum Rauennæ *imperij* anno 38. menſe 11. et die 10. tum Baronium, qui anno 28. menſe 5. et die 19. et vixiſſe annos 39. ac menſem vnum. Cum verò Honorius mortuus eſſet ſine filijs, Ioannes quidam imperium occupauit, tenuitq; annos 2. totidemq; menſes et dies aliquot; ſed Theodoſius, qui Arcadio ſucceſſerat in Orientali Imperio, creauit Occidentis Imperatorem Valentinianum III. filium Placidiæ amitæ ſuæ.

3 Valentinianus III. Conſulib. *Caſtino, & Victore* mittitur in Italiam ad recipiendum Imperium, nempe anno 424. et ſequenti anno Ioannem Tyrannum extinguit, et decreto Theodoſij Auguſtus appellatur, et fit Imperator apud Rauennam indictione VII. ita Caſſiodorus, Proſper, et Marcellinus in Chron. Chronicon Alexandrinum, et Socrates l. 7. c. 25. addens id factum X. kal. Nou. qui tamen indicat eum antea Theſſalonicæ accepiſſe coronam Imperialem miſſam à Theodoſio per Helionem Patricium; ſed cum Maximi Senatoris vxorem ſtuperaſſet, eius dolo occiſus eſt in Campo Martio 16. kal. Aprilis Conſulibus *ipſo viij. & Anthemio indictione viij. annos natus* 36. ita Idatius, Caſſiodorus, et Marcellinus in Chron. Procopius lib. 1. de bello Vuandalico, Iornandes l. 1. & Chronicon incerti apud Cuſpinianum; fuit ergo Annus Chriſti 455. quare imperauit, ex die, quo factus eſt Imperator, annos 29. menſes 4. dies 25. Qui addunt Maximum prædictum occupaſſe Imperium, & tertio menſe membratim conciſum à militibus Romanis, proiectumq; in Tiberim, et poſt hunc Auitum in Gallijs accepiſſe à militibus Imperium; ſed anno ſequenti Conſulibus Ioanne, et Varrano captum eſſe Placentiæ à Ricimere, ac depoſuiſſe Imperium; Chronicon Incerti apud Cuſpinianum addit Maximum vſurpaſſe imperium 16. kal. April. et occiſum pridie Idus Iunias, et Auitum leuatum eſſe Imperatorem VI. Idus Iulias, anno ſequenti captum Placentiæ xvj. Kal. Iunias. Itaq; Maximus imperauit menſes 2. et dies 26. Auitus autem Menſes 10. dies 8. vt bene computauit Euagrius lib. 2. c. 7. At Idatius addit mortuum eſſe Auitum anno ſequenti.

4 Reliquos Imperatores, vſq; ad finem Imperij Occidenta-

dentalis eorumq; tempora suggerunt nobis Cassiodorus, & Marcellinus in Chronico addens Consulibus Indictiones, & incertus Auctor Chronici apud Cuspinianum, qui temporibus illis vixit, & notat ipsos dies accuratissimè Iornandes l. 1. de Regnorum successione, Procopius l. 1. de bello Vuandalico, Idatius in Fastis, & in Chronico, Theophanes in miscella Euagrius lib. 2. & ex recentioribus Onuphrius l. 3. com. in Fastos, Baronius tomo 4. Petauius in Chronico ex quibus hæc summatim selegimus anno Christi 457. Indictione X. Consulibus *Constantio*, & *Rufo* Maioranus militiæ præfectus factus est Imperator Occidentis à Leone Imperatore Orientis, Kal. Aprilis; sed anno 461. Indictione xiv. Consulibus *Dagalaipho*, & *Seuerino* à Ricimere occisus est apud Derthonam, iuxta fluuium Hyram viij. Idus Augusti, licet antea depositus fuisset 4. Nonas Augusti, eique successit Seuerus xiij. kal. Decembris. Qui Anno 465. *Basilico*, & *Herminerico* Consulibus veneno sublatus est à Ricimere xviij. kal. Septembris, annoq; sequenti fuit interregnum, vt plures affirmant: esto Marcellinus Seueri obitum differat ad annum 466. sed redarguitur ex Idatio in Fastis pag. 40. narrante anno proximo post Seuerum euectum ad imperium Aera 500. defeciſſe Lunam 2. Martij feria 6. qui annus ex dictis cap. 7. de Aera Hisp. & ex Tabulis Astronom. fuit Christi 462. & Ecliptis digitorum fere 9. paulo post mediam noctem. Contra verò anno proximè antecedenti necem Seueri, ait Idatius Solem defeciſſe 13. Kal. Aug. feria 2. ab hora 3. in 6. Solemque imitatum Lunam quintam, qui annus ex calculo Astron. fuit 464. Iul. 20. ergo initium Seueri fuit anno 461. & nex eius anno 465. quo item anno fuit a tera Solis Eclipsis die 9. Iulij.

Post interregnum, anno 467. Consulibus *Puteo*, & *Ioanne*, Indictione V. Anthemius Patritius Romanus à Leone Imperatore Orientis missus in Italiam factus est Imperator Occidentis prid. Id. April. anno 467. & anno 472. Consulibus *Martiano*, & *Festo* Indictione x. à Ricimere genero suo occisus est v. Idus Iulias, & ab eo factus Imperator Olybrius; & hic obijt x. kal. Nouembris ex morbo. At obijsse mense 7. Imperij supponunt Cassiodorus, & Marcellinus. Post interregnum mensium 4. & amplius anno 473. *Leone Imperatore V. Consule* absq; Collega Indictione xj. Glycerius Rauennæ sumpsit Imperium iij. Nonas Martias; qui anno 474. *Leone Iuniore* Consule sine collega, indictione xij. pulsus est ab Imperio à Iulio Nepote viij. kal. Iulias, & ipse Nepos Imperium occupauit; sed anno 475. *Zenone Consule* solo, Indictione xiij. Orestes Patricius Rauennam cum exercitu ingressus, fugauit Nepotem v. kal. Septembris, & pridie kal. Nouembris creauit Occidentis Imper. Augustulum cognomento Momilium filium suum. Tandem verò Anno 476. *Basiliſco II.* & *Armato Consulibus*, Indictione xiv. Odoacer Rex Gothor. Turcilingorum, & Herulorum à Nepotis fautoribus accitus in Italiam, obtinuit Romam, & euasit Rex Italiæ x. kal. Septembris, & v. kal. Septemb. s Augustulum relegauit in Lucullanum Campaniæ. ita Imperium Romanum in Occidente concidit, quod à Iulio Cæsare steterat Annos 521. & menses fere 8. & quod stabilitum fuerat ab Augusto, desijt sub Augustulo; non resurrecturum, nisi anno 800. sub Carolo Magno.

CAPVT XIII.

De Annis Imperatorum Orientalium à secunda diuisione Imperij, seu à morte Theodosij Magni, vsq; ad vltimum Imperatorem, & Constantinopolim à Turcis captam.

CONCLVSIO XIII.

A morte Theodosij Magni, & secunda Romani Imperij diuisione in Orientale, & Occidentale, vsque ad captam Constantinopolim sub Constantino à Turcis Anno 1453. Maij 29. interfuerunt Anni MLVIII. Menses IV. & Dies XI. ex Historicis, Eclipsibus, aliisque Characteribus Chronologicis distribuendi, vt in infrascripta Synopsi ad finem capitis huius.

1 QVamquam Constantino Magno defuncto Imperium Romanum trifariam diuisum sit, et postea sub Valentiniano I. bifariam, quando Valens creatus est Imperator Orientis, et Valentinianus eius frater retinuit sibi Imperium Occidentale, subinde tamen redijt Imperium ad Monarchiam, præsertim sub Theodosio Magno, quo defuncto iterum ex decreto eius Arcadius Orientis; Honorius Occidentis ita Imperator euasit, vt numquam postea Imperium vtrumq; reuersum sit adæquatè ad vnum Monarcham. Esto Imperatores Orientis, quando Imperium Occidentale vsurpatum est ab alijs siue tyrannis, siue extraneis, censuerint competere sibi ius creandi Imperatores Occidentis, quo titulo in hoc libro pergimus ordinare annos Imperatorum Orientalium, tanquam Imperatorum ad Romanos quoq; et non solum ad Græcos pertinentium, præsertim cum Constantinopolis dicta sit etiam Roma noua. Incipiemus autem ab Arcadio Theodosij Magni filio, sed nequaquam ea prolixitate, qua sumus hactenus vsi, quia antiquiora tempora magis controuersa, et disputata à Chronologis videbamus. Quorumdam tamen Anni hoc loco breuiter expendendi sunt.

2 *Arcadium* cœpisse imperare in Oriente cum esset annorum 20. statim à morte patris Theodosij, nempe die 17. Ianuarij *Olybrio*, & *Probino* Consulibus, nempe anno Christi 395. constat ex Marcellini Chronico; Mortuum verò fuisse Arcadium kalendis Maij, *Basso*, & *Philippo* Consulibus, idest Anno Christi 408. cum imperasset cum patre annos 12. solus autem annos 13. menses 3. ac dies 15. habemus ex Prosperi, & Marcellini Chronico, Zosimo l. 6. & Socrate l. 6. c. 22. & l. 7. c. 1. qui de annis inchoatis intelligendus est, quando ait eum vixisse annos 32. imperasse 14. successit Arcadio filius *Theodosius* II. Statim 1. Maij, qui mortuus est Valentiniano VII. Et Auieno Consulibus Indict. 3. vt habet Marcellinus in Chron. & quidem d. 29. Iulij, cùm imperasset annos 42. ac menses ferè 3. ageretq; annum 49. vt colligitur ex Nicephoro l. 14. c. 58. Zonara, Cedreno, & Theodoro Lectore in Collectaneis: Eo igitur defuncto anno Christi 450. die 29. Iulij successit *Flauius Marcianus*, cuius obitum consignant Marcellinus, & Cassiodorus *Rufo*, & *Constantino* Consulibus, videlicet Anno Domini 457. vnde corrigas Euagrium lib. 2. c. 8. qui triennio amplius producit eius Imperium. Cum verò Theodorus in collectaneis affirmet Marcianum obijsse die 26. Ianuarij, & incœperit anno 450. Iulij 29. sequitur imperasse annos 6. menses 5. diesq; 27. non autem ann. 6. menses 6. dies 2. vt aliqui numerant. Marciano successit statim *Leo Thrax*, vt narrat Nicephorus l. 15. c. 15. qui defunctus est *Leone Iuniore* Consule sine Collega, videlicet anno 474. cùm imperasset annos 17. & menses 6. vt ait Marcellinus in Chron. Ergo obijt circa diem 26. Iulij. *Leo* verò Iunior, qui ei successit, vt nepos, cùm esset infans superuixit menses 10. eius verò loco *Zeno* pater tanquam tutor administrauit Imperium, vsq; ad annum Christi 476. quando *Basilicus* tyrannicè occupauit Imperium, vt ex Simplicij Papæ litteris docet Baronius, corrigens Marcellinum: tenuit autem *Basilicus* tyrannidem annum vnum, & menses octo, vt aiunt Cyrillus in vita S. Sabæ, & Procopius de bello Vandalico lib. 1. & *Zeno* recuperauit imperium ante Octobrem Anni 477. vt colligitur ex Epistola 7. Simplicij Papæ ad ipsum data die 9. Octobris, quare sub finem Augusti, aut inito Septembri *Zeno* imperium recuperarat, & inde retrocedendo per menses 20. initium tyrannidis cadit in primos

dies

dies Ianuarij anni 476. Mortuus est autem *Zeno* ex comitiali morbo, vel pro mortuo sepultus est *Olybrio solo Consule*, vt consentiunt Marcellinus, & Cassiodorus in Chronico, sed Marcellinus dat ei simul cum Basilici tyrannide annos 17. & menses 6. Imperij, Cassiodorus autem annos 17. Verùm annus vnus detrahendus Marcellino, & pro xvij. scribendum xvj. Si quidem Zeno cœpit, ipso dante, Indictione 12. *Leone Iuniore* solo Consule videlicet anno Domini 474. & quidem circa diem 26. Iulij, vt supra docuimus, obijt autem *Olybrio* solo Consule Indictione 14. ex eodem Marcellino, adeoq; Anno Domini 491. cuius Ianuario exeunte, vel ineunte Februario, completi videntur anni 16. & menses 6. à die 26. Iulij circiter computati. At Cassiodorus dat illi annos 17. & Euagrius lib. 3. c. 29. ait: *Cum autem Zeno absq; liberis decimo septimo anni sui regno confecto esset, comitiali morbo extinctus est.* Oporteret ergo illũ vixisse, vsq; ad 26. circiter Iulij. Tandem tamen ex Anastasij successoris tempore colligitur Zenonem mortuum esse circa 11. Martij, aut 17. & potiùs aliquot diebus ante, quot intercesserunt inter mortem eius, & diem quo Ariadna coronam imposuit Anastasio, dum interim Longinus frater Zenonis sperabat se Imperio potiturum, vt narrat ibidem Euagrius.

3 Anastasium Imperatorem coronatum esse ab Ariadna, *Consule Olybrio solo*, testantur Marcellinus, & Cassiodorus in Chron. ergo Anno Christi 491. mortuum autem repente Consulibus *Florentio*, *& Magno*, *Indictione* xj. ideſt anno 518. auctor est Marcellinus in Chronico; qui addit imperasse annos xxvij. menses iij. dies xxix. Euagrius autem l. 3 c. vltimo habet annos viginti septem, menses tres, & dies viginti tres; Cyrillus autem in vita S. Sabæ apud Surium ad d. 5. Decembris, refert reuelatum esse interitum Anastasij Sancto Sabæ eodem die, quo contigit, & fuisse diem 9. Iulij, à qua retrocedendo per annos 27. menses 3. & dies 23. aut 29. cadit eius initium imperandi in Annum Domini 491. & Martij diem 17. aut 11. eadem verò 9. die Iulij quà perijt Anastasius, creatum fuisse Imperatorem *Iustinum* exprimit Euagrius l. 4. c. 1. & 2. eumq; morbo & senio confectum obijsse. *Mauorno Consule* indictione V. ait Marcellinus in Chronico dicens. *Iustinus Imperator Iustinianum ex sorore sua nepotem &c. sui Successorem creauit Kal. Aprilis, ipse verò quarto ab hinc mense vita decessit annis imperatis* IX. *Mensibus* II. obijt ergo anno 527. die circiter 9. Septembris, & Marcellinus quatuor illos menses laxè, ac rotundè numerat ab Aprili exclusiuè sumpto. Iustinianus autem annos imperij sui non à morte Iustini, sed ab illis Kalendis Aprilis, quibus creatus fuit Augustus, computari voluit, vt patet ex *Constit. Nouella* 47. *& Auth. coll.* 5. *tit.* 2. Porro Anno illo qui præcessit mortem Iustiniani Paulus Diaconus l. 2. c 31. & 33. notat Eclipsim Solis 9. Kal. Septembris, vt habeat exemplaria correcta: hanc autem exhibent Astronomici Canones eodem die Anno Christi 564. igitur mortuus est anno 565. Quod confirmant Euagrius l. 4. c. 40. Auctor Miscellæ, ac Cedrenus, dum dant illi annos imperij 38. menses 8. vt Euagr. vel menses 7. dies 10. vt Miscella, vel menses 7. & d. 13. vt Cedrenus, cum quo numerando à Kalendis Aprilis anni 527. cadit Iustiniani mors in annum 565. diemque 13. Nouembris nocte sequenti post mediam noctem, vt Corippus canit, & sic Romano ritu in diem 14. Nou.

Iustiniano defuncto statim successit *Iustinus Curopalates*; ideſt Palatij Magister, & Cæsar ab eo creatus, vtpote Nepos ex Vigilantia sorore Iustiniani, patreq; Dulcissimo, & maritus Sophiæ, quæ neptis erat Theodoræ olim Augustæ, vt tradunt Victor Tunnensis in Chron. & Corippus Poeta in laudib. Iustini; igitur iniuit imperium anno 565. Nouembris 14. ex dictis nuper.

4 Sed de Annis *Iustini*, initioque *Tiberij*, & *Mauritij* haud leuis est controuersia ob dissidium annorum ferè 4. Inter Baronium, & Petauium; Euagrius enim lib. 5. 11. & 23. ait Iustinum adsciuisse sibi in Collegam Tiberium, cùm solus imperasset annos 12. menses 10. diesque 15. & Tiberium imperasse annos 4. ac vita excessisse mense Augusto. Iustinum autem in totum imperasse annos 16. menses 9. dies 15. Quibus ritè computatis caderet initium Tiberij in Collegam assumpti, in Annum Domini 578. sub finem Septembr. solus autem imperasset à morte Iustini anno 582. Augusti 28. & mortuus esset anno 586. sub finem Augusti: & huic opinioni suffragatur Gregorius Turonensis l. 6. Hist. Francor. c. 30. qui Tiberij mortem signat anno 8. Childerici Regis, videlicet anno Domini 586. Quibus duobus auctoribus magis credidit Baronius, vtpote tunc temporis viuentibus, & Bellarminus in Chronico dans Iustino annos 16. mens. 9. imperij, & sanè quem non mouerent verba Euagrij l. 5. c. 23. dicentis. *Vt autem tempora omni cum diligentia conscribantur sciendum est, Iustinum iuniorem imperasse solum annos duodecim, menses decem cum Dimidio cum Tiberio autem annos tres menses 11. in vniuersum annos sedecim menses nouem cum dimidio.*

Ex altera verò parte Paulus Diaconus in Miscella l. 17. c. 24. Theophanes, & Theophylactus Simocatta l. 5. c. 16. referunt, Anno nono Mauritij verè ineunte, cum Imperator in expeditionem iret, Solem defeciſſe; quæ defectio ait Petauius in Rationario parte 2. lib. 4. c. 55. conuenit anno Christi 592. Martij 19. hora 10½. post mediam noctem, qua Bizantij obscuratus est dextans diametri Solaris, ergo cum Tiberius obierit in fine Augusti, sequitur Mauritium statim illi successisse Anno Christi 582. & sic anno 592. Martij 19. concurrisse adhuc annum 9. nondum completo 10. Rursus Beda l. 1. hist. Angl. c. 23. disertè tradit Mauricium imperare cœpisse anno Christi 582. nempe mense Augusto, currente adhuc Indictione 15. vt habent Theophanes, & Chronicon Alexandrinum. Præterea in exordio libri 2. Epistolarum S. Gregorij Papæ; habetur anno 2. Pontificatus ipsius, nempe anno Domini 591. vt refert ad hunc annum Baronius, depositum ab ipso fuisse mense Septembri Laurentium Archidiaconum *Consulatus Mauritij anno septimo*; at ex Theophane, & Paulo Diacono l. 17. c. 8. constat Mauricium iniuisse Consulatum die 20. Decembris anno 2. Imperij, ergo Septembri illo, quo depositus est Laurentius, incœperat annus 10. Mauricij, & paulo ante absolutus erat nonus, ideoq; initium Mauricij fuit anno 582. At Baronius pro eodem sumpsit initium Consulatus, & Imperij, ideoq; adiecit illam explicationem. *Quod autem audis id factum septimo Mauricij anno intellige illum inchoatum hoc anno 591. mense Augusto.* Denique Concilium Romanum II. à S. Gregorio inchoatum est anno 595. Christi, vt habet etiam Baronius, & ex lib. 4. Epistolarum S. Gregorij Ep. 44. constat indictum fuisse; *Imperij Mauricij anno tertiodecimo, Indictione decimatertia, quinto die mensis Iulij*: vbi Baronius non sine violentia ait reponendum pro *decimotertio* annum *decimum*. Igitur si quinta Iulij currebat annus 13. Mauricij, complendus in fine Augusti anni 595. vtique annus primus Mauricij incœpit ab Augusto anni 582. Quare agnito errore Euagrij, cogimur quoad hoc assentiri Petauio, cui etiam fauent Onuphrius, Sansouinus, & Philippus Bergomas in Chron. & Egnatius Dantes in Imperatoribus, quatenus Iustini imperium non vltra annos 12. extendunt. Porrò ex Chronico Alexandrino, & Theophane habemus Tiberium creatum fuisse Cæsarem anno 574. die 7. Septembris, Indict. 8. sed ingrauescente morbo Iustini, creatum fuisse Imperatorem anno 578. Indict. 12. die 26. Septembris, & eodem anno die 4. Octobris Iustinum obijsse, solumq; imperasse Tiberium, vsq; ad annum 582. Indictione decimaquinta, die 14. Augusti, quo perijt, vt ex vita S. Eutychij, & Chron. Alexand. constat, succedente Mauricio. Vnde corrigendus Onuphrius in Chronico.

5 *Phocam* coronatum esse Imperatorem Indictione 6. Anno Domini 602. die 23. Nouembris, expresè tradit Gregorius lib. 11. c. 1. & Chronicon Alexandrinum, quod addit Mauricium, deinde interfectum die 27. eiusdem mensis, Phocam verò occisum fuisse Indictione Imperatoria, iam 14. à Septembri inita, sed currente Indictione Pontificia 13. nempe Anno 600. Christi, tradit Theophanes in Miscella Anno 1. Heraclij, & Chron. Alexandr. addens occisum 3. Octobris feria 7. currebat enim littera Dominicalis D. Cyclo Solis III. & inde cœpit *Heraclius*, qui vt habetur ex Theophane, Paulo Diacono, Cedreno, S. Maximo, & Zonara, mortuus est annor. 66. ex hydroppe, alijsq; morbis anno Christi 641. Diocletiani 357. Indictione 14. Martij 11. esto Baronius dicat mortuum Maio, & diem nesciri. *Constantinus* autem filius Heraclij, & successor à Martina quarto Imperij mense vix peracto, veneno sublatus est, & *Heracleonas* cum Martina matre sex mensibus imperarunt, quibus exactis decreto Senatus Heracleonæ nares, Martinæ

lingua præciditur, nempe 10. Ianuar, & creatur Imperator *Constans II.* quem occisum in balneo Syracusis Idibus Iulij, cùm imperasset annos ferè 27. tradunt Anastasius Bibliothecarius, Theophanes, & Zonaras, sed Baronius ex Vitaliani Papæ tempore, & Petauius docent occisum anno 668. Indict. xj.

6 *Leontium* Præfectum à Græcis Imperatorem factum esse, & Iustinianum ab eo præcisis naribus (vnde Rhinotmetus dictus) relegatum fuisse Chersonam anno 694. refert Baronius; anno autem 696. mense Iulio, Onuphrius in Chron. sed ex Theophane, Paulo Diac. l. 19. Zonara, & Cedreno, Petauius id euenisse putat anno 685. & *Tiberium Absimarum* creatum Imperatorem anno 698. præcidisse Leontio nares, quod tamen anno 696. exeunte factum ponit Baronius; Onuphrius autem 699. Anno autem 705. *Iustinianum* recuperasse Imperium ex Theophane, Miscella lib. 20. & Cedreno, ac Zonara colligit Petauius par. 1. Rationarij l. 8. c. 3. Quod factum ait Onuphrius anno 706. circa kal. Augusti; Baronius autem anno 703. Narrat verò Anastasius in Constantino Papa, hunc redijsse Romam Octobris 24. Indictione 10. nempe anno 711. Christi, & post tres menses nunciatũ esse Romam *Iustinianum* à Philippico Bardane iam acclamato Imperatore, interfectum fuisse, ideoq; rectè concludit Petauius, & Baronius id factum, vel exeunte anno 711. aut ineunte 712. vnde arguitur erroris Onuphrius, qui hoc factum ponit anno 712. Idib. Augusti. Iam verò ipse Philippicus à Coniuratis excæcatus, & pulsus est anno 713. die 3. Iunij, nempe pridie Pentecostes, vt habetur ex Theophane, eiq; substitutus *Artemius*, quẽ *Anastasium* nominarunt; sed Paulus Diaconus l. 6. & 34. dicat Philippicũ imperasse annum 1. & mens. 6.

7 *Anastasius* itaq; iniuit Imperium anno 713. die 3. aut 4. Iunij, qui abdicauit Imperio anno Christi 14. sed coactus, nam vt narrat Theophanes ab exercitu Imperator factus fuit *Theodosius Adramyttenus*, cum Anastasius imperasset annum 1. & menses 3. cui & alij consentiunt; ergo Theodosius creatus est anno 714. circa 4. diem Septembris, corrigendique Onuphrius, qui hoc refert ad annum 716. diemq; 19. Augusti, & Petauius qui ad annum 715. dans Imperio Anastasij annos duos. Ipse quoq; Theodosius coactus est abdicare à *Leone III. Isaurico*, qui vt ait Theophanes, Imperij habenas sumpsit die 25. Martij non Indictione 15. sed 14. vt ex Epistolis Gregorij Papæ II. ad Leonem Isauricum euincit Baronius, adeoq; anno 716. non 717. vt Onuphrius, ac Petauius (cuti Theophanem ponũt. Addit verò Theophanes Leonem obijsse Indictione 9. die 18. Iunij, idest anno 741. imperasseq; annos 24. menses 2. & dies 20. sed ex initio eius correcto, vt supra, colliguntur anni 25. menses 2. dieq; 24. successit ei statim filius *Constantinus VI.* cognom. *Copronymus* Anno 741. die 18. Iunij; qui annus duplici charactere firmatur; Nam Theophanes notat Solis Eclipsim anno 20. Copronymi die 15. Augusti feria 7. hora 10. diei, nempe anno Domini 760. vt supputat Petauius lib. 8. c. 13. digitorum 10. hora 4 ½. à meridie Constantinopoli Cyclo Solis 14. Ergo à die 18. Iunij anni 760. completus fuit annus 19. Copronymi, & inchoatus 20. Narrat verò Theophanes, eum mortuum esse indictione 14. anno 775. die 14. Septemb. cùm imperasset annos 34. menses 2. dies 26. non 35. annos, vt corrupti codices; Addit successisse illi *Leonem IV. Porphyrogenitum*, qui ex eodem, & Paulo Diacono, extinctus est anno 780. d. 8. Septembris, relicto hærede *Constantino VII.* Porphyrogenito, sub tutela matris Irenes; Refert autem Theophanes anno 8. Constantini, & Irenes accidisse Solis Eclipsim Septembris die 16. feria 1. hora diei 5. hunc annum Tabulæ Astronomicæ demonstrant Christi 787. cum Eclipsi digitorum penè 10. hora ferè 9. post mediam noctem circa Byzantium; ergo à die 8. Septembris incœperat annus 8. Constantini, & Irenes, & Cyclo Solis 12. litteraq; G. dies 16. Septembris incidit in feriam primam: Porrò ex Theophane Constantinus redegit in ordinem Irenem anno 790. à qua tamen & *Stauratio* excœcatus, et pulsus est anno 797. Augusti 16. & die 19. Sabbato mortuus est. Quare Irene sola imperauit vsq; ad annum 802. Indict. 11. diemq; 31. Octobris, quo à Nicephoro fuit exuta imperio, obijtq; anno sequenti, ex Theophane, et Cedreno; Imperarunt autem *Nicephorus*, & *Stauratius* simul vsque ad annum 811. quo Nicephorus occisus est Iulij 25. et Stauratius abdicauit d. 5. Octobris, successitq; in Imperio Michael Curopalates.

8 *Michael Curopalates*, idest Palatij magister, vt diximus, iniuit Imperium anno Christi 811. die 5. Octobris feria 5. ex Theophane, Miscella l. 24. c. 15. Zonara, et Cedreno; Addit Theoph. et Miscella anno 2. Michaelis huius fuisse Solis Eclipsim in Cappadocia 4. Maij, feria 6. oriente Sole, quam Astronomici Canones exhibent anno Christi 813. digitor. 10 ½. Victus autem Michael à [illegible]aris cessit imperio, & *Leo Armenus* coronatus est eodem anno 813. Iulij die 11. feria 2. & hoc anno desinit historia Theophanis, cuius loco succedit historia Ioannis Curopalatis, ex quo & Zonara, ac Cedreno multa deinceps hauriemus: Referunt enim Leonem Armenum post annos 7. & menses 5. occisum fuisse ipso die 25. Decembris inter Sacra à *Michaele Balbo*, qui statim Imperium occupauit anno 820. tenuitq; vsq; ad annum 829. quo decessit kal. Octobris, Indictione 8. cui successit *Theophilus*, imperio potitus vsque ad annum 842. quo Indictione quinta obijt 3. kal. Februarij, vt habetur ex Ioanne Curopalate, ex quo corrigas Petauium, qui parte 1. Rationarij lib. 7. c. 9. ponit mortuum anno 841. et Onuphrium, qui imperasse ait annos 12. menses 3. et dies 20. imperauit enim annos 12. et mens. 4.

9 Theophilo successit filius *Michael III.* sub tutela matris Theodoræ, sub qua imperauit annos 14. eam enim, vt narrat Curopalates, expulit anno 855. ipse verò occisus est à *Basilio Macedone*, anno 867. Nicetas enim in Ignatio ait, Michaelem imperasse annos 15. & menses 8. cum matre, solum autem annos 9. & inchoasse 10. fuisseq; initium Indictionis primæ 24. Septembris, quando Basilius acclamatus est Imperator: ex quibus corrigas Onuphrium, qui in Chronico ait hunc Michaelem cum matre imperasse annos 13. et in totum 23. cum 3. mensibus, occisumq; Aprilis 23. cum autem Curopalates, et alij dicant Basilium imperasse se solo annos 19. necesse est obijsse anno 886. mensem obitus nemo antiquorum prodit; sed cum ei statim successerit filius *Leo VI.* cognomento *Philosophus*, huncq; obijsse Indictione 14. dieq; 11. mensis Iunij testetur Curopalates; eundemq; imperasse annos 25. ac menses 3. asserant Zonaras, Constantinus Manasses, et Glycas, sequitur Basilium obijsse die 11. Martij. Ex ijsdem auctoribus habemus *Alexandrum* fratrem Leonis pro Constantino VIII. filio Leonis, tutoris titulo cœpisse imperare anno 911. Iunij d. 11. et obijsse anno 912. Iunij 7. tuncque *Constantinum* septennem, sub directione Patriarchæ Nicolai, et Patritiorum imperasse solum, donec anno 919. Decembri mense, *Romanus Lecapenus* eius Socer, cum ipso imperauit expulsusq; est anno 944. Decembris 16. et tunc iterum solus Constantinus imperauit, vsq; ad diem 9. Nouembris anni 959. quo veneno sublatus creditur *à Romano II.* filio, vt narrat Curopalates. Qui Romanus obijt an. 963. cum imperasset annos 3. et mens. 4. ex Curopalate, Cedrono, Zonara, Glyca.

10 *Nicephorus Phocas* successit Romano II. anno 963. circa diem 9. Martij, eiusq; vltimo anno paulò post obitum ipsius, vt narrant Curopalates, & Cedrenus, fuit Eclipsis Solis die 22. Decemb. hora diei 3. ergo ex Tabulis Astronomicis fuit annus 969. ait autẽ Curopalates illum die vndecima Decembris interfectum esse, & *Ioannem Zemiscem* coronatum fuisse die 25. Decembris ipso Natali Domini, errauit igitur integro anno Onuphrius in Chronico, referens hæc ad finem anni 970. Ex eodem Curopalate constat Ioannem Zemiscem veneno sublatum anno 975. die 4. Decembris, & ita legunt Baronius ad hunc annum, & Petauius p. 1. Ration. lib. 8. c. 15. sed cum vterque addunt eum imperasse annos 6. menses 6. & dies aliquot, repugnantia dicunt; nam à die 25. Decembris anni 969. ad diem 4. Decembris anni 975 sunt tantum anni 5. menses 11. & dies 10. At Onuphrius, vt annos 6. & menses 6. numeraret, extendit eius imperium vsque ad Iulium anni sequentis. Successere statim duo filij Romani Iunioris *Basilius* annorum 20. & *Constantinus* 17. quorum prior, vt ex Curopalate, Cedreno, & Zonara didicimus, cùm imperasset annos 50. mortuus est repente Indictione 9. Decembri inito. adeoq; anno Christi 1025. posterior autem obijt triennio post Indict. 12. die 9. Nouembris, nempe anno 1028. succedente *Romano Argyro III.* vnde autem Onuphrius hauserit mortuum Basilium circa kalendas Octobris, & Constantinum circa Kalendas Septembris nescio. Nos magis credimus Curopalatæ ex quo Cedrenus corruptis numeris quædam excerpsit. Pergit Curo-

Curopalates dicens Romanũ Argyrum Zoes insidijs strangulatum esse Indictione 2. nempe anno 1034. Aprilis 11. feria 5. maioris hebdomadæ, & successisse statim *Michaelem Paphlagonem* adulterum Zoes, eumq; obijsse Indictione 9. anno 1041. Decembris 10. & substitutum ei *Michaelem Calaphatum*, sed hunc anno sequenti excœcatum, ac pulsum esse, coronatumq; eius loco *Constantinum Monomachum* d. 11. Iunij, obijt verò Constantinus Indictione 7. seu anno 1054. circa kal. Decembris, & defuncta iam Zoe, imperauit soror Zoes Theodora Porphyrogenita, quæ anno 1056. [illegible] finem Indictionis 9. obijt Augusto mense succedente *Michaele Stratiotico*, qui anno sequenti partim coactus, partim persuasus, abdicauit die 31. Augusti, & Kalendis Septembris ineunte Indictione 11. nempe anno 1057. salutatus est Imperator *Isaacius Comnenus* ex Curopalate, Cedreno, Manasse, et Glyca.

11 *Isaacium Comnenum* abdicasse imperio, cùm imperasset biennio, & menses tres testatur Curopalates, ergo id factum anno 1059. circa kal. Decembris, quo tempore successisse ait *Constantinum Ducam* ab eo designatũ, & regnasse annos 7. mensesq; 6. Hinc fit eum obijsse anno 1067. circa Cal. Iunij; ait verò Curopalates succcessisse eius exorem *Eudociam* curatricem, cum tribus filijs, *Michaele, Andronico, & Constantino Porphyrogenito*, sed ipsam Cal. Ianuarij anni 1068. nupsisse *Romano Diogeni*, translato in ipsum imperio, hunc autem regnasse annos 3. & menses 8. eique subrogatum *Michaelem Parapinacium* filium Constantini Ducæ aiunt Zonaras, Glycas, & Manasses; & expulsum esse ab inuasore Imperij *Nicephoro Botoniate* anno 6. & mense 6. imperij transacto, die 25. Martij, nempe anno 1078. expulsum verò fuisse Nicephorum ab *Alexio Comneno* post triennium imperij, consentiunt Curopalatæ (qui hic finit historiam) Cedrenus, Zonaras, Sansouinus, & Petauius: ergo id non anno 1080. vt Baronius, sed anno 1081. & quidem Aprilis die 1. feria 5. maioris hebdomadæ, vt docet Petauius in Chronico edito cum Nicephori Breuiario. Porro ex Zonara, Niceta Choniate, & alijs, obijt Alexius die 15. Augusti anno Domini 1118. succedente filio *Ioanne Comneno Caloioanne*, quem Nicetas, & Otto Frisingensis aiunt obijsse, cùm imperasset annos 24. & menses 8. mense Aprili, succedente eius filio *Manuele*, ergo id fuit Anno Domini 1143. non 1138. vt vitiosè Scriptum est in Vuillelmo Tyrio l. 15. c. 23. qui l. 22. c. 5. ait Manuelem obijsse Octobris d. 6. at Nicetas obijsse ineunte indictione 14. mense Septembri, anno scilicet 1180. & successisse *Alexium* II. eius filium, sub Tutela *Andronici*, à quo Alexius strangulatus est anno 1183. post imperium ferè triennale: Ipse autem *Andronicus* occisus est anno 1185. circa 12. Septembris eiq; successit *Isaacius Angelus*, quem teste Niceta, oculis, ac imperio spoliauit *Alexius Angelus*, cum imperasset annos 9. & menses 8. atque adeo anno 1195. Maij 12. circiter: Pulsusq; est Alexius cum imperasset annos 8. menses 3. d. 10. reuocatusq; iterum Isaacius, qui cum Alexio filio vtcumq; imperauit; ergo id factum anno 1203. circa diem 22. Augusti, sed aduersus hos tyrannidem inuasit *Alexius Murzuflus*, seu *Myrtillus* indictione 7. idest anno 1204. sed paucis diebus eam tenuit, nam Latini expugnata Constantinopoli post oppugnationem dierum 68. die 12. Aprilis feria 1. hebdomadis 6. Quadragesimæ, vt notat Nicetas forte crearunt Imperatorem *Balduinum* Flandriæ Comitem, Maij die 16. vt habet etiam Onuphrius in Chronic.

12 *Balduino* autem à Bulgaris capto indictione 8. Aprilis 15. nempe anno 1205. & in vinculis post menses 16. interfecto die 14. Augusti anni 1206. electus est *Henricus* Balduini frater teste Niceta, laudante Latinos, quod viuo Balduino nullum subsidium tuerint; obijsse Henricum anno Christi 1216. exactis annis 10. in imperio, eique successisse *Petrum Antisidiorensem* eius generum, & hunc anno 1221. occisum à *Theodoro*, cùm imperasset annos 5. & sub initium anni 1222. successisse *Robertum* Petri filium tradunt Nicephorus Gregoras, & Æmilius l. 7. & Onuphrius in Chron. ex quibus corrigas, tum Bzouuium, qui Roberti initium ponit anno 1220. & Chronologiam Bellarmino adscriptam, vbi Henricus ponitur cœpisse anno 1209. & imperasse annos 7. Petrus autem cœpisse anno 1216. & imperasse solùm menses aliquot, & Robertus annos vndecim, cum vix 7. Imperarit, obieritq; in Achaia anno 1228. exeunte, & succedente *Balduino* II. in principio anni 1229. qui (licet à *Theodoro Lascari* anno 1255. victus fuerit, illeque occuparit tyrannidem, tenueritque vsque ad finem anni 1256. eiusq; loco eandem tyrannidem tenuerit *Ioannes Ducas* filius Theodori per annum, & aliquot menses, donec *Michael Palæologus* electus fuit Imperator à Græcis die 25. Decembris anni 1258. & introductus atq; coronatus anno 1259.) iure tamen agnitus est à Latinis pro legitimo Imperatore Orientis, atq; adeo imperasse annos 30. vt ex Nicephoto, Æmilio, & alijs colligitur, ex quibus corrigendi qui Theodori obitum statuunt anno 1259. & Michaelis Palæologi initium ponunt anno 1260. aut 1261. cum Bellarmino, quos præterea redarguit Eclipsis Solis Anno Mundi Constantinopolitano 6775. & nono Michaelis Palæologi relata à Nicephoro Gregora lib. 4. pag. 51. sub horam 3. ante meridiem, et tanta, vt multæ Stellæ apparuerint, hanc enim repræsentant Astronomicæ Tabulæ Anno Christi 1267. Maij 25. digitor. XI. et minutor. 25. Constantinopoli hora 3. m. 5. ante meridiem, ergo si tunc currebat annus 9. Michaelis, vtiq; anno 1258. inceperat imperare.

13 *Michael Palæologus*, teste Nicephoro Gregora defunctus est anno Christi 1283. cum imperasset annos 24. ineunte anno 1284. successit illi *Andronicus*, qui obijt anno 1332. ex Niceph. Greg. l. 9. Blondo l. 10. et Historia Turcica lib. 1. quare imperauit annos 48. non 50. vt habet Onuphrius, nec solùm 40. vt Bellarminus, qui etiam plus peccat dum Michaeli Palæologo tribuit annos Imperij 33. Anno autem 1333. ineunte, vel 1332. exeunte *Andronicus II.* Palæologus iniuit imperium, et 15. Iunij anni 1341. victus à Turcis obijt, cui successit *Ioannes Andronicus* filius, sed sub tutela *Ioannis Catachuzeni*, qui simul imperarunt annos 16. donec Catachuzenus anno 1357. abdicare coactus est, et solus imperauit annos 27. vsque ad annum 1384. quo illi successit *Emanuel II. Palæologus*, qui obijt anno 1419. vbi imperasset annos 34. & aliquot menses; succedente illi *Io. Emanuele* qui annos 27. imperauit, vsque ad annum 1445. Tandem vltimus Imperatorum Orientalium *Constantinus XIII.* Palæologus ab anno 1445. imperauit vsq; ad annum 1453. quo die 29. Maij feria 3. capta est Constantinopolis à Turcis; Videantur Blondus l. 10. Historia Turcica l. 1. & alij. De anno autem captæ Constantinopolis nunc dicendum.

14 De anno vltimo Constantini XIII. quoad Imperium, & vitam quo capta est Constantinopolis à Turcis controuertitur à Scaligero in calce libri 5. de emendatione temporum, qui concludit captam fuisse Anno Christi 1452. ex relatione Isidori Cardinalis, qui in ea obsidione captus est, & ex Philelphi Epistola ad filium suum, & ex Annalibus Turcicis referentibus captam à Muhamede Sultano Anno Hegiræ 856. & Mercator in Chronol. & Sabellicus lib. 6. Enn. 10. subscribunt anno 1452. vt & Onuphrius in Chronico.

Contra verò captam esse anno 1453. affirmant Io. Baptista Egnatius lib. 2. de Cæsaribns in Constantino vltimo, vbi ait. *Incidit autem clades hæc in Annum salutis Millesimum CDLIII. quarto Cal. Iunias.* Franciscus Sansouinus lib. 1. Chron. Paulus Iouius in Commentario rerum Turcicarum in vita Mahometis 2. Io. Cuspinianus de Turcorum origine in fine, vbi de Constantino vltimo, Vbertinus Pascalius, qui ex ea clade euadens Romam venit, Hieronymus Bardius in Chronico, Petauius l. 11. de Doctrina temporum c. 53. & Nicolaus Mulerus de anno Arabico pag. 73. Quæ opinio verior est, ac certioribus Characteribus innixa. Nam Martinus Crusius lib. 1. Historiæ Constantinopolitanæ ait: *Capta est vrbs hæc præstantissima Anno 6961. mense Maio, feria tertia, manè diei 29.* Aera autem Constantinopolitana ponit Annos Mundi ante Christum 5508. quibus detractis ab anno 6961. restat annus Christi 1453. & hoc anno non autem 1452. dies 29. Maij incidit in feriam 3. Cyclo Solis 6. & Litera G. Idem Crusius in Historia Politica iterum repetit eundem annum, diem ac feriam. Præterea Leunclauius in Annalib. Turcicis inquit: *Accepimus vrbem oppugnari cœptam anno Muhametano Octingentesimo quinquagesimo septimo, die XVII. Mensis Rebial-euuel; tandem die XX. Mensis Tzemasiel-euuel, qui dies Martis erat matutino tempore in hostium potestatem venisse.* At ex methodo Arabica conuenit hoc Anno Christi 1453. Maij 29. feria 3. vt cum Mulero docuimus lib. 1. cap. 29. Canone 8. exemplo 2. Item Leonicus Chalcondylas notat annum 1453. fe-

riam 3. Maij xxvij. (ſcribe xxix.) & Bonfinius Dec. III. lib. 8. rerum Hungaricarum annum 1453. & 3. à morte Amurathi, quem obijſſe ſcribit anno 1450. Ad hæc Antonius Mèyerus lib. 16. Annalium Flandriæ ſcribit captam hanc Vrbem anno 1453. ſub finem Maij, additq; illo anno fuiſſe Paſcha Kalendis Aprilis. Denique Abrahamus Barſchaus in Chronico Hungarico captam narrat Anno Domini 1453. feria 3. poſtquam fuit Corpus Chriſti, fuit enim feria 3. poſt Dominicam SS. Trinitatis; quare ex Paſchate, & feria tali habemus alios duos characteres confirmantes annum 1453. ac longè prævalentes paucioribus teſtimonijs fortaſſe mendoſis de anno 1452.

15 Qua occaſione addimus: ſi, quod narrat Idatius in Faſtis, Conſtantinopolis dedicata eſt à Conſtantino *Aera Hiſpanica CCCLXVIII. Gallicano, & Symmacho Conſulib. V. Idus Maias*, nempe anno Chriſti 330. vtique à dedicatione illa ad capturam hanc fluxerunt anni ſolidi 1123. dieſq; 18. ſed & Chroni con Alexandrinum ijſdem Conſulibus dedicatam ponit addens V. Id. Maias Indictione 3. feria 2. quos Characteres habet Cedrenus quoque, ex quibus corrigendus Onuphrius, Caſſiodorus, Sabellicus. Sed de hoc ſatis lib. 3. capite 11. diximus.

IMPERATORES ORIENTIS AB ARCADIO AD CONSTANTINVM XIII. & vltimum in Annis CHRISTI.

Nomina, & Cognomina Imperatorum.	Cœpit Imper. An. M. D.	Finis Imperij.	Deſijt Imper. An. M. D.	Imperauit An. M. D.	Vixit An. M.
Flau. Arcadius.	395 Ian. 17	obijt	408 Maij 1	13 3 15	32
Flau. Theodoſius II. Fil.	408 Maij 1	obijt	450 Iul. 29	42 2 28	
Flau. Marcianus Thrax.	450 Iul. 29	obijt	457 Ian. 26	6 5 27	
Leo Thrax.	457 Ian. 26	obijt	474 Iul. 26	17 6 0	
Leo infans, & pro eo Zeno pater.	474 Iul. 26	obijt	475 Maij 26	0 10 0	
Zeno ſolus Iſauricus.	475 Maij 26	pulſus eſt	476 Ianuario		
Baſilicus tyrannus frater Zenonis.	476 Ianuario	pulſus eſt	477 Aug. 28	1 8 0	
Zeno recuperat Imperium.	477 Aug. 28	obijt	491 Ian. 30	16 6	
Anaſtaſius Dicorus, Dyrrhachinus.	491 Martij 11 vel 17	fulmine ictus	518 Iul. 9	27 3 29 27 3 23	88
Iuſtinus Thrax.	510 Iul. 9	obijt	527 Sept. 9	9 2 0	
Iuſtinianus, viuo adhuc Iuſtino.	527 April. 1	obijt	565 Nou. 14	38 7 14	
Iuſtinus II. Curopalates.	565 Nou. 14	obijt	578 Octob. 4	12 10 19	
Tiberius Anicius anteà Auguſtus factus à Iuſtino d. 26. Septemb.	578 Octob. 4	obijt	582 Aug. 14	3 10 10	
Flau. Mauricius.	582 Aug. 14	occiſus	602 Nou. 18	20 3 5	
Phocas coronatus 23. Nouemb.	602 Nou. 23	occiſus	610 Octob 3	7 10 10	
Heraclius.	610 Octob. 3	obijt	641 Mart. 11	30 5 8	66
Conſtantinus IV. filius.	641 Mart. 11	occiſus	641 Iul. 10	0 4 0	
Conſtantin. Heracleonas cum Martina matre.	641 Iul. 10	pulſus eſt	642 Ian. 10	0 6 0	
Conſtans II.	642 Ian. 10	occiſus	668 Iu. 15	25 6 5	
Conſtantinus V.	668 Iul. 15	obijt	685 Septemb.	17 2 circit.	
Iuſtinianus II. fil.	685 Septemb.	pulſus eſt	694 exeunte	10 circiter	
Flau. Leontius.	694 exeunte	pulſus	698	2 circiter	
Tiberius Abſimarus.	698	occiſus	703 Aug. 1. cir.	7 circiter	
Iuſtinianus II. Rinotmetus recuperat Imper.	703 Aug. 1	occiſus	712 Ian. 1. cir.	9 circiter	
Philippicus Bardanes.	712 Ian. ineũt.	pulſus	713 Iun. 3	1 5 ferè	
Anaſtaſius, antea Artemius.	713 Iun. 4	abdicat	714 Sept. 4	1 3 0	
Theodoſius Adramyttenus.	714 Sept. 4	abdicat	716 Mart. 25	1 6 21	
Leo III. Iſaurus, Iconomachus.	716 Mart. 25	obijt	741 Iun. 18	25 2 24	
Conſtantinus VI. Capronymus.	741 Iun. 18	obijt	775 Sept. 14	34 2 26	
Leo IV. Porphyrogenitus.	775 Sept. 14	obijt	780 Sept. 8	4 11 24	31
Conſtantinus VII. Porphyrog. ſub tutela matris Irenes, quam redegit in ordinem anno 790. eſto anno 791. die 25. Ianuarij eam appellarit Imperatricem, ſed ſolus gubernans.	780 Sept. 8	pulſus eſt	797 Aug. 16	16 11 7	27
Irene ſola imperare cœpit.	797 Aug. 16	pulſa eſt	802 Oct. 31	5 2 16	
Nicephorus ſimul cum Stauratio.	802 Nou. 1	Nic. occiſ.	811 Iul. 25	8 8 25	
		Staur. abd.	811 Oct. 5	8 10 11	
Michael Curopalates.	811 Octob. 5	abdicauit	813 Iulij 11	1 9 7	
Leo V. Armenus.	813 Iul. 11	occiſus	820 Dec. 25	7 5 16	
Michael II. Balbus.	820 Dec. 25	obijt	829 Oct. 1	8 9 7	
Theophilus Iconomachus.	829 Octob. 1	obijt	842 Ian. 30	12 4 0	
Michael III. Porphyrog. ſub tutela Theodoræ matris annos 15 ½.	842 Ian. 30	occiſus	867 Sept. 24	25 7 24	
Baſilius Macedo.	867 Sept. 24	obijt	886 Mart. 11	18 5 17	
Leo VI. Baſilij fil. Philoſophus.	886 Martij 11	obijt	911 Iun. 11	25 3 0	
Alexander tutor pro Cõſtantino VIII. filio Leonis 6. Infante.	911 Iun. 11	obijt	912 Iun. 7	0 11 26	

Con-

Nomina, & Cognomina Imperatorum.	Cœpit Imper. An. M. D.	Finis Imperij.	Desijt Imper. An. M. D.	Imperauit An. M. D.	Vixit An. M.
Constantinus VIII. solus septennis.	912 Iun. 7				
Romanus Lecapenus socer cũ Constantino VIII.	919 Decemb.	pulsus	944 Dec. 16		
Constantinus VIII. solus iterum.	944 Dec. 16	occisus	959 Nou. 9	47 4	54 2
Romanus II. Porphyrogen. fil.	959 Nou. 9	obijt	963 Mart. 9	3 4	24
Nicephorus Phocas.	963 Mart. 9	occisus	969 Dec. 11	6 9 2	
Ioannes Zemisces.	969 Dec. 25	veneno ob.	975 Dec. 4	5 11 10	
Basilius, & Constantinus IX. simul, quorum Basilius	975 Dec. 4	obijt	1025 Decemb.	50	70
Constantinus IX.	975 Dec. 4	obijt	1028 Nou. 9	52 11 5	67
Romanus III. Argyrus.	1028 Nou. 9	occisus	1034 April. 11	5 5 2	
Michael IV. Paphlago.	1034 Apr. 11	obijt	1041 Dec. 10	7 8 0	
Michael V. Calaphates.	1041 Dec. 10	pulsus	1042 Iun. 11	5 0 0	
Constantinus X. Monomachus.	1042 Iun. 11	obijt	1054 Dec. 1	12 5 19	
Theodora Porphyrogenita.	1054 Dec. 1	obijt	1056 Aug. ex.	1 9 0	
Michael VI. Stratioticus.	1056 Aug. ex.	abdicauit	1057 Aug. 31	1 0 0	
Isaacius Comnenus.	1057 Sept. 1	abdicauit	1059 Dec. 1	2 3	
Constantinus XI. Ducas.	1059 Dec. 1	obijt	1067 Iun. 1	7 6	
Eudocia vxor Ducæ curatrix cum tribus filijs.	1067 Iun. 1	transtulit	1068 Ian. 1	0 7	
Romanus IV. Diogenes.	1068 Ian. 1	obijt	1071 Sept. 1	3 8	
Michael VIII. Ducas Parapinaceus.	1071 Sept. 1	pulsus est	1078 Mart. 25	6 6 25	
Nicephorus III. Botoniates.	1078 Mart. 25	pulsus est	1081 Apr. 1	3 6 0	
Alexius Comnenus Isaaci fil.	1081 Apr. 1	obijt	1118 Aug. 15	37 4 15	70
Io. Comnenus Caloioannis filius Alexij.	1118 Aug. 15	obijt	1143 Apr. 15	24 8 0	
Manuel Comnenus fil. Ioannis.	1143 Apr. 15	obijt	1180 Octob. 6	37 5 21	
Alexius II. Comn. Manuel. fil. sub tutela Andronici.	1180 Octob. 6	occisus	1183 Octob.	3 fere	15 fere
Andronicus Comnenus.	1183 Octob.	occisus	1185 Sept. 12	1 11 12	
Isaacius Angelus.	1185 Sept. 12	pulsus est	1195 Maij 12	9 8	
Alexius III. Angelus Comnenus Isaaci frater.	1195 Maij 12	pulsus est	1203 Aug. 22	8 3 10	
Isaacius reuocatus cum filio Alexio.	1203 Aug. 22	pulsus	1204 Apr. 13	0 2 16	
Alexius Myrtillus, seu Murzisius.	1204 Ian. 10	pulsus	1205 Apr. 15	0 11 0	
Balduinus Pius Felix.	1204 Maij 16	captus	1206 Aug. 14	1 4 0	
Interregnum.	1205 Apr. 15				
Henricus Balduini frater.	1206 Aug. 15	obijt	1216 Au. 15. cir	10 0 0	
Petrus Antisiodorensis gener Henrici	1216 Au. 15. cir.	occisus	1221 Dec.	5	
Robertus Petri filius.	1222 ineun.	obijt	1228 exeunt.	7	
Balduinus II. Roberti frater.	1229 ineunt.		1258 Dec. 25	30 &c.	
Theodorus Lascaris tyrannus.	1255	ob	1256 exeunt.		
Ioannes IV. Ducas Theodori fil.	1257 inito	ob	1258 Dec. 25	1 11 25	
Michael Palæologus.	1258 Dec. 25	ob	1283 exeunt.	24	
Andronicus Palæologus.	1284 ineunte	ob	1332 Iun. 15	48	71
Andronicus II. Palæologus.	1333 ineunte	ob	1341	8 5 &c.	
Io. Catacuzenus, cum Io. Palæologo.	1341 Iun. 15	pulsus	1357	16	
Io. Palæologus V. Andronici II. fil. solus.	1357	obijt	1384	27	
Manuel II. Palæologus.	1384	obijt	1419.	34 &c.	
Ioannes VI. Palæologus Manuelis filius.	1419	obijt	1445	27	
Constantinus XIII. Palæologus.	1445	occisus	1453	8 circiter.	

CAPVT XIV.

De Regibus Italiæ ab Odoacre, vsque ad Henricum V. deque Exarchis Rauennæ.

CONCLVSIO XIV.

Interrupto Imperio Romano in Occidente, regnarunt in Italia Reges Gothi annos LXXVI. Narses Dux vice Iustiniani Annos XVI. Reges Longobardi annos CCVI. menses V. Reges Franci annos CXIV. Itali ferè annos CIII. Reges Germaniæ annos CCXLVII. Ab anno tamen Domini MDXIX. Imperatores Orientis per Exarchas Rauennæ, partem illam Italiæ rexerunt, quæ non erat subdita Regibus per annos CXXCII.

CAtalogum sequentem ex Historicis concinnatum exhibemus, secuti probabiliora, ideoq; ab aliquibus dissidemus, sicut & inter se non consentiunt semper Onuphrius in Chronico, Sigonius de Regno Italiæ, Franciscus San-

Sanſouinus lib. 2. Chronologiæ, Paulus Merula parte 2. Cosmographiæ lib. 4. cap. 19. Baronius, Bzouius, Spondanus in annalibus, ne antiquiores Hiſtoricos, & Chronographos, qui plurimi ſunt, hoc loco commemorem. Vidimus & Petrum Bercium lib. 1. Rerum German. pag. 74.

REGES GOTTHI in Italia.	Incipit An. Chr.	Regnat An.	M.
Odoacer *Aug.* 24.	476	16	6 1/3
Theodoricus Amalus Mart. 5.	493	33	6
Atalaricus Amalus.	526	8	
Theodonatus Amalus.	534	2	
Vitiges.	536	4	
Illoualdus.	540	1	
Araricus.	541	0	3
Totilas Baduilla.	541	11	
Theias *occiſ. Februario.*	552	1	
Narſes Dux Italiæ pro Iuſtiniano.	553	16	
REGES LONGOBARDI in Italia.			
Alboinus.	568	3	1
Clephis.	571	1	6
Interregnum, & Duces 36.	573	10	
Autharis.	583	5	6
Agilulphus.	588	25	
Adalualdus.	614	10	
Arioualdus.	624	12	
Rotharis Harodus.	636	15	4
Rodoaldus.	651	5	1/4
Aribertus.	656	9	
Gundibertus.	665	1	3
Grimoaldus.	666	9	
Haribaldus.	675	0	3
Pertharitus *ſolus.*	675	18	
Chunibertus.	693	12	
Luithbertus.	705	12	
Aſprandus.	718	0	3
Luithprandus.	718	25	7
Hildebrandus.	743	0	6
Rachis.	744	5	6
Ariſtulphus.	749	7	
Deſiderius.	756	18	

EXARCHÆ Rauennæ.	Incip.	Præfuit.
Longinus.	569	15
Smaragdus.	584	3
Romanus.	587	11
Callinicus.	598	4
Smaragdus *iterum.*	602	9
Io. Lemigius.	611	4 6
Eleutherus.	616	3
Iſaacius.	619	23
Theodorus Calliopas.	642	8
Olympius.	650	3
Theodor. Calliopas *iterum.*	653	34
Io. Platina.	687	15
Theophilactus.	702	8
Io. Trizocopus.	710	5
Scholaſticus.	715	10
Paullus.	725	2
Euticius.	727	24
Finis Exarcharum.	751	

REGES FRANCI in Italia.	Incipit An. Chr.	Regnat An.	M.
Carolus Magnus.	774	7	
Pipinus.	781	32	
Bernardus.	813	1	
H. Ludouicus Pius.	814	26	5
H. Lotharius.	840	15	3 1/3
H. Ludouicus II.	855	19	10
Carolus II. Caluus.	875	2	2
H. Ludouicus III. Balbus.	877	1	6 1/6
Carolus III. Craſſus.	879	8	7
coactus abdicauit.	887		
REGES ITALIÆ Itali plerumque.			
Guido *hinc.*	888	6	
Berengarius *inde.*	888	35	
Lambertus Guidonis F.	894	5	
Berengarius *ſolus.*	899	2	
Ludouicus Imper.	901	3	
pulſus à Berengario.	904	17	
Rodulphus Burgund.	921	2	
Berengarius occiſus eſt in fine Nouembris.	923		
	interregn.	3	
Hugo Com. Arelatenſ.	926	20	
Lotharius *ſolus.*	945	4	
Berengarius II.	949	42	
REGES GERMANI in Italia.			
Otho Rex Germ.	951	22	
Otho II.	973	10	7
Otho III.	983	17	1 1/2
Ardoinus *Marchio Eporoediæ.*	1001	1	fere
Henricus.	1002	23	5 2/3
Conradus Gibellin.	1024	14	10 2/3
Henricus II.	1039	17	4 2/3
Henricus III.	1056	49	10
Conradus II. contra Patrem regnat.	1093	12	6
Henricus IV.	1106	18	9 1/2
interregnum.	1125	0	4
H. Lotharius D. Sax.	1126	13	2 2/3
interregnum.	1138	0	4
Conradus III.	1139	12	10 1/2
Fridericus Dux Suetiæ Barbaroſſa.	1152	37	3 1/4
Henricus V.	1190	8	2 2/3
ceſſat Regnum.	1198		

CA-

CAPVT XV.

De Imperatoribus Occidentis à Carolo Magno, vsq; ad Ferdinandum III.

CONCLVSIO XV.

Romanum Imperium in Occidente, à Græcis ad Francos authoritate Romani Pontificis translatum, durauit in Regibus Franciæ annis CIV. In Germaniæ autem Principibus, vsque ad Albertum II. Austriacum annis DXXXIV. Deinceps autem in Austriacis Principibus ab Anno MCDXXXVIII. hucusq; absq; vlla interruptione per annos iam CCXXVI. perseuerauit.

1 EX hactenus dictis à Cap.8. huc vsque constat, Romanum Imperium à C. Iulio Cæsare inchoatum anno ante Epocham Christi 46. vsque ad Constantini Magni obitum ita indiuisum mansisse, vt licet aliquando fuerit sub Triumuiris, aut sub pluribus siue Imperatoribus siue Tyrannis, eodem tempore de summa rerum inter se contendentibus, aut concorditer totum simul Imperium administrantibus, nunquam tamen diuisum fuerit ac pacificè in duas pluresue partes distributum, donec Constantino Magno (qui Byzantium alteram Romam effecerat, & Consulatum in duos Consules vnum Occidentalem, alterum Orientalem partitus erat) defuncto, tres eius filij inter se imperium diuidentes, *Constantius* Orientem retinuit, *Constantinus* Iunior, & *Constans* Occidentem. Sed his tandem defunctis Constantius solus anno 353. vniuerso imperio præfuit. Anno autem 364. prima, & adæquata diuisio facta est in Occidētale Imperium, quod sibi reseruit *Valentinianus*, & in Orientale, quod *Valenti* fratri suo tribuit, sed quia rursus summa totius Imperij redijt ad *Theodosium Magnum*, is anno 395. quo decessit, iterum diuiso Imperio *Arcadium* filium Orienti, *Honorium* Occidenti præfecit, mansitq; ea diuisio vsque ad *Augustulum*, sub quo anno 476. concidit Imperiū Occidentale; Quoniam verò Imperatores Græci, nec per se, nec per Exarchas Italiā ab infestationibus Longobardorum tueri poterant, *Carolus Magnus* Rex Francorum, Desiderio Rege victo, & capto; Pontificeque Leone III. in pristinam sedem restituto ab eo vicissim fit, & coronatur Imperator Occidentis Anno Domini 800. ipso die Natalis Domini; Id autem factum authoritate huius Romani Pontificis, & iustissimo iure ostendit Bellarminus noster in aureo libro suo *de Translatione Imperij Romani à Græcis ad Francos aduersus Matthiam Flaccium Illyricum* edito Antuerpiæ anno 1589. ex quo refutari potest Bertius l. 2. comm. de rebus Germanicis c. 6. negans Carolum habuisse Imperium à Papa.

2 Quod spectat ad Catalogum Imperatorum Romanorum, ex Historicis, Annalibus, & Chronologijs multorum concinnatum, & seorsim editum, videri potest Franciscus lib. 2. Chronologiæ à pag. 120. Io. Baptista Egnatius lib. 2. & 3. de Cæsaribus, Io. Bapt. Cauallerius, in Imperatorum Rom. effigiebus, & elogijs. Carolus Sigonius in Indice libri de Regno Italiæ; Petrus Bertius in Commentario rerum Germanicarum lib. 2. à cap. 6. Onuphrius, & Gordonus in Chronologijs, Flosculi Historici Auctor, editus Coloniæ anno 1654. Videndus etiam Petauius parte 1. Rationarij, Spondanus in Annalibus, cum Baronio. Sed in aliquibus non pauca corrigenda sunt ex illis auctoribus, qui vixerunt eo tempore, quo Imperatores, de quibus scribebant, & distinguenda sunt tempora electionum à temporibus coronationum, quæ aliqui confundunt. Vtinam verò multorum Imperatorum tempora stabilire possemus per Eclipses, aliosue characteres, sicut aliquorum possumus. Nam anno 39. Regni, sed Imperij 6. Caroli Magni, Lunam defeciſſe die 2. Septembris, tradunt Annales Caroli M. & Andelmus in vita Caroli: hunc autem annum fuisse Christi 806. ostendunt Astronomici Canones. Deinde anno 7. Imperij eius aiunt Solem defeciſſe die 11. Februarij, Lunam verò tum 26. Februarij tum 22. Augusti, quæ non nisi anno Christi 807. euenire potuerunt, saluis Astronomiæ regulis. Præterea anno 9. Imperij eiusdem, referunt Eclipsim Lunæ 26 Decembris; nempe anno Christi 809. Denique anno 11. Imperij Caroli aiunt Solem defeciſſe 15. Maij, ergo anno Christi 811. Ludouici autem primi annos Christi 817. 818. 820. 828. 832. Eclipses illustrarunt, vt refertur in Annalibus, & Vita Ludouici Pij, sed illa præcipuè, quæ morti eius præluxit pridie Ascensionis Dominicæ die 6. Maij hora diei 9. hæc enim euenire non potuit, nisi anno Christi 840. quo Ludouicus obijt die 20. Iunij; ex Annalib. Francorum.

Othonem Magnum obijsse Nonis Maij feria 4. ante Pentecostem narrant Abbas Vrspergensis, & Vuitichindus; ergo fuit annus Christi 973. quo Pentecoste incidit in Maij 11. currente litera Dominicali E, et dies 7. in feriam 4. At anno quo decessit Conradus II. successit Solis defectio 29. Augusti hora 6. feria 4. vt refert Glaber 4. p. Annalium c. 9. id verò accidit Christi anno 1039. Conradi quoq; III. mortem Otho Frisingensis confert in 15. Kal. Martij feria 6. ergo fuit anno 1152. potiùsquàm 1151. Christi. Henricum Quintum Vltraiecti mortuum esse anno 1125. sed feria 5. post Pētecostem seu 12. Kal. Iunij tradit Anselmus in Appendice ad Sigebertū, quē secutus est Onuphrius in Chronico, vbi pro *Iunij* mendosè impressum est *Ianuarij*, nam statim Onuphrius ait post interregnum mensiū 3. & dier. 23. electum fuisse Lotharium Idibus Septembris. Vrspergensis tamen, & Otho Frisingensis aiunt obijsse Sabbatho post Pentecostem 10. Kal. Iunij, qui Characteres non conueniunt nisi anno 1125. Christi.

Addit Vbbo Emmius l. 3. Chronologicar. rerum pag. 79. quędam diplomata Imperatorum, quibus eorum Anni confirmantur nempe Caroli Magni, Caroli Calui, Caroli Crassi, Arnulphi, Othonis, Conradi, Henrici &c. quibus & nos vsi sumus.

CATALOGVS IMPERATORVM OCCIDENTALIVM
à Carolo Magno, ad Ferdinandum III.

Carolus Magnus Pipini filius Rex Franciæ, & Italiæ cum Leonem III. Summum Pontificem in suam Sedem restituisset, ab eodem Leone creatus est Imperator Romanorum in Occidente anno Christi DCCC. die 25. Decembris, post interruptum Imperium hoc sub Augustulo annis CCCXXV. Acclamatūq; illi à S.P.Q.R. statim his verbis: CAROLO MAGNO IMPERATORI CÆSARI AVGVSTO, PIISSIMO, ET PACIFICO A DEO CORONATO VITA, ET VICTORIA. Obijt pijssimè Aquisgrani anno 814. Ianuarij 28. SS. Innocentium festo annorum 71. Regnauit an. 47. imperauit an. 13. mens. 1. d. 4.

Ludouicus Pius Caroli M. fil. succeſſit statim patri, obijtq; Moguntiæ annor. 64. anno 840. Iunij 20. imperauit ann. 26. mens. 4. d. 24. eum Stephanus Papa IV. Rhemis coronauit anno 815. 29. Octob.

Lotharius Ludouici fil. succeſſit statim patri, & curarum humanarum pertæsus, relicto Imperio Monachus factus est Prumiæ, obijtq; anno 855. Septemb. 29. imperauit an. 15. mens. 3. d. 10. eum coronauit Paschalis Papa Romæ anno 822. viuo Patre.

Ludouicus II. Lotharij fil. succeſſit mox patri, obijtq; Mediolani anno 875. August. 8. imperauit ann. 19. mens. 10. d. 8. solus.

Caro-

Carolus II. Caluus filius Ludouici Pij succeſſit anno 875. Aug. 8. & Mantuæ veneno propinato à Sedecia Medico Iudæo extinctus eſt ann. 877. Octob. 6. imperauit an. 2. menſ. 2.

Ludouicus III. Balbus Calui filius, coronatus quidem fuit anno 878. à Io. Papa Idib. Sept. ſed corona Regia non Imperatoria, licet Io. ſtuduerit, ſed fruſtra, facere illum Imperatorem, obijt verò anno 879. April. 10. in Paraſceue. Nec eſt numerandus inter Imperatores.

Carolus III. Craſſus Ludouici Germaniæ Regis filius, electus anno 879. coactus abdicauit anno 887. Nouemb. 11. cum imperaſſet an. 8. menſ. 7. priuatuſq; in Augeo Monaſterio prope Conſtantiam, obijt anno 888. die 12. Ianuarij.

Guido filius Lamberti Ducis Spoletini, poſt repudiatum à ſuis Carolum III. aſſumpſit Imperium, & Carolo III. defuncto reſumpſit anno 888. poſt 12. Ianuarij, ſeu veriùs aſſumptum retinuit. Arnulphus enim Carolomanni filius naturalis, non fuit Imperator, ſed electus Rex Germaniæ anno 887. Nouembris vndecimo die. Guido autem anno 892. coronatus fuit Romæ à Formoſo Papa, vt conſtat ex Formoſi Epiſtolis apud Frodoardum lib. 4. Hiſtoriæ Rhemenſis cap. 2. eſto antea nominaretur Imperator, & Auguſtus, vt patet ex Ioanne Monacho in Chronico Monaſterij S. Vincentij. Anno autem 893. idem Formoſus coronauit Imperatorem Lambertum filium Guidonis, vt patri defuncto poſtea ſtatim ſuccederet in Imperio; Guido porrò anno 899. dum inſequitur Arnulphum apud Tarum flumen defunctus eſt, vt teſtatur Luitprandus lib. 1. c. 10. Proinde Guido ab aſſumptione Imperij imperauit annos ferè 12. ſed à coronatione annos 7. & aliquot menſes.

Arnulphus Carolomanni filius naturalis, electus in Regem Romanorum anno 887. d. 11. Nouembris; Sed anno 896. vocatus à Formoſo Papa, Romam cœpit, multiſq; Romanis Principibus capite obtruncatis, coronatus fuit ab eodem Imperator, ſed violenter, aut ſurreptitiè; Nam in Synodo celebrata ſub Ioanne IX. Romæ, reprobata fuit vnctio Arnulphi tanquam ſubreptitia, & comprobata vnctio Guidonis, & Lamberti tanquam legitima. Iam verò Arnulphus, non anno 894. vt erroneè Regino notat, ſed anno 899. obijt 29. Nouembris Ratiſponæ ex morbo pediculari, vt narrat Luitprandus lib. 1. cap. 9. etſi verò apud Politicos, & Hiſtoricos quoſdam poſitus ſit in Catalogo Imperatorum; iuxta Sacros tamen Canones, & Catalogum Pontificium non eſt numerandus inter legitimos Imperatores, eſto dicatur imperaſſe annos 12. menſem 1. ac dies 19.

Ludouicus IV. Arnulphi filius ſucceſſit anno 899. Nou. 29. ſed Berengarius anno 904. ſalutatus ab Italis Imperator eum Veronæ oculis, & imperio priuauit; imperij anno ferè 4. obijt autem Ratiſponæ anno 911. Decembri. Quare Imperium durauit in Francis, vſq; ad annum 904.

Berengarius ſalutatus Imperator anno 904. vnctus Romæ anno 915. occiſus eſt Veronæ anno 923. Nouemb. 30. imperij 19.

Conradus filius Conradi Comitis Franconiæ electus à Germanis, viuente Berengario anno 912. occiſus eſt ab Adalberto Francorum Comite anno 919. Iun. 30. imperauit an. 7. menſ 6.

Henricus Auceps filius Othonis Saxoniæ Ducis, electus anno 919. Iulij 1. obijt ex paralyſi annorum 60. anno 936. Iul. 2. imperauit ann. 17.

Otho Magnus Henrici Aucipis filius ſucceſſit ſtatim Patri, deceſſitq; Magdeburgi ann. 973. Maij 7. imperauit ann. 36. menſ. 10. d. 6.

Otho II. fil. Othonis Magni, ſtatim Patri ſucceſſit, & ex vulnere ſagittæ venenatæ Romam delatus obijt an. 983. Decemb. 8. imperauit an. 10. menſ. 7.

Otho III. Rufus fil. Othonis II. ſucceſſit anno 983. Decemb. 8. ſuaſitque Gregorio V. vt nouam formam, & ſtatam eligendi Imperatoris conderet, quod factum eſt per ſeptem electores, & hodieq; durat; obijt deinde apud Paternum anno 1002. Ianua. 24. imperauit an. 18. men. 1. dies 21. Vt ex eius & ſucceſſoris diplomate euincit Baronius contra cenſentes mortuum anno 1001.

Henricus II. Claudus Dux Bauariæ, & Comes Bambergæ, primus iuxta formam Gregorij V. electus eſt à Septemuiris anno 1002. Ianuario exeunte, & coronatus Moguntiæ d. 11. Iunij, ſed ab æterno electus fuerat à Deo O. M. vt eſſet ſanctitate, ac miraculis præclarus; Is celibem vitam perpetuò tranſegit cum S. Chunegundæ vxore ſua, ſanctèq; obijt Bambergæ Anno 1024. Iulij 14. imperauit an. 22. menſ. 5. d. 21. & per S. Stephanum, Hungarorum Regem totam ferè Hungariam ad fidem Catholicam perduxit.

Conradus II. Salicus Hermani Ducis Francorum filius anno quidem 1024. Germaniæ Rex, ſed non niſi poſt duorum ferè annorum interregnum diſſentientibus inter ſe Electoribus, tandem Imperator electus eſt an. 1026. non 1024. vt malè Onuphrius, obijt verò ſubita morte prope Traiectum anno 1039. Iunij 4. imperauit annos 13. & paulo plus.

Henricus III. Niger Salici filius, antea electus, ſtatim ſucceſſit patri anno 1039. à die 4. Iunij, vixitq; annos 39. & deceſſit anno 1056. Octob. 5. imperauit Ann. 17. M. 4. D. 22.

Henricus IV. Nigri filius quinquennis viuente patre creatus Cæſar, ei ſtatim ſucceſſit, ſed quòd Epiſcopos, & Abbates pretio, ac priuata authoritate conſtitueret, excommunicatus à Gregorio VII. anno 1076. ac Imperio priuatus eſt: vnde Saxones elegerunt Rodulphum Sueuiæ Ducem, ſed hic cum Henrico pugnans occubuit Idib. Octobris anni 1080. Henricus Roma capta, & fugato Pontifice, tandem varijs iactatus procellis, & à filio Imperio priuatus, Leodium profugit, ibiq; in magnis anguſtijs mortuus eſt anno 1106. Aug. 7. cum imperaſſet An. 49. M. 10. D. 3. & collatis ſignis in acie 62. vicibus pugnaſſet, vixiſſet annos ferè 56.

Henricus V. quarti filius Imperio potitus eſt anno 1106. Aug. 7. violentus tribus Summis Pontificibus, & excommunicatus, tandem reſipuit obijtq; Vltraiecti anno 1125. Maij 22. extorſerat coronam Imperialem Paſchali Papæ die 25. Decemb. anni 1106. imperauit Ann. 18. M. 2. D. 17.

Lotharius Saxo, ideſt Saxoniæ Dux dictus *Aleator* poſt interregnum menſium 3. dierumq; 23. electus fuit anno 1125. Idib. Sept. nec tamen coronatus eſt Romæ niſi anno 1133. obijt Veronæ anno 1138. Decemb. 3. imperauit An. 13. M. 2. D. 21. fuit poſtea interregnum Menſium 4. D. 4.

Conradus III. filius Friderici Sueuiæ Ducis, electus anno 1139. kalendis Aprilis, obijt Lorchij apud Geſnam Ann. 1152. Febr. 15. feria 6. imperauit Ann. 12. M. 10. D. 15.

Fridericus Aenobarbus Conradi III. nepos, poſt interregnum dierum 17. electus eſt anno 1152. Martij 5. extinctuſq; in Cydno flumine prope Tarſum cum equo anno 1190. Iunij 11. imperauit Ann. 37. M. 3. D. 7.

Henricus VI. Aſper. Friderici fil. ſucceſſit patri anno 1190. ſed coronatus eſt 1191. Romæ à Cæleſtino III. April. 15. obijt Meſſanæ anno 1198. Sept. 30. imperauit annos 8. M. 3. d. 19. fuitq; poſteà interregnum M. 8. D. 6.

Philippus Sueuiæ Dux filius Ænobarbi, & frater Henrici VI. electus eſt anno 1199. Martij 8. prævalente Gallorum Rege, nam Othonem aliqui Electores elegerant ſuaſu Innocentij III. & Anglorum Regis, ſed in bello præualuit Philippus, & tandem Bambergæ occiſus eſt à neſcio quò Othone de Vuitilſpach 1208. Iunij 23. imperauit An. 9. M. 3. D. 16.

Otho IV. Saxo Henrici Bauariæ, & Saxoniæ Ducis filius, ſtatim ſolus ſucceſſit Philippo, coronatuſq; ab Innoc. III. anno 1209. Octob. 11. ſed ab eodem excommunicatus, imperioq; priuatus anno 1210. & iterum 1212. tandem deſtitutus ab omnibus, mœrore confectus, ab excommunicatione tamen abſolutus deceſſit anno 1216. vt habet Chronicum Colmar. & Trithem. in Chron. Hirſaug. licet Onuphrius mortuum dicat anno 1218. kal. Maij Imperarat legitimè minus biennio.

Fridericus II. Henrici VI. filius, excommunicato Othone IV. electus fuit Cæſar Aquiſgrani anno 1210. vt habet Onuphrius, vel potius 1211. vt Vincentius tomo 4. l. 31. c. 1. ſed Imperatoriâ coronâ accepit ab Honorio III. Romæ anno 1219. Nouemb. 22. vt habet Vrſpergenſis, eſto Onuphrius ponat annum 1220. Hic quater excommunicatus à Summis Pontificibus, tandem Manfredi filij nothi dolo necatus eſt anno 1250. Decemb. 13. vt habet

Onu-

Onuph. vel Octob. 18. vt habet Trithemius annorum 57. solus, sed non legitimè imperauit annos 32. vel 34.

Henricus VII. Friderici II. filius decennis electus fuit Aquisgrani, & coronatus Rex Romanorum, sed non fuit Imperator.

Guillelmus Hollandiæ Comes, creatus Rex Romanor. anno 1246. & designatus Imperator anno 1248. non possedit pacificè imperium nisi à morte Friderici, & anno 1256. à Frisijs interemptus est. Mortuo tamen Friderico creatus fuit in Italia Romanorũ Rex Conradus IV. qui obijt 1254. Maij 24. cum regnasset an. 3. mens. 5. d. 10.

Mortuo Guillelmo fuit interregnum annorum 2. & amplius.

Richardus Cornubiæ princeps, & Regis Angliæ frater electus est ab aliquibus in Regem Romanorum anno 1257. & in Imperatorem anno 1258. Ianuarij die 6. Aliqui tamen Electores delegerunt die 31. Martij *Alphonsum Castellæ Regem* Astronomiæ deditum, sed hic solo titulo contentus, non discessit ex Hispania, quo titulo potitus est, vsq; ad Rodulphi electionem per annos 15. mens. 6. d. 12. Richardus autem post annos 6. contemptus à Germanis, fugit in Angliam; & interim vacauit Imperium, Alphonso illius curam negligente, donec iussu Gregorij X. Summis Pontificis indictis comitijs, electus est Rodulphus, Ottocaro Rege Bohemiæ Imperium delatum superbè aspernante.

Rodulphus Habspurgi Comes in Alsatia, & Ottocari Reg. Bohem. Curiæ Magister electus fuit Francofurti, anno 1273. Octob. 12. & Aquisgrani coronatus, victoq; & occiso Ottocaro, qui rebellarat anno 1278. ipse tandem Gemerscheymi prope Spinam mortuus est annorum 73. anno 1291. Septembris die 30. cum imperasset annos 17. mens. 11. d. 19.

Adolphus Nassauuius Comes electus anno 1292. Ianuarij 7. & Aquisgrani coronatus, Alberto Duce Austriæ, & filio Rodulphi contendente sibi debere Imperium: quare Electores, rapacitatem, & crudelitatem Adolphi exosi, eum in ordinem redegerunt, & Albertum elegerunt, qui in prælio prope Vuormatiam Adolphum interemit anno 1298. Iulij 14. cum imperasset annos ferè 6.

Albertus Austriæ Dux, Rodulphi filius, sublato Adolpho, Imperio potitus est, & anno 1299. Iul. 27. confirmatus Francofurti, coronatusq; Aquisgrani an. 1301. Deinde à Ioanne fratris sui filio trucidatus est anno 1308. kal. Maij cum imperasset solus annos 9. mens. 9. d. 15. successit interregnum mens. 6. d. 25.

Henricus VII. Lutzemburgi Dux electus est Francofurti anno 1308. Nouembris 24. licet alij ponant Kal. Nou. deinde Pisis extinctus est anno 1313. Augusti 24. cum imperasset annos 4. mens. 9. sequutum est interregnum anni 1. mens. 1. d. 24.

Fridericus III. Pulcher, Austriæ Dux Alberti Imper. filius electus est anno 1314. Octob. 18. Francofurti, & Bonnæ coronatus; sed non ab omnibus Electoribus, aliqui enim elegerunt eodẽ die *Ludouicum Bauariæ Ducem*, & Aquisgrani coronarunt: hinc bello ciuili orto, victus Fridericus captusq; anno 1323. postea dysenteria obijt anno 1330. die 13. Ianuarij.

Ludouicus V. Bauarus solus imperare cœpit ab anno 1330. Ianuar. 13. qui exautoratus à Pontificibus, & depositus ab Electoribus est, ac tandem in venatu contra vrsum præcipitatus ex equo perijt Octob. 11. anno 1347. anno à pristina electione 33.

Carolus IV. Luthzemburgensis fil. Io. Regis Bohemiæ inter alios contra Ludouicum Bauarum anno 1346. Iulij 11. electus cœpit solus imperare anno 1347. Octob. 11. & coronatus est Romæ anno 1355. die Paschatis 5. Apr. anno autem 1376. redemptis ingenti pecunia suffragijs Septemuirorum Vuinceslaum filium creauit Regem Romanorum annoq; 1378. obijt Nou. 29. imperauerat post Ludouicum an. 31. mens. 1. d. 20. Guntherus contra Carolum electus anno 1349. obijt mens. 6. Kal. Aug.

Vuenceslaus Iners annor. 17. successit patri anno 1378. Nou. 29. & anno 1400. imperio deturbatus est ab Electoribus Aug. 20. propter inertiam, cum imperasset ferè annos 22. deinde ex ira in apoplexiam incidens, & paralysi per 18. dies laborans miserè obijt anno 1418.

Fridericus IV. Brunsuicensis anno 1400. contra Vuenceslaum electus die 20. Augusti paulo post obijt, & in eius locum subrogatus Robertus.

Robertus Bauariæ Dux, & Comes Palatinus Rheni anno 1400. deiecto iam Vuenceslao electus est Septembris die 10. obijtq; insperato Oppenheimi Kal. Iunij anni 1410. cùm imperasset an. 9. mens. 8. d. 21. successit interregnum mens. 3. d. 19.

Iodocus Moraviæ Marchio, electus anno 1410. Septemb. 20. obijt anno 1411. Martij 20. post 6. mensium Imperium.

Sigismundus Hungariæ Rex Caroli IV. filius Venceslai frater electus fuit Imperator anno 1411. mense Martio, coronatus ab Eugenio anno 1432. obijt annorum 70. anno 1437. die 9. Decemb. imperauit an. 26. mens. 8.

Albertus II. Austriæ Archidux, Hungariæ, & Bohemiæ Rex Sigismundiq; gener electus fuit communibus suffragijs anno 1438. Kalendis Ianuarij, sed heu optimus Princeps ex peponum esu ad sedandam sitim, dysenteria extinctus est anno 1439. Sept. 26. imperauit an. 1. mens. 8. dies 26.

Fridericus V. Austriæ Dux Hernesti filius electus fuit anno 1440. kal. Ianuarij, obijtq; languore stomachi, & solutione alui Linzij anno 1493. Augusti 19. cum Imperasset annos 53. mens. 7. d. 19.

Maximilianus Austriacus, qui anno 1486. Febr. 16. creatus fuerat Romanorum Rex, mortuo Friderico V. patre anno 1493. Aug. 19. successit in Imperio, ventrisq; profluuio obijt annorum 63. anno 1519. Ianuarij d. 12. cùm imperasset an. 25. mens. 4. d. 25. interregnum fuit mensium 5. d. 16.

CAROLVS V. Maximiliani Nepos filius Philippi Archiducis Austriæ, & Ioannæ Ferdinandi, & Isabellæ filiæ natus est anno 1500. die S. Matthiæ sacro, idest 24. Februarij hora 3. min. 49. post mediam noctem præcedentem: Dumque esset Rex Hispaniæ, ac Siciliæ, versaretur; in Hispania fuit communibus suffragijs electus in Imperatorem anno 1519. Iun. 28. & anno 1520. coronatus Aquisgrani. Anno verò 1555. abdicauit se Regnis Bruxellis die 25. Octobris, relictis Philippo filio Regnis hæreditarijs, & anno 1557. Februario incluſit se cœnobio Hieronymianorum D. Iusti Toletanæ Diœcesis, ac tandem ibi obijt anno 1558. nocte antecedenti dien. 21. Septembris, peruigilio S. Matthæi, cum vixisset annos 58. mens. 6. d. 25. Imperasset vsque ad abdicationem an. 36. mens. 2. d. 23. omnino 39. 2. 23.

Ferdinandus Austriæ Archidux Caroli V. frater, Rex Bohemiæ, & Hungariæ anno 1531. creatus Rex Romanorum post abdicationem Caroli, imperare cœpit iussu ipsius, & anno 1558. à Septemuiris creatus est Imperator Martij 18. obijtq; ex tabe catarrhosa Viennæ Austriæ anno 1564. Iulij 25. cum natus esset anno 1503. Maij 10. vixisset an. 61. mens. 2. d. 16. imperasset partim loco Caroli, partim per se annos 8. mens. 8. d. 1. ab electione autem sui an. 6. mens. 4. d. 8.

Maximilianus II. Ferdinandi Imperatoris filius anno 1562. Nouembri Francofurti electus in Romanorum Regem, & anno 1563. Possonij Hungariæ Rex, anno 1564. Iul. 25. mortuo parenti successit in Imperio; tandem anno 1576. die 12. Octobris ante meridiem viuere desijt, cum vixisset annos 48. mens. 2. d. 12. quippe natus anno 1527. kal. Aug. hora 12. post merid. imperasset an. 12. mens. 2. d. 18.

Rodulphus II. filius Maximiliani II. & Mariæ filiæ Caroli V. anno 1576. die 12. Octobris successit patri in Imperio, quippe antea Ratisponensibus comitijs à patre, & Electoribus designatus successor; anno deinde 1612. Ianuarij die 20. obijt, cum natus esset Viennæ anno 1552. Iulij 18. vixisset annos 59. mens. 6. d. 3. imperasset ann. 35. mens. 3. d. 9.

Matthias Maximiliani II. filius, Rodulphi frater, Hungariæ, & Bohæmiæ Rex natus anno 1556. successit fratri in Imperio anno 1612. Iun. 24. obijtq; anno 1619. Martij 20. cum vixisset annos 62. imperasset an. 6. mens. 8. d. 26. decessit sine liberis.

Ferdinandus II. Rex Hungariæ, & Bohemiæ successit in Imperio anno 1619. electus Francofurti Aug. 28. obijtq; anno 1637. Febr. 14. succedente die 15. annorum 59. cum imperasset annos 17. mens. 5. diesq; 17.

Ferdinandus III. natus est anno 1608. Iul. 12. hora 2. min. 46. post merid. successit Ferdinando patri, electus antea Rex Romanorum, obijt ex dolore stomachi anno 1657. die 2. Aprilis feria 2. Paschatis, imperauit annos 20. mens. 1. d. 15. vixit annos 48. mens. 8. d. 21. successit ei filius Leopoldus.

CAPVT XVI.

De Indictionibus.

CONCLVSIO XVI.

Licet Indictiones ad signanda tempora quidam repetant à Cæsaris, Augusti, aut Hadriani tempore; Indictionum tamen communiter vsitatarum exordium fuit Anno Epochæ Christi CCCXII. eiusq; dies 24. Septembris quo Constantinus Magnus Maxentium extinxit, loquendo de Indictionibus Imperatorum in Occidente; in Oriente autem apud Constantinopolitanos à Kalendis Septembris eiusdem Anni CCCXII. Pontificiæ autē olim cum Imperatoribus postea à die 25. Decembris, vel à Kalendis Ianuarij computari sunt solitæ.

1 TRactant de Indictionibus *Bedas* de natura rer. cap. 48. *Onuphrius* l. 2. Comm. in Fastos ad annum V.C. MLXIV. *Io. Lucidus* de die Pas. Christi c. 7. *Gyraldus* de annis pag. 32. *Beroaldus* lib. 4. Chron. c. 4. *Iacob. Kristmannus* de Connexione annor. pag. 432. *Ioseph Scaliger* lib. 5. de emend. tempor. pag. 501. *Vbbo Emmius* lib. 3. Rerum Chronolog. pag. 79. & l. 5. pag. 109. *Pancirolus* in varijs lectionibus l. 2. c. 242. *Baronius* tomo 3. ad annum 312. *Franciscus Hotomanus* in Comment. de verbis Iuris, verbo *Indictio*. *Petauius* l. 11. de doctrina temporum c. 39. & 40. *Georgius Heruartus* c. 239. Nouæ Chronologiæ, *Keplerus* in Tabb. Rodulphinis pag. 38. & *Vuilhelmus Langius* lib. 1. de Annis Christi cap. 8.

2 Dixi autem in Conclusione *Ad signanda tempora*, quia nemo paulo eruditior in historia dubitat, quia multo ante Cōstantinum Magnum fuerint in vsu Indictiones, quatenus significant intimationem, vel edictum de pensitando tributo, aut relaxando veteri tributo, per cōdonationem, aut largitionem quandam factā ab Imperatoribus celebrantibus Quinquennalia, aut Decennalia, aut Vicennalia, ideſt Imperij sui annum Quintum, Decimū, aut Vicesimum; idcircò enim Indictio dicitur à Græcis non rarò ἐπανέμησις, ideſt distributio, seu *largitio*. Asconius Pedianus in IV. Verri- tio dicitur à Græcis non rarò ἐπανέμησις, ideſt distributio, seu *largitio*. Asconius Pedianus in IV. Verri- nam ait: *Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, Canonis, Oblationis, Indictionis*; Bedas quoq; de natura rerum cap. 47. inquit. *Quidam autem putant, quia quondam in Republica post censum quinto anno peractum, vrbs Roma lustrabatur, ad indicium ternæ lustrationis, & census Indictiones esse conditas.* Plinius inter alias Traiani laudes in Panegyrico hanc ponit: *Nec nouis indictionibus pressi ad tributa deficiunt.* Sed quando significat certam annorum computationem ab Epocha aliqua initam dicitur à Græcis Ἰνδικτος, & Ἰνδικτιῶν, quod vocabulum putide Constantinus Porphyrogenitus, & Cedrenus deriuant ab Ἰνάκτιων, nempe ab Actio promontorio, quia ab Actiaca victoria putant Indictiones per Augustum institutas.

3 Qui ad Cæsarem Augustum Indictionum institutum referunt sunt Fasti Siculi, seu Chronicon Alexandrinum, Maximus Monachus in computo, Georgius Monachus ibidem, Constantinus Porphyrogen. &c. & Cedrenus; Dionysius Exiguus. Nam Chronicon Alexandrinum ad Consulatum Lepidi, & Planci habet. *A primo Anno C. Iulij Cæsaris, & præcedentium Consulum Lepidi, & Planci, duodecimaq; mensis Artemisij Antiocheni sua tempora numerant. Indictiones autem computari cæperunt à prima die Mensis Gorpiei*, respondet autem Artemisius Maio, & Gorpieus Septembri. Sed præter alios errores huius Chronici à Petauio lib. 11. c. 39. notatos ille manifestissimus est, quod Consulibus *Lepido, & Planco*, nempe anno ante Epocham Christi 42. consignat annum præcedentem anno primo C. Iulij Cæsaris, qui tamen biennio ante occisus fuerat, sed pro Iulio Cesare voluit intelligere Octauianum Augustum, qui nomen Cæsaris assumpserat. Aut potius in hoc erravit, quod anno primo C. Iulij Cæsaris nempe ante Christi Epocham 46. Lepidus fuerat Consul, & huius Consulatum primum cum secundo confundit. At Maximus, & Georgius Monachi in Computo affirmant; *Anno Mundi 5460. expletum fuisse secundum Augusti Annum, & inisse tertium, quo & Indictionem ab eo decretam esse.* Porrò annum Mundi 5460. ex regulis Maximi Monachi incœpisse ab Autumno anni 34. ante Epocham Christi ostendit Petauius lib. 9. de doctrina temporum cap. 3. Et sanè methodus inueniendi Indictiones, vsitatus à Chronologis non repugnat, si eæ retrotrahantur ante Constantinum; nam anno præcedente Epocham Christi ponunt Indictionem tertiam, vsq; ad Septembrem, vel Septembris diem 24. inde enim inire Indictionem IV. Ergo sursum retrocedendo Indictio prima cœpit à Septembri anni 34. ante Epocham Christi. At falsum est annum illum fuisse Augusti secundum completum, & initum tertium, vt patet ex dictis c. 7. Si verò iuxta Constantinum Porphyrogenitum, & Cedrenum deriues indictiones ab Actiaca Victoria, nempe ab anno ante Christum 31. cadet prima non tertia Indictio in annum præcedentem Epocnæ Christi, quod est contra methodum vsitatam. Dionysius Exiguus affirmat Indictiones ab Augusto Cæsare institutas esse Olympiadis CXCIV. anno primo Septembri, & Christum natum Indictione tertia expleta iamq; inchoata, & currente quarta, quod & Bedas putat. Si posset ostendi Censum totius Orbis institutum fuisse illo anno ab Augusto videri posset verisimilis hæc opinio; nam Olympias CXCIV. cœpit ab æstate anni 4. ante Epocham Christi: sed de Censu sæpius ab Augusto indicto alibi disputandum est. Interim videri potest Petauius l. 11. c. 40. & l. 12. c. 8. contra Heruartum deriuantem Indictiones ab anno Epochæ Christi 16. quo Patres quidam putarunt initum fuisse vltimum Censum à Quirino.

4 His dimissis Langius l. 1. c. 8. postquam docuit, iam inde ab Augusti temporibus solitos esse Imperatores celebrare Imperij sui quinquennia, & decēnia, & vicennia (qua de re infra) adducit ex Anonymo Olympiadum supputatore ad annum 1. Olympiadis CCXXIV. hæc verba. *Hadrianus Romam veniens, remisit ea, quæ debita erant tam Imperatoris, quam publico Romanorum fisco, sexdecim annorum tempus constituens, à quo, & ad quod hæc debeant fieri.* Fuit autem ille Annus, ex dictis lib. 3. de Olympiadibus annus Epochæ Christi 117. qui fuit primus Hadriani, vt ostensum est c. 9. Addantur iam ex communi Methodo anni 3. annis Epochæ Christi 117. fiunt 120. quibus diuisis per 15. restat quotus 8. absque fractione; ergo anno illo absolutus est Cyclus annorum 15. & à Septembri incœpit primus annus Cycli noui, quem ab inclusis terminis supputator Olympiadum appellauit *sexdecim annorum tempus*. Quo fundamento putat Langius institutorem primum Indictionum, & Cycli huius quindecennalis fuisse Hadrianū, & Constantinum earum instauratorem potiùs quàm institutorem, licet quoad diem 24. Septembris authorem agnoscat Constantinum, ob victum eo die Maxentium.

5 At Iacobus Kristmannus post Comm. in Alphraganum, agens de connexione annorum pag. mihi 432. & Ioseph Scaliger lib. 5. emen. temp. à p. 501. Auctorem Indictionum agnoscunt Constantinum Magnum ab anno Epochæ Christi 312. eiusq; die 24. Septembris, non quòd illo die Maxentium vicerit, sed quia eo die Constantinus Quinquennalia dedit, & anno 327. vt habet Scaliger, vel 28. vt Krijtmannus, dedit vicennalia, à quinquennalibus autem ad vicennalia sunt anni 15. qui constituunt Cyclum Indictionum, sed nullum antiquum testem proferunt, qui asseuerit anno illo 312. Constantinum dedisse quinquennalia, nedum dedisse 24. Septembris. Nam de Vicennalibus in Chronico Eusebij è regione anni III. Olympiadis CCLXXVI. scriptum est in fine Chronici. *Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita*; & in Cas-

siodori

siodori Fastis sub Consulibus *Ianuario*, & *Iusto*, idem repetitur sic. *His Coss. vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.* Sed error est librariorum in Eusebianis lincis, quem Cassiodorus secutus est incuatè, nam Idatius in Fastis ait Vicennalia Constantini Romæ edita esse, ipso Constantino 7. & Constantio Cæsare Consulibus Aera 364. ergo anno Christi 326. Immò ipse Eusebius lib 3. de vita Constantini cap. 14. & 15. refert Vicennalia in Oriente celebrata à Constantino statim post absolutam Nicænam Synodum, & Patres omnes Synodi ab eo exceptos conuiuio, ac muneribus amplissimis, quæ confirmari etiam possunt ex Socrate lib. 1. c. 16. & Sozomeno l. 1. c. 25. At certum est Concilium Nicænum absolutum esse anno vulgari Epochæ Christi 325. nempe *Consulibus Paulino, & Iuliano*, vt suo loco probabitur lib. 9. & interim satis constat ex literis eiusdem Concilij datis ad S. Syluestrum Sum. Pontif. pro confirmatione, quæ obsignatæ sunt *viij. Kal. Iul. Paulino, & Iuliano Summis Coss.* Ergo Indictiones communiter vsurpatæ ab Imperatoribus, & Chronologis, cùm ineantur à Septembri anni Christi 312 non sunt institutæ Vicennalibus Constantini, ita vt tunc primus annus nouæ Indictionis cœperit; anno enim 321. indictio fuit xiij. vsq; ad Septembrem, à cuius vel Kalendis, vel 24. die cœpit Indictio xiv. iuxta communem regulam.

6 Onuphrius Panuuinus l. 2. Com. in Fastos ad annum V. C. 1064. & apud eum P. Octauius Pantagathus; Vbbo Emmius l. 5. rerum Chronologicar. C. vlt. Franciscus Hotomanus in Commentario de verbis Iuris, verbo *Indictio*, & quoad Constantinianas Indictiones ipsemet Langius censent, Indictiones institutas vel initas anno Epochæ Christi Eusebiano 313. sed Dionysiano, & Communi 312. & die 24. Septembris à Constantino Magno; eo quòd illo die Maxentium vicerit; licet Vbbo ab eo die nouam æram orsum esse, aut renouasse illam putet, quæ Antiochiæ Syriæ iam pridem vsitata erat. Hotomani autē verba sunt hæc: *Indictiones tributa sunt, quæ non personis, sed prædijs indicuntur L. Iulianus 13. §. 5. D. de act. empt. & pass. C. de annon. & trib. l. 10. Hinc Indictiones (vt videtur) appellatæ sunt, ex quibus annorum ratio constitui cœpta est, Constantino Imperante, anno Christi CCCXIII. ante diem VIII. Cal. Octob. quo die victus Maxentius, Religioq; Christiana in libertatem vindicata est. Ergo quasi à primordijs Christianæ libertatis, Nicæni conuentus auctoritate institutum est, vt sublatis Olympiadibus annorum ratio, ab eo tempore iniretur: sic vt decimo quinto, quoque anno noua esset indictio; anni autem singuli cuiusq; Indictionis computarentur.* At Onuphrius affirmat Epocham Indictionum initam quidem à die 24. Octobris anni Christi 313. (intellige Eusebiani, nam in Chronico ponit Dionysianum 312.) sed non tunc institutas, sed postea à Cōcilio Nicæno, & substitutas pro Olympiadibus, quod partim & Zosimo, & Beda, partim ex Canone Concilij Nicæni colligit; licet Canon talis apud nos non extet.

7 Quoad annum in quo Indictiones Constantinianæ computari sunt cœptæ Chronicon non Eusebij, vt habet Langius, sed Alexandrinum, seu Fasti siculi *ad Annum* IV. *Olympiadis CCLXXII. Consulibus Constantino, & Licinio* II. habet hæc verba Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐν τούτῳ ἀρχή: *Indictionum Constantinianarum hinc sumitur initium*, At ille annus ex veris Fastis est Christi 312. Marcellinus Comes in Chronico sic incipit: *Indictione vij. Ausonio, & Olybrio Consulib. Theodosius &c. Imperator creatus est xiv. Kal. Februarij.* Annus hic ex Fastis est Christi 379. in cuius Ianuario currebat indictio cœpta à præcedente Septembri anni 378. ergo anno 372. fuerat indictio 1. & demptis annis 60. idest quatuor Cyclis indictionum remanet annus Christi 312. pro Initio Indictionum. Quo tenore procedit Marcellinus vsque ad finem Chronici, & eundem annum 312. supponunt Indictiones notatæ in Actis Concilij Chalcedonensis, aliorumq; Conciliorum, ex Chronico Alexandrino, & Theophane, & in Codice Theodosiano passim. Extat Verone Epitaphium S. Valentis Episcopi, in quo sic. *Recessit sub VIII. kal. Augusti post Consulatum Lampadij, & Orestis Indict. IX.* Annus erat Christi 531. cui ex regula communi congruit indictio 9. Præterea lib. 12. Epistolarum S. Gregorij extat priuilegium Cœnobio S. Medardi Suessionensi concessum, & signatum hac Clausula. *Datum vij. Cal. Iunij anno ab Incarnatione Domini DXCIII. Indict.* vndecima. Et in diplomatæ Caroli Magni pro fundatione Episcop. Bremensis, quod recitat Vbbo l. 3. pag. 79. habetur. *Data* 11. *idib. Iulij, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXIIX. Indict. xij.* & in testamento eiusdem apud Eginarthum: *Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXI. anno regni Caroli in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. Imperij autem XI. Indictione IV.* & in Epitaphio eiusdem apud eundem: *Decessit anno Domini DCCCXIV. Indict. VII. die V. Kal. Febr.* Addit alia diplomata Vbbo, Imperatorum Ludouici, Caroli Crassi, Arnulphi, Ottonis I. & III. Conradi II. & Henrici III. annis Domini, & Indictionib. signata; in quibus omnibus supponitur Indictionum initium computatum ab anno Domini 312. Vnde orta est trita illa regula non solùm apud Chronologos, sed etiam apud Iurisconsultos, vt patet ex Vocabulario Iuris verbo *Indictio*, videlicet Indictionem haberi; si annis Christi datis addas 3. & summam diuidas per 15. si enim nulla fractio supersit illo anno absolutus est Cyclus indictionis, seu currit Indict. 15. vsque ad Septembrem, inde autem incipit annus primus Indictionis nouæ: at, si supersit fractio, numerator fractionis dabit Indictionem currentem illo anno, vsque ad Septembrem quam regulam Gyraldus conciuis meus hoc districho complexus est.

Si tribus adiunctis Domini diuiseris annos,
Ter tibi per quinos indictio certa patebit.

8 Quod spectat ad mensem & diem, Constantinianam Indictionem in Occidente, seu apud Latinos iniri à die 24. Septembris fatentur omnes initio huius capitis nominati, scribit enim S. Ambrosius Epistola 83. ad Episcopos Æmiliæ: *Indictio enim Septembri mense incipit*, & Bedas lib. de ratione temporum cap. 46. *Incipiunt Indictiones ab viij. Cal. Octobris, ibidemq; terminantur.* Causam dici huius electi siue à Constantino siuè à Concilio Nicæno fuisse victoriam Constantini eo die reportatam de Maxentio censet P. Octauius Pantagathus, Onuphrius, Vbbo Emmius, Hotomanus, & Langius locis iam supra recensitis. Fundamentum eorum est quia anno illo 312. Domini Constantinus nihil adeo insigne, & nouæ Epochæ nota dignum gessit, præter illud quod Romam à Maxentij tyrannide liberauit: loco enim hastæ à Maxentio in foro Romano defixæ, sub qua bona ciuium in exilium pulsorum venundabantur; Constantinus Crucem, à cuius signo vicerat, erexit cum inscriptione hac: SALVTARI HOC SIGNO TANQVAM VERÆ FORTITVDINIS ARGVMENTO, VRBEM VESTRAM, IVGO TYRANNI, EREPTAM, LIBERAVI S. P. Q. R. AVCTORITATI, PRISTINÆ, DIGNITATIQVE RESTITVI. Nihil ergo verisimilius est, quàm ideo Indictiones à die viij. kal. Octob. initas, quia eo die Maxentium vicerat: præsertim cum nulla alia ratio possit adduci, & huic nihil repugnet: Quo posito sequitur Maxentium iniuisse imperium suum, seu tyrannidem die 25. Septembris anno Christi 306. Panegyristes enim in Panegyrico dicto ipsi Constantino, post debellatum Maxentium, inquit *Sed diuina mens, & ipsius Vrbis æterna maiestas, nefario homini eripuere consilium, vt ex inueterato illo torpore, & fœdissimis latebris subitò prorumperet, & consumpto per desidias sexennio, ipsum diem natalis sui vltima sua cæde signaret, ne septennarium numerum sacrum, & religiosum inchoando violaret.* Quia nempe si superuixisset vsque ad diem 25. Septembris, inchoasset septimum Imperij annum Maxentius. Hanc tamen coniecturam de victo Maxentio die 24. Septembris, licet validissimam Baronius eleuare conatur tomo 3. ad annum 312. pag. 89. quia Constantinus post Victoriam Maxentij non diu moratus est Romæ, dicente Nazario in panegyrico Constantini: *Quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inuexerat, bimestris ferè cura sanauit*: constat autem ex Constantini rescripto l. 1. C. de Censib. lib. 11. eum magnam partem Ianuarij Romæ egisse; Ergo inquit Baronius: *planè à nece Maxentij duos menses enumerando, quibus, & pars Ianuarij mensis includatur, necesse est affirmare, ipsa hyeme, nempe saltem post dimidium Nouembris Mensis, Constantinum de nece Maxentij triumphasse*: At pace tanti viri ego nullam necessitatem affirmationis huius video, potuit enim Constantinus bimestri circiter spatio puta Octobri, & Nouembri toto sanare mala quibus Maxentius Romanos ciues vexauerat; & deinde manere Romæ vsq; ad aliquot dies alia ordinando ad bonum commune, & stabiliendo imperium suum

antequam in Germaniam contra rebelles proficiſceretur. Sed vrget Baronius alijs ex eodem Nazarij verbis illis: *Pari ſtudio miſſum eiuſdem Tyranni ad permulcendam Africam caput, vt quam maximè viuus afflixerat, laceratus expleret, & nondum ſatis tempeſtiuo mari, efflarunt tamen nauigantibus felices auræ, & fluctus ſecundi: beatiſſimamque victoriam ipſa etiam elementa iuuerunt.* Sed neque hinc conficitur fuiſſe tunc hyemem, vt putat Baronius, quia, vt docui lib. 10. Geographiæ Reformatæ cap. 14. *ex Vegetio l. 5. c. 9. Rhodigino lib. 14. antiq. lect. c. 9. Briſonio ad L. Quoties C. de naufragijs, & L. Ciuil. C. de Officio Rectoris Prouinc.* Nauigatio ſecura cenſebatur à 6. Kal. Iunias, ad 18. kal. Octobris, inde autem ad 3. Id. Nouembris ſuſpecta, & non ſatis tempeſtiua, præſertim in Autumnali Æquinoctio, quod eo tempore incidebat in diem circiter 24. Septembris, ideoque Creſcentius in Nautica Mediterranea lib. 3. ait nauigationem à die 20. Maij ad 24. Septembris, eſſe tutam, inde verò minus tutam. Cum ergo caput Maxentij miſſum ſit poſt 24. Septembris in Africam, rectè dixit Nazarius miſſum mari non tempeſtiuo, nec tamen hinc ſequitur fuiſſe hyemem, aut prouectum Nouembrem.

9 Quoniam vero Conſtantinopolitani, annos ſuos numerare conſueuerant à kalendis Septembris, non mirum ſi Indictiones Conſtantinianas computabant à Kalendis Septembris. quo ſenſu Paulus Diaconus l. 2. c. 25. dicit: *Alboinus igitur Liguriam introiens Indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris &c. Mediolanum ingreſſus eſt,* Kalendis enim Septembris cœperat Indictio 3. anno Chriſti 539. quando Alboinus intrauit in Liguriam, & inde tertio die Mediolanum ingreſſus eſt; ſed ante hunc annum id vſitatum fuiſſe contra Scaligerum docet Petauius l. 11. c. 40. *ex L. vlt. Tit. XVI. lib. X. Cod. Iuſtin.* vbi Anaſtaſius Imperator totum Septembrē nouæ Indictioni eximit: & ex Actis Concilij Chalcedonenſis Act. 9. poſt Conſulatum *Zenonis, & Poſtumiani* die V. kal. Maias Indict. 1. Annus erat Chriſti 448. quo currebat Indictio I. & tamen eodem anno in Actione X. *Kalendis Septembris* iam dicitur II. *Indictio*. Id ipſum teſtatur Cedrenus de anno 16. Iuſtiniani dicens, prima die Septembris fuiſſe iam Indictionem 6. Proinde Imperatores Orientis, & Eccleſia Conſtantinopolitana Indictiones ab anno quidem 312. Chriſti, ſed à Kal. Septembris numerabant. Licet autem Iuſtinianus iuſſerit apponi in inſtrumentis Indictiones à Septembri putatas, idq; ſeruarit ipſe S. Gregorius in Epiſtolis ſuis, poſteà tamen viſum eſt Pontificibus indictiones inire vel à die 25. Decembris, vel à Kalendis Ianuarij ſubſequentis, vt conſtat ex ſtylo Curiæ, ſeu Palatij Apoſtolici, fatenturq; Scaliger, Petauius, Langius, & alij communiter; ideoq; cauendum eſt ne tempora Indictionum confundantur. Nam exempli gratia ſi aliquid factū legas Conſtantinopoli in Græco Hiſtorico Indictione X. idq; factum ſit die 15. Septembris; id iuxta Indictiones Cæſareas Latinorum erit factum currente adhuc Indictione nona, nedum iuxta Indictiones Pontificis; At ſi factū ſit poſt 24. Septembris, ſed ante Natalem Domini, vel kal. Ianuarias ſubſequentes, ſpectabit quidē ad Indictionem X. iuxta Indictiones Græcorum, & Latinorum Imperatorias, ſed ad Indictionem 9. iuxta Pontificias. An autem Antiocheni numerauerint Indictiones à Kalendis Maij, vt ex literis Patriarchæ Antiocheni contendit Scaliger, dubitat Petauius, quia Chronicon Alexandrinum potiùs indicat eos à prima die Gorpiei menſis, ideſt Septembris numeraſſe. Placet concludere hoc caput lege in Nouella Conſtitutione, quæ apud Græcos eſt 47. anno 11. Imperij Iuſtiniani poſt Conſulatum Beliſarij, nempe anno Chriſti 537. die 9. Kal. Iulij, qua Iuſtinianus præcipit: *In omnibus inſtrumentis in primis pone annum Imperatoris, poſteà Conſules, tertio loca Indictionum, & inde Menſem, ac Diem.*

LIBER QVINTVS
DE ANNIS REGVM ASIÆ, ET ÆGYPTI ANTIQVORVM,
Cum Epocha CHRISTI Nectendis.

CAPVT I.

De Annis Sinenſium, ſeu Serum cum Epocha CHRISTI connectendis.

CONCLVSIO I.

Ex illa parte Chronologiæ Sinenſium, quam ipſi habent pro veriſsima, Regnum eorum incœpit ab Anno ante Epocham CHRISTI Biſmilleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſecundo. Durauitq; à Foio, vſque ad Tauingam Tartarorum familiam, non ſine aliqua interruptione per Tartaros Sinam inuadentes, quadraginta ſex ferè ſeculis. Sed tanta antiquitas ſuſtineri non poteſt, ſaluo interuallo, quod Sacræ Scripturæ vulgata editio vna cum Cyri, & Olympiadum annis, inter Diluuium Noeticum CHRISTVMq; ſuppeditat, niſi eadem editio cum LXX. Interpretum textu ita concilietur, vt horum numeri æquè veri ſint ſub diuerſa ratione, ac numeri annorum in Vulgata editione, aut Anni Sinenſium antiquitus breuiores duodecumeſtribus fuiſſe admittantur.

VT de aſſertis in Concluſione melius iudicari poſſit, proponam ſtatim compendium Chronologiæ Sinenſis ex Societatis noſtræ Patribus nempe Nicolao Trigautio lib.1. Expeditionis Chriſtianæ apud Sinas c.5. & 10. Martino Martinio in Atlante Sinico, & Daniele Bartolo in Hiſtoria Soc.Ieſu, parte 3. Aſiæ Italicè ſcripta, & inſcripta *La Cina* paginis 56. 66. 543. 906. & 1094. Martinio quoq; in hunc finem vſus eſt Iſaac Voſſius in Diſſertatione de Mundi Ætate cap.11. At Scaligeri in his errores lib.5. de emend. temporum pag. 366. imputandi alijs vnde ipſe hauſit.

Anni ante Chriſtum.	
2952	*Foius I.* Rex Sinenſium, ſeu fundator huius Dynaſtiæ, regnauit annos 105.
2847	*Xinnungus* primus ex electis communi ſuffragio, regnauit annos 140.
2697	*Hoangtus*, occiſo in pugna Xinnungo, electus, & ipſe fuit; poſt eum tres alij ſucceſſiuè electi, & poſt hos *Iaus*, & deinde *Yuus*, qui regnarunt annos 500.
2391	*Iaus* ſextus ex electis, anno regni 34. ex obſeruationibus cęleſtibus iuſſit ordinari Calendarium Sinenſe nempe anno ante Chriſtum 2358.
2358	
2207	*Yuus* ſeptimus, & vltimus ex electis fundauit familiam *Haam*, in qua ſucceſſione hæreditaria durauit regnum annos 441.
1766	*Xangus* extincta familia *Haa*, fundauit Xangam, quæ regnauit annos 644.
1122	*Cheua* familia poſt extinctam *Xangam* regnauit annos 876.
551	*Confutius*, ſeu *Cungfutius* ſapientiſſimus Philoſophus, & legislator Sinenſium floruit.
392	*Ciam-Hoam* ex familia Cheua regnare cœpit, & anno 34. regni ſui Comburi iuſſit Calendarium ab *Iao* olim ordinatum.
358	
346	*Cina* familia poſt *Cheuam* extinctam, regnauit annos tantum 40.
236	*Xius* ex Cina familia amplificator regni, pulſis Tartaris, imperauit pacificè, & anno ante Chriſtum 215. iuſſit conſtrui muros illos memorabiles contra Tartaros intra quinquennium abſolutos.
215	
206	*Hana* familia poſt Cinam extinctam, regnauit annos 470.

Anni poſt Chriſtum.	
264	*Cyna* familia poſt extinctam *Hanam* cœpit, regnauitq; annos 255.
419	*Cyna* familia extincta, *Vtaij* quinque ſcilicet Reges mutuis bellis regnum diſcerpentes, regnarunt ſimul annos 199.
618	*Tanga* familia extinctis *Vtais* cœpit, regnauitq; annos tantum 10.
628	*Heutay* denuo Regnum diuiſere inter ſe, regnaruntq; annos 305.
923	*Sunga* familia extinctis *Heutays* cœpit, regnauitq; annos 355.

Mar-

Anni post Christum.	
1275	Marcus Paulus Venetus ingressus est Sinas, vt notat Martinius.
1278	*Iuena* Tartarorum familia extincta *Sunga*, occupauit Sinam annos 90.
1368	*Tà Iminga* Sinensium familia, pulsis Tartaris, cœpit, regnauitq; annos 276. eius fundator fuit *Hunguus* Tartarorum expulsor.
1406	*Tà Icungus* Nepos Hunguui imperabat florente apud Tartaros *Tamerlane*, qui tamen obierat anno 1402.
1573	*Vanlieus* ex Taiminga familia cœpit regnare, regnauitq; vsque ad annum 1620. ei succedit *Taitangus* quadrimestris Imperator, & huic *Thienkius*, qui obijt anno 1627. & huic *Zungchinius* anno 1628. iam inito.
1628	*Sungchinius* ex familia *Taiminga* incœpit, & ab hoc primo eius anno computatur Epocha kalendarij Sinensis reformati à Patribus Soc. Iesu, eius iussu esto ea reformatio mandata Patribus *Adamo Sual*, *Sabatino de Vrsis*, *& Iacobo Raudensi*, non sit absoluta nisi anno 1638.
1638	
1644	*Tà Icinga* Tartarorum familia Taimingis ex 12. de 15. Prouincijs Sinensis Imperij pulsis, imperare cœpit in Sina, & nunc etiam imperat anno hoc 1664.

2 Iam ex ijsdem Auctoribus, qui ex literis, & relationibus nostrorum in eo Regno versantium suas historias deduxerunt, constat Sinenses suam Chronologiam in duas partes diuidere, vnam fabulosam, & incertorum temporũ; alteram Historicam, quam habent pro verissima, præsertim quod iamdudum nõ cuiuis licuerit historias, annalesue conscribere, sed deputatis tantum à Magistratu; ne autem in summa annorum dubium vllum relinqueretur statuerunt, vt tempora per annos Imperatorum numerarentur, vltimi anni menses, ac dies pro vno integro anno computando, qui non pertinent ad successorem; ita vt si vnus Imperator regnet annos 25. & dies insuper paucos, puta 10. eiq; alter succedens regnet reliquos anni illius dies, & deinde annum vnum integrum, & menses 11. prior dicatur regnasse annos 26. posterior. 2. tantum; spectata igitur parte illa Annalium, quam 120. libris comprehensam legere sustinuit P. Trigautius, affirmauit ab Anno Domini 1612. contineri in illis res gestas annorum amplius, quam quatermille. *Foius* enim primus fundator huius Dynastiæ fuit anno ante Christum 2952. Primus autem ex communi suffragio electis *Xinnungus* imperare cœpit anno 2847. ante Christum; Demum P. Sabatinus de Vrsis, vnus ex illis, cui à Rege mandata est correctio Kalendarij Sinensis, reperit in obseruationibus factis sub *Iao* Rege duas Stellas Fixas cum locis earum in Cœlo notatis prope puncta Solstitialia, & Æquinoctialia, quibus collatis cum loco, quem habebant Anno Domini 1612. & spectato annuo Fixarum progressu, collegit ab ea obseruatione fluxisse annos duodecumestres Solares 3970. demptisq; annis Domini 1612. factas esse anno 2358. ante Christum. Non audet tamen approbare pro certa illam historiã ob reuerentiã erga S. Scripturæ Vulgatam editionem, & quia in illis annalibus quædam fabulosa continentur; cuiusmodi est sub eodem Rege *Iao* Sole per 10. dies hærente, immotoq; in eodem cœli loco, mundum propemodum conflagrasse; cum tamen solue 10. dicatur: *stetit itaq; Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Sed neque idem Pater, aut alij ex nostris ausi sunt reprobare Sinensium Chronologiam, quam videbant ab ipsis haberi pro indubitata, & à fabulosis temporibus expurgata, quod sanè prudenter factum est, ne vnquam nobis obijcere possent Demetrium, Eupolemum, Alexandrum Polyhistorem, & Iulium Africanum, tanti inter nostros Chronologos æstimatum, cum tamen Chaldaici Regni initia repetat iam inde ab anno 2401. ante Christum, vt cap. sequenti videbimus, quod tamen cum annis post Diluuium Noeticum ex Vulgata deductis stare non potest. Hactenus pro priore parte Conclusionis.

3 Pro posteriore autem parte Conclusionis supponendum hoc loco est Lectori (neque enim omnia simul probare licet Chronologis) maximum interuallum temporis, quod aliqua cum probabilitate ex Vulgata editione textus Hebraici, & annis Nabuchi, & Cyri colligi possit à fine Diluuij Noetici vsque ad Natiuitatem Christi, non excedere annos 2793. si nimirum inserto Cainan correctaq; Vulgata, & ortu Abrahæ ad annum 130. Tharæ promoto, numeremus à Diluuio ad ortum Abrahæ annos 382. hinc ad Exodum 720. hinc ad initium templi fundati à Salomone annos 592. hinc ad initium Cyri 540. hinc ad Christum 559. plurimi enim summam colligunt multo annis 2793. minorem. Ergo spectata editione Vulgata & initio Cyri, de quo ex Olympiadicis annis, & ex eclipsibus suo loco adducendis certissimi sumus, non potest admitti *Foius* annis 2952. & *Xinnungus* 2847. ante Christum regnasse, imò nec *Hoangtus* 2697. cum à fine diluuij, vsque ad dispersionem filiorum ac nepotum Noe sub Phaleg. interceserint anni multo plures quàm centum. Neque enim admittere possumus Regnum hoc fundatum fuisse ante Diluuium. Licet enim S. Augustinus, & cum eo Genebrardus l. 1. Chron. & Spondanus dicant Cainum in Orientali plaga speciem quãdam regni instituisse, tamen antediluuianæ omnes Dynastiæ obrutæ sunt Diluuio, quod vniuersale fuisse apertissimè testatur Sacer textus, contra quem audacter nimis, & imperitè Isaac Vossius cap. 12. dissert. de Mundi ætate non dubitauit asserere, illud fuisse vniuersale relatiuè tantum, ad orbem terræ inhabitatum, idest ad permodicam Asiæ partem nondum dispersis hominibus, nec debuisse puniri Diluuio alias partes, vbi nulli erant homines, nedum peccatores, nec tantam molem aquarum de cœlo, aut abyssis euocandam, nec multiplicanda miracula sine necessitate. Sed nonne æquale aut maius miraculum fuisset cohibere molem illam aquarum, quæ 15. cubitis excessit altissimos quoque montes, ne naturali fluxu ad æquilibrium se sphœricè expanderet? Deinde naues Cœli, & multæ ferè terrestres longè vltra Asiam quoq; potuere propagari, & vbiuis terrarum erant reptilia aliqua, & insecta, & de his omnibus Genesis 7. asseritur. *Vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt &c.* quæ ibi lege, & antea dictum erat: *Opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso Cœlo*, non dixit vniuersæ terræ ne id restingeretur ad habitatam terram, *sed sub vniuerso Cœlo*, nisi & hic præfractè dicas Sermonem esse de Cœlo, sub quo habitabant homines. Postremò licet Genesis 10. & 11. post Diluuium dicatur à filijs, & nepotibus Noe diuisas fuisse regiones pro diuersitate linguarum id tamen intelligi potest de secũda propagatione generis humani per tres Noe filios instaurati, sed non proinde negat Sacra Scriptura, ante Diluuium propagatos fuisse homines insigniter super terram, cum de Patriarchis illis dicat crebro Scriptura *Genuitque filios, & filias*, & cap. 6. *cumq; cœpissent homines multiplicari super terram*, quod nulla necessitate restringendum est ad solam Mesopotamiam, & Syriam. At quia omnia, hæc interrupta sunt Diluuio, & tamen Sinensium Chronologia computat prædictos annos tanquam continuatos, & successione non interrupta traditos à maioribus, non possumus hos referre ad tempus ante Diluuium. Sed neque debemus gratis, & contra calculum P. Sabatini, de quo supra, fingere annos antiquos Sinensiũ breuiores fuisse duodecumestribus. Quamquam enim dici possit annos duodecumestres à *Iao* Calendarij institutore introductos, qui non excessit annos 2931. ante Christum, ideoq; posterior fuit Diluuio, antea vero annos fuisse trimestres, aut quadrimestres, hoc tamen gratis dictum non facile admiserint Sinenses.

4 At si admitti possint anni à LXX. Interpretibus numerati, & doceri eos non repugnare absolutè numero vulgatæ editionis, tunc salua esse potest antiquitas Sinensium, Chaldæorumq; & Ægyptiorum, etiam in annis duodecumestribus: nam minimum interuallum à Diluuio ad Christum est, vt suo loco patebit, annorum 3043. hoc pacto. A Diluuio ad ortum Abrahæ nati 70. Tharæ anno, anni 1072. hinc ad Exodum 505. hinc ad Salomonici Templi fundamenta 480. hinc ad Cyrum 427. hinc ad Christum 559. summa est annorum 3043. quæ *Foi* tempus 2952. superat annis 91. Maximum tamen interuallum est annorum 3543. & mediocre 3293. excedens *Foi* initium annis 341. quibus post diluuium

luuium inire potuit. Maximum vero interuallum ex LXX. Interpr. & Cyri initio esse potest sic. A Diluuio ad Abraham natum anno 130. Thare, anni 1132. hinc ad Exodum 720. hinc ad Templum 592. hinc ad Cyrum 540. hinc ad Christum 559. summa est 3543. interquam, & minimam 3043. media est, vt dixi 3293. annorum. Vide tamen, quæ de Phaleg dicemus lib. 6. c. 4.

CAPVT II.

De Chaldæorum, Babyloniorum, & Assyriorum Annis, cum Epocha CHRISTI connectendis.

CONCLVSIO II.

Chaldæorum Regum, seu Dynastarum antiquitas inter probabiles maxima est annorum ante CHRISTM 2786. incipiendo ab Euechoo; sed annorum 2346. incipiendo à Belo, quem malè confundunt quidam cum Nemrode, Assyriorum vero annorum 2292. incipiendo à Nino, qui Assur, seu Assyriæ Regnum Babylonico à patre adiunctum stabiliuit, ædificata Niniue. Duratio verò vsq; ad Sardanapali interitum, seu annum 863. ante Epocham Christi à Nini tantum initio computata, fuit annorum 1430. sed à Belo 1484. & ab Euechoo 1922. Esto hæc quæ de Euechoo dicuntur, non possint probabiliter cohærere cum Annis post Diluuium ex Hebraica editione, & Vulgata S. Scripturæ deductis, sed solum cum deductis ex LXX. Interpretum editione.

1 SVpponendum primò est Nemrodum filiũ Chus, nepotemq; Chami fuisse primum Regem Babylonis ex Geneſis 10. vbi dicitur. *Filij autem Cham, Chus, & Mesraim &c. Porrò Chus genuit Nemrod, ipse cœpit esse potens in terra &c. Fuit autem principium Regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & plateas Ciuitatis.* Et à versu 22. narratur Phaleg. quintus à Sem natus ex Heber, ita dictus, *quòd in diebus eius diuisa sit terra.* Cap. autem 11. narratur constructio Ciuitatis, & turris à confusione linguarum nominatæ *Babel*, & quidem in terra *Sennaar* ante dispersionem filiorum Noe super faciem terræ. Ex quibus simul consideratis constat Nemrodum primum fuisse Regem, aut Tyrannum, qui post diluuium fundauit Regnum, & quidem Babylonis, cœperitq; ædificare vrbem illam, & turrim; & ita S. Io. Chysostomus homil. 29. in Genes. S. Hieronymus in traditionib. Hebraicis, S. Epiphanius in Panario, S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. c. 4. & l. 18. c. 2. Rupertus l. 4. in Genesim c. 43. Iosephus l. 1. antiq. c. 4. & 6. Chronicon Alexandrinum, Abulensis, Caietanus, Oleaster, Del Rio, & Pererius in cap. 10. Genes. Bellarminus, & Gordonus in suis Chronolog: Salianus ad Annum Mundi 1932. Quò facit illud Orosij lib. 2. c. 6. *Babyloniam à Nemrode gigante fundatam, à Nino, vel Semiramide reparatam multi prodiderunt.*

2 Supponendum secundò Belum, qui Babylonicæ ciuitatis cœptæ olim à Nemrode, sed ob terrorem à Deo incussum desertæ, diuq; derelictæ ruinas instaurauit, & penè totam de nouo constructit, non sine causa dictum fuisse primum Babylonis, & Regni illius fundatorem ab Ethnicis Scriptoribus Herodoto, Beroso apud Iosephum lib. 1. contra Ap. Q. Curtio lib. 5. dicente: *Semiramis eam condiderat, vel, vt pleriq; credidere Belus*, & Dorotheo Sidonienſi poeta vetere apud Iulium Firmicum canente.

Vrbs Babylon vetus à Tyrio, quæ condita Belo est.

Vbi confundit Belum antiquissimum, cum recentiore, Babylon enim multo antiquior est Tyro. Quod autem Ctesias, & ex eo Diodorus, Strabo, Trogus, Mela, Solinus, Babylonis structuram Semiramidi tribuunt, intelligendum est de reparatione iuxta Orosium supra, vel Ammianũ Marcellinum lib. 23. dicentem: *Babylon, cuius Mœnia bitumine Semiramis struxit, arcem enim antiquissimus Rex condidit Belus.* Qua ratione posteà Nabuchodonosor apud Danielem 4. gloriatur. *Nonne hæc est Babylon illa magna, quam ego ædificaui?* quia, vt ait Berosus apud Iosephum supra, & lib. 10. antiq. cap. 1. pomœria eius dilatauit, & Abydenus apud Eusebium lib. 9. præpar. *Fama est Babylonem mœnibus cinctam à Belo, quæ cum tempus aboleuisset, noua mœnia struxisse Nabuchodonosorem.* Vbi nota Belum non fuisse primum fundatorem Babylonis, sed eam posteà mœnibus cinxisse, & tamen ibi Eusebius c. 4. cum Alexandro Polyhistore, S. Hieronymus in c. 2. Oseæ, Bellarminus, & Gordonus in Chronol. Pererius l. 15. in Genes. Scaliger in fragmentis Eusebij, Spondanus, Salianus ad annũ mundi 1931. num. 55. Tirinus in Chron. Sacro c. 33. & Bochartus lib. 4. Geogr. Sacræ c. 12. cunfundunt Belum cum Nemronde primitiuo fundatore arcis Babylonicæ. Sed profectò illis subscribere non possumus, quia, vt infra docebimus, Belus non nisi annis 2346. præcessit CHRISTI ortum, at Foius, primus Rex Sinensium fuit annis 2952. ante Christum, & tamen non fuit antiquior Nemrode, quem Sacra Scriptura primum inter Reges nominat, & qui vtique non fundauit Babylonem nisi tempore Phalegi quinti, aut quarti à Sem, cum Nemrod nepos Chami aliquot annis ante Phalaleg ortus sit. Præterea non est credibile Nemrodum, aut alium de posteris eius, cum à Deo in ipso molimine turris Babel, & fundatione arcis disturbatus esset tanto prodigio confusionis linguarum, ausos esse prosequi, ac resumere structuram illius, quamdiu durauit memoria, & terror ille apud ipsos: & frustra conatus esset Deus tunc temporis impedire illam insanam substructionem iuxta illa verba. *Cœperuntq; hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec opere eas compleant. Venite igitur, descendamus &c.* Aliam igitur Regni sedem quæsiuit Nemrod, nec nisi post aliquot secula Belus Babylonis rudimenta instaurauit, murisq; cinxit, postquam etiam Dynastia Chaldæorum anno 2786. ante Christum, & Ægyptiorum anno 2466. vt postea discemus, cœperat ante ortum Abrahami.

3 De terra tamen Senaar, & forte de stirpe Nemrod egressus est *Assur*, idest Rex ille, qui aut fundauit, aut occupauit Regnum Assyriorum, nempe aut Belus, aut filius Beli, illudq; adiunxit Regno Babylonico, & ædificauit Niniuem, in qua non secus, ac Babylone alternatim fuit Regni sedes. Belum enim fuisse primum Assyriorum Regem censent Seruius in illud Virgilij: *Qua Belus & omnes à Belo soliti*, Eusebius Ado, & Marianus Scotus in Chron. S. Augustin. 16. Ciu. c. 17. Beda de 6. ætatibus, Hugo in cap. 10. Geneſis, nempe ante Niniuem fundatam, vel amplificatam, ea enim fundata, & amplificata plateis, vt loquitur Scriptura Ninus ibi primus Rex Assyriorum fuit, vt censent Tertullianus de pallio c. 2. Africanus in Thesauro temporum, Diodorus lib. 2. Iustinus l. 1. & S. Hieronymus in c. 2. Oseæ dicens. *Primum omni Asiæ regnasse Ninum Beli filium, omnes, & Græcè, & Barbaræ narrant historiæ.* Porrò ex errore illo, quo Belus idem, ac Nemrod creditus est, & ex eo, quod Ninus primus Asyriorum Rex fuit, quidam Ninum cum Nemrode confuderunt, vt Gerardus Mercator, & Langius lib. 2. de annis Christi cap. 5. tandem verba illa; *De terra illa egreßus est Assur* verti potuisse sic. *De terra illa egreßus est in Assur* ille, qui Niniuem ædificauit, & Asur esse nomen non personæ, sed loci, existimat Bochartus supra.

4 Vt iam ad Tempora initialia Regni Chaldaici, Babylonici, & Asyrij deueniamus, suppono inter fabulas, & figmenta omni verisimilitudine, nedum veritate carentia, reijciendas esse illas insanas annorum Myriadas, quibus Chaldæi ad iactantiam antiquitatis, & retundendam Græcorum item iactantiam, gloriabantur, se mortalium vetustissimos: esto enim Cicero lib. 1. de Diuinatione dicat. *An contemnamus etiam Babylones, & eos qui ex Caucaso Cœli sidera seruantes, numeris, & motibus stellarum cursus persequuntur? condemnemus etiam, aut stultitiæ, aut vanitatis,*

tatis, qui quadraginta annorum millia, vt ipsi dicunt, monimentis comprehensa continent? Diodorus tamen l. 2. fide hæc indigna iudicauit dicens. *De multitudine verò annorum referentibus Chaldæis, vix facilè quisquam crediderit: enumerant enim quadraginta, & septuaginta tria millia annorum ad Alexandri expeditionem in Babyloniam ab eo tempore, quo primum apud eos astra obseruari cœperunt.* Longè magis sobrius fuit ille Sacerdos Ægyptius, ex quo Alexander Magnus in Epistola ad matrem Olympiadem scripsit. *Regnum Assyriorum quinque annorum millia excessisse*, vt refert S. Augustinus l. 12. de Ciuit. c. 10. frustra enim Panodorus, & Anianus apud Georgium Syncellum Annos illos in dies resoluere conatus est, Langius verò l. 1. de Annis Christi c. 17. partim in dies, partim in annos voluntaria, & gratuita fictione; cui enim prudenti persuadeas Chaldæos pro Annis dies habuisse, & statim ad annos duodecumestres transisse? Hos igitur dimittamus.

5 Prima igitur antiquitatis Chaldaicæ summa probabilis est, quam Callisthenes consobrinus, & discipulus Aristotelis, dum Babylone cum Alexandro Magno versaretur, didicit à Beroto Chaldæo, de qua Simplicius comm. 46. in 2. de Cœlo sic scribit. *Nondum enim obseruationes illæ cœlestes, quas Aristotelis rogatu Callisthenes Babylone misit, in Græciam peruenerant, quas quidem annorum fuisse mille nongentorum trium annorum auctor est Porphyrius ad Alexandri Macedonis, vsque tempora seruatas.* Ostendimus autem libro 3. c. 4. nu. 6. Babylonem occupatam ab Alexandro Magno anno ante Epocham Christi 330. quibus addendo annos obseruationum 1903. consurgit earum initium ad annum 2233. ante Christum, quare si Regni quoq; Chaldaici initium paulo ante incœperit non est improbabile; Assumimus enim, quod alias fusius docebimus, interuallum annorum à Diluuio ad Christum, salua etiam Vulgata editione S. Scripturæ maximum, ex probabilibus esse annorum 2793. Minimum autem 2263. & mediocrè 2528. cuius, & interuallorum quoq; ex versione LXX. Interpretum partiales summulas placet hic in conspectũ dare, vt alijs quoq; quæstionibus deseruiant,

Pro Interuallo à Diluuio Noe ad CHRISTVM.		Ex Vulgata.	Ex LXX.
Maximo.	A Diluuio ad Abrahæ natiuitatem	382	1132
	A Natiu. Abrahæ ad Exodum	720	720
	Ab Exodo ad fund. Templi Salomonis	592	592
	A Templi fund. ad Cyri initium	540	540
	A Cyri initio ad Christum	559	559
	Maximi summa	2793	3543
Minimo.	A Diluuio ad Abrahæ natiuitatem	292	1072
	A Natiuit. Abrahæ ad Exodum	505	505
	Ab Exodo ad fund. Templi Salomonici	480	480
	A fundam. Templi ad Cyri initium	427	427
	A Cyri initio ad Christum	559	559
	Minimi summa	2263	3043
	Ergo mediocris summa	2528	3293

6 Modò videndum est, an Anni Regum Chaldæorum, Babylonis, & Assyriorum, quos habet Iulius Africanus in Thesauro temporum intra interuallum à Diluuio ad Christum possint consistere: sunt autem infrascripti, quibus adiecimus Annos ante Christum, suppositio Sardanapali fine in ante Christum 863.

Reges Chaldæi, & Assyrij.		Regni Duratio Anni	Regni Initium ante Chr.
Chaldæi.	1 Euechous	6 m. 8	2786
	2 Comasbolus	7 m. 6	2780
	3 Porus	35	2772
	4 Necbubes	43	2737
	5 Abius	48	2694
	6 Oncballus	40	2684
	7 Chinzirus	45	2606
Arabes.	8 Mardocentes	45	2561
	9	40	2516
	10 Sisimordacus	28	2476
	11 Nadius	37	2448
	12 Parannus	40	2411
	13 Nabonnadus	45	2371
	Summa	440 m. 2	
Assyro Babylonici.	1 Belus	55	2346
	2 Ninus eius filius	52	2292
	3 Semiramis	42	2240
	4 Nynias Sames	38	2198
	5 Arius	30	2160
	6 Atalius	40	2130
	7 Xerses	30	2090
	8 Armamithres	38	2060
	9 Belochus	35	2022
	10 Balæus	52	1987
	11 Sethos Altadas	32	1935
	12 Mamythus	30	1903
	13 Aschalius	28	1873
	14 Sphærus	22	1845
	15 Mamylos	30	1823

Assyro Babylonici Reges.	Regni Duratio Anni	Regni Initium ante Chr.
16 Sparthæus	42	1793
17 Ascatades	38	1751
18 Amyntes	45	1713
19 Belochus II.	25	1668
20 Balatores	30	1643
21 Lamprides	30	1613
22 Sosares	20	1583
23 Lampraes	30	1563
24 Panyas	45	1533
25 Sosarmus	42	1488
26 Mithræus	27	1446
27 Teutamus	32	1419
28 Teutæus	44	1387
29 Arabelus	42	1343
30 Chalaus	45	1301
31 Anabus	38	1256
32 Babius	37	1218
33 Thinæus	30	1181
34 Dercylas	40	1151
35 Eupachmes	38	1111
36 Laosthenes	45	1073
37 Pyrtiades	30	1028
38 Ephractæus	21	998
39 Ephacheres	52	977
40 Acracarnes	42	925
41 Sardanapalus	20	883
Summa	1484	
Finis huius Imperij		863

7. Eu-

7 Eusebius tamen in Chronico, non solùm non agnoscit 13. Reges Chaldæorum ante Belum, sed vt duos Astronomiæ quasi fundatores Abrahamum, & Belum, aut Ninum in idem proximè tempus conferret, & Teutanem in belli Troiani tempus, quattuor Reges Assyrios ab Africano nominatos supprimit, nempe *Arabelum, Chalaum, Anabum, & Babium*, & Belo dat annos 65. Sosarmo 19. tantum: cum tamen Iulio Africano tanquam præcipuo suæ Chronologiæ fundamento passim nitatur; ob idque reprehensus sit acriter à Georgio Syrcello, & à Scaligero. Salianus quoq; tomo 2. ad Annum Mundi 2803. & tomo 3. ad annũ 2921. nõ miratur Eusebium Arrianismo infectum, infidelẽ quoq; fuisse in referendis Africani numeris, sed tamen ne ex Africani numeris initiũ Regni Chaldaici ascendat vltra Diluuij Noetici finem, Eusebium sequendum hic putat, quod ex eadem causa censet Petauius l. 9. c. 12. præsertim cum Eusebius haberet alios Auctores, quos posset sequi; Licet enim Africanus à Belo ad Sardanapali interitũ numeret ann. 1484. & Reges 41. Assyriorum tamen Imperium plures alij multo breuius posuerunt, & pauciores Reges. Et sanè omisso Herodoto, qui annos tantum 520. numerat à Beli initio, *Annos* 1295. Orosius lib. 2. c. 3. & lib. 1. c. 12. Lipsius in notis ad Velleium, & Spondanus in Annalibus veteris testamenti; *Annos* autem 1300. Clemens Alex. 1. Strom. item 300. circiter, aut 305. Eusebius in Chron. S. Augustinus l. 12. de Ciuit. c. 10. & l. 18. c. 21. Salianus ad Annos Mundi 1931. & 3235. Petauius lib. 9. c. 13. Tirinus in Chronico Sacro c. 33. *Annos* verò 1360. Ctesias apud Diodorum Siculum lib. 2. & Georgius Syncellus, Trogus, & Iustinus; ipse autem Diodorus l. 2. ait: *Assyriorum Imperium, quod à Nino ad trigesimam vsque progeniem vltra mille, & quadringentos annos steterat, à Medis euersum est*; Ergo addito Belo proximè consentit cum Africano, qui in Thesauro temporum ponit annos 1484. Quod enim Velleius lib. 1. ait. *Imperium Asiaticum ab Assyrijs, qui id obtinuerant annis mille septingentis, translatum ad Medos*. Corrigitur à Lipsio, sed forte Velleius incipit à Mardocente Arabo, de quo Africanus; inde enim numerando sunt anni 1699. & rotunde 1700. Errant autem, qui ex Trogo, & Iustino numerant annos 1300. à Belo: Iustinus enim lib. 1. ne Beli quidem meminit, sed cum dixisset: *Primus omnium Ninus Rex Assyriorum*, postea subdit: *Imperium Assyrũ, quod postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere*, ergo additis Beli 55. ex Africano, vel 65. ex Eusebio, fiunt 1355. vel 1365. vel medio modo 1360.

8 Nos in hac dissensione Africanum, & Diodorum vtpote maiores, & antiquitatis consultissimos præferendos putamus (quoad Assyriorum Regnum) Eusebio, & eius sequacibus, nec sine necessitate deserendos; præsertim cum nulla reddatur causa, ob quam Eusebius quatuor illos Reges potius quàm alios ab Africano assertos amputarit, posuitq; duratio Imperij Assyrij annorum 1484. consistere intra interuallum à Diluuio ad Christum, saluis numeris Vulgatæ editionis, Annis enim 1484. addendo annos quos omnes à Cyro ad Christum ponunt 559. fiunt 2043. His si addamus intermedios *Medorum* annos ex Diodoro, & Ctesia 317. vel ex Eusebio 259. fiunt anni, vel 2360. vel 2302. quæ vtraq; summa cadit intra Mediocre interuallum 2528. nedũ intra maximum 2793. ex Vulgata collectum ad finem numeri 5. Nos tamen capite 4. ostendemus *Medorum* annos ab Arbace quidem ad interitum Astyagis intercessisse non nisi annos 304. quos addentes anno 559. initioq; Cyri habemus annum 863. ante Christum, pro initio Medorum sub Arbate, & fine Assyriorum sub Sardanapalo, demum his addentes annos 1484. cadit initium Beli, & Regni Assyriorum in annum 2347. ante Christum, sed includendo terminos 2346. Obseruationum autem de quibus num. 5. fuit annus 2233.

9 Tandem verò si Beli initio, anniscq; ante Christum 2346. addamus, annos 440. quos Africanus ponit, vsq; ad Euechoum, fuisset Chaldaicæ Dynastiæ initium anno 2786. ante Christum, quod ex positis ad finem num. 5. non excedit quidem maximum à Diluuio ad Christum interuallum annorum 2793. saluis numeris vulgatæ editionis, sed annis 8. post diluuium cadit, quia tamen Dynastiarum, ac Regnorum diuisiones, & fundationes, non nisi post Phalegi ortum fuere annis centum, & amplius post Diluuium, & non debemus Chronologiam, ob hanc solam Epocham cogere ad eligendum illud interuallum maximum, præsertim si aliunde probabilius sit interuallum aliquod medium circiter inter maximum, ac minimum; ideo sustineri nõ potest Chaldaicæ Dynastiæ prædicta duratio, & antiquitas, ex Vulgatæ numeris, & nisi ad LXX. Interpretum numeros recurrãtur. Vide tamen, quæ de Phaleg tempore dicam lib. 6. cap. 4.

CAPVT III.

De Annis Regum Aegypti antiquorum ante Ptolemæos, cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO III.

Etsi valde incerta, & inconstans est apud Historicos Chronologia Regum, & Dynastarum Aegypti, videtur tamen à Mene primo Rege incœpisse Anno ante Christi Epocham 2466. ex datis ab Eratosthene, & Africano, durasseq; vsq; ad Cambysem annos 1941. At ex datis ab Eusebio, videtur incœpisse Anno 2007. ante Christum, & durasse vsq; ad Cambysem Annos 1480. inde autem sub Persis, vsque ad Ptolemæos Annos 202.

1 ÆGyptiorum iactantia de Antiquitate haud multo minor fuit, quàm Chaldæorum; Refert Herodotus lib. 2. audisse se ab eorum Sacerdotibus *Menem* fuisse primum eorum Regem, & addit: *post hunc recensebant è libro Sacerdotes nominatim alios trecentos, ac triginta tres reges, in quibus tot ætatibus hominum decem, & octo fuissent Aethiopes, & vna mulier alienigena Nitocris nomine, mox horum postremũ fuisse Moerin.* Omnibus his prætermissis, Herodotus incipit aliorum res gestas narrare à *Sesostri*, & recenset ordinatim post eum *Pheronem*, *Proteum* sub belli Troiani initia regnantem, *Rhampsimithum*, *Cheopem*, & *Chephrenem*, quorum vtrique dat singillatim annos 50. inde *Mycerinum*, *Asychin*, *Anysin*, & *Sethon* Vulcani Sacerdotem, quem *Sennacherib* Regis Arabum, & Assyriorum coæuum facit: post hunc 12. simul Reges diuisisse inter se Ægyptum simulq; regnasse, quos inter *Psammitichum* toti fere Ægypto dominatum esse annos 54. deinde *Necum*, eius filium per annos 17. & inde *Psammin* annos 6. inde *Apriem* annos 25. & lib. 3. *Amasin* annos 44. contra quem Cambyses Cyri filius expeditionem suscepit, & *Psammenitum* filium Amasis regnantem iam menses 6. sed occasione *Sethi*, de quo supra, addit Herodotus lib. 2. *Ad hunc vsq; narrationis locum, & Aegyptij, & Sacerdotes referebant, demonstrantes à primò Rege, ad hunc Vulcani Sacerdotem progenies hominum fuisse trecentas quadraginta, & vnam, & totidem interea Pontifices, totidemq; Reges. Trecentæ progenies æquipollent annis decem millibus. Nam tres virorum progenies centum anni sunt*: Vnde colligit vsque ad Sethum, & Sennacherib annos 10343. subiungitq; figmenta de Sole bis occaso, vnde nunc oritur, & bis orto vbi nunc occidit, & de Dionysio, seu Baccho, quem *Osirim* vocant Aegyptij à quo vsque ad *Amasim* numerabant quindecim millia annorum. At si Proteus floruit sub initia Troiani belli raptumq; Helenæ, hoc est ex dictis libro 3. cap. 1. circa annũ ante Christum 1194. Phero, & Sesostris floruerint intra annos 1200. & 1300. ante Christum.

2 Diodorus Siculus lib. 1. sic. *Eorum nonnulli fabulantur, Deos primum, & Heroas in Aegypto paulo minus decem, & octomillia annorum regnasse, deorumq; postremum Orum, Isidis Regno potitum: homines verò paulo minus annorum quindena millia, vsq; ad centesimam, atq; octogesimam Olympiadem, quo tempore nos in Aegyptum transcendimus;* nempe vsque ad annum 60. ante Christum. Postea subiungit. *Primum post Deos in Aegyptum regnasse ferunt Menam de huius progenie Reges 52. regnarunt annos 1040. post*

hos Busiris, & ab eo octo, quorum vltimus Busiris quoq; nominatur, qui Heliopolim, seu Thebas condidit post eum Vchereus, qui Memphim condidit, inde duodecimus ab eo Myris, post hunc septimus Sesostris Regum Aegypti celeberrimus, qui Babylonem instaurauit, eiusque filius iam Sesostris, post eum plures Reges nil memoria dignum gesere, deinde Amasis, deinde Actisanes antea Rex Aethiopum; & lib. 2. prosequitur alios, qui sunt *Merides*, seu *Marus*, & post quintam generationem *Cetes* qui, & *Proteus*, qui Iliaci belli tempore extitit, inde filius eius, & post eum 6. Reges ociosissimi, deinde *Nileus*, postea *Chemmis*, qui regnauit annis 50. inde frater eius *Cophus* qui 50. & filius *Chebreus*, qui 6. annos regnauit, hinc *Mycerinus*, seu *Cherinus*, hinc *Bocchoreus multis deinde exactis seculis regnauit Aegyptijs Sabbacus nomine, genere Aethiops*, quo secedente in Aethiopiam, post interregnum annorum 2. creati sunt decemuiri, qui per annos 15. rexerunt Aegyptum, horum vltimus *Psammisichus Sartes* bellica virtute Aegypti regno potitus est; deinde quarta post eum generatione *Apries* annos 22. & tandem *Amasis*, de quo concludit sic: *Cum regnasset annos quinque, & quinquaginta mortuus est, quo tempore Cambyses Persarum Rex Aegyptum armis capit, circa tertium annum Olympiadis tertiæ, ac sexagesimæ*. Videlicet circa annum 525. ante Christum. Patet igitur hinc statui non posse ne probabile quidem initium horum Regum, tum quia non constat de numero eorum, tum quia nescimus an, & quamdiu vsi sint annis menstruis, bimestribus, trimestribus, aut quadrimestribus, & quandonã vti cœperint duodecimestribus.

3 Isaacus Vossius in Dissert. de Mundi ætate c. 10. notat ex Manethone Nomarchias in Aegypto, demptis Alienigenis ibi regnantibus fuisse 12. videlicet Thinitarum, Memphitarum, Elephantinorum, Heracleopolitarum, Diospolitarum, Thebanorum, Diospolitarum Minorum, Xoitarũ, Tanitarum, Bubastitarum, Saitarum, Mendesiorum, & Sebennytarum, sed Manethonem eorum annos successiuè posuisse, cum tamen aliqui simul eodem tempore in diuersis locis regnarint. Postea ex Eratosthene Africano, & Syncello à *Mene* primo Rege Aegyptiorum ad *Amutantæi* finem numerat annos 1075. *Amuthantæi* autem finem incidisse iuxta Africanum in annum 7. vel 8. *Ahobi* Iudicis Hebr. & Mundi 4000. qui est ipsi 1391. si quidem Annum Christi 1658. vult esse Mundi 7048. additis ergo 1075. ad 391. euadit initium Menæ ad Annum ante Christum 2466. Quia verò Diodoro supra, & Eusebio, finis huius Regni à Cambyse occupati cadit in annum 525. ante Christum, fuit hac ratione duratio eius annorum 1941.

4 Vuilhelmus Langius lib. 2. de Annis Christi c. 6. notat *Mizraim* Cami filium, nepotemq; Noe obtinuisse Aegyptum, & numeros annorum Regum Aegypti quos Manethon tradidit, Eusebium interpolasse, vt suo instituto seruirent, ac discrepare à collectaneis Scaligeri, minusq; errare, qui cuiusq; Dynastiæ annos collectos, quàm qui singulorum Regum sectetur. Supponit deinde Cambysem Aegypto potitum anno periodi Iulianæ 4189. idest ante Christum 525. Quia verò hinc Plutarchus docuit Annos Ægyptiorum prius menstruos, posteà quadrimestres, & demum semestres fuisse; inde autem Manethon, quindecim Dynastias, quæ alioquin continent annos Aegyptios 3417. æstimat annorum duodecimestrium 443. si priores anni 2917. sumantur pro menstruis, & 300. sequentes, pro quadrimestribus, & vltimi 200. pro semestribus, prodibunt anni duodecimestres 443. Hinc etiam factum esse vt Dynastiæ tres solæ nempe 16. 17. & 18. plures annos contineant apud Manethonem, quàm quindecim Dynastiæ præcedentes simul, eo quòd iam anni semestres essent. Indicat autem Manethon apud Iosephum lib. 1. contra Apionem, Israelitas ex Aegypto egressos ineunte Dynastia 18. & regnãte in Aegypto *Amose*, seu *Tethmose*, & Pastores Phœnicios fuisse in Aegypto annos 511. nempe semestres, qui efficiunt annos Solares 250. Amosem autem regnasse 25. annos; Cum ergo hic sit Pharao, qui mox egressis Israelitis perijt in mari rubro, sequitur eius initium fuisse anno 25. ante Exodum, quem ponit anno periodi Iulianæ 3210. idest ante Cristum 1504. ideoq; initium *Amosis* Dynastiæ 18. anno ante Christum 1528. Reliquarum Dynastiarum præcedentium annos, simili artificio reducit ad 710. annos duodecimestres, qui additi anno 1528. efficiunt annum 2238. ante Christũ, pro initio Dynastiarum Ægypti, vnde ad annum 525. quo Cambyses Persarum Regno Ægyptum adiunxit, sunt anni 1713. quibus durauit Regnum Aegyptiorum sub Aegyptijs Aethiopibusue Dynastis. Qui totus discursus ingeniosus quidem est, sed haud ita certus, cum certo nõ constet quando, & quamdiu vsi sint annis menstruis, quando quadrimestribus, quando semestribus, & quando tandem duodecimestribus. Præterea Herodotus annos Aegyptiorum colligit ex generationibus, aitq; tres generationes efficere annos centum, quod non est verum de annis menstruis, immo nec de semestribus.

5 Quod spectat ad *Psammetichum* eiusque successores, vsque ad Cambysem, iam vidimus non conuenire inter Herodotum, & Diodorum, sed neque consentit Manethon apud Africanum Eusebium, aut Scaligerum in calce Thesauri tempor. vt liquet ex sequenti synopsi; in qua regnarunt.

	Herodoto.	Diodoro.	Africano.	Eusebio.	Scaligero.
Psammethicus.	54		54	44	44
Necos, seu Necao.	17		6	6	17
Psammis.	6		6	12	16
Apries, seu Vaphries.	25	22	19	30	25
Amasis.	44	55	44	42	44
Psammenitus.	m. 6		m. 6		
Summa	146 6		129 6	134	146

Tradit autem Herodotus *Neconem* anno Regni sui 6. pedestribus copijs vicisse Syros ad Magdolum, & anno 10. Regni sui victum esse à Nabuchodonosore, superuixisse tamen adhuc annos 6. integros. Priorem illam victoriam refert Sacra scriptura lib. 4. Regum cap. 23. & 2. Paralip. c. 35. de Iosia: *In diebus eius ascendit Pharao Nechao Rex Aegypti, contra Regem Assyriorum, ad flumen Euphratem, & abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddi, cum vidisset eum*. Magdoli quoq; meminit Hieremias c. 46. occiso aut Iosia, Nechao Hierosolymam grandi ære multauit, & Ioakim Regem constituit. Sed non videtur *Apriæ* (quem Hieremias c. 44. nominat *Ephree*) successisse immediatè Amasis, neque hic semper regnasse, sed potius præfectum fuisse à Nabuchodonosore tanquam Viceregem. Ezechiel enim cap. 29. vaticinatur sic. *Dabo terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam à terra Syenes, vsque ad terminos Aethiopiæ. Non pertransibit per eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea, & non habitabitur quadraginta annis &c. Post finem quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis, in quibus dispersi fuerunt &c. & erunt ibi in Regnum humile*; quibus expensis Petauius lib. 10. de Doctrina temporum c. 17. ex eodem Ezechielis capite colligit expeditionem Nabuchodonosoris in Aegyptum susceptam anno circiter 30. regni eius, regnante *Aprie*, quem Nabuchodonosor regno, ac vita spoliarit anno ante Christum 576. & Aegyptum deuastarit, ita vt comparatiuè ad pristinum statum saltem multis in locis solitudo videretur, relicto tamen præfecto *Amasi*, qui post 40. annos euaserit Rex, & post 4. annos à Cambyse occupata sit Ægyptus, sed de his melius iudicabitur, vbi de annis Nabuchodonosoris.

6 Nos ex Eusebij datis initia huius Regni sic inuestigauimus (non reprobantes tamen Eratosthenem, & Africanum, de quibus num 3. ait enim Eusebius in prioris Chronici

nici præfatione: *Item apud Aegyptios ab ætate Nini, & Semiramidis, quo tempore iam sexta decima Dynastia Thebæi Aegyptijs imperabant, vsque ad XX. Dynastiam, & Thuorim, qui ab Homero Polybus vocatur, sub quo Troia capta est colligũtur etiam supradicti anni DCCCXXXIV.* in Chronico autem ipso, seu Regum serie, toti Dynastiæ xvj. dat annos 190. & Dynastiæ Pastorum xvij. annos 103. & Dynastiæ xviij. Diospolitarum annos 348. & Dynastiæ xix. annos 94. vsque ad Thuoris finem, quarum summa item est annorum completorum 834. quarum Dynastiarum annos à xx. inclusiuè, vsque ad 27. exclusiuè, qua Cambyses Cyri filius Aegypto potitus est, numerat Eusebius annos 648. qui additi annis 834. faciunt annos 1482. & hi additi anno 3. Olympiadis 63. quo Eusebius, cum Diodoro vult Cambysem potitum Aegypto, ideſt annis 525. ante Christum, efficiunt annum ante Christum 2007. quo Dynastia Thebanorum in Aegypto cœpit. Reliquas enim pro fabulosis habuit Eusebius; Ex quo tamen ne penitus Chronologos fraudemus Catalogo horum Regum qualicumq; exhibebimus annos, & Dynastiar. & Regum, paucis correctis, & primum Dynastiarum.

ÆGYPTI Dynastæ ex Eusebio.	REGNI Duratio Anni.	Initium ant. Ch.
16 Thebæor.	190	2007
17 Pastorum.	103	1817
18 Politanorum.	348	1714
XIX.	194	1366
XX.	177	1172
XXI.	130	995
XXII.	49	865
XXIII.	44	816
XXIV.	44	772
XXV.	44	728
XXVI.	159	684
Summa	1482	

Reges Ægypti ex Eusebio.	Durat. Ann.	Initium ant. Ch.
Thebæi.	190	2007
Pastores.	103	1817
Politani.	348	1714
Amasis.	24	1714
Chebron.	13	1690
Ammenophis.	21	1677
Mephres.	12	1656
Mispharmutosis.	26	1644
Tuthinosis.	9	1618
Amenoptes Pharao	18	1609
Orus.	52	1592
Acencris.	12	1540
Achoris.	9	1528
Chencres.	16	1519
Accheres.	8	1503
Cherres.	15	1495
Danaus.	5	1480
Ægyptus.	68	1475
Menophis.	40	1407
Zetus.	55	1367
Ramses.	66	1312
Ammenophis II.	40	1246
Ammenemes.	26	1200
Thuoris.	13	1186

Reliqui ex Eusebio.	REGNI Duratio Ann.	Initium ant. Ch.
XXVII. Dynastia.	177	1172
Smendis.	26	995
Prusenses.	41	969
Nephercheres.	4	928
Ammenophis III.	9	924
Osochor.	6	915
Spinaces.	9	909
Prusenses II.	35	900
Sesoncoris.	21	865
Osorthon.	15	844
Tacheloſis.	13	829
Petubostis.	25	816
Osorthon II.	9	791
Pſammus.	10	782
Bochoſis.	44	772
Sebachon.	12	728
Sebicus.	12	716
Tarachus *Aethiops*	20	704
Merres *Aethiops.*	12	684
Stephinatis.	7	672
Nichepsus.	6	665
Pſammeticus.	44	659
Nechao.	6	615
Pſammius.	12	609
Vuaphres.	30	597
Anamasis.	42	567
Cambyses.	✝	526

At ex Herodoto.	Durat.	Initium
Pſammeticus.	54	671
Necos.	17	617
Pſammis.	6	600
Apries.	25	594
Amasis.	44	569
Pſammenitus.	m. 6	525

Ex Manethone apud Iosephum l. 1. c. Apionem.	REGNI Duratio Anni	
Timaus.		
Saltis.	19	
Bacon.	40	
Apachnas.	36	7
Apochis.	61	
Ianias.	50	1
Assis.	49	2
Pastores alij.	255	
Omnes simul	511	
Thebæi.		
Alispargmutosis cũ filio Themosi eiecit Pastores deinde		
Themosis.	25	4
Chebron.	13	
Amenophis.	20	7
Amesses soror.	21	9
Mephes frater.	12	9
Themosis.	9	8
Amenophis.	30	10
Orus.	36	5
Acencheres filia	12	1
Rathotis frater.	9	
Acencheres.	12	5
Acencheres alter.	12	3
Armais.	4	1
Armosis.	1	4
Armesesmiam.	66	2
Amenophis.	19	6
Sethosis, & eius frater Danaus.		

Erant ergo, ait Iosephus Pastores in Ægypto annis 393. ante Danaum, qui migrauit ad Argiuos.

CAPVT IV.

De Medorum Regum, & Assyriorum Sardanapali successorum Annis, cum Epocha CHRISTI nectendis.

CONCLVSIO IV.

Medorum Regnum Anno ante CHRISTI Epocham 863. initum durauit ab Arbace, vsque ad Astyagem à Cyro expulsum Annos CCCIV. sed vsque ad mortem Astyagis Annos CCCXVII. Assyriorum autem Monarchia quidem defecit in Sardanapalo, non tamen omnino Regnum, cum post eum regnarint in Assyria, instaurata Niniue sex alij Reges in S. Scriptura nominati, & alij vsque ad Cyaxaris vltimos Annos.

1 CVm Arbaces præfectus Medorum sollicitatis ad rebellionem alijs contra Sardanapalum, & præcipuè Phul-Bel-Ocho Babyloniæ præfecto, eum intra Niniuem ad tales angustias redegisset vt post biennalem obsidionem, ipse se intra ingentem pyram, cum suis diuitijs pellicibus, liberisq; combusserit, vt fusius narrat Diodorus lib. 2. Iustnus l. 1. qui *Arbactem* nominat pro Arbace, & Athenæus l. 12. & Ninum, seu Niniuem deuastasset, Monarchiæ Assyriorum permagnam partem transtulit ad Medos, & primus Rex Medorum factus est anno ante Epoch. Christi 863. Vt docuimus cap. 2. non 876. vt malè censuit Petauius, nec 819. vt Salianus, & alij; Vt autem id confirmemus, & reliquorum Regum Medorum annos rite ordinemus, proponendi sunt anni quibus regnarunt, tum ex Ctesia & Diodoro, & quoad Astyagem ex Herodoto, tum ex Chronico Eusebij, tum ex Georgio Monacho in Excerptis apud Petauium l. 9. de Doctrina temporum c. 34. & sunt huiusmodi.

Ex Ctesia, & Diodoro.	Anni Regni.	Incunt ante Christ.
Arbaces.	28	863
Mandauces.	50	836
Sosarmus.	30	786
Artycas.	50	756
Cardiceas, qui & Arbianes.	22	706
Deoces, qui & Arsaeis.	40	684
Phraortes, qui & Artynes.	22	644
Cyaxares, qui & Astibaras.	40	622
Astyages, qui & Spandus.	35	582
Summa	317	
Astyagis mors		547

Ex Eusebio.	Anni Regni.
Arbaces.	28
Sosarmus.	30
Medidus.	40
Cardiseas.	13
Deioces.	54
Phraortes.	24
Cyaxares.	32
Astyages.	38
Summa	259

Ex Georgio Monacho.	Anni Regni.
Arbaces.	28
Mandauces.	20
Sosarmus.	30
Artycas.	30
Deioces.	32
Aphradartes.	31
Cyaxanes.	32
Astyages ex Herodoto.	35
	258

Astyagis annos omisit Diodorus, & Georgius, sed supplendi sunt ex Herodoto, vtpote antiquiore, potius quàm ex Eusebio, & ob eandem causam longè præferendus est ipsi Ctesias, & Diodorus, vt quoad hoc bene censet Petauius supra, & Langius de Annis Christi l. 2. c. 9. & sanè infidus fuit in hoc Eusebius supprimens Mandaucem & nullo authore adducto Chronologiam conturbans, sicut, et Scaliger Astyagi tribuens annos 40. contra expressum censum Herodoti: Vt proinde mirer Salianum & alios non tium omnes ponunt Olympiadis 55. anno primo, ideſt ante Christum 559. aut 560. putantq; tunc Astyagem mortuum esse, idcirco addentes huic anno Eusebianam Medorum summam annorum 259. initium Regni Medorum statuunt anno ante Christum 818. aut 819. In quo dupliciter peccant, primum in præferendo Eusebio, Ctesiæ Diodoro, et Herodoto absque vlla necessitate, quod non peccat Petauius, deinde in confundenda prima inuasione Cyri, quam persequutus est Astyagem, cum anno, quo Cyrus mortuo Astyage, pacificè possidere incœpit Regnum Medorum, in quo peccat etiam Petauius, non tamen Langius.

2 Antequam verò Conclusionem totam probemus, differendum est de Eclipsi illa, quam Herodotus lib. 1. refert accidisse Cyaxare Medorum, & Halyatte Lydorum Rege; anno sexto belli à Cyaxare susceptibus his verbis è Græco fideliter translatis: *Sexto anno collatis signis, quum æquo Marte certarent, inter præliandum contigit, vt repente dies in noctem verteretur. Quam immutationem diei Thales Milesius Ionibus futuram prædixerat, hunc ipsum annum præsiniens, quo mutatio illa facta est*; et iterum de Cyaxare, Astyagis patre: *Hic est qui cum Lydis bellum gessit, quo tempore in ipsa pugna dies in noctem conuersus est.* Eudemus apud Clementem Alexandrinum Herodotum allegans, addit id fuisse regnante Cyaxare ἁμὰ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Circa quinquagesimam Olympiadem*; sed accuratiùs Plinius l. 2. c. 12. *Primus omnium Thales Milesius, Olympiadis quadragesimæ octauæ anno quarto, prædicto solis defectu, qui Halyatte rege factus est; Vrbis conditæ CLXX.* Vrbis annus Varronianus 170. ideſt ex dictis l. 3. c. 2. Annus ante Christum 584. vel 585. Cleomedes l. 2. Cyclicæ Theoriæ c. 3. affirmat Eclypsim illam fuisse totalem in Hellesponto, sed Alexandriæ digitorum 10. et Theon in Comment. Almagest. l. 6. c. 11. *Assumit Eclipsim in locis, quæ sunt circa Hellespontum, in toto Sole accuratè factam, vt nihil de eo appareret in locis circumiacentibus.* Reuera tamen anno illo 584. Sardibus in Lydia, vbi prælium illud accidit, nulla totalis Eclipsis Solis interdiu contingere potuit saluis Canonibus Astronomicis, sed anno antecedenti nempe 585. ante Epocham Christi, quo Sole Apogeo, et Luna Perigea die 28. Maij hora prope Sardes 6. fere post meridiem Sol totus obscuratus est ad digitos 12. ½. *Lansbergius* autem in Thesauro obseruationum Lunarium Classe 6. ex suis tabulis eam consignant anno 3. Olympiadis 48. & instante quarto, Annoq; Nabonassari 163. hoc est ex vtroque Charactere, anno 585. ante Christum hora 6. 15. minut. sardibus, & digitorum 12. ¼. die 13. Tybi ideſt Maij 28. sed & *Petauius* l. 8. c. 13. pag. 781. eandem ex Parisinis tabulis supputat anno 585. Maij 28. feria 3. hora 6. ½. post merid. Sardibus, sed digitorum tantum 11. ¼. & nihilominus libro 10. c. 1. hanc deseruit, quia ex tua (sed falsa in hoc) Chronologia putat hunc fuisse 10. Astyagis, & mortuum iam fuisse Cyaxarem, & præterea quia nimis prope vesperam accidit, cum prælia conseri soleant clara luce: quasi verò non sæpe acciderit prælia vsq; ad finem die produci, & noctis interuentu dirimi. Eligit autem Eclipsim anni ante Christum 597. Olympiadisq; 45. quartum, &

Vrbis

Vrbis 167. Iulij 9. hora in Cappadocia ad Halym fl. 5. ¾. post mediam noctem & digitorum 9. ½. Quis verò hic non miretur virum alti iudicij tot notas Chronologicas deseruisse, & elegisse Eclipsim digitorum 9. ½. cum debuerit eligi totalis, & Olympiadis 48. annus 4. vel currens, vel imminens? Nihil autem moramur alios, qui parum consideratis huius Eclipsis circumstantijs, vel suis aliorumue Chronologijs falsis iam obligati, ad alienos annos eam detorserunt, vt Caluisius qui ad annum 607. Iulij 30. cum tamen tunc Eclipsis Solis in Lydia vix fuerit 6. digitorum, & Capellus, qui ad annum 581. Maij 16. sed digitorum nec trium quidem. Prudentius itaque Buntingus, & cum eo Salianus ad annum mundi 3469. qui est ipsi ante Christum 584. sed ante Epocham Christi 585. & Langius l. 2. de annis Christi c. 9. Herodoteam hanc, & Plinianam Eclipsim anno 585. ante Epocham Christi, & Iulianæ periodi 4129. consignarunt.

3 Iam verò Africanus apud Eusebium l. 10. de præparatione c. 3. adductis Diodoro, Thallo, Castore, Polybio, & Phlegonte affirmat Cyrum Persis, ac Medis imperare cœpisse Olympiade 55. cuius annus primus ex dictis lib. 3. c. 2. incœpit ab ætate anni ante Christum 560. & desijt anno 559. incidisse autem Cyri initium primum in annum illum Olympiadum exeuntem, atq; adeo in 559. docebimus ex Eclipsibus, anniſq; Cyri vbi de Cyro; hinc ascendendo ad annum 585. quo accidit Ecclipsis nuper examinata, sunt anni 25. quibus detractis ab annis 35. quos Astyages regnauit, teste Herodoto, remanet annus 10. Astyagis, at illa Eclipsis asserente Herodoto, Eudemo, & Clemente Alexandrino, accidit viuo adhuc Cyaxare patre Astyagis, ergo Astyages non obijt anno 559. ante Christum, sed superuixit annis minimum 10. postea. Sed vt accuratissimè ex Herodoto colligit Langius; Cyaxares anno primo Regni sui Niniuem obsedit, sed ab obsidione retractus fuit ob Scytharum incursionem in Asiam, quæ cœpit anno 2. Cyaxaris, durauitq; per annos 28. quibus Asiam infestarunt, donec scilicet epulis lautissimis à Cyaxare inuitati, & inebriati, trucidati sunt. Post annos 3. idest 32. Regni Cyaxaris, commisso crudelissimo scelere Scythæ contra Cyaxarem, confugere ad Alyattem Lydorum Regem, quæ fuit occasio belli Cyaxaris cum Alyatte, quod annos quinque totos durauit, sexto autem anno, idest Cyaxaris 37. finitum est occasione Eclipsis, de qua num. 2. at Cyaxares ex Ctesia, & Diodoro regnauit annos 40. ergo cum Eclipsis illa acciderit anno 585. ante Christum, Cyaxaris mors incidit in annum 582. ante Christum, & inde incœpit Astyages, regnauitq; annos 35. ergo mortuus est anno ante Christum 547. expletis propemodum annis 35. postquam cum Cyro sæpius pugnasset. Quare licet primum initium Cyri quo inuasit Medos, fuerit anno 559. pacifici tamen Regni initium fuit anno 547. extincto Astyage; & de hoc intelligendus est Daniel cap. 13. concludens: *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses Regnum eius*; antea enim iam regnabat, cum idem Daniel c. 10. dixerit *Anno tertio Cyri Regis Persarum*. Retrocedendo igitur, & anno 547. defuncti Astyagis addendo annos ex Herodoto, Ctesia, & Diodoro 317. vel potiùs completos tantùm 316. vt termini vtrique copulentur, cadit initium Regni Medorum in annum 863. ante Christum, à quo ad primum Cyri initium sunt anni 304. sed ad mortem Astyagis 317. durationis. Non repugnat autem nobis Herodotus lib. 1. dum ait Deiocem regnasse annos 53. nam principatum auspicatur ab eo tempore, quo aspirans ad tyrannidem electus est ab ipsis iudex controuersiarum, posteà enim elegerunt eum in Regem, vt ex eodem Herodoto constat.

4 Narrat præterea Herodotus lib. 1. Deioce defuncto, Phraortem eius filium suscepisse Imperium, nec solo Imperio Medorum contentum, Persas subegisse, atq; Asiam, *Donec*, inquit, *ad Assyrios oppugnandos peruenit, eos videlicet Assyrios, qui Ninum incolebant, quòdam omnium Monarchas, sed tunc à Socijs per defectionem desertos, alioquin per se bene habentes. Aduersus hos expeditione sumpta Phraortes, secundo, ac vicesimo Regni sui anno, cum pleraq; exercitus parte periit; post obitum eius Cyaxares filius, Deioces nepos successit*. Licet ergo extincto Sardanapalo Monarchia Assyriorum translata sit ad Medos, regnum tamen Assyriorum non penitus intercidit, vt quidam ex Ctesia, & Diodoro frustra contendunt, sed ex parte stetit, & instauratum est. Nam Arbaces ita Monarchiam Assyriorum occupauit, vt tamen *Belesо* Babylonem consensu Phulis concesserit citra tributi pensitationem, vt author est Diodorus, & *Phuli Belocho* (sic enim eum nominat Metasthenes Annij, dans ei annos 48. Regni) Niniuem, ac portionem Assyriæ Monarchiæ reliquerit, vtpote inter præfectos Sardanapali Eminentissimo, qui regnare cœperit statim à morte Sardanapali anno proximo, vt Genebrardus, Samerius, Mercator, Functius, Codomanus, Bibliander, Phrygio, & cum illis Salianus anno Mundi 3235. ac Tirinus in Chronico Sacro c. 33. esto Phulis initium Torniellus ad annum 4. Gordonus ad 9. post Sardanapalum differant, de hoc Sermo est 4. Regum c. 15. *Veniebat Phul Rex Assyriorum &c.* post eum autem regnauit *Phul Assar* eius filius, seu *Teglat Phalasar* ita nominatus 4. Regum c. 15. & 16. & post eum *Salmanasar*, de quo 4. Regum 17. & post eum *Senacherib*, de quo 4. Regum c. 18. et 19. et post eum *Assar Haddon*, de quo eodem cap. 19. in fine, et post eum *Nabuchodonosor* eius gener, vel filius adoptiuus, et deinceps alij ignoti nominis. Annos horum ex Metosthene, et Iosepho Tirinus, et aliqui digerunt vt in adiecto Laterculo. Quia verò Cyaxares, absoluto bello cum Lydis, iterum Niniuem obsedit, videtur ea durasse vsq; ad finem Regni Cyaxaris. Sed horum initia, et durationes ita ordinanda erunt, vt Ezechiæ tẽpore regnarint Salmanasar, Sennacherib, et Asarhaddon, sicut patet ex 4. Regum à cap. 15. ad 20. neq; enim necesse est, vt Teglatphulasar immediatè successerit Phuli Belocho, potueruntq; plures communi nomine *Phul* intercedere. Horum tempora ex anno 16. Ezechiæ, quo Sennacherib perijt dimensa, vide in fine capitis VI.

Reges Asyriæ.	Regnauit annos.
Phul-Bel-Ochus.	48
Teglat-Phul-Asar.	23
Salman Asar.	10
Sennacherib.	7
Assar-Haddon.	13
Nabuchodonosor solus	13

CAPVT V.

De Nabonassari Epocha celeberrima, & eius Annis, cum Epocha Christi connectendis.

CONCLVSIO V.

Quamuis Nabonassari Babyloniorum Regi Epocha inierit ab Anno ante CHRISTI Epocham DCCXLVII. à meridie diei 26. Februarij Iuliani, & vsque ad Annum Christi 900. & vlterius vsurpata sit ab Astronomis, aliquibusq; Chronologis eius tamen successores in Regno Babylonis non durarunt per se, aut cum Persis, nisi ad annum ante Christi Epocham 330. quo Alexander Mægnus Babylone potitus, ad Macedonas Regnum illud transtulit, quod annis 12. postea Seleucidæ obtinuerunt.

1 DE hac Epocha, vtpote ob multas Eclipses, aliasq; obseruationes Astronomicas à Ptolemæo, & alijs traditas, certissima tractant in primis. *Scaliger* l. 5. de emend. temporum à pag. 391. ad 400. *Kristmannus* de connexione annorum à pag. 272. *Origanus* tomo 1. Ephem. pag. 29. *Reinholdus* in Prutenicis à præcepto 3. *Petauius* lib. 9. de Doctrina temporum c. 51. 52. 53. 57. 58. 59. & l. 10. c. 7. ad 11. & in Rationario temporum parte 2. lib. 1. cap. 12. l. 3. c. 3. et 5. *Vbbo Emmius* lib. 2. Rerum Chronologicarum pag. 46. et lib. 5. pag. 110. *Saltanus* in Præfatione tomi 4. num. 14. et ad annum Mundi 3306. et 3324. num. 25. *Tirinus* in Chronico

nico Sacro cap. 35. *Paulus Guldinus* l. 5. contra Caluisium c. 8. *Io. Georgius Heruartus* c. 227. Nouæ Chronologiæ; *Langius* de Annis Christi lib. 2. cap. 12. cui adde Isaacum Vossium in Chronologia Sacra cap. 9. Nobis prius ex Ptolemæo, Censorino, Theone, & Albategnio constituendum est Epochæ nuius initium, & deinde quinam fuerit *Nabonassarus*, qui, & quot eius successores, quotq; annis regnauerint. Nam de anni Ægyptij forma, & mensibus, quibus in annis Nabonassari vtuntur Astronomi, & Chronologi, satis dictum est lib. 1. cap. 27. & de eius praxi lib. 2. c. 3. Canone peculiari.

2 Ptolemæus itaq; magnæ constructionis lib. 3. cap. 8. expresse, & postea passim in opere profitetur, se annos, ac dies Nabonassari computare à meridie Alexandriæ Aegypti, ad cuius meridianum reducit obseruationes Babylone factas; Censorinus autem de die Natali in codice Aldi Manucij cap. 8. annum illum, quo hæc scribebat, celeberrimis annorum Epochis consignauit his verbis. *Hic Annus (cuius velut index, & titulus quidam est Vlpij, & Pontiani Consulatus) ab Olympiade prima M. est, & XIV. ex diebus dumtaxat æstinis, quibus Agon Olympicus celebratur. A Roma autem condita CMXCI. & quidem ex Palilibus, vnde Vrbis anni numerantur; eorum verò Annorum, quibus Iulianis nomen est CCXXCIII. Sed ex die Kal. Ianuarij: & post pauca: Vt quos Nabonnagarij nominant, quod à primo Imperij eius anno consurgant, quorum hic CMXXCVI. est. Item Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc vsque perducti, annos DLXII. consumant; sed horum initia semper à die primo mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est Θὼθ, quiq; hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Iulij, cum ab hinc annos centum, Pio, & Bruttio præsente Consulibus ijdem dies fuerunt ante diem xij. Kal. Augusti.* Quare autem non dicat Censorinus diem primam Thoth hoc anno incidisse viij. kal. Iulij, & anno ab hinc centesimo die xiij. Kal. Augusti, sed dixerit ante diem vij. *Kal. Iul. & ante diem xij. Kal. August.* manifestum est ex Ptolemæo, quia nimirum Romani numerabant diem à media nocte, ad mediam noctem, vt exprimit idem Censorinus cap. 10. & Aegyptij cum Astronomis à præcedenti meridie, cui ad initium præcedentis dici Romani deerant horæ 12. ne igitur viderentur indidem inchoare dies, non dixit die tali Kal. sed ante diem vij. Kal. &c. Et propterea Censorinus adiecit sub finem cap. 8. *Initia autem istorum annorum propterea notaui nequis eos, aut ex Kalendis Ianuarij, aut ex aliquo tempore simul putaret incidere.* Et tamen Scaliger lib. 3. pag. 201. Kristmannus pag. 416. & Petauius lib. 9. c. 42. licet legant *ante diem viij. Kal. Iul.* interpretantur tamen initium diei huius fuisse 25. *Iunij* perinde, ac si Censorinus dixisset *die vij. kal. Iul.* aut *ante diem vj. Kal. Iul.* sed reuera corrigendus est ille textus, & reponendum *ante diem vj. kal. Iul.* vt initium Thoth cadat eo anno in meridiem diei 25. Iunij: quia Censorinus hunc diem confirmans ex alio præcedenti initio anni ante hunc centesimi, ait fuisse *ante xij. kal. Aug.* ideſt in meridie diei 20. Iulij, Aegyptius enim annus in Iuliano anno, centenis annis anticipat dies 25. ob totidem Bissextiles, ergo si Bruttio, & Pio Consulibus fuit initium Thoth in meridie diei 20. Iulij, vtique anno centesimo post, fuit in meridie diei 25. Iunij. Sed dices, quid si legendum sit in priore loco *ante vij. Kal.* & in posteriore *ante xiij. kal.* vt aliqui suspicati sunt. Respondeo non posse, quia cum his annus fuerit, vt mox ostendetur, & omnes concedunt, annus Epochæ Christi 238. sequitur retrocedendo ab eius die 25. Iunij per annos Aegyptios 986. quos Censorinus numerat, cadere initium huius Epochæ in diem 26. anni 747. ante Epocham Christi, vt apparebit perlustranti Tabulam II. nostram lib. 2. post caput 3. positam, & hac suppositione facta Eclipses à Ptolemæo notatæ incidunt in dies Iulianos congruentes diebus Aegyptijs ab eodem notatis. At si anno Christi 238. prima dies Thoth incœpisset à meridie diei 24 Iunij, seu antecedenti diem vij. Kal Iul. Epocha Nabonassari incœpisset à die 25. Februarij, & omnes Eclipses vno die discreparent in comparandis diebus Mensium Ægypt. cum diebus Mensium Iulianorum. Scitè igitur omnes Astronomi, & Chronologi in suis Tabulis, & computationibus ineunt Epochá hanc à Meridie diei 26. Februarij anni 747. ante Christi Epocham. Et hinc colligimus in Censorino legendum *ante vj. Kal. Iul.* & postea *ante xij. Kal. Aug.* hactenus de die

3 Quoad annum Iam ex demonstratis l. 3. c. 2. de Olympiadicis annis, & ex I. Tabula libri 2. in illis fundata, constat, annum Olympiadicum 1014. à Censorino notatum esse Epochæ Christi 238. ab æstiuis diebus ineuntem; Item ex dictis l. 3. c. 4. Annum ab Alexandri excessu 562. notatum à Censorino, esse item 238. Epochæ Christi initum die 25. Iunij; Item ex dictis l. 4. c. 2. de annis Vrbis Varronianis; Annum hunc Vrbis 991. notatum à Censorino incœpisse 21. Aprilis, seu Palilib. Anni item 238. Epochæ Christi; deniq; ex dictis l. 4. c. 3. versùs finem ex fastis Consularibus, & ex ordine annorum Iulianorum, constat *Vlpium, & Pontianum*, & Iulianum annum 283. à Kal. Ianuarij anni 238. Christi, incœpisse: ergo retrocedendo à die 25. Iunij per annos 986. sed Aegyptios, quot & quales notat hoc suo anno Censorinus; recidit eorum initium in annum 747. ante Epocham Christi vsitatam diemque 26. Febr. dixi vsitatam, quia quidam verum annum circumcisionis Domini vno integro anno præcessisse, si non pluribus, initio Aeræ Dionysianæ, seu vsitatæ Christi Epochæ putant, vt Salianus, ideoque debuit initium Nabonassari notare anno 746. ante Christum, & tamen minus cohærenter ad suam opinionem, anno Mundi 3306. notauit illud anno ante Christum 747. & Olympiadis 8. anno primo ineunte, aut paulo post inituro, cum deberet exeunti copulare. Errandi autem occasio fuit, quia annos 424. quos completos enumerat Ptolemæus 13. c. 8. ab initio Nabonassari ad Excessum Alexandri Magni Olympiade 114. mortui accipit pro annis Iulianis, cum sint Ægyptij, nec æquiualeant nisi Iulianis 423. & diebus 204. & præterea non aduertit annos Alexandri computari à die prima Thoth secuta post Alexandri mortem, ideſt die 12. Nouembris, vt ostendimus lib. 3. c. 4. quo Olympiadis 114. annus primus iam per 4. menses prouectus erat. subtrahendo igitur Olympiadibus 113. ideſt annis Olympiadicis 452. completis, & mensibus adhuc 4. annos 423. & dies 204. ideſt menses ferè 7. restant Olympiadici anni completi 28. & menses ferè 9. ergo initium Nabonassari incidit in Olympiadis 8. annum primum iam per menses 9. prouectum, nempe in 26. Februarij anni ante Christum 746. ex Saliani hypothesi, licet 747. ante vsitatam Christi Epochá; Quod ex hac ipsa computatione confirmatum manet. Errorem Temporarij vide in Petauij l. 9. c. 51.

4 Ex pluribus Eclipsibus à Ptolemæo relatis idem annus 747. ante Epocham Christi, imò & dies 26. Februarij comprobari potest. Exempli gratia lib. 4. Almagesti c. 11. ait de Hipparcho. *Tres igitur Eclipses Babylone delatas ibique obseruatas affirmat, primamq; fuisse in Phanostrati magistratu apud Athenienses, mense Posideone, defeciſſeq; Lunæ paruam circuli partem ab ortu æstiuo noctis, & occidisse adhuc deficientem.* Hic annus 366. à Nabonasaro fuit, vt ipsemet ait, die Thoth 26. sequente 27. post mediam noctem horis 5. minut. 30. Ex loco autem Solis colligit Ptolemæus medium Eclipsis fuisse Babylone hora 19. min. 20. post meridiem diei 26. Thoth, sed Alexandriæ hora 18. min. 30. Et ab initio Nabonassari ad medium huius Eclipsis, annos Ægyptios 365. completos, diesq; 26. & horas 18. ½. Iam verò hanc Eclipsim Tabulæ Astronomicæ repræsentant anno ante Christi Epocham 383. Decembri 22. hora post meridiem Alexandriæ 18. minut. 45. & digitorum 2. minut. 24. ergo dies Thoth incidit in meridiem diei 27. Nouembris, in quo meridie completi fuere anni 365. Ægyptiaci, qui æquantur Iulianis annis 364. & diebus 274. Adde iam anno 383. annos 364. et fit annus ante Epocham Christi 747. in die 27. Nouembris terminatus, qui est in anno Iuliano dies collectus 321. huic subtrahe dies 274. remanent de anno 747. à kalendis Ianuarij inito dies 47. ideſt dies 26. Februarij. Et simili methodo, ex omnibus Eclipsibus Ptolemaicis infra occasione alia subinde adducendis, idem initium reperies, quas tamen indicare placet cum annis Epochæ Christi, et diebus mensium Iulianorum quibus repræsentantur per Tabulas Astronomicas.

Anni

Anni Nabonaſsar.	Dies currens.	Anni ante Ep. Chriſ.		Dies currens.	Ptolomęus Almag.
27	Thoth 29	721	B	Mart. 19	l.4.c.6.&8
28	Thoth 18	720		Mart. 8	ibid.
28	Phamen. 15	720		Sept. 1	ibid.
127	Atyr 27	621	B	Apr. 21	l.5. c.14.
225	Phamen. 17	523		Iul. 16	ibid.
246	Epiphi 28	502		Nou. 18	l.4. c.9.
257	Tybi 3	491		Apr. 25	ibid.
366	Thoth 26	383		Dec. 22	l. 4. c. 11.
366	Phamen. 24	382		Iun. 18	ibid.
367	Thoth 16	382		Dec. 12	l.7. c.3.
547	Meſori 16	201	B	Sept. 22	l.4.c.11.
548	Mechir 9	200		Mart. 19	ibid.
548	Meſori 5	200		Sept. 11	l.4. c. 11.
574	Phamen. 27	174		Apr. 30	l.6. c.5.
607	Tybi 2	141		Ianuar. 27	ibid.
Anni Nabonaſsar.		Anni Chriſti.			
872	Pachen 17	125		Apr. 5	l.4. c.9.
880	Paym. 20	133		Maij 6	l.4. c.6.
882	Chæac. 2	134		Octob. 20	ibid.
883	Pharm. 29	136		Martij 5	l.5. c.13.

5 Quiſnam verò fuerit *Nabonaſſarus* quæri ſolet. Primò nobis cum Saliano, Petauio, & plurimis certum eſt, non fuiſse *Salmanaſarum*, quidquid putarint Cedrenus, Reinoldus in Prutenicis præc. 3. Buntingus, Mercator, Functius, Codomanus in ſuis Chronologis, quia *Salmanaſar* fuit Rex Aſsyriorum regnauitq; in Niniue, habuitq; ſucceſſorē *Sennacheribum* ex 4. Regum à c. 15. ad 19. At *Nabonaſſarus* eiuſq; ſucceſſores *Merodat*, regnarunt Babylone ex 4. Regū c. 20. & 1. Paralip. c. 32. ſed neq; fuit *Baladan*, cui *Phul-Bel-Ochus* cum Arbace dedit præfecturam Babylonis ex dictis cap. 4. tum quia præfectus ille fuit *Beleſus*, tum quia ex dictis ibidem illud accidit anno 863. ante Epocham Chriſti, at Nabonaſſari initium anno 747. nempe poſt annos 115. quod non aduertit Tirinus eius opinionis aſſertor in Chronico Sacro c. 34. At Salianus tomo 4. ad annum Mundi 3310. & 3324. ac Petauius l. 9. c. 52. putant fuiſſe *Baladan* illum cuius filius 4. Regum c. 20. nominatur *Berodak Baladan filius Baladan, rex Babyloniorum*, aut *Ilulæum*, de quo in Canone Georgij Monachi: non propterea tamen negandum eſt eum fuiſſe regem, quia S. Scriptura ibi eum non nominat regem, ſed filium eius, vt negat Salianus: poteſt enim id ſubintelligi, & ipſa nouæ Epochæ conſtitutio indicio eſt eum excuſſo iugo Aſsyriorum, qui refloruerant, nouum nomen *Nabonaßari* cum ſceptro aſsumpſiſse, aut id de conſenſu feciſse Regis Aſsyrij, ſed aut partem Babyloniæ ipſi relictam aut vectigalem eius fuiſse, ſiquidem circa illud tempus Salmanaſar in Samariam miſit colonos ex Babylone quoq; vt dicitur 4. Regum c. 17.

CAPVT VI.

De Regibus Babyloniæ Nabonaßari poſteris, eorumque Annis, cum Epocha CHRISTI nectendis.

CONCLVSIO VI.

Inter Nabonaßari ſucceßores certum eſt Mardokempadum incœpiſſe ante CHRISTI Epocham Anno DCCXXI. & Nabopollaſſarum anno DCXXV. inter reliquos autem probabilius eſt Nabuchodonoſorum iuniorem cœpiſſe Anno DCV. Euilmerodachum Anno DLXII. Nirigliſſororum pro Baltaßare DLIX. Baltaſſarem, ſeu Loboroſardochum ſolum Anno DLV. Nabonidum, ſeu Darium Medum Anno DLIV. & hoc expulſo à Cyro, & obſeſſa demumq; capta Babylone, Babylonicum regnum tranſiſſe ad Perſas Anno DXXXVI. quo ſoluta eſt captiuitas Iudæorum, atq; adeo à Nabonaßaro incluſiuè ad Cyrum excluſiuè duraße Annos CCXII.

1 PRima pars de certis initijs *Mardokempadi*, & *Nabopollaßari* probatur ex Ptolemæo l. 4. Almageſti cap. 6. & 8. vbi refert tres Eclipſes Lunæ, quarum prima obſeruata fuit *Babylone Anno primo Mardokempadi, & Aegyptio anno 27. à Nabonaſſaro die 29. Menſis Thoth. ſequenti 30.* hora poſt meridiem 9. ½. *Alexandriæ* autem hora 8. ⅔. *quando tota defecit*. At Canones Aſtronomici anno illo 27. Nabonaſsari exhibent Eclipſim Lunæ totalem anno ante Chriſti Epocham 721. Martij Iuliani die 19. hora Alexandriæ 8. ac ferè ⅔. poſt merid. Ergo dies prima Thoth, à qua incœpit annus ille Ægyptius incidit in Februarij diem 20. Addit ibidem duas alias Eclipſes Lunæ, quarum poſteriorem conſignat die 15. Phamenoth ſequente 16. anni Nabonaſs. 28. & ſecundo Mardokempadi, ea verò fuit anno ante Chriſtum 720. die 1. Septembris, vnde apparet annum 1. Mardokempadi incœpiſse non procul à die 20. Februarij anni 721.

Libro autem 5. cap. 14. refert idem Ptolemæus hæc. *Quinto igitur anno Nabopollaßari, qui eſt centeſimus vigeſimus ſeptimus à Nabonaſſaro, die 27. Atyr, ſequente 28. iuxta horæ vndecimæ finem cœpit Luna deficere Babylone, defecitq; quarta ad ſummum pars Diametri ab Auſtro*: addit medium Eclipſis fuiſse ibi hora 5 ½. poſt mediam noctem, ſed Alexandriæ hora 5. At anno illo Nabonaſſari, nempe ex libri 2. Tabula II. anno 621 ante Epocham Chriſti, calculus Aſtronomicus monſtrat Eclipſim Lunæ digitorum 3 ½. ab Auſtro, die 21. Aprilis hora ferè 17. poſt merid. Alexandriæ, ergo anno 625. ante Epocham Chriſti fuit primus annus *Nabopollaſſari*, quem contractè aliqui *Nabolaſſarum*, vel cum Theophilo lib. 3. ad Autolycum *Abolaſſarum*, vel cum Beroſo apud Ioſephum l. 10. antiq. cap. 11. Euſeb. l. 9. de præpar. c. 4. vbi habet κα', ideſt 21. & Canone Georgij Monachi aiunt regnaſſe 21. annos; & illud ex Beroſo apud Ioſephum l. 1. contra Apionem ἕικοσι ἔννεα, ideſt 29. vitio, aut ſcioli librarij auſu extenſum pro ἐ'ικοσι ἓν, ideſt 20. & 1. aut annos 8. regnaſse cum patre, vel filio, ſolum autem 21. vt placuit Torniello, & aliquibus *alijs*: itaque obijt anno ante Epocham Chriſti 605.

Secunda pars de probabilitate Annorum reliquorum Regum, & primum de Merodaco.

2 INcredibile eſt quanta confuſio ſit in Babylonicorum Regum temporibus tum inter ſe, tum cum Regibus Iuda comparandis apud Chronologos, & Sacræ Scripturæ interpretes: in qua mihi perſuaſum eſt poſt Sacræ Scripturæ auctoritatem, eos *alijs* præferre oportere, qui & antiquiores fuerunt, & rerum Babylonicarum peritiores, nec eos deſerendos, quamdiu commodè cum Sacro Codice cōciliari poſſunt. Exordiendo itaq; à Diuina Scriptura lib. 4.

Regum

Regum c. 20. post narratum miraculum de Sole retrogresso dicitur. *In tempore illo misit Berodach Baladan filius Baladan Rex Babyloniorum literas, & munera ad Ezechiam*, & Isaiæ 39. *In tempore hoc misit Merodach Baladan filius Baladan Rex Babylonis, libros, & munera ad Ezechiam.* Quia verò vtrobique Deus per Isaiam promisit Ezechiæ: *Ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos*, & lib. 4. Regum c. 18. & lib. 2. Paralip. c. 29. dicitur Ezechias regnare cœpisse cum esset *vigintiquinque annorum*, & regnasse *viginti nouem annis*, consequens est vixisse annos 54. & miraculum illud factum anno 14. exeunte, aut completo Regni eius; non est tamen consequens illo anno aduenisse de Babylone legatos, quia 4. Regum c. 18. dicitur. *Anno quarto decimo Regis Ezechiæ ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad vniuersas Ciuitas Iuda &c.* & cap. 19. Isaias dicit Ezechiæ: *Comede hoc anno, quæ repereris, in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur, porrò in tertio anno seminate*, quia scilicet propter Asyriorum excursiones non licebat serere, ac metere; & cap. 20. eodem anno 14. Ezechiæ promittitur ei sanitas, & addit: *sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te*, sequitur liberatum esse tertio illo anno, ideſt Ezechiæ anno 16. quo iam serere, ac metere licuit, percusso iam Sennacherib, & tunc aduenisse Babylone legatos, quia obsidione Hierosolymæ soluta patebat aditus in eam, & Ezechias timore liberatus, ac muneribus vndecunq; ad eum missis, vt dicitur lib. 2. Paralip. c. 32. habebat tunc opportunitatem oftẽtandi legatis Babylonicis suas opes. Neque obstat, quod 4. Regum c. 19. et 20. et Isaiæ cap. 37. et 38. priùs narretur percussio Sennacheribbi, quam ægrotatio Ezechiæ, id enim frequens est in Scriptura, vt continuet totam vnam seriem factorum eiusdem negotij; si quæ verò interim diuersi generis acciderunt, posteà reassumpto ordine referat, ne prioris generis negotia interruptè narret. Quando igitur subiungitur: *In diebus illis ægrotauit Ezechias*, indicantur dies præcedentes, quibus Sennacherib venerat infestaturus Iudæam, et quibus Isaias dixit, vel Deus per eum: *Et de manu Regis Assyriorum liberabo te*; id enim de Asarhadone successore Sennacheribbi non potest intelligi, vt contendit Petauius lib. 9. c. 56. quia nusquam legitur hic mouisse contra Iudæos, nec verisimile id auſurum fuisse, postquam nouerat Sennacheribum eiusq; exercitum tanto prodigio cælitus percussum. Itaque exeunte anno 14. Regni Ezechiæ Sennacherib mouit contra Iudæam, eo verò expleto ægrotauit Ezechias inito iam 15. anno, et anno demum 16. inito venere legati illi serò quidem, at non prius erat opportunum: et ita sentio cum Torniello, et Saliano tomo 4. ad annum mundi 3324. vbi etiam num. 25. cum plerisque affirmat *Merodachum* fuisse *Mardokempadum*; sed quod addit hunc fuisse filium Nabonasari, iuxta eundem Ptolemęum, et ab eodem Ptolemæo tribui annos 26. Nabonasaro, neutrum sanè dicit Ptolemæus lib. 4. Almag. c. 6. et 8. Imò Canon horum Regum, quo vsum Ptolemæum putant multi, tres Reges interserit Nabonasarum inter, ac Mardokempadum, datq; illi annos regni tantummodo 12. nihil enim aliud dicit Ptolemæus, quàm annum primum Mardokempadi fuisse 27. annum Aegyptium à Nabonasaro computatum. Multa quoque aseruntur de illo non planè certa. Tirinus enim in Chronico Sacro c. 34. ait eum regnasse annos 52. et filium eius *Ben Merodakum* annos 44. et pro se nominat Eusebium lib. 9. de præpar. Berosum, et Scaligerum lib. 5. sed nihil tale apud eos reperire potui. Esto autem anni 52. et 44. simul faciant annos 96. quot à primo Mardokempadi ad primum Nabopollasari numerantur, tamen inter hos duos Reges Canon, de quo infra, recenset alios octo Reges, nec vllus auctor antiquus reperitur, qui Merodaco det annos 52. nisi fortè Annius in suo Metasthene.

At Salianus ad Mundi annum 3324. num. 25. ait cum Serario, *Merodachum* anno primo regni sui, quo assumptus est à Nabonassaro in regni consortium videlicet ante Christum 729. misisse legatos ad Ezechiam, & ad annum 3333. hunc esse Merodachum illum, qui toto libro Iudith dicitur *Nabuchodonosor*, & qui expugnata Niniue Assyriorum regnum iterum Babylonico adiunxerit, ideoque anno regni sui decimo, sed qui ob nouam hanc monarchiam nouæ Epochæ ansam dederit, ideoq; annus hic ante Christum 720. sed ante Epocham Christi 721. vocetur à Ptolemæo annus primus Mardokempadi, & sic geminum eius initium agnosci à Genebrardo, Mercatore, Gordono, Samerio, Functio, Buntingo, Codomano; & ad annum Mundi 3344. & 3375. auctoritate item Genebrardi, Gordoni, Mercatoris; Tornielli, Samerij, Buntingi, Functij, ait Merodachum hunc regnasse annos 52. & ab eo captum Manasem abductumq; Babylonem, & 12. quidem annos regnasse Babylone reliquos 40. in Assyria, & mortuum esse anno ante Christum 678. seu ante Epocham Christi 679. & demum ad annum Mundi 3376. successisse ei teste Eusebio, Ben Merodachum; & ad Annum 3400. assumpsisse in consortium regni Nabolassarum, omnia verò hæc à Saliano tradita, licet ob auctoritatem recentiorum sustineri possent, reuera tamen concinnata sunt ad suam cuiusq; Chronologiam fulciendam, præsertim quoad annos duorum simul corregnantium; nec satis cohærent cum canone horum Regum quem ex Georgio Monacho sub Ptolemæi nomine editum sub initium nostri seculi exhibet Scaliger in collectaneis, Petauius l. 9. de doctrina temporum c. 52. & parte 2. Rationarij ad finem libri 4. ac Langius lib. 2. de annis Christi, & vt dixi inter Nabonassarum, & Mardocempadum ponit Reges Babylonis 3. & inter Mardocempadum ac Nabolassarum, seu Nabopollassarum Reges 8. & interregna 2.

3. Post *Merodachum* Sacra Scriptura meminit Nabuchodonosoris pluribus in locis, sed ad rem nostram faciunt Hieremias cap. 25. *Verbum, quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno quarto Ioakim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.* Hoc enim anno cùm appropinquaret exercitus Nabuchodonosori, iussus est vaticinari, & exhortari populum Iuda, nec repugnat Daniel cap. 1. dicens: *Anno tertio regni Ioakim regis Iuda venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda &c.* Anno enim 3. adhuc labente missus est Nabuchodonosor à patre Nabolassaro ad hanc expeditionem, capta autem est Hierosolyma anno 4. Ioachimi iam inito, et mortuo iam Nabolassaro, vt ex Berosо, et alijs infra ostendetur, ideoque initium regni Nabuchodonos. incidit in annum 4. Ioakimi: Nulla autem est necessitas limitandi verba Sacri Textus, et dicendi hunc annum fuisse primum, quo solus sine patre regnare cœpit, alioquin regnasse cum patre annis 8. ideoq; patri eius tribui à Berosо modo annos 21. quo solus regnarit, modò 29. vnà cum filio; quia textum Berosi vitiatum putamus vt supra indicauimus. De reliquis gestis Nabuchodonosori non est hic locus disputandi, sicut nec de somnij interpretatione per Danielem de ipsius expulsione à regno, et de reditu ad sanam mentem, tandemq; de morte. Satis enim est ex Berosо, et Canone (vt vocant) Ptolemaico, et communi omnium sententia scire ipsum regnasse annos 43. solidos ac mortuum anno regni 44. inito; et ipsi successisse *Euilmerodachum*, de quo 4. Regum c. vltimo dicitur. *Factum est verò in anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin Regis Iuda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere.* Quod reperitur Ieremiæ 52. vbi tamen habetur *vigesimaquinta* dies. Porrò lib. 4. Regum c. 23. dicitur Ioakim regnasse *vndecim annis*, et cap. 24. in eius defuncti locum regnasse filium eius *Ioachin*, et hunc translatum fuisse à Nabuchodonosoro Babylonem: igitur hoc contigit anno 8. regni Nabuchodonosor, nam inito anno 4. *Ioakim* regnare cœpit; adde nunc annis 7. Nabuchodonosoris completis annos 37. fere completos, à translatione *Ioachin*, et consurgit annus 44. Nabuchodonosori iam initus, quo *Euilmerodach* eius successor, eduxit *Ioachin* de carcere. An autem idem sit hic ac *Baltaßar* ingens quæstio est: sunt enim qui putent eundem esse, vt Tirinus in Chronico Sacro c. 34. eundemque nominari *Merodach* à Ieremia c. 50. vbi clamat: *Capta est Babylon, confusus est Bel victus est Merodach*; item nominari *Nabo* ab Isaia, qui cum capite 45. locutus esset de victorijs Cyri; mox cap. 46. exclamat *Confractus est Bel contritus est Nabo*, licet forte his locis sermo sit de statuis horum regum, quæ inter idola colerentur. Quidam verò putant Baltasarem fuisse fratrem minorem Euilmerodachi vt Theodoretus in Danielem orat. 5. Seuer. Sulpit. l. 2. et Eusebius in Chr. quidam denique, nepotem, aut pronepotem Nabuchodonosoris.

4 Pro prima, et secunda opinione Balthasarem filium Nabuchodonosori reputante, facit Baruch 1. vbi dicitur: *Vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthassar filij eius.* Et Daniel cap. 5. dicitur Balthasar iussisse afferri in mensam sacra vasa, *Quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo*, et ibidem Daniel ad eum. *Nam, & rex Nabuchodonosor pater tuus*, et iterum; *Deus altissimus regnum &c. dedit Nabuchodonosor patri tuo*, imo ipsemet Balthasar ad Danielem ibidem: *Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ quem adduxit pater meus rex de Iudæa?* Sed hæc minimè id euincunt, quia non insuetum est S. Scripturæ auos, & proauos appellare patres; & vicissim nepotes, ac pronepotes nomine filiorum donare, vt asserit S. Hieronymus in cap. 5. Danielis, qui proinde Balthassarem, quintum à Nabuchodonosoro iccensetsagnoscens inter hosce, *Euilmerodachum, Neglisarum, & Labosordachum.* Hinc fit, vt neque certum sit Balthasarem fuisse filium Euilmerodachi, esto Hieremiæ 27. dicatur: *Et seruient ei*, ideſt Nabuchodonosoro, *omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius*, vbi videntur indicari Euilmerodach, & deinde Balthasar; nam illa verba possunt verificari, etiam si Balthasar fuerit nepos Euilmerodachi ex Sorore, & Nepos Nabuchodonosori ex filia, vt fuisse Labosordachum infra docebimus, cum hebraica loquutio patiatur, vt verti potuerit, *& filio prolis eius*. Quo loco non negat Iudæos seruituros alijs Regibus Babylonis, vsq; ad Cyrum ipsorum liberatorem, sed loquendo de stirpe Nabuchodonosoris, quæ in Balthasare extinguenda erat, tres tantum de illa fore cui seruiant Iudæi, alioquin futurum erat, vt seruirent etiam Dario Medo, qui non fuit de stirpe Nabuchodonosori, vt infra constabit.

5 Supersunt loca illa Sacri Codicis, in quibus insinuatur Regnum Babylonicum transiturum ad Medos, & Persas, quæriturq; vtrum immediatè transierit ad vtrosq; nempe ad Cyrum Persarum Regem, & Darium Medum, tanquam bipertito; nam prius ad Darium Medum, deinde ad Cyrum? Sed Daniel videtur litem decidere dum cap. 5. exprimit: *Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in Regnum, annos natus sexaginta duos*, & cap. 6. docet se in aula Darij huius perseuerasse quamdiu ille regnauit in Babylonia, et vsque ad initium Regni Cyri in eadem illis verbis: *Porrò Daniel perseuerauit, vsq; ad Regnum Darij, regnumq; Cyri Persæ.* Neque obstat, quod cap. 5. dixerat: Diuisum est Regnum tuum, & datum est Medis, et Persis, non enim simul, sed successiuè id faciendum significat, et dicitur datum, quia iam decretum erat à Deo, vt daretur, et illud *diuisum* significat separationem, quemadmodum lib. 1. Regum c. 15. Samuel dixit Sauli. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*, etiam si nondum id factum esset, nec in duas partes tunc esset diuidendum Regnum Saulis, vt acutè notat Petauius lib. 10. c. 11. Nusquam verò Sacra Scriptura dicit eodem tempore Babylonem, interfecto Balthasare, captam esse à Medis simul, et Persis; Nam de Dario Medo, dicitur successisse, vel, vt in Caldæo habetur, *accepisse Regnum*, quia ei delatum est communi suffragio eorum, qui conspirauerunt in Balthassarem. Sed & capite 9. Daniel priùs nominat Darium dicens: *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super Regnum Chaldæorum*; & deinde cap. 10. memorat annum tertium Cyri: at si vterque simul imperassent, par erat vtriusq; simul Epocha vti. Illud autem Hieremiæ cap. 51. *Suscitauit Dominus Spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius est*, & Isaiæ cap. 31. *Onus Babylonis &c. & ecce ego suscitabo super eos Medos*; possunt intelligi, tum de Dario Medo, qui fuit de semine regum Mediæ, quatenus fuit vnus ex præcipuis coniuratis contra Balthassarem, & causa translati in ipsum Regni; tum præcipuè de Cyro, qui iam occupauerat Regnum Medorum. Quoto demum anno regni sui occisus sit Balthasar, non exprimit Sacra pagina, sed quia Daniel cap. 8. ait, *Anno tertio Regni Balthassar Regis*, nec vsquam plures eius annos commemorat quidam afferunt, eum occisum esse anno 3. Regni, quod licet non sit improbabile, necessarium tamen non est, sicut non sequitur, quia nunquam meminit nisi anni primi Darij, & anni 3. Cyri, eos regnasse tantummodo vnum, aut tres annos. Eos enim annos solum memorat, quibus visiones habuit, aut qui ad rem suam pertinebant. Hactenus de fundamentis ex Sacris literis pro annis horum Regum digerendis.

De locis ex Historia non sacra pro Regum prædictorum temporibus.

6 IOsephus Hebr. lib. 10. antiquitatum Iudaicar. c. 11. ait: *Cæterùm Nabuchodonosorus cũ regnasset annos XLIII. vitam finijt. Meminit eius etiam Berosus libro tertio rerum Chaldaicarum his verbis. Pater autem Nabuchodonosorus, audito quòd Satrapa, quem Aegypto, Cœlæ Syriæ, & Phœniciæ præfecerat, à se defecisset, cum non posset amplius ferre labores militiæ; tradita iuniori Nabuchodonosoro copiarum parte; iussit hunc contra illum proficisci: Qui collatis signis cum rebelle congressus, ipsum debellauit, & regiones eas ad suum imperium retraxit. Interea Nabuchodonosorus pater apud Babylonem morbo consumptus est, cùm regnasset annos XXI. Nabuchodonosorus autem haud multo post patris morte cognita, & constitutis Aegypti, ac reliquarum regionum negotijs, demandataq; amicis cura captiuorum Iudærum, Syrorum, Phœnicum, & Aegyptiorum traducendorum in Babyloniam cum exercitu, & impedimentis; ipse cum paucis per desertum Babylonem properauit.* Rursus apud eundem Iosephum lib. 1. contra Apionem referuntur Berosi similia, & alia ex libro 3. Chaldaicarum verba hæc. *Nabuchodonosor itaq; postquam inchoauit prædictum murum, incidens in languorem de vita migrauit, cum regnasset annis tribus, & quadraginta. Huius Regni dominus effectus filius eius Euelmoraduchus, ob sua scelera, & libidines insidijs appetitus à marito sororis suæ Nirigliſooro peremptus est, cum duobus regnasset annis; quo defuncto accipiens principatum Nirigliſoorus eius interfector, regnauit annis quatuor. Huius filius Laborosardochus, principatum quidem tenuit, licet esset adolescens per menses nouem, sed eo quod appareret prauis moribus, ab amicis per insidias extinctus est. Hoc itaq; sublato conuenientes hi, qui struxerant insidias, communi suffragio regnum tradidere cuidam Nabonido, qui erat ex Babylone ex eadem conspiratione*, Græcè enim est ἐκ αὐτῆς ἐπισυστάσεως: non verò ex eadem gente, quasi verò esset ex stirpe Nabuchodonosori, vt malè vertit Rufinus in fragmentis, & Sigismundus Gelenius, vnde Pererius l. 7. in Danielem, & alij decepti sunt. Pergit autem Berosus de Nabonido sic. *Cuius Regni anno decimo septimo egressus Cyrus ex Perside, cum magno exercitu, vniuersa Asia subacta, impetum fecit in Vrbem Babylonis: cognita verò Nabonidus hac aggressione, occurrit ei cum exercitu, & pugna comissa victus, fugatusq; cum paucis in Borosippo Vrbe inclusus est. Cyrus autem Babylonem obsidens &c. reuersus est ad Borosippum Nabonidum expugnaturus. Nabonido verò oppugnationem non expectante, sed prius supplicante vsus clementia Cyrus, expulit eum à Babylonia, dans ei habitationem in Carmania.* Concinit his ex parte, quæ Alexander Polyhistor apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. cap. 4. refert. *Nabuchodonosor prædicta mœnia ædificare cœpit, graui ter ægrotauit, mortuusq; est post quadragesimum tertium annum Regni sui, cui Euilmalurchus filius successit, hic propter iniquitatem, & lasciuiam à Nerigliſaro sororio suo insidijs exceptus, in secundo anno Regni periit. Deinde filius eius Laberosacus mensibus nouem, quo insidiosè interfecto, communi consilio Nabonidus insidiatorum vnus regnauit.* Non dicit Nergliſsarum regnasse, quia fuit fortasse administrator Regni loco filij, ad quem, vt in recta linea de stirpe Nabuchodonosori pertinebat successio Regni, donec hic ex tutela euadens, aptus esset ad regimen. Pergit autem de Nabonido: *In septimo autem, & decimo anno regni eius, Cyrus Rex Persarum magnis copijs Babylonios inuasit: Nabonidus verò regnum suum defensurus, exercitum constituxit, sed in prælio victus, Borosippum aufugit, quam Cyrus Babylone capta, obsedit, sed Nabonidus non valens sustinere obsidionem, se Cyro tradidit, qui humanissimè illum tractauit, & in Carmaniam cum dignitate ire iussit, vbi non multo post obijt.* Præterea Alphenus penes eundem Eusebium eodem capite adducit Megasthenis auctoritatẽ sic. *Megasthenes vir per antiquus Nabuchodonosorem Hercule robustiorem fuisse dicit &c. quem Chaldæi dicunt cùm in Regnum suum rediisset, furore diuinitus captum magna voce exclamasse: Ego*

vobis ò Babylonij futuram calamitatem prænuncio, quam nec Belus vlla vis Deorum auertet. Veniet Persa Semiasinus, qui vos in seruitutem rediget. His alijsq; huiusmodi dictis subitò euanuit, cui filius Euilmerodach successit, quem Iglisares interfecit, ac loco eius regnauit, cui Labosoraschus filius successit. Quo per insidias interempto, Nabonidochus regnauit; hunc Cyrus, capta Babylone Carmaniæ principem fecit. Sed Petauius lib. 10. cap. 7. ex Græcis verbis Megasthenis notat illa verba, post Labosoraschi necem Ναβοννιδόχον ἀποδειχυῦσι βασιλεὰ προσήκοντα αἰ οὐδέν, videlicet: *Nabonnidochum Regem constituunt, nulla illi propinquitate coniunctum.*

7 Iam Iosephum ipsum audiamus, qui cum lib. 10. antiquit. cap. 11. Berosi verba superiùs relata produxisset, capite sequenti quasi sui oblitus, vel gratis ex sua Chronologia, non veritus eius numeros peruetere, alia quoq; falsa inserere non dubitauit, inquit enim: *Post Nabuchodonosori obitum Abilamarodachus eius filius regnum suscepit, qui mox Hierosolymorum Regem Iechoniam è vinculis dimisit.* Et non multo post. *Abilamarodacho post decimum octauum regni sui annum defuncto Nigliſar filius successit, cumque regnasset annos quadraginta defunctus est, cõtinuata deindè successione ad Labosardachum filium regnum peruenit, apud quem cum nouem tantùm mensibus hæsisset, post mortem eius transijt ad Balthasarem, qui Babylonijs Nabandel nominatur. Huic bellum intulerunt Cyrus Persarum Rex, & Darius Medorum, à quibus, dum intra Babylonem oppugnatur, mirabilis quædam visio ei contigit,* qua enarrata, & Danielis interpretatione subiungit. *Sub Balthasare enim capta est Babylon anno regni eius decimo septimo. Hic finis fertur posterorum Nabuchodonosori, Darius autem, cum extingueret Babyloniorum Imperium, adiutus à Cyro cognato suo annum agebat sexagesimum secundum, qui fuit Astyagis filius, apud Græcos alio vocatus nomine; Hic etiam Danielem prophetam secum adducit in Mediam:* & prosequitur de ijs, quæ Danieli in Media acciderunt. At si Berosso, & Megastheni, & Alexandro Polyhistori credere oportet, vt antiquioribus, & Chaldaicarum rerum peritioribus, tot mendacia Iosephus, quot dicta dixerit. Sed forte mendum est in Codice Iosephi, & pro τέσσαρα, ideſt *quatuor* repositum fuit τεσσαράκοντα: annos verò Euilmerodachi debuit producere ad 18. vt suppleret cum duobus integris eius, reliquos 16. solidos, quos Nobonidus ante aduentum Cyri regnauit, siquidem Nabonidum eundem facit cum Balthasare. Iam si Historicos prophanos consulamus, Herodotus, & Persicarum rerum peritissimus Ctesias (alioquin sæpe ab Herodoto recedens) & Diodorus Siculus, & Iustinus in id conueniunt, vltimum regem Medorum fuisse Astyagem, quem supra à Cyro spoliatum regno diximus; solus Xenophon non magnæ fidei in rebus Cyri, memorat Cyaxarem Astyagis filium, quem tamen ait in Media, siue Regem, siue Viceregem relictum à Cyro, quando expeditionem suscepit in Babyloniam. Hic ergo est ille Darius Medus, quem Iosephus ait alio nomine à Græcis vocari: sed quia ex Daniele notum erat Balthasari successisse Darium Medum, hunc eundem cum Cyaxaro efficiens, associauit Cyro in expugnatione Babylonis, in hoc contradicens Xenophonti. Præterea Regnum Balthassaris, vsq; ad Cyri aduentum, & Babylonicam expugnationem produxit, quia ex vna parte Balthasar occisus est illa nocte qua computationibus indulgebat in magno illo conuiuio, de quo Daniel cap. 5. ex altera verò Xenophon: inquit: *Ac fossæ quidem iam actæ erant, Cyrus verò cum audisset celebrari Babylone festum, nescio quem diem, quo Babylonij omnes nocte tota potarent, & comessarentur, statim ac illius diei nox superuenit multis operarijs adhibitis, ostia fossarum aperuit versus amnem, vnde fluuius per fossas in Vrbem inundans, eam permeabilem fecit.* Nec in hoc disentit Herodotus.

8 Herodotus enim lib. 1. narrat Nitocrim Reginam Assyriorum, & Babyloniorum, magnis molibus Euphrate aliorsum detorto præmunisse se, ne Medi vnquam possent Ninum vrbem, nedum Babylonem inuadere, & pontem eximium supra lacum Babylone excitasse; deinde addit. *Talis extitisse Regina hæc memoratur, aduersus cuius filium Labynitum patris nomen, & Assyriæ imperium habentem Cyrus duxit exercitum,* & post pauca. *Ita porrò Babylonem ire pergit, Babylonijs cum producto exercitu, præstolantibus. Qui vbi propiùs vrbem promouit, cum eo conflixerunt, prælioq; fugati in Oppidum se receperunt:* refert deinde obsidionem Babylonis, & commeatum annorum multorum, quo Babylonij freti, nihili faciebant obsidionem: *Et Cyrus cum iam longo tempore nihil admodum proficeret inops consilij erat;* deinde inundationem immissam verbi, & ex inopinato Persas ingressos, non aduertentibus Babylonijs propter vrbis magnitudinem, & subiungit, *Sed forte quoniam dies festus eis esset exercendis Choreis, atq; obseruationibus operam dabant: donec planè rem animaduerterunt: atq; ita primum capta est Babylon.* Itaq; ex similitudine diei festi magnam occasionem habuit Iosephus conuiuium Balthasaris, cũ hoc altero iungendi in idem tempus; & quia hoc anno victus fuit Labynitus, seu Nabonidus à Cyro, asserendi cum fuisse Balthasarem. Notabit interim Lector, ex Herodoto, & Beroso obsidionem illam multorum fuisse mensium, & partim in victoria de Nabosado, & obsidione Borosippi, partim, & præcipuè in Babylonica totum ferè annum consumptum esse, præsertim cum Xenophon dicat Cyrum in 12. partes exercitum diuisisse, vt vna quæque singulum mensem in excubijs maneret. Notandus quoque est interim lapsus Herodoti, qui Labynitum à Ciro victum facit filium Labyniti illius, qui fuit Maritus Nitocridis Reginæ Assyriorum, & Babyloniorum: nam certum est Labynito victo Cyrum obsedisse, & obtinuisse Babylonem anno ante Epocham Christi 538. at idem Herodotus eodem libro asserit Nitocridem Semiramide posteriorem fuisse *quinque ætatibus*, ideſt annis fere 167. nam apud ipsum tres ætates faciunt annos centum; at Semiramis Nini vxor obijt anno 2198. ante Epocham Christi, ergo Nitocris regnauit anno circiter 2030. ante Christum. Licet autem Labynitus ille Babylonicus, qui ex eodem Herodoto fuit auctor pacis inter Cyaxarem, & Haliattem occasione Eclipsis solaris anno ante Christum 585. fuerit Nabuchodonosor, anno regni sui 20. ille tamen non fuit pater Labyniti seu Nabonidi de quo agimus, vt ex Megasthene supra docuimus.

9 His præmissis non sine necessitate (cum hinc, vel maximè pendeat connexio prophanæ historiæ seu Chronologiæ cum sacra) censeo præferendum esse Iosepho Berosum, Magasthenem, Alexandrumq; Polyhistorem, & quantum fieri possit cum Sacra Scriptura conciliandum, non repugnante Herodoto, Ctesia, Diodoro, Iustino, ipsoque adeo Xenophonte, sed ex parte fauentibus. Itaq; cum Scaligero lib. 6. de emend. temp. & in Appendice, nec non Petauio lib. 10. de doctrina tempor. cap. 7. vsque ad 12. dico Nabuchodonosoro anno 44. regni sui defuncto successisse *Euilmerodachum*, & hunc regnasse annos 2. solidos; annoq; tertio carentem prole interfectum fuisse à Sororis suæ filiæque Nabuchodonosori marito *Nirigliſaro*, ad cuius filium *Laborosardochum*, & alio nomine *Balthassarem* successione hæreditaria regnum pertinebat, vtpote nepotem ex filia Nabuchodonosori, & Consobrinum, aut nepotem Euilmerodachi, & hoc sensu filium filij Nabuchodonosoris, ideſt eius nepotem ex filia, & nepotem Euilmerodachi ex sorore: sed quia hic puer adhuc erat, nec administrationi regni idoneus, *Nirigliſſarus* suscepit administrationem regni titulo tutoris, per quatuor annos, ita tamen vt anni regni numerentur à peritis tanquam pertinentes ad *Balthassarem*; extincto autem *Nirigliſaro*; ipsemet *Laborosardochus*, qui, & *Balthassar*, iam adolescens successit in regno, tenuitquè illum per nouem menses, ita vt regnarit à morte Euilmerodachi annos 4. & menses 9. licet non administrarit regnum per seipsum nisi 9. mensibus, hinc est, vt Daniel veri regis, & non administratoris annos attendens, visiones suas referat cap. 7. & 8. ad annum primum, & tertium Balthasaris. Anno verò quinto, & vltimo ipsius, contigerit nex *Balthaſaris*; Huic tamen ob prauos mores, & sine liberis extincto, à coniuratis, & deficiente Nabuchodonosori stirpe, communi suffragio electum fuisse dicimus principem coniurationis illius *Darium medum* annorum 62. oriundum scilicet ex Medis, seu de semine Medorum, vt pote filium Asueri, Babylone tamen occasione vxoris Nabuchodonosoris teste Beroso quæ Meda fuit, versantis, & ideo Babylonicum dictum, ac Babylonicè *Nabonidum*, seu *Labynitum* cuius 17. anno prope absoluto Cyrus egressus è Perside, expeditionem suscepit in Babyloniam, sed prius vniuersam Asiam subegit, in quo & in bello contra Nabonidum, & obsidione Borosippi, et Babylonis annum et amplius consumpsit, et tandem Babylone potitus, ac

aman-

amandato Nabonido in Carmaniam (vbi octogenarius paulò post decessit) rebusq; compositis Iudæorum soluit captiuitatem anno 70. huius, et ab initio Nabuchodonosori computato. His enim sic ordinatis salua sunt quæ de his regibus affirmantur tum in Sacra Scriptura, tum à Beroso, Megasthene, et Alexandro Polyhistore.

10 Fuisse autem ex vna parte Balthasarem eundem cum *Labosardacho* prauis moribus infami, ex altera verò *Darium medum* eundem fuisse cum *Nabonido* hoc argumento conficitur. Vltimus de stirpe Nabuchodonosoris fuit *Balthassar*, eiq; successit immediatè *Darius medus*, ex Danielis capite 5. At ex Beroso, Megasthene, et Alexandro Polyhistore vltimus de stirpe Nabuchodonosoris fuit *Labosardachus*, et ei immediatè successit Nabonidus nulla consanguinitate ipsi propinquus; Ergo hinc *Balthassar*, & *Labosardachus*; inde *Darius Medus*, et *Nabonidus*, idem fuit. Quia verò Darius Medus non fuit de stirpe Nabuchodonosoris, ideo, licet ipsi quoq; Iudæi subditi fuerint in captiuitate durante, tamen non seruierunt nisi tribus regibus eiusdem stirpis, nempe *Nabuchodonosoro*, *Euilmerodacho*, & *Balthassari*. Cœtera quæ obijci possunt iam absq; violentia dissoluta sunt in decursu historiæ supra explicatæ à numero 2. Nunquam verò Iosephi Sectatores, ex alijs antiquis Historicis monstrare poterunt Darium Medum à Cyro constitutum fuisse Regem Babylonis, nec prius occisum Balthassarem, quam Cyrus cum Dario Medo Babylonem cœperit, aut illud conuiuium, quo Balthasar occisus fuit, fuisse illud ipsum cuius occasione Cyrus perhibetur inundationis beneficio Babylonem cepisse, si tamen hoc verum fuit, & quæ de priori illo fama vulgarat ob similitudinem translati illic ad Medos, hic ad Persas regni Babylonici non fuere per hallucinationem ad hanc secundam mutationem applicata. Et si autem Satrapæ inuidentes Danieli primatum, inculcarunt Dario vtpote Medo obseruantiam legis, quam sciebat seruari in Media & in Persida, hinc non sequitur eum tunc fuisse Regem Medorum, aut Regem Babylonis, vt talem subiacuisse legi illi, sed quia prius extorserunt, vt edictum immutabile ad exemplum legis in Media, & Persia obseruatæ ederet, eius obseruantiam inculcarunt.

11 Opiniones aliorum non expedit referre, ac refellere propter diuersitatem incredibilem, & inconsistentiam, aut penes aliquos obscuritatem Oedipo, & Sphinge indigentem; Viderit qui volet Interpretes ad caput 5. Danielis, Pererium lib. 6. & 7. Comm. in Danielem, Salianum ad annos Mundi 3472. à num. 20. & an. 3516. Petauium lib. 10. cap. 8. 9. 10. Tirinum in Chronico Sacro cap. 34. & 35. Langium l. 2. de annis Christi c. 12.

Nobis potiùs incumbit ordinare Canonem ex iam partim demonstratis, partim cum magna probabilitate assertis hoc, & præcedenti capite vt seruire deinceps possit nobis, & alijs ad connectendam Sacram historiam cum profana, absque formidine, aut perplexitate, quæ ab aliorum Chronologia, vel interpretatione Sacrarum literarum oriri solet apud minus profundæ indaginis ingenia. Cauendum interim est ab ipso Petauio, in pleriſq; nobiscum quoad horum Regum annos sentiente, dum annum primum Nabopollassari in Chronico, & lib. 9. cap. 58. docet fuisse ante Christum 625. eumq; lib. 10. c. 7. regnasse annos 21. & tamen eius mortem, & Nabuchodonosori initium consignat in Chronico ad 607. cum debuerit 605. sed coactus est contrahere illud interuallum, quia annos 70. numerat ab initio captiuitatis, & Nabuchodonosori, vsq; ad solutam per Cyrum captiuitatem, quod anno ante Christum 538. ponit nos verò 536.

CANON *Regum Babyloniorum, Assyriorum, & Iudæorum cum illis connexorum à Nabonassaro, vsque ad captam à Cyro Babylonem, & solutam ab eo captiuitatem Iudæorum.*

Anni	Ante Epocham CHRISTI vulgo vsitatam.
863	*Phul Bel Ochus* de consensu Arbacis Assyriæ Regnum, *Belesus* autem Babylonis præfecturam obtinet. Regnauit Phul annos 48.
815	*Phul Bel Ochus* moritur, alij ignoti per annos 64. in Assyria regnant.
750	*Teglatphulasar* incipit, & regnat annos 23. in Assyria.
747	*Nabonassarus* Februarij 26. nouam Epocam, cum nouo Sceptro Babylone instituit de huius duratione, vide Canonem sequentem.
727	*Salmanassar* Assyriorum, & ex parte Babyloniæ Rex incipit, regnatq; annos 10.
726	*Ezechias* Rex annorum 25. regnare incipit in Hierusalem, vbi regnat annos 29. ex 4. lib. Regum cap. 18.
721	*Mardokempadus* Rex Babylonis, regnare incipit, regnatq; annos 12. ex Canone. Hic Mardocempadus est *Merodach*, seu *Berodach*, de quo dicam anno 710.
717	*Sennacherib* Rex Assyriorum incipit, regnatque annos 7.
712	*Ezechiæ* Sanitas mirabiliter restituitur, 4. Regum cap. 20.
710	*Sennacheribi* interitus, & *Assarhadonis* successio in Regno Assyriorum, regnauitq; annos 13. Aduentus Legatorum Merodachi, seu Berodachi Regis Babyloniæ ad Ezechiam, de quo lib. 4. Regum c. 20. & Isaiæ 39. et lib. 2. Paralip. c. 32.
698	*Nabuchodonosor* Rex Assyrior. et Babylonis regnare incipit, regnatq; solus annos 15. ex dictis in fine capitis 4.
697	*Manasses* Rex Iudæorum incipit, regnatq; annos 55. ex 4. Reg. c. 21.
685	*Nabuchodonosori* Assyrij mors, deinceps incerti hi Reges, aut ijdem, ac Babyloniæ Reges.
642	*Amon* Rex Iud. incipit, regnatq; annos 2. ex 4. Regum cap. 21.
640	*Iosias* Rex Iud. incipit, regnatq; annos 31. ex 4. Regum cap. 22.
625	*Nabopollassar*, qui et Nabolassar, et Nabuchodonosor Senior, Rex Babyloniæ incipit, regnatq; annos 21.
609	*Ioachaz* Rex Iud. incipit, regnatq; menses 3. ex 4. Reg. cap. 23.
608	*Ioakim* Rex Iud. incipit, regnatq; annos 11. ex 4. Reg. cap. 23.
606	*Nabuchodonosor* iunior, mittitur à patre contra rebelles anno 3. Regis Ioakim, ex c. 1. Danielis.
605	*Nabuchodonosor* iunior regnare incipit Babylone, anno 4. Ioakimi, et initio captiuitatis Iudæorum ex Ieremiæ cap. 25. regnauitq; annos 43.
562	*Euilmerodach* Rex Babylonis incipit, regnatq; annos 2. et aliquot menses.
559	*Balthasar* qui, et *Labosardach* regnare incipit Babylone, sed huius pater, ac tutor *Nirigliſſorus* eius vice regnum administrat per annos totos 4.
555	*Balthassar* solus, ac per se regnare incipit, regnatq; menses 9.
554	*Balthasare* interfecto, *Nabonidus*, qui et *Darius Medus*, eligitur in Regem Babyl. regnatq; annos 17.
538	*Cyrus* ex Persida mouet, reliquum Asiæ, et Babylonem subiugaturus.
537	*Cyrus* Asia subacta, Nabonidum vincit, et diuturna obsidione Babylonem capit.
536	*Cyrus*, capta Babylone Monarchiam Babylonior. et Assyriorum ad Persas transfert, et captiuitatem Iudaicam soluit compositis antea rebus.

12 Sequitur, alter Canon *Ptolemaicus* dictus, quem ex Georgio Monacho excerpsit vulgauitque Ioseph Scaliger in collectaneis, sed alicubi fallacem esse aduertit libro 3. Itagog. Can. pag. 284. esto enim in tota summa annorum 424. à Nabonassaro ad Alexandri Magni necem bene se habeat, & cum Ptolemæo cohæreat, in aliquibus tamen discrepat à Ptolemæo, & à Beroso. Nam à Nabonassari initio, ad finem Nabopollassari computat 124. cum debeant computari 142. nisi numeri prioris sit præposteа nota 124. pro 142. & in hoc interuallo addendi annis 15. quos vltra debitum dat Nabonido, & duo alij, quibus excedit in Nerigliſaro, ac Iluarodamo. Nos tamen illum exhibemus tum, vt iacet apud ipsum, & Petauium lib. 9. de Doctrina temp. c. 52. & Langium lib. 2. de Annis Christi c. 12. tum, vt postea cum nactus est Petauius in vetustis manuscriptis Bibliothecæ Regiæ, & in Commentarijs Theonis εἰς τοὺς προχείρους κανόνας cum aliqua correctione; sed in vtroque desunt mẽses 9. Balthassaris, seu Laborosardachi ex quibus, & aliorum mensibus supra annos solidos, & ex duobus ferè annis, quos Cyrus à discessu ex Perside in Asia subigenda, & expugnanda Babylone insumpsit cõflandi sunt anni 4. vt à Nabuchodonosori initio, ad Cyrum captamque Babylonem interfint anni 70. Alioquin summæ annorum fallaces sunt.

Canon Ptolemaicus ex Scaligero, Petauio olim, & Langio.

	Anni Regni.	Anni collecti.
Nabonassarus.	14	14
Nadius.	2	16
Chozirus, & Porus.	5	21
Iluleus.	5	26
Mardokempadus.	12	38
Arcianus.	5	43
Interregnum.	2	45
Belitus.	2	48
Apronadius.	6	54
Rigebelus.	1	55
Misessimordachus.	4	59
Interregnum.	8	67
Iegriedinus.	13	80
Saosducheus.	9	89
Chyniladanus.	14	103
Nabopolassarus.	21	124
Nabuchodonosor iunior.	43	167
Iluerodamus.	3	170
Neregda Solassarus.	5	175
Nabonadius.	32	209
Cyrus.	9	218
Cambyses.	8	226
Darius.	36	262
Xerses.	21	283
Artaxerses prior.	41	324
Darius Nothus.	19	343
Artaxerses II.	46	389
Ochus.	21	410
Arses.	2	412
Darius Arsami.	6	418
Alexander Magnus.	6	424

Canon idem ex Theone & M. S. Reg. ac Petauio par. 2. Rationarij lib. 4.

	Anni Regni.	Anni collecti.
Nabonassari.	14	14
Nadij.	2	16
Chozini, & Pori.	5	21
Iugæi.	5	28
Mardocempadi.	12	38
Arciani.	5	43
Interregni primi.	2	45
Beliti.	3	48
Apronadij.	6	54
Rigebeli.	1	55
Misessimordaci.	4	59
Interregni secundi.	8	67
Assaradini.	13	80
Saosduchei.	20	100
Chyniladani.	22	122
Nabopollassari.	21	143
Nabocholassari.	43	186
Iluarodami.	2	188
Niricassolassari.	4	192
Nabonadij.	17	209
Cyri.	9	218
Cambysis.	8	226
Darij primi.	36	262
Xersis.	21	283
Artaxerxis primi.	41	324
Darij secundi.	19	343
Artaxerxis secundi.	46	389
Ochi	21	410
Arogi.	2	412
Darij tertij.	4	416
Alexandri Macedonis.	8	424

CA-

CAPVT VII.

De Annis Regum Persarum à Cyro, vsq; ad Darium Arsamis, cum Epocha CHRISTI connectendis.

CONCLVSIO VII.

Cyrus regnare cœpit apud Persas Anno ante CHRISTI Epocham DLIX. & mortuo Astyage, super Medos pacificè Anno DXLVII. Pulso verò Dario Medo, & Babylone pacificè possessa super Babylonios, & Assyrios Anno DXXXVI. à quò anno, vsque ad Alexandrum Magnum, durauit Monarchia Persarum Annos CCVI. Anni autem Regum Persarum ordinandi sunt, vt in sequenti Synopsi.

CANON REGVM PERSARVM.	Incœpit Anno ante Ep. Christi	Regnauit Ann.	Mens.
Cyrus in Perside regnare incœpit.	559	30	
Cyrus in Media quoque mortuo Astyage pacificè.	547		
Cyrus in Assyria, & Babylonia pacificè.	536		
Cambyses filius Cyri.	530	7	5
Oropastus, seu Prexaspes Magus simulato nomine, & persona Smerdis filij Cyri.	523	0	7
Darius Hystaspis filius.	522	36	
Xersis Darij filius.	486	21	
Artaxerses Longimanus Xersis filius viuo patre	472		
sed solus incipit.	465	41	
Xerses II.	424	0	2
Sogdianus frater Xersis II.	424	0	7
Darius Nothus II.	424	19	
Artaxerses Mnemon, seu II.	405	43	
Artaxerses Ochus, seu III.	362	23	
Arses, seu Arogus, seu Arsamis.	339	4	ferè
Darius Codomanus III. Arsamis filius.	336	6	
Alexander M. Macedo.	330	6	

1 REceptissimum à Chronologis est illud Africani apud Eusebium lib. 10. de Præparat. cap. 4. *Cyrus Persis regnare cœpit eo anno, quo celebrata est Olympias LV. vt in Bibliothecis Diodori, Thalli, atque Castoris historijs, nec non Polybij, & Phlegontis scriptum reperies: sed & apud alios auctores, qui Olympiadas descripserunt. De tempore enim inter omnes conuenit. Cyrus itaq; anno regni primo, qui Olympiadis quinquagesimæ quintæ primus fuit.* Ex libro autem 2. Tabula 11. & lib. 3. c. 2. Olympiadis 55. annus primus cœpit æstate Anni 560. ante Epocham Christi, & durauit vsque ad Æstiuam Neomeniam anni 559. malè igitur Salianus, huic Olympiadico anno associat Annum ante Christum 557. qui est ipsi ante vulgarem Christi Epocham, 558. Scaliger autem lib. 5. de emend. temp. pag. 378. & in Itagog. Canon. & Langius l. 2. de annis Christi cap. 14. statuunt annum Periodi Iulianæ 4154. idest ante Epocham Christi 560. sed Petauius lib. 10. de doctrina temporum cap. 14. & 2. parte Rationarij lib. 3. c. 8. primum ex datis ab ipso Scaligero se ipsum implicante, colligit annum periodi Iulianæ 4155. qui est ante Epocham Christi 559. Deinde id ex annis Cyriaci Regni, & ex Eclipsibus sub Cambyse ipsius filio, & sub Dario confirmatur. Ait enim Cicero lib. 1. de Diuinatione. *Quid ergo quæ Magi Cyro illi principi interpretati sunt ex Dionysij Persici libris referam? Nam cum dormienti illi Sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus, cum se conuoluens Sol elaberetur, & abiret: ei Magos dixisse, ex triplici appetitione Solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi. Quod ita contigit, nam ad septuagesimum peruenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset.* Ctesias apud Diodorum dat regno eius annos 30. totidem vetus Chronologus apud Clementem, Orosius lib. 2. cap. 7. & Iustinus lib. 1. dicens *Cyrus regnauit annos* 30. Item Eusebius l. 1. Chron. S. Hieronymus in cap. 1. Zachariæ, & c. 7. Danielis, Sulpitius Seuerus lib. 2. Beda de 6. ætatibus Nicephorus cap. 7. Chron. ne innumerabiles recentiores congeram. Herodotus tamen libro 1. ait eum interfectum fuisse. *Cùm vnde triginta omnino regnasset annos*, nempe solidos, & iam laberetur trigesimus. Iam verò docuimus capite præcedenti eum Babylone potitum esse anno ante Epocham Christi 537. sed expeditionem Babylonicam suscepisse anno 538. amãdato verò Nabonido seu Dario Medo in Caramaniam, pacificè ac solum cœpisse imperare Babylone, anno 536. Hinc est vt Imperium Cyri Babylonicum quidam ab expeditione numerantes dicant attigisse Imperij Babylonici annum 9. vt Canon Ptolemaicus, & Petauius l. 10. c. 15. alij ab expulso Dario Medo, & pacifica possessione numerent cum Xenophonte l. 8. Cyroped. annos 7. quem sequuntur Ribera, & Sanctius in c. 1. Zachariæ, Torniellus in 6. ætate, ac Salianus ad annum Mundi 3523. Quare siuè ab anno 537. numeres 9. siuè à capta Babylone 8. siuè à possessione pacifica 7. incidit Cyri mors in annum 530. ante Christi Epocham, & hinc sursum numerando annos completos 29. cum Herodoto, & 30. labentes, quibus regnauit Cyrus deprehenditur initium eius anno 559. ante Epocham Christi, ante Æstatem, seu Verno tempore, & Olympiadis 55. anno 1. exeunte.

Id ipsum confirmatur ex Cambysis anno 7. quem infra ostendemus ex Eclipsi incidisse in annum ante Epocham Christi 523. & ex Darij 20. quem ex Eclipsi ostendemus incidisse in annum 502. nam si addas 29. Cyri completos & 7. Cambysis idest 36. anno 525. vel si annorum Cyri 29. Cambysis 8. & Darij 20. summam, quæ est 57. addas anno 502. fiet annus 559. pro initio primo Cyri. Alterum enim initium eius extincto iam Astyage incidisse in 548. Annum ante Epocham Christi, ostendimus cap. 4. num. 3. Tertium verò principium idest Monarchiæ post pacificam possessionem

sionem Babyloniæ, fuisse anno ante Epocham Christi 536. constat ex dictis cap. 6. à nu. 9. & in Canone primo.

2 Cambysem Cyri filium successisse patri, statim, ac eius interitus in bello Massagetarum nunciatus fuit, omnes testantur Græci, Latiniq; qui Persicas res attigerunt Xenophon, Thucydides, Herodotus lib. 2. Seuerus Sulpicius l. 2. Iustinus l. 1. Ioseph l. 11. antiq. c. 2. Eusebius in Chronico, & Canon Mathematicus Ptolemæi; ergo ex dictis numero præcedenti cœpit Cambyses regnare Anno ante Epocham Christi 530. Hoc confirmatur ex Ptolemæo lib. 5. magnæ Constructionis cap. 14. dicente. *In septimo anno Cambysis, qui est à Nabonassaro 225. die 17. Phamenoth, sequente 18. ante mediam noctem hora 1. defecit Babylone dimidium diametri Lunæ à septentrione. Fuit ergo hæc Eclipsis Alexandriæ hora 1. & min. 50. æquali ante mediam noctem.* Tabulæ autē Astronomicæ, Anno illo Nabonassari, nempe 523. ante Ep. Christi, dant Lunæ Eclipsim Iulij 16. hora post merid. 10. transacta, annus erat Cambysis 7. sed penè completus, qui additus anno 523. efficit Annum 530. exeuntem pro initio Cambysis. Quem regnasse annos 7. & menses 5. expressè docet Herodotus lib. 3. *Cambysi Cyri filio vita erepta est, cum regnasset septem omnino annos, & menses quinque*, & paulo post de Mago Prexaspe (quem Trogus Oropastem nominat) ait *Magus defuncto Cambyse per simulationem Smerdis filij Cyri, securus regnauit menses septem, qui reliqui erant ad implendum octauum annum regni Cambysis.* Ideoq; Canon Ptolemaicus dat illi annos 8. regni: esto per errorem librariorum, aut quia cū Cyro patre prius conregnauerat, Ctesias, & Clemens lib. 1. Strom. dent annos 18. vel 19. Addit Herodotus eum anno 5. regni sui Ægyptum occupasse, ergo anno ante Christum 526. quod consonat Diodoro Siculo narranti Amasin obijsse anno 3. Olympiadis 63. sub Cambysis expeditionem in Ægyptum. An verò Cambyses sit ille, qui communi prænomine Assueri, vel Artaxerxis nominatur lib. 1. Esdræ c. 4. alibi discutiendum est.

3 Occiso Cambyse, cùm Oropastus, seu Præxaspes Magus, simulato nomine Smerdis filij secundogeniti Cyri regnasset per 7. menses; Magi septem, illo interempto, elegerunt *Darium* Hystaspis filium anno ante Epocham Christi 523. exeunte. Narrat enim Ptolemæus lib. 4. Almagesti cap. 9. ex Hipparcho sic. *Anno 20. Darij illius, qui Cambysi successit Epiphi die 28. sequente 29. hora æquali post Solis occasum 6 ⅓. Luna quarta diametri parte ab Austro defecit.* Et ibidem dixerat: *Eclipsim accepimus, quæ anno trigesimo primo Darij Babylone obseruata fuit, Tibi die 3. sequente 4. ante mediam noctem semihora; diciturq; Luna defecisse ab Austro digitis duobus.* Primam Eclipsim repræsentant Astronomicæ Tabulæ Anno ante Christi Epocham 502. die Nouembr. 19. secundam verò anno 491. Aprilis 25. ergo ex vtraq; conficitur annus primus Darij Hystaspidis fuisse ante Christi Epochā 521. si anno 502. annos 19. completos, vel anno 491. annos 30. completos addas; in quem annum consentit, Eusebius lib. 10. de Præparatione, affirmans: *Darij secundus annus incurrit in annum primum Olympiadis LXV.* Et in Chronico annum primum Darij consignat anno 4. Olympiadis LXIV. In eundem annum consentiunt Scaliger lib. 5. de emend. temporum. Langius lib. 2. de Annis Christi c. 15. & Petauius lib. 10. de doctrina temporum c. 18. vbi fusè, sed solidè refellit Kristmannum in vtraque Eclipsi hallucinatum, ob peruersam dispositionem annorum Bissextilium, ob quam priorem Eclipsim promouet in diem 20. Nouemb. at posteriorem in 23. Maij. Sed miror Salianum Anno Mundi 3532. Primum annum Darij huius consignasse Anno 3. Olympiadis 64. & ante Christum quidem 521. Sed qui est ipsi 522. ante Epocham Christi; non enim aduertit Cambysem mortuum inito, & prouecto iam anno 522. ante Ep. Christi, prouecto inquam per menses ferè 5. postea Magum regnasse menses 7. & occisum in fine anni 522. vel sub initium anni 21. & aliquot dies in excessisse ante electionem Darij.

4 Herodotus lib. 7. refert Darium Hystaspidem, audita clade Marathonia, nouum bellum apparasse, quod toto triennio Asiam concussit: quarto verò anno Aegyptios rebellasse, & anno sequenti Darium mortuum esse, nempe quinto post Marathoniam pugnam, quam autumno Anni 490. ante Epocham Christi accidisse demonstrauimus l. 3. cap. 3. num. 7. Obijt ergo, anno ante Epocham Christi 486. & id ipsum colligitur ex Canone 2. in fine præcedentis capitis, vbi regnasse annos 36. ponitur, annis enim 35. solidis subductis anno 521. initiali, relinquunt annum 486. Quo anno successit *Xerses*, cuius transitum in Europam fuisse anno 480. ante Ep. Christi ostensum fuit l. 3. c. 3. nu. 8. sed Herodotus eodem libro 7. ait: *Mouente verò Dario contra Aegyptios, & Athenienses, ingens à filijs de principatu est orta contentio, causantibus oportere illum, antequam in expeditionem proficisceretur, Regem ex Persarum lege constituere*; Prætulit autem filijs, quos ex altera coniuge priuatus susceperat Xersem, licet natu minorem, quia eum susceperat iam Rex ex Atossa Cyri filia, cumq; declarauit Regem anno expeditionis in Ægyptum, seu 4. à Clade Marathonia, idest ante Epocham Christi 486. Regnauit autem Xerses annos totos 21. à morte patris ex Canone, de quo in fine capitis præcedentis, qui subducti anno 486. relinquunt initium Artaxersis anno ante Ep. Christi 465. Sed cum pater declararat Regem ex lege prædicta Persarum ante illam expeditionem: Sic enim conciliatur Diodorus Siculus asserens Themistoclem Athenis profugisse ad Xersem Regem Persarum anno 2. Olympiadis 77. idest ante Christum 471. & cum Diodoro sentiunt quoad fugam ad Xersem Clitarchus, Heraclides, & Dion, apud Plutarchum in Themistocle; sed apud eundem Charon Lampsacenus, & Thucydides lib. 1. aiunt fugisse ad Artaxersem, qui nuper imperium acceperat, idest declaratus fuerat à patre adhuc viuente Rex, iuxta prædictam legem, & sic Themistocles non inuento Xerse, vtpotè absente, egerit cum Artaxerse; quem Petauius lib. 10. cap. 25. putat declaratum Regem anno ante Christum circiter 474. vt ab ipsius anno 20. deducantur hebdomades Danielis.

5 Artaxerses itaq; solus regnare cœpit anno 464. sed cœperat cum Patre anno 472. regnauitq; annos integros 41. vt habet Canon Ptolemaicus, & Clemens Alex. 1. Strom. vel 42. inchoatos, vt habet Ctesias. Thucydides sub illud tempus florens, ait lib. 4. eum mortuum esse anno septimo Belli Peloponnesiaci, quod verno tempore anni ante Epocham Christi 431. incœpisse ostendimus lib. 3. c. 3. nu. 12. ergo annus septimus non est absolutus, nisi vere anni 424. eaitaq; vt minimum recedamus ab auctoribus alijs, eosq; conciliemus, Artaxerses regnauerit annos 41. & aliquot menses, ac dies, cœperitq; regnare initio ferè anni 465. & initio ferè anni 424. complerit annos 41. regni, mortuusq; sit sub initium veris eiusdem anni, durante adhuc anno 7. belli Peloponnesiaci nulla ergo necessitas fuit Petauio lib. 10. c. 29. ob Thucydidem præferendi Eusebium, alijs, & asserendi regnasse hunc Regem annos tantum 40. Diodorus enim lib. 12. mortuum esse narrat sub initium Olympiadis 89. nempe anno 424. Esto dicat: *Artaxerses verò Persarum Rex interijt, cum annos regnasset quadraginta. Xerses Regno susceptо annum regnauit.* Sed post 3. paginas velut se corrigens ait de Xerse II. *Xerses Rex cum annum regnasset mortem obijt. Nonnulli scriptores tradunt, duobus non amplius mensibus in Regno vixisse, cui succedens in Regno frater eius Sogdianus, septem mensibus imperauit. Hunc cum Darius interemisset, ipso Regno adito, rexit annos decem, & nouem.* Quare si annum illum Xersis demus Artaxersis, ex maxima parte, incidit eius mors in annum ante Ep. Christi 424. sub initium, & intra hunc eundem annum tres alij incœpere, nempe Xerses II. Sogdianus, & Darius Nothus, sub finem tamen anni, ideoq; subtractis annis 19. quos regnauit, cadit eius mors, & initium Artaxersis Memnonis in annum ante Ep. Christi 405. Porrò Diodorus l. 15. refert hunc obijsse anno 3. Olympiadis CIV. aitq; *Non multo post Rex Persarum vita defunctus est cum annos quadraginta tres Imperio præfuisset: in regnum verò successit Ochus, qui cognominatus est Artaxerses, regnauitq; tres, & viginti annos.* Sequitur ergo tum ex anno Olympiadico, tum ex annis 43. integris regni, Artaxersem Memnonem obijsse anno 362. ante Ep. Christi, & Ochum 339. Arses autem ex eodem Diodoro regnauit annos pene 4. & Darius filius Arsamis, is qui victus est ab Alexandro M. annos 6. ergo Arses obijt anno ante Epocham Christi 336. & Darius Arsamis anno 330. quod ipsum ostendimus lib. 3. cap. 4. num. 6. vbi de transitu Monarchiæ Persarum, ad Macedonas. Sed confirmatur annus 424. ante Christum, quo mortuus est Artaxerses Longimanus, ex Thucydide, qui ait eum mortuum esse sub initium anni octaui, belli Peloponnesiaci, et paulo post Solem

lem defeciſse in nouilunio. At ex Tabulis Aſtronomicis verioribus, Eclipſis illa accidit anno 424. ante Æram Chriſti Martij 21. circa ortum Solis in Græcia.

CAPVT VIII.

De Tyrijs Regibus, & Carthaginis conditu aliarumq; quarundam Vrbium Africæ.

CONCLVSIO VIII.

Inter opiniones diuerſas de Conditu Carthaginis probabiliores ſunt, quæ conditam ponunt circa Annum CM. ante Chriſtum, ideoq; à Virgilio per anachroniſmum Didonem fictam antiquiorem annis circiter CCLX. quàm par erat. Certum interim eſt exciſam à Romanis Anno ante Epocham Chriſti CXLVI. deinde inſtauratam, & poſtremo à Saracenis dirutam Anno Chriſti 685. ex eiuſq; ruinis Tunetum creuiſſe.

1 EX Ioſepho libro 1. contra Apionem, habemus Tyriorũ Regum poſt Abibalum annos; vt videre eſt in adiecto laterculo, quos ſumpſit ex Dio, & Menandro Epheſio, ſed addit ab *Ecnibalo*, deinceps pleroſq; fuiſſe Iudices Tyri potiùs, quam Reges, & lib. 8. antiq. cap. 2. dixerat Menandrum Annales Tyriorũ ex lingua Phœnicum tranſtuliſſe in Græcum ſermonem, vbi, & vitam *Iromi* annis 53. definit. Libro item 1. contra Apionem affirmat anno 7. Pygmalionis Carthaginem in Africa conditam à Didone. Et ſub Rege *Ithobalo II.* Tyrum obſeſſam à Nabuchodonoſore annis 13. & anno 14. *Iromi* Cyrum tenuiſſe principatum. Sed aduerte duos eſſe Catalogos apud Ioſephum, priorem ab Abibalo, vſque ad Pygmalionem, qui interruptus eſt, nec niſi poſt annos circiter 280. ſequitur poſterior Catalogus. Iam verò Petauius lib. 9. de Doctrina temporum c. 62. & in Rationario temporum parte 2. l. 2. c. 13. contendit emendandum Ioſephum, & *Hiramum* regnaſſe annos 53. aut etiam 56. quia ex Sacra Scriptura colligitur anno 9. Dauidis regnaſſe *Hiramum*, & vſque ad 21. Salomonis ad minimum, qui ſunt anni 52. at Langius lib. 2. de annis Chriſti c. 8. negat id ex S. Scriptura conſtare, quædam enim quæ geſta ſunt poſtea, narrari antecedenter occaſione aliqua, vel *Hiramum* regnare potuiſſe cum patre Abibalo aliquot annis, deinde ſolum. Nos ſuo loco, quod minimè violentum fuerit Sacræ Scripturæ eligemus. Quoad ſecundum Catalogum Regum Tyri, iam capite præcedenti oſtendimus Cyrum regnare cœpiſſe in Perſide anno ante Chriſtum 559. Babylone autem 536. ergo ſi annus 14. *Iromi* fuit primus Cyri, vtique 14. Iromi fuit, vel 559. vel 536. ante Chriſtum, ſunt autem ab Ithobali II. initio ad 14. annum Iromi, ex poſteriori Catalogo anni 60 ergo initium Ithobali fuit ante Chriſtum 619. vel 590. at ex dictis cap. 6. Nabuchodonoſor

Reges Tyri.	Regnauit.	Vixit.
Abibalus.	✝	✝
Hiramus.	34	53
Baleaſtartus.	7	43
Abſtaſtartus.	9	20
Nutricis filij.	12	. .
Aſtartus.	12	44
Aſtarimus.	9	54
Phelles.	m. 8	50
Ithobalus	32	68
Badezorus.	6	45
Mettinus.	9	32
Pygmalion.	40	56
Ithobalus II.	24	
Baal.	10	
Ecmibalus.	m. 2	
Chelbis.	m. 10	
Abbanis.	m. 3	
Myttonus & Geraſtraus	6	
Balatorius.	1	
Merbalus.	4	
Iromus.	20	

iunior cœpit regnare anno ante Chriſtum 605. igitur principium Cyri, de quo loquitur Ioſephus, eſt principium Monarchiæ Babylonicæ, nam *Ithobali* tempore Nabuchodonoſor Tyrum obſedit anno 7. Ithobali, vt ex correcto textu Ioſephi colligit Petauius, nempe anno 583. ante Chriſtum. Thyrum autem conditam, vel habitari cœptam annis 240. ante Salomonici Templi fundationem tradit Ioſephus lib. 8. antiq. c. 2.

2 Carthaginis ædificatio diuerſis temporibus conſignatur à diuerſis Scriptoribns, quia veriſimile eſt ex multis oppidis eam coaluiſſe, vel paulatim fabricatam, & auctam, muriſq; cinctam, & pomœria ſubinde ampliata, vt proinde alijs conditus, alijs incrementa debeantur. Certum eſt autem exciſam fuiſſe iuſſu Senatus Romani eodem anno, quo & Corinthum, Conſulibus Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Achaico, Olympiadis 158. anno 2. ideſt anno 146. ante Epocham Chriſti, ex quo, & duratione Carthaginis à diuerſis aſſignata, aut alijs notis ab Auctoribus deſignatis ecce tibi opiniones Auctorum in Laterculo, quarum poſt Appianum antiquiſſima eſt conditam à Zoro, &

CARTHAGO.	Condita ant. Chriſt.	Stetit annos.
Appianus in Lybic.	1233	1087
Euſebius ex Philiſto.	1214	1068
Nos ex Virgilio.	1178	1032
Euſebius ex alijs.	894	748
Petauius ex Ioſepho.	896	740
Solinus cap. 29.	882	737
Florus lib. 51. Oroſius, & Eutropius.	846	700
Trogus, & Iuſtinus.	846	700
Seruius in Aen.	826	680
	824	678

Charchedone Tyrijs, vt ex Philiſto tradit Euſebius in Chronico, quia verò Ioſephus, vt ſupra diximus, ex Phœnicum annalibus, dixit, conditam anno 7. Pygmalionis, colligit ex ſuis ratiocinijs conditam à Didone anno 140. ante Romam conditam. Atqui Troia exciſa eſt anno ante Chriſtum 1184. vt oſtendimus lib. 4. cap. 1. & inde nauigans Aeneas, iuxta Virgilij ſuppoſitionem, delatus eſt in Africam vi procellæ, reperitq; Didonem occupatam in ædificanda, vel ſtatuenda Carthagine; Ergo Virgilius in hac hiſtoria, veriſimile fictione ſecutus videtur opiniones de antiquiſſimo eius conditu: & cum Dido apud eum lib. 1. Aeneidos dicat: *Nam te iam ſeptima portat, omnibus errantem terris, & fluctibus æſtas*, annus ille quo Aeneas nactus eſt Didonem occupatam in Carthaginis ſtructura, fuerit 1178. & 7. item *Pygmalionis*, de quo Ioſephus ex Menandro, ex cuius priore Catalogo Regum Tyri ſunt ab Hiramo ad annum 7. *Pygmalionis* anni 138. qui additi annis 1178. darent initium *Hirami* anno 1316. ante Chriſtum, & tamen Dauid, cuius tempore floruit Hiramus non incœpit niſi anno 1051. ante Chriſtum: igitur aut ille Catalogus falſus eſt, aut Virgilius Didonem antiquiorem fecit annis ferè 260. quàm oportebat. Probabilius igitur eſt conditam fuiſſe anno circiter 900. ante Chriſtum.

3 Poſt exciſam Carthaginem anno ante Chriſti Epocham, vt diximus 146. C. Gracchus Tribunus plebis obtinuit, vt eo deduceretur Colonia, nomenq; loco daretur *Iunonia*, Conſulibus Q. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminio, ideſt ante Ep. Chriſti 123. ſed maiore numero Colonorum aucta eſt iuſſu Cæſaris eo ipſo anno, quo in curia occiſus eſt, redditumq; nomen Carthaginis nempe anno 44. ante Ep. Chriſti, & adeo ſub Auguſto aucta, vt teſte Herodiano, cum Alexandria de vrbium primatu, poſt Romam, certauerit. Occupata poſtea fuit a Vandalis anno Chriſti 439. & recuperata à Beliſario anno 523. & manſit ſub Imperio Romano, & fuit Sedes Præſidis Africani per annos 162. donec anno circiter 685. capta à Saracenis, ac diruta eſt; nec amplius reſurrexit in priſtinam amplitudinem; ex eius autem ruinis enatum eſt Tunetum oppidum. Erat autem Carthago caput Numidiæ, de cuius Regibus, & Regibus Mauritaniæ, & Cyrenenſium temporibus plura eruditè Vbbo Emmius lib. 5. rerum Chronolog. à pag. 146. vbi regnatum in Numidia docet annos 166. à Maſſiniſſa

nissa ad interitum Iubæ maioris, in Mauritania autem à Bocchare, qui floruit tempore belli Punici secundi (quod cœpit anno 218. ante Christum (vsque ad Ptolemæum Iubæ filium; Cyrenem autem condidere Theræi Lacedæmoniorum coloni duce Aristotele Batto, & quidem Olympiade 41. vt habet Solinus c. 40. idest ante Christum 616. vel anno Vrbis 143. vt habet Plinius lib. 19. cap. 3. idest ante Christum 611. Sed Eusebius eius principia multo antiquiora supponit, nempe anno 210. ante Olympiadas, qui fuit ante Christum 986. Deinde Olympiadis quintæ anno tertio, idest ante Christum 758. postremò Olympiadis 37. anno 2. idest ante Christum 631. Regnarunt in ea 8. Reges per annos circiter 200. deinde libera fuit per annos 185. fuit deinde sub Ptolemæis Ægypti per annos 227. & in vniuersum stetit annos ferè 1342. donec Arabes eius loco Caruanam condidere Caliphæ Africani Sedem.

CAPVT IX.

De Regibus Lydorum, Parthorum, Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, Armeniæ, Pergami.

1 LYdus, vt narrat Herodotus lib. 1. Atys filius Lydiæ nomen dedit, ab his Heraclidæ Regnum acceperunt, quorum primus fuit *Argon*, postremus *Candaules*, & hi regnarunt annos 505. Postea Lydis regnarũt Marmnadæ eorumq; primus fuit *Gyges*, qui regnauit annos 38. inde *Ardys* 49. *Sadyattes* annos 12. *Alyattes* 57. *Croesus* 14. summa ab *Argone*, ad *Croesum* est annorum 675. sed à *Gyge* 170. His positis Dionysius Halicarnasseus libro de Thucydidis idiotismis, à *Gyge* ad *Xersis* transitum ab Asia in Europam recenset annos 220. & postea 240. Xersis transitus ex dictis lib. 3. cap. 3. num. 8. fuit anno 480. ante Epocham Christi, ergo initium *Gygis*, fuit vel 700. vel 720. ante Christum, & *Croesi* finis anno 550. vel 570. & *Alyattis* initium anno 592. vel 612. ante Christum; Eclipsis autem Solis sub *Alyatte* facta ex dictis libro hoc c. 4. num. 2. fuit anno 585. ante Epoch. Christi, & Alyattes regnauit annos 57. Quare illa Eclipsis accidit primo modo anno 7. & secundo modo anno 27. Alyattis. Verùm Eusebius ex Africano dati *Gygi* annos 36. *Ardyi* 37. *Sudyatti* 15. *Alyatti* 49. *Croeso* 15. quorum summa est 152. & Crœsum à Cyro captum, Lydorumq; Regnum extinctum Olympiadis 58. anno primo, qui fuit ante Christum 548. adde his 15. Croesi, & Alyattis 49. fit initium Alyattis anno 612. vt supra ex Dionysio collegimus, itaq; hunc annũ, vt probabiliorem retinebimus. Esto nunc Laterculus ex

Anni ante Christum.	Ex Herodoto.		Eusebio.	
	Regnat ann.	Incipit ann.	Regnat ann.	Incip. ann.
Gyges.	38	710	36	698
Ardys.	49	672	37	663
Sadyattes.	12	624	15	627
Alyattes.	57	612	49	612
Croesus.	14	556	15	564
Finis		512		548

vtraq; hypothesi. Itaq; de Croesi fine ex priscis Scriptoribus non sumus certi: Vbbo Emmius lib. 5. Rerum Chronol. pag. 136. nullo Auctore adducto, affirmat Croesum cum Sardibus captum anno 1. Olympiadis 59. & ante Christum 543. durasse iuxta Herodotum ab Argone annos 675.

2 Parthi Arsace Duce defecerunt à Syromacedonibus, nempe ab Antiocho II. anno illo, quo Consules Romæ fuere M. Attilius Regulus, & L. Manlius Vulso, vt affirmat Iustinus lib. 41. ergo anno ante Christi Epocham 250. currente anno 3. Olympiadis 132. vt habent Eusebij numeri correcti. Inde autem omnes Reges Parthorum appellati sunt *Arsaces*, sicut Romanorum Imperatores Cæsares, esto qui perfectam, vel reiteratam definitionem ad initium Seleuci Callinici retulerunt cum Strabone, & Eusebio Arsacis quoque initium ad annum 257. ante Christum referre cogantur. Addit Iustinus Arsacis successores *Arsacem* secundum primi filium, & *Priapacium Arsacem* secundi filium, quem regnasse ait annos 15. genuisseque *Phraatem*, & *Mitridatem*, hunecque successisse fratri Phraati, & libro 42. Mithridati, ait successisse filium *Phraatem* II. & huic occiso *Artabanum* patruũ; huic verò *Mithridatem* filium cognomento Magnum, huicque expulso *Orodem* fratrem, Crassi victorem, & Orodi filium *Phraatem* III. qui patrem necauit, & à Parthis eiectus est substituto *Tyridate*; Cumque Phraates cum Scytharum copijs rediret ad recuperandum regnum, Tyridatem confugisse ad Cæsarem in Hispania bellum gerentem, secumque adduxisse filium Phraatis in obsidem: Phraatem autem per legatos postulasse à Cæsare vtrumque sibi remitti, nempe Tyridatem seruum, & filium; Cæsarem autem respondisse, neque Tyridatem dediturum se Parthis, neque aduersus Parthos auxiliaturum se Tyridati; remissoque Phraati filio gratis, & Tyridati manere volenti apud Romanos opulẽtum sumptum præberi iussit; Finito autem Hispaniensi bello Cæsarem Augustum in Syriam venisse, & Phraati metum incussisse, ne Parthis bellum inferret, tandemque filios, ac nepotes Phraatis obsides datos Augusto: Augustus autem fuit in Syria Consulibus M. Appuleio Nepote, & P. Silio Nerua, vt ex Diodoro colligitur lib. 54. nempe anno 20. ante Christum. Durarunt autem Arsacidæ vsque ad annum Christi 228. Alexandrique Mammeæ filij quintum, quo, teste Herodiano lib. 6. & Agathia lib. 1. *Artaxerses* Persa, Partis tribus prælijs deuictis, & occiso *Artabano* Parthorum Rege, summam rerum ad Persas transtulit, & Persarum Regnum instaurauit. De aliorum Regum temporibus, haud ita clarè constat, si *Mithridatem*, & *Vologesum* excipias. Nam ex Dione, et Plutarcho, & Appiano constat Mithridaticum bellum confectũ esse Cicerone Consule anno ante Christum 63. ipsumque Mithridatem desperatione actum seipsum interemisse anno sequenti, Iulio Silano, & L. Murena Coss. cum esset annorum 68. regnasseque annos 57. vt habet Appianus, esto Eutropius dicat vixisse 72. regnasse 60. *Vologeses* autem, vt habent Hermannus Contractus, & Petauius in Chronico, anno 3. M. Antonini Veri, idest Christi 162. Romanorum Prouincias in Asia populatus est. Recentiores autem Chronographi valde inter se discrepant in numero, & ordine horũ Regum, vt ad specimẽ, videre est in Sanssouino, et Hieronymo Bardio.

Franciscus enim Sansouinus lib. 2. Chronolog. Reges Parthorum cum Iustino fere, ac Trogo sic recenset. *Arsaces* I. Rex Parthorum. *Arsaces* II. primi filius. *Arsaces* III. *Priapatius* dictus, secundi filius. *Phraates* filius Priapatij. *Mithridates* frater Phraatis. *Phraates* II. filius Mithridatis. *Artabanus* patruus Phraatis II. *Mithridates* II. filius Artabani, dictus Magnus. *Orodes* frater Mithridatis, occisor fratris, et M. Crassi. *Phraates* III. qui veneno sustulit Orodem patrem. *Tyridates* expulsor Phraatis III. *Phraates* IV. filius Orodis, qui captiuos, et vexilla erepta Crasso restituit Romanis, occisusq; est à Phraatace notho. *Orodes* II. occisus in venatione. *Vonones* filius Phraatis IV. qui fuerat Romæ obses. *Artabanus* Rex Medorum, et victor Vononis; *Vardanes* filius Artabani. *Gotarzes* frater Vardanis. *Vologeses* frater Vardanis, et Gotarzis, qui Pacoro Mediam, & Tyridati Armeniam distribuit.

Hieronymus autem Bardius Florentinus in suo Chronico longè aliter tum quoad numerum, et ordinem, tum quoad tempora: sic enim habet.

Anno ante Christum.	Initium Regni.	Regnauit annos.
Arsaces.	256	32
Mithridates.	225	20
Phraates.	205	18
Mithridates II.	187	20.
Mithridates III.	167	24
Mithridates IV.	143	60
Mithridates V.	83	20
Phraates.	63	17

Sed

Sed si auctores adduxisset, aut fidem suã astruxisset, aut haberemus vnde illum corrigere posſemus. Nobis sufficit in summã Collegisse durationem Regni Parthorum ab anno ante Christum 250. ad annum Christi 228. hoc est Annorum ferè 478. ab Arsace ad Artabanum vltimum.

3 *Pergamenorum* principum caput fuit *Philetærus* eunuchus, Eumenis frater, qui deficiens à Lysimacho dedit se Seleuco Nicanori, quibus defunctis principatum nouum in Phrygia, Lyciaq; fundauit, qui lapsu temporum auctus est adiectione Cariæ, Pamphiliæ, & alijs regionibus vsque ad Taurum montem: Successit huic *Eumenes* eius nepos ex fratre, & huic post annos 22. regni defuncto *Attalus* patruelis ipsius, & Philetæri filius anno 4. desinente Olympiadis 134. seu ante Christum 240. seu anno vno post finem belli Punici primi, regiumq; nomen assumpsit, vt ex Liuio, & Strabone colligitur, vixitq; annos 72. regnauit 44. obijt Consulibus *Cornelio Cethego*, & *P. Minutio Rufo*; videlicet anno 197. ante Christum; ei successit *Eumenes* II.

Pergami Principes, aut Reges.	Incœpit ante Christ.	Regnauit annos.
Philetærus Princeps.	283	21
Eumenes Princeps.	262	22
Attalus Rex I.	240	44
Eumenes II.	197	59
Attalus II.	158	21
Attalus III.	138	5
finis	133	151

regnauitq; annos 39. vt habet correctus Codex Strabonis, obijt enim Consulibus *M. Aemilio Lepido*, & *C. Popilio Lænate* anno 158. ante Christum; successitq; *Attalus II.* cui tutorem reliquit fratrem suum *Attalum*, qui se pro Rege gessit per annos 21. successitque Attalus II. de quo supra iam grandis natu, sed postea dictus Attalus III. & cognomento *Philometor* ob amorem in matrem Stratonicem; obijt hic anno 5. regni absq; liberis, & Populum Romanum hæredem testamento reliquit Consulibus *P. Mutio Scævola*, & *L. Calpurnio Pisone*, ideſt anno ante Christum 133. durauit itaq; Regnum ab Attalo I. ad III. annos 109. sed Principatus cum Regno ab initio Philetæri annos circiter 150.

4 *Bithyniæ* Reges ante Alexandrum Magnũ penè ignoti; post eum *Zipoetes* Thrax regnum sibi constituit sub Lysimachi mortem, cui succedit *Nicomedes* Magnus Nicomediæ vrbis conditor, & post eum *Zielas*, post hunc frater eius *Prusias* cognomento *Cynegus*, ad quem Annibal exul confugit: Huic successit *Nicomedes II.* Epiphanes dictus, & huic *Nicomedes III. Philopator*, à Mithridate Regno pulsus, sed à Romanis restitutus; huic successit Nicomedes IV. Amasius C. Cæsaris; qui absq; liberis defungens, Populum Romanum hæredem reliquit Consulibus, si Eutropio credimus *L. Licinio Lucullo*, & *M. Aurelio Cotta*, ideſt anno ante Christum 74. cum duraſſet hoc Regnum annos circiter 210. vt habet etiam Vbbo lib. 5.

5 *Cappadociæ* Rex posteris notus primus fuit *Pharnaces* sororius, & coæuus Cyri Regis Persarum: octauus ab eo Rex fuit *Ariarathes*, & reliqui, de quibus vide Catalogum infrascriptum, stemma Pharnacis durauit per annos circiter 452. quo extincto, & Summoto Mithridate creatus est Cappadocum consensu à Romanis *Ariobarzanes* tandem *Archelao* pronepote mortuo Romæ Consulibus *C. Cælio Rufo*, & *L. Pomponio*, vt ait Tacitus, ideſt anno 84. ante Christum, desijt regnare in Cappadocia.

Reges Cappadociæ vixere ante I. Stemma.	Christum Anno
Pharnaces.	
Sex alij.	560
Ariarathes I.	
Olophernes eius frater.	362
Ariarathes II. primi filius.	
Ariarathes III.	330
Ariammes.	
Ariarathes IV.	262
Ariarathes V.	224
Ariarathes VI. Mithridates.	
Ariarathes VII.	
Ariarathes IIX. & IX. periere	108

Regum Cappadociæ II. Stemma.	Ante Christum.
Ariobarzanes creatus circa	108
Ariobarzanes II.	
Ariarathes eius frater.	
Archelaus qui Romæ obijt.	84
Regnatum ergo est in Cappadocia, à Pharnace ad Archelaum, annos ferè 476.	

6 *Ponti* Reges fuere prius *Artabaxes*, & *Mithridates* quinque, & *Pharnaces* tres, deinde *Mitheridates* VI. dictus *Euergetes*, & eius filius *Mithridates Eupator*, qui annis 46. Asiam, Europamq; ac Romanos infestauit, victusq; à Pompeio, seipsum interemit, cum regnasset annos 57. vixisset 69. anno ante Christum 63. ei successit *Pharnaces*, & huic *Darius*, & huic *Polemon* I. ac II. & his *Mithridates* Darij Nepos. Vide Appianum Alexandrinum.

7 *In Armenia* regnarunt *Tigranes* Mithridatis Pontici gener, eiusq; filius *Artuasdes*, quem M. Antonius occidit, & eius filius *Artaxias*, eiusq; loco *Tigranes* patruus deinde *Artuasdes* II. huius stemmatis vltimus. Postea à C. Cæsare *Ariobarzanes* Medus Armeniæ impositus, cui occiso subrogata est ab Armenis *Erato* regina: sed paulo post deserta est, regnumq; inuasit *Vonones* Parthorum Rex profugus, metuq; belli Parthici reliquit hoc Regnum, imperante Tiberio; à quo tempore fluctuauit Armenia sub diuersis Regulis Romanorum Clientibus.

CAPVT X.

De Tartaris, Moscouitis, Iaponensibus, & Mexicanis eorumq; Annis, cum Epoca Christi nectendis.

CONCLVSIO X.

Post Sinenses, antiquissimi in Asia Tartari regnare cœperunt circa annum 2345. *ante Christum, inter quos post Christi aduentum celeberrimi fuere, & magnarum Prouinciarum, ac multarum possessione inclyti*, Cobyla, *seu* Cublai *in parte Orientali, &* Iuenus *intra annos* 1256. *&* 1278. *in Occidentali verò* Haolomus *anno* 1260. Baydo *anno* 1300. Tamorlanes *circa annum* 1400. *& nuperrimè anno* 1644. Tà Icingus *Sinensis Regni occupator. Iaponenses Reges, ab anno* 660. *ante Christum suam originem certam deducunt; Mexicani autem ab anno ante Christum* 308. *Moscouitarum vero Principes, aut Duces ab Anno Christi* 988. *circiter.*

1 PAter Martinus Martinius in Atlante Sinico pag. 18. scribit Tartaros in Regno *Niuche* Orientali celebres fuisse, ante annum 206. ante Christum, sed in Historia de bello Tartarico scripta anno Domini 1655. ait Tartaros iam inde à quatuor millibus annis infensos fuisse Sinis, ergo iam inde ab anno 2345. ante Christum; & in Compendio Chronologiæ Sinensis dixerat anno 236. ante Christum, *Xium* ex Cina familia prognatum expulisse Tartaros, at hos post bellum annorum 68. anno Christi 1278. Iuenam familiam Tartarorum inuexisse extincta Sunga familia Sinensium, & occupasse Sinam per annos 90. pergit autem in Historia prædicta, & refert quendam *Chù* ex latrone ducem magni exercitus factum expulisse Tartaros, atq; instituisse familiam *Taimingam*, voluisseq; nominari *Hunguuium*, ideſt magnum bellatorem, anno Domini 1368. Tandem verò Tartaros Orientales ex septem Hordis, seu Dynastijs, Regnum *Niuche* instituisse anno Domini 1600. & postremò ità creuisse potentia, vt Anno 1644. *Taicingam* familiam inuexerint in Sinam, & eius 12. Prouincias occuparint, dominanturque in illis ad hanc vsque diem. Hæc ex P. Martino, sed Marcus Paulus Venetus ait anno Domini 1187. Tartaros excusso Bulgiano iugo, elegisse ex suis Regẽ *Cinchim*, quem vocarunt *Magnum Chanem*, eiq; succesſere ordinatim *Cui, Barchis, Allau, Mongù, Cublai*, seu *Cobila*, qui cœpit imperare anno Christi 1256. princeps magnis virtutibus instructus, qui Christianæ Religionis studio per hospites Venetos petijt à Romano Pontifice Doctores, erudiendis suis populis. Idem ædificauit in Cathaio Vrbem *Cyandù* dictam quoq; *Ions*, & *Cambalù* metropolim Milliariorũ Italicor. 24. in circuitu, præter 12. suburbia ante totidem portas. Occupauit etiam regionem, Mangi cum Metropoli *Quinsai* vrbe totius Orbis maxima, & Cunbam regionem, & Bengalam, & Iaponiam, & Iauam maiorem, ac minoris partem; imperauitq; annos 42. eiq; succesſit nepos, *Tamor*, seu *Temur* anno 1298. Nomina prædictorum Imperatorum aliter concipit Haitonus Armenus sic. *Changius Chan, Ochota Chan, Guino Chan, Mango Chan, Cobela Chan, Tamur Chan.* Habent autem varias Hordas in Scythia, & in Sarmatia, sed præcipuè regnum Cumaniæ conditum à *Baido* secundogenito Horotæ Chani, qui vastauit Russiam, Poloniam, Silesiam, Hungariam, & partem Austriæ. Præterea *Haolenus* frater Mangi, & Cobilæ, fundauit aliud regnum in Media, Mesopotamia, & Syria pulsis Saracenis, Persiam occupauit, nec non Babylonem, & Christianis fauit, quorum cum fratre Mango religionem profiteri cœperat, tendensq; contra Soldanum Aegypti, obijt anno Christi 1264. eius successor, ac filius *Abaga* Soldanum vicit, obijtq; anno 1282. succesſit frater *Tangador*, qui à Catholica fide ad Mahometum apostatauit, sed intra triennium perijt, anno 1285. succedente *Argono* filio Abagæ, & huic succesſit frater *Regnytus* Atheus anno 1288. perijtq; anno 1290. eius loco ex cognatione subrogatus *Baydo* Princeps Christianæ pietati deditus, quem anno 1310. *Casanus* Argoni filius, licet Christianus regno deiecit, regnauitq; annos 40. cui succesſit *Cagabanda* desertor Catholicæ fidei, & Mahometo addictus, & suis inuisus, vnde occasio crescendi familiæ Otomannicæ.

Tartari verò *Zauolgenses* sunt, qui ad Vuolgam fl. & Caspium in multas hordas distributi habitant; & Tartari *Zagatai* veteris Sogdianæ, & Sacarum habitatores ad fl. Iaxartem à quibus ortus *Temur* ille, qui *Temorlanes* vulgo dicitur, solitus ducere exercitum decies centenum millium bellatorum, vicitq; Baiazethem Anno 1397. obijtq; Samaracandæ anno 1402. cum imperasset annos 27. eius filijs degenerantibus; *Vsuncassanus* Particus subegit Persiam, Mediam, Asyriam, Chaldæamque. Reliqua de Cazarensibus, & Præcopitis Tartaris, quoad distinctionem temporum obscuriora sunt.

2 Moschouitæ, seu Moschi, ab vrbe *Mosqua* ita denominati, vbi princeps eorum *Daniel* Arcem struxit *Iorislai* filius; eorum origo à *Vvolodimiro* Steslai filio, qui Christi fidem susceppit anno Domini 988. voluitq; nominari *Basilius*, cui succesſit *Ioreslaus*, huic *Vvzeuolodus* huic *Vvlodimirus* tota Prussia potitus, huic *Vvzuolodus* II. huic præter 7. alios *Georgius*; huic *Demetrius*, huic Georgius II. anno 1237. occisus à *Bato* Tartarorum Rege, Georgio succesſit frater *Iroslaus*, huic filius *Alexander*, huic *Daniel*, qui sedem fixit Mosquæ & Magni Ducis Moschouiæ titulum assumpsit; huic filius *Ioannes Kaleta* sic dictus à gestanda semper pera, vt eleemosynam elargiri posset; huic succesſit filius *Simeon*, huic germanus *Ioannes* II. huic filius *Demetrius* II; huic filius *Basilius* II. qui floruit anno 1400. huic frater *Georgius* III. huic *Basilius* III. filius Basilij II. quem pater pro illegitimo susceptum habuerat; huic *Ioannes Basilides* cognomento Magnus, huic *Basilius* IV. ex Sophia Palæologa, qui obijt anno 1533. huic *Io. Basilides* II. qui natus est anno 1528. regnauit annos 51. & obijt anno 1584. die 28. Martij eique succesſit *Theodorus*, obijtque 1598. eiq; succesſit frater vxoris *Borius Hodrinus* deinde fluctuarunt ibi res vsq; ad annum 1617.

3 Iaponenses Reges olim vocabantur *Micoti*, ideſt Alti ac sublimes, quorum duodecim cognominati *Camis*, quos ortos à Sole fingunt, & colunt quotannis Luna decima quinta Augusti, eorumq; primus nominabatur *Tengim*, per cuius nomen hodiæque iurant, aiuntq; floruisse anno 660. ante Christum, & post eum alij CXI. eiusdem stirpis. Quando S. Franciscus Xauerius eo primum appulit anno 1549. die 15. Augusti Sacra Assumptioni Dominæ nostræ, regnabant in diuersis Dynastijs diuersi Reguli, sed eorum præcipuus *Cubosama*, qui Meaci residebat, & anno antecedenti ideſt 1548. regnare cœperat, qui anno 1565. die 17. Iunij à coniuratis occisus est, & *Duidonus* Tyranus vbiq; grassatus est. Anno autem 1571. dominabantur *Ciuam* Rex Bungi, & aliorum quinque regnorum. *Moridonus* Rex Amangucci, & 13. regnorum; ac *Nobunanga* Rex Voari & regnorum 35. qui anno 1582. maximam partem Iaponiæ occupauit, seque Deum Iaponiæ consecrauit, sed die 21. Iunij obsessus ab Achecio rebelle, ventrem sibimet secuit, sed & is post dies 12. occisus fuit à *Iusto Vcondono* promiserat Nobunanga se Christo, suoq; subditurum, sed promissis non stetit. Eodem tempore concluſa, & à P. Alexandro Valignano cum Francisco Bungi, & Protasio Arimæ Regibus, & Bartholomæo principe Omuræ legatio trium Iaponensium nobilissimorum ad Gregorium XIII. Summum Pontificem, qui anno 1582. die 20. Februarij Nangasachio soluentes, non peruenere Malaccam nisi anno 1583. die 27. Ianuarij, & Vlyssiponem anno 1584. die 10. Augusti & Romam anno 1585. die 22. Martij, vnde discessere eodem anno die 3. Iulij, & Nangasachium rediere anno 1590. die 21. Iulij, quando *Cambacudonus* Imperator cœperat Christianos persequi, qui profecturus ad inuasionem Regnorum Corai, Sinæ et Philippinarum, renunciauit

Impe-

imperium *Magondono* nepoti suo, quem nominauit *Taicosamam*, idest Magnum Dominum, anno 1592. die 5. Lunæ Ianuarij: quo defuncto *Daifusama* ineunte anno 1601. Imperium armis obtinuit atrocissimus tyrannus et Christianorum persecutor; qui mortuus est anno 1616. ineunte Iunio, eiq; successit peior parente *Xongunsama*, cui anno 1631. defuncto successit primogenitus eius *Toxongunus*, sub quo plurimi Martyrio affecti, et inter alios P. Marcellus Mastrillus anno 1637. die 17. Octobris annorum 34. et anno 1638. triginta duo millia Christianorum Arimæ.

4 Mexicani, vt narrat Franciscus Lopez Gomara, anno Christi 1551. computabant annos suos 1859. ergo eorum Epocha ab anno ante Christum 308. et à die 29. nostri Februarij.

CAPVT XI.

De Annis Persarum post CHRISTI Domini Ortum, & præcipuè de Annis Persarum recentiorum Iezdagirdæ, ac Gelalaeæ Epochæ cum Annis Christi connectendis, ab Anno 632. dieq; 16. Iunij, & rursus ab Anno 1079.

1 IAm Capite IX. num. 2. diximus anno quinto Alexandri Imper. Mammeæ filij Artaxersem victo Artabano vltimo Parthorum Rege, summam rerum ad Persas transtulisse, & Persarum regnum instaurasse, is fuit Annus Christi 228. à quo vsque ad Iezdagirdam II. tempora Regum Persarum ex Agathiæ lib. 4. Rerum Persicarum colligemus: tantum addimus, ex Chronicon Aleyandrino, Theophane, Cedreno, & S. Maximi Martyris computo Heraclium Imperatorem, ac Persarum debellatorem cœpisse imperare anno Christi 610. & obijsse antij hoc est anno Christi 641. cum imperasset annos 30. mensis 10. iuxta Theophanem, vel annos 30. mens. 4. d. 6. iuxta Nicephorum; & ex ijsdem authoribus Cosrois duces, qui cum Heraclio pugnarunt, fuisse Saen, seu Saiten anno Christi 616. & 617. deinde Sarbarum, seu Sarnabazam anno 623. & Sarablacum 624. & Razatem 627. Occiso autem Iezdagirda II. anno 632. Sarraceni occuparunt regnum Persidis tenueruntq; annos 418. donec Anno Domini 1051. Sulthan Gelaledin de Chorasana regione illud eripuit Sarracenis; Postea regnum illud inuasere Tartari Duce Tamerlane, anno Christi 1398. cui succesere Zeldas, Zeldonis, Vsuncassanes, tres Sophi &c. esto antea Tartari anno 1294. duce Occoto Rege Asiæ imperium Turcis eripuissent. Esto nunc canon Regum Persidis, ab anno Christi 228. ad 632. potissimùm ex Agathia.

Reges Persidis.	Init. ann. Christi.	Regnat annos.
Artaxerses.	228	15
Sapores.	243	31
Hormisdata.	274	2
Vararanes.	276	3
Vararanes II.	279	17
Vararanes III.	296	0 m. 4
Narseus.	296	9
Misdates.	305	7 m. 9
Sapores II.	312	70
Artaxerses II.	381	4
Sapores III.	385	4
Varanes.	389	11
Isdegerdes.	400	21
Vararanes IV.	421	20
Vararanes V.	441	17
Perozas.	458	20
Valens.	478	4
Cauades.	482	11
Lambeses.	493	8
Cauades II.	501	30
Cosdroes.	531	48
Hormisda.	579	8
Cosdroes II.	587	39
Siroes.	626	1
Sarbaras.	627	1
Bornares.	628	2
Hormisda II. seu Iezdagirdes.	630	2
Sarraceni.	632	419
Sulthan Gelaledin.	1051	
Occotus Tartarus.	1294	
Tamerlanes.	1398	

2 Iam disserendum est de Epocha Isdegerdis, seu Iezdagirdæ 11. & deinde de Gelalæa. De his Epochis tractant Iosephus Scaliger lib. 3. de emendatione temp. à pag. 206. & lib. 4. pag. 293. & p. 5. pag. 521. & 527. Iacob Kristmannus de Connexione annorum, & Kalendario Persico pag. 214. Petauius de Doctrina temporum lib. 11. c. 51. & 52. paucis verò Mulerus in Tab. Frisicis p. 246. Origanus tomo 1. Ephem. p. 27. & 31. keplerus in Rodulphinis cap. 17. præcepto 67. & in Tabulis pag. 38. ac Ismael Bullialdus in fine Tabularum Philolaicarum. De forma anni Persici satis diximus libro 1. cap. 18.

Fuit Ιασδαχέρδης, idest *Iasdacerdes Sariar*, vt illum nominat Georgius Chrysococca, seu *Iezdagerdes* vt plurimi cum Albategnio c. 32. filius *Schariari*, seu *Sarien* Mastre, vt loquitur Isaac Monachus in explicatione Canonum Persicorum, fuit inquam Rex Persidis, quem *Hormisdam* nominari à Cedreno suspicatur Scaliger. Hunc autem vita, & regno iam secundo anno regnantem spoliauit *Othmannus* Sarracenus filius Ophani, & Calipha Babyloniæ, occidens illum in bello apud oppidum Marga anno Christi 632. die 16. Iunij feria 3. vt narrat Haiton Armenus in Passagio Terræ Sanctæ c. 15. nominans eundem regem *Asobarioth*. Albumasar lib. de Magnis coniunctionibus; occisum ait die 22. Rabiæ prioris feria Martis. Alfraganus c. 1. Alcabitius differ. 4. & Albumasar supra dicunt, ab Epocha *Iezdagirdæ* ad Hegiram *Mahometi* fuisse dies 3624. inclusis terminis, seu annos Persicos 9. menses 11. & dies 9. Addit Alfraganus fuisse annum Nabonassari 1379. completum, ab Alexandri vero Magni obitu annos Romanos 942. & dies 259. ex qua vtraq; Epocha colligitur annus Christi 632. & dies 16. Iunij: propter beneuolentiam in suum Regem conditores Canonum Persicorum ab illo anno, ac die primum diem primi mensis Pharuardin, nouamq; annorum Epocham computare cœperunt, de cuius praxi vide libri 2. Canonem 26. pro commutandis his annis in annos Christi.

3 *Gelalæa* verò Epocha incœpit anno Christi 1079. Martij 14. feria 5. qua fuit obseruatum *Neuruz*, idest Æquinoctium vernum, ab octo sapientibus iussu Imperatoris Persarum, seu Chorasani, qui vocabatur *Sulthan Gelaledin Melixa*, vt annum Persicum aliàs vagum, et intercalatione minus iusta, redactum ad Solarem affixum Æquinoctio, corrigerent, idcoq; annum Aequinoctialem hunc appellarunt *Neuruz Elsultani*, et aliter *Senathi Celali*, hoc est annum maiestatis, et nouam annorum Epocham inde computatam *Gelalæam*. Est autem solemne ac festiuum caput anni cuiusq; nempe dies Aequinoctij Verni, et celebratur Panegyri frequentissima. Dubitatur tamen an Aequinoctium illud ex obseruatione mera, an ex Tabulis Astronomicis constitutum sit, vt putat Longomontanus l. 1. Theoricorum, vbi de Sole. Ambigitur etiam, an annus ille fuerit merè Tropicus, an verò in vsum ciuilem quoq; receptus relicta forma anni Persici æquabili, nam recentem annum æquabilem in vsu ciuili insinuat Isaac Monachus, et Ignatius Patriarcha Antiochenus apud Petauium l. 11. c. 52. quem consule.

CAPVT XII.

De Annis Arabum, & Turcarum, cum Annis Epochæ Christi connectendis.

CONCLVSIO XII.

Arabum Anni merè Lunares computantur ab Hegira, ideſt à fuga Mahometis ex Mecha, nempe ab Anno Epochæ Chriſti DCXXII. dieq; 16. Iulij. Turcarum verò Imperium ab Anno Chriſti proximè MCCC. conſurgens, nullo magno interregno durauit ad hunc vſque Annum per annos CCCLXIV.

1 DE *Arabum* Epocha, et annis repetenda ſunt, quæ docuimus fusè lib. 1. cap. 24. De *Turcarum* Origine, et ſucceſſionibus ſcripſere Io. Zonaras Monachus, Io. Leonclauius, Io. Bapt. Egnatius; Nicolaus Sagundinus lib. de Orig. Othomanorum, Leonicus Calchondilas, de rebus Turciſis, Paulus Iouius de rebus Turcicis; Io. Cuſpinianus, de Turcorum Origine; Andreas Cambia de origine Turcarum; Chriſtophorus Richerius 5. de rebus Turcorum, Theodorus Spandaginus in tractatu de Hiſtoria Turcica, Nicolaus Mulerus breuiter in opuſculo de Anno Arabico, Vbbo Emmius lib. 5. Rerum Chronologicarum pag. 252. Franciſcus Sanſouinus in Chronol. p. 98. Alphonſus Loſchius in Compendio Hiſtorico, titulo de Othomanis à pag. 133. Dolionus in compendio Hiſtorico, Hieronymus Pardius in Chronico pag. 56. Cæſar Campana in Genealogijs, Petauius in Rationarijs.

Licet autem de prima horum origine ſiue à Scythis, ſiue à Tartaris deducta varij variè, conuenit tamen inter plures celeberrimum quidem eorum ductorem fuiſse Solymanum illum, quem apud Niceam vicit Gotefridus Bullionius; ſed fundatorem imperij, et gentis Othomannicæ fuiſse *Oſmanum*, ſeu *Othomannum* filium Zichi, ſeu Othogulis, et priùs ab Aladino Sultano factum præfectum Caramaniæ eoq; mortuo occupaſse Burſiam Bithyniæ, ibiq; ſedem Imperij fixiſse. Huius, et ſucceſſorum annos ex probatioribus Auctoribus ſelectos digeſſimus in ſequenti catalogo, ſed adiecimus annos Arabicos ab Hegira, quibus Turcæ vtuntur in annis ſuis numerandis, et ſunt anni Lunares.

TVRCARVM IMPERATORES.

Anni Hegiræ computantur, à fuga Mahometis ex Mecha, ideſt à die 16. Iulij Anni CHRISTI 622. & ſunt Anni merè Lunares.	Initium Imperij. Anni Hegiræ.	Anni Chriſti.	Imperauit Annos.	Mortuus eſt anno Chriſti.
Zich, ſeu *Schac Oſtrogulis* ſtrauit proximè viam Imperio.	658	1257	. .	1298
Othomannus Gazi, ſeu *Oſman* filius Zichi, primus Turcarum Imperator.	699	1298	29	1327
Vrchanes Gazi, ſeu *Orchanes* filius Othomanni.	727	1326	32	1358
Murath, ſeu *Amurathes Chan* filius Vrchanis.	759	1358	32	1389
Baiazethes Chan filius Amuratis, dictus *Gilderin*, ideſt fulgur à Temurlane poſt cæſa Turcarum 200000. caueæ incluſus.	791	2389	14	✝
Iſazebelis quintus filiorum Baiazethis, dictus Calepin, vel Cyriſcelbes.	804	1401	✝	1403
Emir Muſulmanus, ſeu *Solimanus*, necato fratre Iſazebele.	805	1402	. .	1403
Muſa, fratre Emire pulſo, ac ſublato Imperium arripit.	805	1403	7	1411
Muhameth, ſeu *Mehemeth* fratre Musa necato.	812	1409	4	1413
Murath II. ſeu *Amurathes* filius Muhamethis.	816	1413	8	1421
Muhameth II. natus ex matre Chriſtiana, Conſtantinopolis expugnator, obijt annorum 58. d. 3. Maij.	824	1421	30 ½	1451
Baiazethes II. filius Muhamethis II. à Prætorianis prælectus Zizimo, obijt annorum 74.	855	1451	31	1481
Selim Baiazethis II. filius, Ægypti occupator.	886	1481	31	1512
Solimanus filius Selimi, Belgradi, Rhodi, & Budæ expugnator, obijt annorum ferè 80.	918	1512	8 ½	1520
Selim II. filius Solimani, obijt ex apoplexia 9. Decembris.	926	1520	46 ½	1566
Murath, ſeu *Amurathes III.* filius Selimi II. obijt annor. 48. Ianuarij 18.	974	1566	8	1574
Mumameth III. filius Murathis III. obijt annor. 39. d. 21. Decembr.	982	1574	21	1595
Acmethes filius Muhamethis III. pater Oſmani.	1004	1595	9	1604
Muſtaphus, ſeu *Muſtaphà* frater Achmetis Oſmanis duodennis tutor, poſt bimeſtre imperium, ob ſtoliditatem carceri incluſus.	1013	1604	13	1617
Oſmanus Achmetis filius, à Prætorianis præfocatus die 20. Maij.	1026	1617	✝	✝
Muſtaphà eductus è carcere reſtituitur Imperio, ſed anno ſequenti exutus, & carceri denuo incluſus.	1026	1617	5	1622
Murathes, ſeu *Amurathes IV.* Oſmani frater, obijt annorum 32. die 8. Februarij.	1031	1622	1	1623
Ibraimus Iannos frater Amuratis IV. annor. 28. ſuccedit.	1032	1623	17	1640
Muhameth IV. filius Ibraimi, annorum 13. ſuccedit.	1050	1640	15	1655
	1065	1655		

LIBER SEXTVS
DE ANNIS, ET EPOCHIS
HEBRÆORVM
INTER SE PRIVS,
Et deinde cum Epocha CHRISTI Connectendis.

CAPVT I.

De Annis à Creatione Mundi, vsque ad Diluuij Noetici finem.

CONCLVSIO I.

Certum est ab initio Mundi ad finem Diluuij Noetici non interceſsiſſe annos plures quàm 2272. nec pauciores, quàm 1647. Probabilius tamen est, aut fuiße 2256. potius quàm 1656. conciliandamq; LXX. Interpretum cum Hebraica, & Latina Vulgata editione, aut in hac ſupputatione ſequendos LXX. Interpretes de Annis 2256. Neutrius tamen numeri certitudinem abſolutam hactenus ſunt aßecuti.

1 ANnos Patriarcharum, quos recenſet Sacra Geneſis, fuiſſe Luniſolares, Solaribus tamen æquiualentes docuimus lib. 1. c. 10. & eorum initium ciuile ſicut & Mundi fuiſſe ab Æquinoctio Verno, confirmauimus lib. 1. c. 11. Quia verò incertum eſt an Moyſes enumerarit annos tantummodo completos, neglectis diebus, aut Menſibus ſupernumerarijs, an verò annos labentes, nondumq; expletos, pleriq; Interpretes, & Chronographi accipiunt eos pro præcisè completis, non quod eos tales ſingillatim æſtiment, ſed quia probabiliter in ſumma ineunda, ex redundantibus, & deficientibus fit compenſatio; & minori periculo errandi ſe exponunt, quàm ſi omnes pro redundantibus, aut omnes pro deficientibus ſumerent, vbi non eſt manifeſta ratio aliter faciendi, vt in anno ſexcenteſimo vitæ Noe, quo ineunte cœpit Diluuium. Ita *Salianus* ad Annum Mundi 130. nu. 1. cum plurimis, *Tirinus* in Chronico Sacro cap. 10. *Petauius* lib. 9. de doctrina tempor. c. 7. & 8. *Spondanus* in Annalibus Sacris ad Annum Mundi 30. & alij ibidem. Ob hanc ipſam tamen incertitudinem in principio concluſionis diximus non poſſe eſſe plures annos, quam 2272. cum ex maxima Summa Interpretum LXX. ſint 2262. nec potuerint in illis generationibus 10. eſſe ita redundantes, vt ex redundantibus menſibus conflentur anni plures, quàm 10. nec ita deficientes, vt deſint 10. ſummæ minimæ annorum 1656. Vulgatæ.

2 Præmittendi iam ſunt anni ab initio Mundi, vſque ad finem Diluuij completi anno 600. vitæ Noæ abſoluto, tum iuxta Hebraicam, & Latinam editionem vulgatam, tum iuxta LXX. Interpretes eorumq; verſionem Romæ editam iuſſu Sixti V.

Patriarcharum.	Vixit, & Genuit ſequentem filium.		Superuixit poſtquam genuerat		Vixit in totum.	
Nomina.	Annos iuxta Hæbr. & Latin.	LXX. Interpret.	Annos iuxta Hebræor. et Latinor.	LXX. Interpret.	Annos iuxta Hebræor. et Latinor.	LXX. Interpret.
1 Adam.	130	230	800	700	930	930
2 Seth.	105	205	807	707	912	912
3 Enos.	90	190	815	715	905	905
4 Cainam.	70	170	840	740	910	910
5 Malaleel.	65	165	830	730	895	895
6 Iaded.	162	162	800	800	962	962
7 Henoch.	65	165	300	200	365	365
8 Mathuſala.	187	167	782	802	969	969
9 Lamech.	182	188	595	565	777	753
10 Noe.	600	600	350	350	950	950
Summa	1656	2242	Noe poſt Diluuium.			

3 In his numeris natiuitas Lamechi refertur ad Mathusalæ annum 167. iuxta LXX. vel 165. vti in ijsdem legit Eusebius, & editio Antuerpiensis & Basil; sed hinc sequeretur absurdum, nempe Mathusalam superuixisse diluuio annos 14. vel 16. cum tamen certum sit ex 1. Petri 3. illud de Arca Noe: *In qua pauci, ideſt octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*, nempe Noe eiusq; filij tres, cum suis vxoribus. Iam si annis Mathusalæ 167. vel 165. addas 188. Lamechi quando genuit Noe, & 600. ipsius Noe completos in fine Diluuij, fiunt anni 955. vel 953. quibus subtractis ab annis 969. quos vixit Mathusala, restant vitæ ipsius post Diluuium anni 14. vel 16. Mendum igitur est in Romana editione LXX. & in Regia alijsq; vbi pro annis 167. vel 165. legendum est, καὶ ἔζησε μαθουσάλα ἑπτὰ ἔτη, καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ ἑκατὸν, καὶ ἐγέννησε τὸν λάμεχ, videlicet: *Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech*, vt habet Hebraica, & Latina vulgata lectio, immò & habuerunt correcti Codices LXX. Interpretum apud Africanum, Chronicon Alexandrinum, Iosephum, & Epiphanium, qui legerunt 187. vnde sequitur Mathusalam sexto anno ante Diluuium mortuum esse; quòd si Lamecho annorum 182. genitum Noe ponamus cum Hebraica editione, Samaritano Codice, & Iosepho, summa ex annis 187. & 182. & 600. erit 969. æqualis toti vitæ Mathusalæ, ideoque non hos expleuerit, sed iniuerit, obieritq; in principio Diluuij, aut in ipso Diluuio. Iam verò propter mendosam illam lectionem LXX. apud Eusebium orta est quæstio, quæ omnes exercuit Ecclesias, vt testatur S. Hieronymus in qq. Hebraicis, & Epist. 125. ad Damas. concludens sic. *Restat ergo, vt quomodo in plerisq; ita & in hoc, sit error in numero, siquidem in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi.* Et S. Augustinus in quæst. in Genesim q. 2. & 15. Ciuit. c. 13. *Quæri solet quomodo Mathusalem, secundùm annorum computationem, viuere post Diluuium potuerit, cum omnes præter eos, qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurimorũ Codicum mendositas peperit. Non solùm quippe in Hebræis aliter inuenitur; verum etiam in LXX. Interpretatione, Mathusalem in paucioribus, sed veracioribus sex annos ante Diluuium reperitur fuisse defunctus.* Et lib. 15. Ciuit. c. 13. idem ait repertum in tribus Græc. Cod. &c. emendato igitur vtroq; loco *LXX.* summa Annorum ab Orbe condito ad Diluuij finẽ, iuxta *LXX.* est annorum 2256. ideſt annis 600. maior quàm ex Hebraica, & Latina vulgata editione, quæ non est nisi annorum 1656.

De Annis ex Latina vulgata editione quatenus translata ex Hebraica.

4 ALtera itaq; & grauior quæstio est vtra ex his eligenda sit, an vtraq; sub diuersa ratione sit vera. *Prima* sententia est standum esse Latinæ vulgatæ editioni, atq; adeo Hebraico Textui, ex quo illa editio, tanquam ex vero, & primitiuo fonte manauit, & ex quo ipsimet *LXX.* Sacram Scripturam de Hebraico in Græcum Sermonem transtulerunt, quorum si prima, & legitima exemplaria, quæ fuerunt in Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi haberemus, videremus mirùm consensum cum Hebraico textu, & Latina editione vulgata: Dissentionem autem inter has editiones ortam esse non ex notis numeralibus, quibus facile subrepit error apud librarios, vel typographos, in neutra enim adhibentur, sed extensiuis nominibus numeri exprimuntur, nec dicitur Adamus quando genuit Seth vixisse annos ρλ, ideſt 130. sed *centum triginta*, & apud *LXX.* τριάκοντα καὶ διακόσια ἔτη, *triginta, & ducentos annos.* Præterea si casu in notas numerales irrepsisset error, non appareret in 1. 2. 3. 4. 5. & 7. generatione tanta, & quidem duplex constantia, vt *LXX.* centenis semper annis excedant numerum Hebraicum, & tamẽ totidem in residuo vitæ deficiant, quo tandem in summam annorum totius vitæ conueniant; quod certè non casu factum, sed de industria quis non videat? vidit certè S. Augustinus lib. 15. Ciuit. c. 13. cum dixit. *In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita vt ante genitum filium, qui ordini inseritur alibi supersint centum anni, alibi desint: post genitum autem vbi deerant, supersint: vbi supererant desint, vt summa conueniat, & hoc in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima, generatione inuenitur, videtur habere quandam, si dici potest, errorem ipse constantiam, nec casum redolet, sed industriam.* Subiungit verò priorem suam opinionem sic. *Itaque illa diuersitas numerorum aliter se habentium in Codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis &c. Nec malitiæ Iudæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ septuaginta Interpretum, sed scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca supradicti Regis Codicem describendum prius accepit:* Sed errori voluntario, & de industria, cuius causam affert ex opinione illorum, quos capite præcedenti refutauerat: Quidam enim non valentes credere Patriarchas illos primos tam longæuos fuisse, finxerunt annos illos priscos decuplo breuiores annis Solaribus, & 900. ex illis efficere annos nostros 90. Huic igitur opinioni se accommodans Scriptor ille, pro annis 130. quibus Adamus initis, aut completis dicitur genuisse Sethum, reposuit 230. quia anni 130. ideſt de nostris 13. non sunt maturæ pubertatis, nec idonei ad generandum, sicut sunt 23. Solares anni, ideſt 230. ex illis breuioribus. Et ita similiter in alijs generationibus, vbi opus erat; in sexta autem, & in octaua nihil tale fecit, quia anni 162. ad nostros 16. & anni 188. ad 18. redacti non erant incongrui pubertati naturæ. Concludit tamen S. Augustinus eodem capite 13. sic. *Sed quomodolibet istud accipiatur, siue credatur, ita esse factum, siue non credatur, siue postremò ita sit: rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cum diuersum aliquid in vtrisq; Codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumq; esse nõ potest verum, ei linguæ potius credatur, vnde est in aliam facta translatio.* Quam Conclusionem cum Beda de 6. ætatibus plures Catholici amplexi sunt, & ob reuerentiam, erga Latinam vulgatam editionem ab Adamo ad Diluuium annos 1656. numerarunt: ita *Salianus* ad Annũ Mundi 131. nu. 4. vbi tamen malè dissensionem illam tribuit errori ipsorum LXX. Interpretum, *Torniellus* T. 1. Annal. pag. 113. ad annũ 131. *Tirinus* in Chronico Sacro cap. 8. *Spondanus* in Annalibus Sacris ad Annum Mundi 131. *Petauius* l. 9. de doctrina temp. c. 8. *Redanus* in Machabæos p. 98. & 101. *Gordonus* in sua Chronologia, *Benedictus Arias* Montanus libro de Sæculis, *Cornelius* à Lapide in cap. 5. Geneſis, *Henricus* Philippi in Synopsi Chronologica c. 1. *Io. Georgius Heruartus* in sua noua Chronolog. *Baronius* in fine Apparatus. His accedunt *Scaliger* l. 5. de Em. temp. pag. 371. *Origanus* tomo 1. Epheſ. *Vbbo Emmius* lib. 1. rerum Chronol. pag. 41. *Langius* de Annis Christi lib. 2. cap. 3. ipsi denique Rabbini qui suis in Calendarijs ab initio Mundi ad finem Diluuij numerant annos 1656. omnibus autem his fauet motus Apogei Solaris, qui talis est ex obseruationib. Astronomicis, vt initium ipsius ab Arietis initio repeti possit, si numeri annorum ab Adamo ab Abrahamum non ex LXX. Interpr. sed ex Hebraica, & Latina vulgata editione eligantur. Deniq; Synodus Tridentina videtur obligasse Orthodoxos ad vulgatam Latinam editionem in omnibus sequendam, sess. 4. in decreto de Canonicis Scripturis vbi sic: *Statuit, et declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere, quouis pretextu audeat, vel præsumat.* In eodem quoque decreto, enumeratis libris Canonicis dixerat: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit anathema sit.* Si in omnibus partibus, ergo & his in quibus numerantur anni patriarcharum.

De Annis ex LXX. Interpretum Translatione.

5 SEcunda sententia est, standum esse LXX. Interpretum translationi, exceptis duobus mendis in generatione Mathusalæ, & Lamechi, de quibus num. 3. Hac enim & non alia vsi sunt Apostoli, & Apostolici viri ac Patres per quadringentos fere annos vsque ad S. Hieronymum, nec alio diuini verbi lacte nutrita est, & educata primitiua Ecclesia, nec aliam ex Hebræo textu in Græcum translationem, quàm hanc receperant agnoscentes illam, vt

Cano-

Canonicam, & omni ex parte θεοπνεύστον, ideſt *Diuinitus inſpiratam*, ita Iuſtinus Martyr in exhort. ad Gentes, & in 2. Apolog. Irenæus aduerſus hæreſes c. 24. Clemens Alex. 1. Strom. Epiphanius opuſc. de ponderib. Cyrillus Hieroſolymit. catech. 4. Chryſoſtomus homil. 4. in cap. 1. Geneſis, & hom. 5. in c. 1. Matthæi, Euſebius l. 8. de Præparat. Euangelica c. 1. Theodoretus præfat. in Pſalmos, Euthymius ad illud Iſaiæ 7 *Ecce Virgo concipiet*. Procopius Gazæus in principium Geneſis; Theodorus Antioch. in c. 1. Sophoniæ; ex Latinis autem Tertullianus c. 18. Apologetici, Hilarius prolog. in pſalmos, & in pſ. 2. Ambroſius 3. Exaem. c. 5. & in pſalmos 43. ac 118. Auguſtinus epiſt. 8. & 10. q. 169. ſuper geneſim l. 2. Doctrina Chriſtiana c. 15. & l. 4. c. 7. & lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. c. 66. & l. 18. de ciuit. c. 42. & 43. Ruffinus in inuectiua contra Hieronymum alicubi viſum detrahere interpretationi LXX. eſto alibi illam magnifaciat, vt in præfatione ad Paralipomenum, & in 2. Apologia ad Ruffinum. Ex Hebræis autem, Philo, Ioſephus, et Talmudiſtæ eandem translationem receperunt. Huc ſpectant, qui ſummam annorum à Mundi conditu ad Diluuium ex LXX. Interpretibus deduxerunt, vt Iulius Africanus qui annos 2262. Ioſeph qui 2256. et Euſebius, Suidas, Iulianus Archiep. Toletanus S. Iſidorus, et Lucas Tudenſis, qui omnes annos 2242. ſupputant; et Q. Iulius Hilarion qui 2237. et Clemens qui 2148. Demum pro prærogatiua LXX. Interpretum videndi in primis Io. Morinus Bleſenſis Congregationis Oratorij Ieſu Chriſti Presbyteri iu Præfatione ad Græcam editionem LXX. Interpretum Romanam Iuſſu Sixti V. et Iſaac Voſſius libro de Septuaginta Interpretus, eorumq; Translatione, et in Diſſertatione de Mundi Ætate à cap. 2. ad finem, et Baronius in notis ad Martyrologium d. 25. Decembris.

6 Non eſt autem ſenſus horum Auctorum, præferendam eſse LXX. Interpr. Translationem Hebraico illi textui, ex quo ipſi LXX. Interpr. tranſtulerunt: omnes enim aut fatentur, aut fateri debent hunc illi præferendum, tanquam fontem riuo, et cum S. Auguſtino: *Ei potius linguæ credendum, vnde eſt in aliam facta translatio*. Sed quia LXX. Interpretes habuerunt Codices Hebraicos incorruptos, et ex ijs fideliter, atq; vnanimiter tranſtulere in Græcum ſermonem totum penè vetus teſtamentum, ideoq; aliæ ex Hebræo in Græcum translationes, quas auſi ſunt edere Aquila Ponticus, Theodotion Epheſius, Symmachus Ebionita, et duo Iudæi anonymi in Hexaplis, et Octaplis Origenis inſertæ, nullius auctoritatis fuere in Eccleſia Catholica, vtpote vel infideliter, vel ex vitiatis Iodæorum codicibus translatæ. Translatio autem S. Hieronymi de Hebræo in Latinum ſermonem laudata quidam fuit à S. Auguſtino l. 18. de Ciuit. c. 43. et Epiſt. 8. ſed ibidem antepoſuit illi Italam, et Antiquam LXX. editionem, vetuitq; Latinam S. Hieronymi publicè in Eccleſijs ſuæ Diœceſeos legi, vt fatetur Epiſt. 19. ad ipſum S. Hieronymum, quæ tamen paulatim ex æquo cum LXX. recepta eſt, vt colligitur ex S. Gregorio in Iob, et Epiſtola ad Leandrum illi operi præmiſsa. Ac licet ſemper in Oriente præualuerit translatio LXX. Interpr. in Occidente tamen æquiualuit, aut etiam præualuit Latina S. Hieronymi, iam inde à temporib. S. Iſidori, vt patet legenti eum l. 1. de Diuinis Officijs, et lib. 6. Orig. c. 3. ita tamen, vt Eccleſia Catholica in Breuiarijs, Miſsalibus, ac Ritualibus, plurimis in locis LXX. Interpretum editionem conſeruarit, et nonnullos libros Sacros ex LXX. potiùs, quàm S. Hieronymi verſione publicè vſurparit. Ne autem de multis editionibus LXX. Interpretum dubitari deinceps poſset, quænam pro legitima eſset habenda, Gregorius XIII. et alij ſucceſsores, ſed potiſſimum Sixtus V. doctiſſimis Cardinalibus, alijſq; viris vſus, et conquiſitis vndecunq; diuerſis voluminibus eam tandem pro legitima LXX. Interpretum editione recipiendam ſtatuit, quam iuſſit Romæ imprimi anno Domini 1586. & impreſſa fuit poſtea Pariſijs apud Simeonem Piget anno 1641. cum notis Flaminij Nobilij. Verba autem Decreti Sixti V. anno 1586. ſub die 8. Octobris editi notanda in rem noſtram ſunt illa. *Volumus, & Sancimus, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem, vt Vetus Græcum Teſtamentum iuxta Septuaginta ita recognitum, & expolitum, ab omnibus recipiatur, & retineatur, quo potiſſimum ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum Sanctor. Patrum intelligentiam vtantur. Prohibentes ne quis de hac noua Græca editione audeat in poſterum vel addendo, vel demendo quid quam immutare*. Igitur quamuis Catholici ex Tridentini Decreto teneantur alijs Latinis editionibus præferre veterem Latinam vulgatam, quæ tot ſeculorum vſu in Eccleſia probata fuit eius tamen mens non fuit excludere vetuſtiſſimam LXX. Interpretum translationem, qua vſos nonnunquam Apoſtolos teſtatur idem Sixtus V. in eodem decreto; immò vtilem cenſuit ad intelligendam melius vulgatam Latinam, & vbi diſſenſio fuerit, eam corrigendam ex altera, pro cuius correctione ſteterint validiora argumenta, aut vehementiores coniecturæ. Præſertim cum multi Catholici fateantur eximium fuiſſe opus Diuinæ prouidentiæ, vt multo ante Chriſti aduentum Translatio illa LXX. Interpretum Gentibus communicaretur, & ita vulgaretur, vt non poſſent Iudæi inuidere Gentibus, aut vitiare vniuerſaliter Hebræum textum ijs in locis, qui pro Meſſia, & in laudem CHRISTI Saluatoris noſtri producendi erant ab Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis; Ergo ad eandem Prouidentiam pertinuit, vt non minus hæc Translatio, quàm Hebraicus textus conſeruaretur. Deniq; ſicut in ipſa vulgata editione Latina numeri diſcrepantes inter ſe, de facto aliquando reperiuntur, ideoq; conciliandi inter ſe ſunt, aut alter eorum corrigendus, cur non idem liceat, vbi Vulgata, & LXX. diſſident, aut diſſidere videntur? Quare ſcitè Iodocus Coccius l. 6. Theſauri Catholici art. 2. dixit Græcam LXX. alijs Græcis, & art. 3. Latinam S. Hieronymi, alijs Latinis editionibus præferendam.

De conciliandis numeris Annorum Vulgatæ, cum numeris LXX. Interpretum.

7 DIxi in Concluſione probabilius eſse prædictos annorum numeros cõciliandos eſse interſe ſe, quàm damnata editione LXX. præferendam in hac numeratione Vulgatam Latinam editionẽ, & quia conſtitimus intra terminos probabilitatis, neutros numeros certos eſse. Concilium enim Tridentinum Seſs. 4. in Decreto de Scripturis Canonicis vetuit quidem, ne Vulgata editio reijceretur, ſed non vetuit ne interpretaremur illam. De modo autem interpretandi. *Decreuit, vt nemo ſuæ prudentiæ, innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeant*. Sed nec Eccleſiæ ſenſus eſt, nec vnanimis conſenſus Patrum annos Patriarcharum eſse illos ipſos, qui ex vulgata colliguntur, potiùs quam illos, qui ex LXX. vt patet ex dictis num. 5. & 6. & ex dicendis infra de opinione Eccleſiarum in hac re magis patebit; Præterea dubitari poſset, an quæſtio de hoc annorum numero pertineat, ad res fidei, & morum, & ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ propter verba illa S. Auguſtini lib. 15. Ciuit. c. 13. de hac ipſa quæſtione diſserentis. *Nam etiam nunc vbi numeri non faciunt intentum ad aliquid, quod facile poſſit intelligi, vel quod appareat vtiliter diſci, & negligenter deſcribuntur, & negligentius emendantur. Quis enim exiſtimet ſibi eſse diſcendum quot millia hominum tribus Iſrael ſingillatim habere potuerint*? Idem S. Doctor eodem lib. 15. cap. 14. obſeruat neminem auſum eſse in Hebraico textu corrigere omnes, aut plurimas diuerſitates, quæ ſunt in LXX. *Non tamen*, inquit, *vacat quod Septuaginta Interpretes in plurimis, quæ diuerſa dicere videntur ex Hebræis Codicibus emendare auſus eſt nemo. Non enim eſt illa diuerſitas putata mendoſitas: nec ego vllo modo mutandum exiſtimo. Sed vbi non eſt Scriptoris error, aliquid eos diuino Spiritu, vbi ſenſus eſſent conſentaneus veritati, & prædicans veritatem non interpretantium more, ſed prophetantium libertate, aliter dicere voluiſſe credendum eſt*. Et lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 7. diuerſa ideo dixiſse putat, *vt ad ſpiritalem ſenſum ſcrutandum magis admoneretur Lectoris intentio*, quare vtrumque, vt canonicum recipiens, ſi aliter conciliari non poſſit in myſteria conuerti iubet. Et ſanè non induſtriam modò ſed myſterium redolet tanta conſtantia in ſeptem generationibus (ſexta excepta) addendi centenos

annos

annos tempori generationis, & detrahendi eosdem residuo vitæ post generationem primam.

8 Modus autem conciliandi prædictam diuersitatem, non est ille, quem quis posset ex S. Augustino sumere, videlicet de annis pubertatis, iuxta dicta sub medium nnmeri 4. hæc enim non est conciliatio, sed correctio numerorum Hebraici textus ac Vulgatæ, fundata in opinione falsa de annis Patriarcharum decuplo breuioribus, quàm sunt anni nostri, ideoq; correctionem illam errorem vocat S. Augustinus. Quanquam non valde verisimile videtur ausum esse scriptorem vllum, eos numeros immutare, cum sciret posse redargui statim ab originalibus exemplaribus in Bibliotheca Philadelphica Alexandriæ conseruatis, præsertim cùm non vnicum exemplar ibi esset, sed fortè septuaginta duo, si singuli seniorum suam translationem seorsim scripserunt, & altera septuaginta duo exemplaria, secum retulerunt Hierosolymam ijdem Seniores. Ob eandem causam non puto probabile, ausum vllum scriptorem in Hebraico textu numerum anni 230. quo Adam genuit Sethum, retrahere ad annum 130. ne nimis sera, & parum credibilis videretur tanta dilatio in procuranda prole: poterat enim infidelitatis in transcribendo statim conuinci hinc ex permultis exemplaribus Hebraici textus apud singulos scribas extantibus; inde ex LXX. Interpretum editione: his itaq; dimissis.

9 *Primus* modus conciliandi hos textus est, si dicamus Adamum bis genuisse duos eiusdem nominis filios, ita vt anno vitæ suæ 130. genuerit primum *Sethum*, & centennio post, idest anno vitæ suæ 230. alterum filium, quem nominauerit *Seth*, siue quod prior mortuus esset, ad instaurandam eius memoriam; siue, quod secularis illa periodus annorum, visa sit identitate nominis notanda ad memoriam beneficij ob susceptam olim ante annos centum tam felicem prolem. Quo exemplo alij deinceps posteri eius multi, si non omnes, id imitari voluerint, illi præsertim, qui anno centesimo post primam generationem donati sunt prole. Fieri autem potuit, vt vtrumq; esset in aliquo textu Hebraico antiquo hoc modo. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & ducentum triginta annis, & genuit Seth*; idest duos illis annis filios eiusdem nominis *Seth*: vel hoc modo: *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit Seth, & facti sunt dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni; genuitq; filios, & filias; & vixit Adam ducentum triginta annis, & genuit alterum Seth, & facti sunt dies Adam postquam genuit Seth septingenti anni, & genuit filios, & filias, & facti sunt omnes dies Adam, quos vixit triginta, & nongenti anni, & mortuus esset.* Sed in alijs recentioribus codicibus Hebraicis; compendij causa, omissa sit illa repetitio, & aliquibus visa sit habenda ratio prioris; aliquibus' posterioris Sethi, iuxta diuersitatem opinionum de alterius præcellentia, & de cuius stirpe Messias nasci deberet; Cum iam constaret non semper primogenitos à Deo prælatos esse: Ipsi verò Septuaginta interpretes illius tantummodo de duobus eiusdem nominis filijs tempus notauerint, quem prophetico Spiritu nouerant pertinere ad genealogiam CHRISTI, vt id insinuaretur Gentilibus, quos iam tum prouidebant tanquam secundogenitos, præterendos Hebræis licet primogenitis, & veri Dei notitia priùs edoctis: iuxta illud mysterium. *Quia maior seruiet minori.*

10 *Secundus* modus est, si dicamus Adamum anno quidem 130. cœpisse generare filios, & filias diuersi nominis, sed quia inter filios omnium excellentissimus fuit is, quem anno 230. vitæ suæ genit nominauitq; *Seth*, vtpote qui ad Genealogiam Christi pertinebat, & ad lineam rectam Messiæ, ideo solus ille nominatus est, perinde ac si dictum esset. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit inter cæteros inclytum illum Seth.* Quia verò emphaticus ille, ac figuratus loquendi modus, Hebræis quidem familiaris, alijs autem minus notus, & cauillationibus obnoxius videbantur, Septuaginta Interpretes, omisso tempore primę genituræ, illud tantum notarunt, quo reipsa iuxta literalem, & obuium sensum genitus fuit *Seth* vnus ex Patriarchis de linea Messiæ. Quod autem dico de Adamo in ordine ad Seth; dictum volo de Setho in ordine ad Enos, & de reliquis, in quibus anni centum in LXX. abundant. Quando autem ille, qui primò est genitus, nõ erat ille à quo per rectã lineam secundùm carnem propagandus erat Messias, non opus fuit figurato illo loquendi modo, & in eundem annum conuenit vtraq; editio exceptis mendis, de quibus numero 3. aut alijs in 2. Aetate cap. 2. attingendis.

11 *Tertius* modus est, si dicamus Adamum anno quidem quidem 130. genuisse filium quem sæculo euoluto nempe anno 230. videns iam præ cœteris filijs robustum, sapientem, ac timentem Deum, aut reuelatione diuina præcognouerit ex eius linea Messiam propagandum alijs prætulerit in portione hæreditatis ac benedictione, ac declarando illum caput posterorum, ac principem stirpis, seu quod idem est Patriarcham ac velut de nouo genuerit, & fortasse mutato nomine illum nouo nomine *Seth* insigniuerit: atque adeo anno 130. genuerit illum, quem posteà anno 230. nominauit *Seth*. Septuaginta autem interpretes ad hanc nouam, & mysticam generationem respexerint, & eius tempus notauerint.

Quilibet trium horum modorum eligatur, verum erit Adamum genuisse Seth tam anno 130. quàm 230. vitæ suæ & post annum 130. vixisse annos 800. post annum 230. vixisse annos 700. Quod si alieni, aut duri, aut violenti videantur alicui hi modi intetpretandi, meminerit Mysteria Mysteria esse, nosq; ad Mysticos sensus ipsum S. Augustinũ amandasse, vel ipse aliquid verisimilius in lucem proferat. Certè enim durius est & periculosius alterutram editionem damnare erroris & cum ea tot Patres, & Ecclesias, qui editionem, præsertim LXX. secuti sunt.

De probabilitate Annorum 2256. à Mundi exordio ad Diluuij Noëtici finem.

12 IAm numero 3. docuimus ex versione LXX. Interpretum necessario correcta in annis Mathusalæ, & probabiliter in annis Lamechi, quibus ille Lamechum, hic Noe genuit, sequi à Mundi exordio ad finem Diluuij annos 2256. Hos autem probabiles esse ostenditur *primo* ab auctoritate Patrum, quatenus vniuersaliter receperunt editionem LXX. interpretum, vel in particulari annos ab initio Mundi ad Diluuium iuxta eam potiùs, quàm Hebraicam Latinamq; Vulgatam numeraueruut, quos iam numero 5. nominauimus. *Secundò* ab auctoritate Ecclesiarum in annis Mundi vsque ad ortum CHRISTI recensendis: Nam Constantinopolitana Ecclesia numerabat annos 5508. & Alexandrina 5492. iuxta dicta lib. 3. cap. 11. Ecclesia verò Romana in Martyrologio ad diem 25. Decẽbris, Natiuitatem IESV CHRISTI secundò carnem consignat inter alias Chronologicas notas his duabus: *Anno à creatione Mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: à Diluuio verò anno bismillesimo nongentesimo quinquagesimo septimo.* Subtractis autem 2957. ab annis 5199. relinquuntur à creatione Mundi ad diluuium anni 2242. iuxta LXX. Interpretes non correctos. Ideoq; Baronius in notis ad Martyrologium hoc, adnotat hæc verba. *Ita antiquæ Tabulæ Ecclesiarum secundùm supputationem septuaginta Interpretum ex Eusebij Chronico; quam quidem tam Occidentalem, quam Orientalem Ecclesiam constat esse secutam.* Multo minus anni 5508. Constantinopolitani, aut 5492. Alexandrini defendi possunt, nisi interuallum ab Adamo ad Diluuium in LXX. Interpretibus sumatur: à Diluuio enim ad Christum ex vulgatæ annis, & annis Cyri aut Nabuchodonosori & prophana historia collectis non potest maius interuallum colligi, quàm annorum 2793. vt summum enim poni possunt à Diluuio ad ortum Abrahæ 382. hinc ad Exodum 720. hinc ad fundamenta templi Salomonici 592. hinc ad Cyri initum 540. hinc ad CHRISTI ortum 559. Quare si annos 2793. subtrahas annis 5508. vel 5492. remanebant ibi 2715. hic 2699. multo adhuc plures quam 2256.

13 *Tertiò* si in prima Mundi ætate vsq; ad Diluuium, & in secunda vsq; ad ortum Abrahami, non sequimur computum LXX. Interpretum; aut damnanda est antiqui as Regum Sinensium, Chaldæorum, Ægyptiorum, Tartarorum, de qua dictum est libro 5. cap. 1. 2. 3. & 10. aut eos ante Diluuium Noeticum regnasse continuata successione post Diluuium dicendum esset, quod est absurdissimum. contra verò, si in vtroq; interuallo, aut saltem in secundo, sequamur computationem Septuaginta interpr. antiquitas prædictorũ Regum stat citra Diluuium per multos annos,

& in-

& incidit in illud circiter tempus, quo disperſi posteri Noe, alij alias regiones occuparunt, & regna ac dynastias fundarunt. Ergo cum ex nostris libris possit eorum antiquitas defendi, nec sit eis præbenda ansa calumniandi Sacram Scripturam, aut suspicandi nos inuidere ipsis antiquitatem illam, quam agnoscere possumus; prudentius, & probabilius eligitur supputatio LXX. interpr. in secundo interuallo: ac eadem ratione admittenda est similiter in primo, quia non magis in primo debet obstare diuersitas Vulgatæ, & LXX. quam in secundo.

Quartò, quia si quid obstat probabilitati annorum ex LXX. Interpr. collectorum, maximè quia tenemur rigore decreti Tridentinæ Synodi sequi vulgatam Latinam editionem in omnibus suis partibus, in hac autem parte, vbi recensentur anni quibus Patriarchæ cœperunt generare filios LXX. repugnant Vulgatæ Latinæ numeris, manifestè; atqui falsum est manifestè repugnare, esto enim videantur primo aspectu repugnare, conciliari tamen possunt vno ex tribus modis num. 9. 10. & 11. expositis, aut saltem dici potest veros esse vtriusq; editionis numeros sub diuersa ratione, etiam si nos eam assignare non possimus.

Quintò. Data, & non concessa euidenti, & inconciliabili discordia inter numeros Vulgatæ Latinæ, & LXX. Interpr. probabile est Tridentinam Synodum non comprehendisse in decreto de Vulgata recipienda, supputationem horum annorum, vtpote non spectantem ad mores, & dogmata fidei, aut ædificationem Christianæ Doctrinæ, iuxta dictum S. Augustini, de quo num. 7. non enim sine causa Synodus apposuit limitationem illam; immò exceptio illa firmat regulam in contrarium, vt scilicet liceat in alijs materijs sequi alias editiones. Proinde si alterutrius editionis præferendi sunt numeri, probabilius illi præferuntur, quos in hac supputatione prætulit ipsa Ecclesia Catholica. Audi enim non me, sed Eminentissimum Cardinalem Baronium rerum Ecclesiasticarum consultissimum, & antiquitatum sacrarum tenacissimum in notis ad Martyrologium sub die 25. Decembris. *Satis tibi sit candide lector, nos hic demonstrare eiusmodi annorum supputationem positam esse more maiorum, simulq; ostendere Catholicam Dei Ecclesiam, in supputando annorum numero, Septuaginta interpretes sequi consueuisse.* Et post pauca: *Insuper Iulianus Episcopus Toletanus doctrina, & sanctitate celebris docet, antiquum esse morem Romanæ Ecclesiæ in supputatione temporum, sequi septuaginta duos interpretes*: Verba Iuliani apud eundem ibidem sunt: *Ergo illa nobis & sola pro his annis est obseruanda auctoritas Septuaginta interpretum, quæ merito omnibus editionibus, & translationibus ante fertur, quam & hucusq; omnes doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt.* Denique paucis interiectis addit Baronius. *Acta Synodica oecumenica secundùm prædictos interpretes annos enumerant, constat id ex sexta Synodo Can. 5. apud Theodorum Balsam. pag. 198. Antiqui patres tam Græci, quam Latini pari modo numerarunt*, quibus nominatis concludit: *satis sit modò declarasse, Catholicam Dei Ecclesiam in annorum supputatione ab origine mundi dictos interpretes esse secutam, quod & antiqua Martyrologia, ex quibus hæc sunt descripta, testantur.*

Vltima Pars Conclusionis de negatiua certitudinis.

13 CVm pro annis ex Hebraica, & Latina Vulgata editione deductis non stet decretum Concilij Tridentini, vel saltem controuerti possit an illo hæc materia comprehendatur, iuxta dicta numero 7. & ex altera parte, pro annis ex LXX. interpretum translatione stent & rationes non contemnendæ, & quod me magis mouet Ecclesiæ tam Orientalis, quam Occidentalis etiam Romanæ consuetudo, nedum tam multi Patres iuxta dicta num. 5. 6. & 12. Non possum subscribere illis, qui alterutros annorum numeros ad absolutam certitudinem redigere conati sunt, quorum quidam auctoritatem Tridentini pro vnico, aut præcipuo fundamento, sed præter mentem Sacrosanctæ illius Synodi inculcant, vt Salianus ad Mundi annum 131. num. 4. illis verbis. *Quæ nunc editio vulgata appellata, ab Ecclesia vniuersa recepta summam auctoritatem consecuta est. Cui libenter assentimur, & quia necesse est viro Catholico, & quia longè probabiliorem exhibet veritatem.* Sed nego necesse esse in supputatione annorum horum, cum non constet Decretum Tridentini, quod limitatum fuit ad materiam fidei, & morum, & ædificationem doctrinæ Christianæ extendendum esse ad alias materias, aut in hoc voluisse derogare auctoritati LXX. interpretum, & damnare consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ in hac computatione secuta est septuaginta interp. Nego etiam maiorem illam probabilitatem exceptis annis Mathusalæ, & Lamechi.

Aliqui verò certitudinem suam fundant in Characteribus Astronomicis, vt Scaliger lib. 5. de emend. temporum pag. 371. vbi nimis præfidenter pronunciauit. *A conditu Mundi ad Diluuium, annos 1656. absolutos esse, ex epilogismis annorum quibus natalis & mors Adami, & posterorum eius à Mose signata sunt, tam certum est quam nemo hactenus dubitauit*: Ita ne nemo? quis ferat hanc oscitantiam, aut saltem memoriæ excidium non commiseretur? subiungit deinde Characteres pro anno Diluuij 1657. à Mundi conditu, & periodi Iulianæ 2420. qui est ante Christum 2294. nempe Cyclum Solis XII. Lunæ VII. adde his annis 1656. fit primus annus Mundi 3950. ante Christum, seu Periodi Iulianæ 764. vt idem habet pag. 369. cui anno Cyclum Solis 8. Lunæ 4. adscribit: sed in his supponenda sunt multa de interuallis varijs à Diluuio ad Christum valde controuersa. Similis confidentiæ sunt verba illa Langij de lib. 2. de Annis Christi c. 3. *Nam cum character Diluuij Anno periodi Iulianæ 2328. exactè conueniat (quo etiam tempore diluuium factum fuisse certum est vt postea videbimus) Character verò Creationis sit periodi Iuliane annus 672.* ideſt ante Christum 4042. Prudentius & Modestius qui certitudinem temporis negantes vt Petauius lib. 9. cap. 6. & 7. Longomontanus in Comm. de Sole, & Keplerus in Rodulphinis Epochæ Mundanæ verisimilitudinem ex motu Apogei Solaris conati sunt expiscari. Qua de re libro 7. agendum erit.

CAPVT II.

De Annis à Diluuij Noetici fine ad ortum Abrahæ.

CONCLVSIO II.

Probabilius est Sem Primogenitum Noe natum anno 501. vitæ Noe exeunte, & Arphaxadum genitum esse à Semo anno 2. ineunte post Diluuium, & Cainanum filium fuisse Arphaxadi patremq; Sale, & Abrahamum natum esse anno 130. Tharæ, ideoque probabilius est iuxta editionem Hebraicam, & Vulgatam à Diluuij fine ad natiuitatem Abrahæ intercessisse annos CCCXXCII. iuxta Septuaginta autem Interpretes fuisse Annos MCCXXXII; vel saltem MCXXXII. Certum interim est, nec pauciores fuisse quàm CCXXCII. nec plures, quam MCCXLII. Intra hos terminos nihil absolutè certum est.

Præmittendi sunt anni Patriarcharum à Noe ad Abrahæ ortum, tum ex Hebraica, Latinaq; Vulgata editione, tum ex LXX. Interpretum translatione, qui sunt infrascipti ex Genesis 11.

Ex Hebræa, & Latina Vulgata.			
	Vixit, & Genuit.	Superuixit.	Vixit in totum.
Sem post *Diluuium*.	2	500	600
Arphaxad.	35	303	338
Sale.	30	403	433
Heber.	34	430	464
Phaleg.	30	209	239
Rheu.	32	207	239
Sarug.	30	200	230
Nachor.	29	119	148
Thare Abrahamum	70	135	205
vel	130	75	205
Summa	292		
vel	352		

Ex LXX. Interpretum Translat.			
	Vixit, & Genuit.	Superuixit.	Vixit in totum.
Sem 100. annorum, & post Diluu.	2	500	600
Arphaxad.	135	300	435
Cainan.	130	330	460
Sale.	130	330	460
Heber.	134	270	404
Phaleg.	130	209	339
Rhagau.	132	207	339
Sarug.	130	200	330
Nachor.	179	125	304
Thare Abrahamum	70	135	205
vel	130		
Summa	1172		
vel	1232		

1 PRima quæstio est de Anno quo Sem genitus est, & quo ipse genuit Arphaxadum: dicitur enim Geneſis 5. *Noe verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cam, & Iaphet*; & Geneſis 7. de Noe. *Eratq; Sexcentorum annorum, quando Diluuij aquæ inundauerunt super terram*, ideſt initorum, non completorum, ibidem enim ſubiungitur: *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ &c.* de completo autem Diluuio, & inito anno 601. vitæ Noe dicitur Geneſis 8. *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram:* Ex quibus, & alijs lib. 1. cap. 10. oſtendimus Diluuium finitum eſſe completo anno 600. Noe, & inito 601. Ergo ſi *Sem* genitus eſt, quando Noe erat annorum 500. vtique anno 600. Noe expleto *Sem* erat annorum 100. in ipſo fine Diluuij; quare ſi biennio poſt Diluuium *Sem* genuit *Arphaxad*, vtique annorum 102. erat quando illum genuit, & tamē Geneſis 11. *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt Diluuium*, ſeu vt loquūtur LXX. Interpr. καὶ ἦν σὴμ ἐκατὸν ἐτῶν ὅτε ἐγέννησε τὸν ἀρφαξὰδ δευτέρῳ ἔτει μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, ideſt: *Et erat Sem filius centum annorum, cùm genuit Arphaxad, ſecundo anno poſt Diluuium*. Dicere enim Moyſem rotundo numero vſum, & pro 102. dixiſſe 100. eſt contra accuratum, & ipſi conſuetum numerandi modum cum Arphaxad ſuperuixiſſe dicat annos 303. & Sale 403. non autem rotundè 300. aut 400. & ſic in alijs. Tres itaq; ſunt de hoc opiniones. *Prima* eſt inter filios, quos Noe generare cœpit, quando erat annorum 500. nominari primo loco *Semum*, deinde *Chamum*, & *Iaphetum* non ratione originis, ſed dignitatis, eo quod Sem erat omnium ſatientiſſimus, & vt dicitur Geneſis 10. *Pater omnium filiorum Heber*, nec Hebræorum modo, ſed Abramidarum, eiuſq; familiæ, vnde naſciturus erat Meſſias, eſto natus ſit anno 502. Noe. Ideoq; anno 2. poſt Diluuium labente (quod melius diſtinguunt LXX. & ex quibus explicandum eſt illud biennium in vulgata) fuerit annorum 100. quando genuit Arphaxadum; Anno verò 500. Noe inito Iaphetum, & 501. Chamum genitos eſſe, ita vt Iaphet fuerit primogenitus, & Cham ſecundogenitus; & Sem tertiogenitus, ita R. Samolomon, R. Aben Ezra, & R. Leui Ben Gerſon, & R. Moſes in Gemara Aboda Zara cap. 1. & R. Kimhi Iaphet enim fuiſſe maiorem, & priuſgenitum, quam Semum colligunt ex Geneſis 10. verſu 21. vbi Hebraicè habetur: *Sem quoque nati ſunt patre omnium filiorum Heber Iaphet fratre maioris*. Camum verò fuiſſe minorem natu Iapheto deduci videtur ex Geneſis 9. vbi de Chamo patre Chanaam ſcriptum eſt *euigilans autem Noe ex vino cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor*. Hebræi tamen comparatiuis nominibus carent, ideoq; nomen *hacatan* Arias Montanus vertit, *ille paruus*, ſeu *minimus*; licet enim ſeptuaginta, & Philo habeant νεώτερος, ideſt *minor natu*, Ioſephus tamen habet νεώτατος, ideſt *minimus*, eiq; ſubſcribunt Caietanus, Pererius, Mercator, Beroaldus, Temporarius. Sed quidquid ſit de Chamo, fueritne minor tantum Semo, aut Iapheto, an minimus omnium; certè Iaphetum maiorem fuiſſe Semo non euincitur ex phraſi Hebraica nomen enim *hagadol* indeclinabile, cum articulo omnibus caſibus, & non ſoli genitiuo accommodari poteſt vt Bellarminus in Grammatica Hebr. obſeruat, ideoq; Latina Vulgata, *De Semo quoq; nati ſunt &c. fratre Iaphet maiore*, & Pagninus de *Sem*, qui *fuit frater maior Iapheto*; vbiq; enim ſcriptura Semum primo loco nominat.

Secunda, itaq; opinio eſt Semum primogenitum fuiſſe, & prioritate originis, nedum dignitatis præceſſiſſe Iapheto, & Chamo, tum quia primo loco nominatur Geneſis 6. verſu 10.

su 10. & Geneſis 8. verſu 18. & Geneſis 10. verſu 1. nec vlla eſt neceſſitas recedendi ab hoc ordine, ac ſenſu literali, tum quia Semo prius benedixit, quàm Iapheto Geneſis 9. verſu 26. quod fieri ſolitum ratione primogenituræ colligitur ex Geneſis 48. verſu 18. tum denique quia Sacra Scriptura Geneſis 10. verſu 21. Semum appellat *fratrem maiorem* Iapheto, nedum Chamo, vt ex vulgata Latina editione, & Pagnino docuimus, cui conſentit Tigurina, & vtraq; paraphr. Chaldæa, & ita interpretati ſunt S. Epiphanius in Anchorato, Diuus Cyrillus, S. Hieronymus epiſt. 146. ad Euagrium adducens Hebræorum traditionem, Procopius in cap. 9. Geneſis Iſidorus in cap. 8. Geneſ. Caietanus, Oleaſter, Lipomanus, Pererius, Del Rio in Geneſim cap. 10. Petauius lib. 9. cap. 17. Salianus ad Annum Mundi 1559. Quamuis autem ſeptuaginta viſi ſint agnoſcere Iaphetum pro maiore, & Græcè in Romana editione Semo nati dicantur filij ἀδελφῷ Ἰάφεθ τῷ μείζονος, *fratri Iapheth maioris*, aliter tamen LXX. intellexerunt S. Auguſtinus, legeruntq; μείζονα, ideſt *maiori*, & Procopius in 10. Geneſ. Quod verò ſpectat ad annum Noe, quo eſt genitus Sem, quidam accipientes illud *Biennio poſt Diluuium* pro biennio iam expleto; vt verificetur tunc Semum fuiſſe annorum 100. putant genitum fuiſſe anno 502. Noe expleto, et incunte 503. neque enim Moyſem cum dixit. *Noe verò cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet*, aliud ſignificare voluiſſe, quàm quod eos genuerit poſt annum 500. Ita Salianus ad annum Mundi 1559. adducens pro ſe Q. Julium Hilarionem, Bedam, Lipomanum, Torniellum, Gordonum, Pererium, et quoſdam Sectarios. Sed nulla eſt neceſſitas alienum ſenſum introducendi, alioquin turbaretur tota Chronologia Moyſis, et quotieſcunq; dixit Patriarcham aliquem vixiſſe tot annos, et genuiſſe, poſſemus dicere eum genuiſſe poſt illos annos, non illo anno, nec operoſum, nec inſuetum erat Moyſi loqui accuratè, et dicere: *Cum quingentorum, et duorum eßet annorum genuit etc.* Itaq; cum Petauio lib. 9. c. 17. Sentio Noe genuiſſe Semum expleto anno 500. et exeunte 501. Semum verò genuiſſe Arphaxadum anno vitæ ſuæ centeſimo expleto, ſed 101. inito, atq; adeo inito ſecundo poſt Diluuium, et ſalua primogenitura Semi, Arphaxadum natum anno 2. poſt Diluuium ita inito, vt nondum expletus eſſet 101. annus Semi.

De Cainan.

3 *Secunda*, et grauior Quæſtio eſt de Cainan, quem inter Arphaxadum, et Sale inſerit S. Lucas c. 3. illis verbis: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Septuaginta verò cap. 10. Geneſis in Romana, & Regia impreſſione verſu 23. *Et Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sala, Sala autem genuit Heber.* Rurſus cap. 11. 12. *Et vixit Arphaxad centum trigintaquinque annos, & genuit Cainan &c. & vixit Cainan centum triginta annos, & genuit Sala.* Contra verò in Latina, & Vulgata editione, nec non in Hebraico, & Samaritano vtroq; Codice, & in Paraphraſi Chaldæa prætermittitur Cainam, & Geneſis 10. dicitur. *Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eſt Heber*, & cap. 11. *Arphaxad vixit trigintaquinque annis, & genuit Sale &c. Sale quoq; vixit triginta annis, & genuit Heber.* Et 1. Paralipom. c. 1. verſu 18. *Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipſe genuit Heber.* Hinc igitur natæ duæ opiniones Prior opinio eſt mendoſum eſſe Codicem LXX. Interpretum, ſiue quod LXX. mendoſo Hebræo Codice vſi ſint, ſiue quod librarius aliquis ſciolus inſeruerit Cainan trãslationi Septuaginta, & inde S. Lucas hauſerit errorem, ſiue quem S. Lucas vſus incorrupta translatione omiſerat, aliquis in textum Euangelicum intruſerit. Nam ſi Cainam hic fuiſſet in rerum natura, vtique nec Moyſes, nec Paralipomenon ſcriptor illum ignoraſſent, aut tacuiſſent, ſicut nec S. Hieronymus in Tradit. Heb. nec Epiphanius hæreſi 55. Nec mirum eſſe, ſi aut S. Lucas in gratiam Græcorum ſcribens Euangelium noluerit reijcere Cainanum, quem ſciebat inſertum in Græca translatione LXX. Interpretum; aut potiùs poſt S. Lucam aliqui Cainanum inſeruerint tam Septuaginta translationi, quam S. Lucæ Euangelio. Nam Rabini in libro *Pirke Aboth*, hoc eſt *Axiomata Patrum* c. 4. à Noe ad Abraham decem generationes fuiſſe aiunt, eſſent autem vndecim ſi Cainan admitteretur; Ioſephus quoque lib. 1. Antiq. c. 8. & Euſebius lib. 9. de præpar. ex Beroſi, & Eupolemi teſtimonio referunt Abrahamum decima poſt Diluuium generatione floruiſſe, Euſebius idem in Chronico Græco duplicem ſeriem maiorum à Noe ad Abrahamum refert vnam Iudæorum, alteram Samaritanorum, in quarum neutra eſt Cainan; in eodem Chronico Græco vbi ex LXX. Interpr. recitatur genealogia Abrahami, dicitur *Arphaxad natus annos 135. generat Sala.* Ioſephus lib. 1. antiq. cap. 6. ait: *Arphaxadi filius fuit Sales huius verò Heberus*, & ibidem non ſemel affirmat Abrahamum fuiſſe à Noe decimum. Nec Philoni notus fuit Cainan, & Africanus apud Euſebium in Græco cod. pag. 9. ait Sale genitum ab Arphaxade, & Irenæus lib. 3. cap. 33. numerat ex Luca à Chriſto ad Adamum generationes 72. at admiſſo Caina, eſſent 73. Theophilus Antiochenus ſextus ab Apoſtolis Antiſtes, qui floruit circa annum Chriſti 170. lib. 3. ad Autolycum in Græco codice habet. *Sem genuit Arphaxath centum annos natus Arphaxad verò genuit Sala, cum centum trigintaquinque annorum eſſet.* Epiphanius in Panario Hæreſi 4. & libro de ponderibus, & menſuris Cainanum non agnouit, & Iacobum ab Adamo vigeſimum ſecundum cenſuit: eſto al ijs in locis admiſerit, vt etiam Euſebius parum ſibi conſtans. Quid plura? S. Hieronymus recitans verſum 24. capitis 10. Geneſeos ex LXX. Interpr. diſertiſſimè ponit Sale genitum ab Arphaxado, nulla Cainani mentione facta, ergo in Codice LXX. quo vſus eſt S. Hieronymus Cainan non extabat; de quo Codice ad diſcrimen corruptorum Codicum ſic loquitur S. Doctor ſcribens ad Suniam, & Tretellam. *Breuiter admoneo vt ſciatis, etiam eße editionem, quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius omneſq; Græci tractatores* κοινὴν, *hoc eſt communem appellant, & vulgatam, & à pleriſq; nunc* λουκιανοῦ *dicitur. Aliam LXX. Interpr. quæ & in* ἑξαπλοῖς *Codicibus reperitur, & à nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa eſt, & Hieroſolymæ, atq; in Orientis Eccleſijs decantatur &c.* Subdit autem *Κοινὴ autem iſta, hoc eſt communis editio ipſa eſt, quæ & Septuaginta. Sed hoc intereſt inter vtranq; quod* Κοινὴ *pro locis, & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum veterum corrupta editio eſt. Ea autem quæ habetur in* ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus ipſa eſt, quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reſeruatur: Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt quin ita, & ab Hebræorum auctoritate diſcordet.* Agnouit ergo S. Hieronymus duas editiones LXX. Interpretum vnam incorruptam, & concordem cum Hebraica, alteram corruptam, & in hac Cainanum inſititium in illa verò excluſum. Procopius Gazæus recitans cap. 10. Geneſis Cainanum non memorat, imò in Com. ad cap. 11. Geneſis inquit. *Hebraica veritas habet Salam genitum eſſe ab Arphaxad, quæ deinde in medio ponuntur, obeliſco ſignata viſuntur.* Sed & Gregorius Turonenſis generationes ab Orbe condito recenſens, & Iſidorus l. 5. Originum Cainanum omittunt, imò hic ait *Arphaxadum anno ætatis 135. genuiſſe Salam.* Beda licet lib. de Ratione temporum cap. 65. & lib. 6. de ætatibus, & ad annum Mundi 1643. doceat LXX. inſeruiſſe vnam generationem ſecundæ ætati, indeq; videri accepiſſe S. Lucam, in præfatione tamen eius operis ſatis oſtendit, ſe id ex aliena opinione dixiſſe alioquin lib. 13. de temporibus ait. *Secunda ætas continet annos iuxta Hebræos CCXCII. iuxta Septuaginta Interpretes DCCCCXLII. vel adiecto Cainan MLXXII.* & paulò inferiùs. *Arphaxad annorum xxxv. genuit Sale.* Freculphus lib. 1. Chronici non ſolum Arphaxado Salem immediatè ſubſtituit Cainano prætermiſſo, ſed Abrahamum à Noe decimum cenſet. Maſſeus Cameracenſis lib. 22. Chronicorum vtriuſq; Teſtamenti, vbi ex Hebraicis, Caldaiciſq; fontibus Cainanum excluſit, ait: *Satis mirari non poßum vnde nouus Cainan emerſerit? aut quis primus auctor fuerit iſtius erroris.* Huius præterea opinionis ſunt Eugubinus, Abulenſis, Driedo, Sixtus Senenſis lib. 5. annot. 8. Genebrardus, Ianſenius in Concord. c. 14. Pererius, & Cornelius à Lapide in Geneſim, Petauius lib. 9. de Doctr. tempor. c. 17. Gerardus Voſſius in Iſagoge Chronologica diſſert. 5. cap. 3. & qui doctiſſimè, ac eruditiſſimè in hoc puluere deſudauit amiciſſimus vir P. Petrus Poſſinus Soc. noſtræ in Diallactico de Genealogia Chriſti, quod habetur poſt Symbola in Matthæum, ad-de his Sectarios Bibliandrum, Bezam, Caluiſium, Capellum,

lum, Codomanum, Funccium, Mercatorem, Temporarium.

Secunda opinio, & verior est retinendum omnino, & pro vero habendum Cainanum non tanquam eundem cum Sale, seu binominem, vt finxit Io. Lucidus, & Nauclerus, nec tanquam fratrem Arphaxadi, qui fratri suo suscitarit Semen genueritq; Sale, vt finxit Naclantus, sed tanquam filium Arphaxadi, & patrem Sale, quia sic habetur in Vulgata editione S. Lucæ à Tridentino cum omnibus sui partibus approbata, et in Romana, ac Regia LXX. Interpretum translatione à Sixto V. approbata, in qua anni distincti huius generationis retensentur; et affirmatiua authoritas præualere debet negatiuè non excludenti positiuè Cainanum, sed iustis de causis subticenti, aut dissimulanti. Nam vt ait S. Augustinus. *Nulla iusta causa esse potest, vt mendacium dicatur, at iusta esse potest, vt veritas aliquando taceatur*, sicut S. Ioannes in Apoccalipsi tribum Dan dissimulauit, et S. Matthæus Euangelista iustis de causis prætermisit in Genealogia Christi, Ochoziam, Ioam, et Amasiam, non tam vt retineret numerum 14. Generationum, quàm quia sciebat in Sacris Tabularijs Templi tres illos Reges, ex genealogia Dauidis deletos; denique vt scitè cum Toleto multi aduertunt, minus periculi est dicere in Hebræo deesse illam generationem, quæ olim in eo legebatur, quàm in Euangelio, nedum in LXX. Translatione à Sixto V. approbata errorem esse, certè S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 13. agnouit discrepantiam inter Hebraicam LXX. editionem, et tamen lib. 16. c. 3. absq; vlla dubitatione ait; *Sem quippe inter alios filios genuit Arphaxat, Arphaxat genuit Cainan, Cainan genuit Sala, Sala genuit Heber*: et eodem lib. c. 10. *Arphaxat autem cùm esset centum triginta quinque annorum, genuit Cainan, qui cùm esset centum triginta annorum genuit Sala.* Et lib. 18. c. 43. pluribus docet Septuaginta Interpretes prophetico spiritu aliqua ex Hebræo aliter transtulisse, et q. 19. in Iosue tomo 4. inquit. *Proinde potiùs existimandum est Septuaginta Interpretes, quæ authoritate prophetica, ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse*; eodem scilicet Spiritu eos dirigente, qui direxerat Moysem in Pentateucho scribendo, vt idem docet lib. 18. Ciuit. c. 43. et lib. de consensu Euangelistarum. Quin ipse S. Hieronymus in præfat. in lib. 1. Paralip. ad Domnionem ait. *Illis signatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti authoritatem: licet in Hebræis voluminibus non legatur.* Neque enim nouum est Spiritum Sanctum suppleuisse vno loco per Scriptorem Canonicum, quod per alium occulta nobis causa voluit taceri, sic in libris Paralipomenon supplentur, quædam aliter scripta in libris Regum, et multa vnus ex 4. Euangelistis addit, quæ alij tacuerunt: nec ideo quia tacuit, mendax fuit; licet igitur vetus testamentum, in Hebraica, et Vulgata Latina taceat Cainanum, quem vulgata editio S. Lucæ, et vetus testamentũ in LXX. Interpr. nominat, non propterea mentitur. Nec mirum Patres paucos, aut scriptores puta Iosephũ, Eupolemum, et si quis alius antiquorum Hebræos secuti Codices Cainanum omisere, et 10. generationes à Noe ad Abraham numerauere. At nemo tamen affirmauit expungendum esse Cainanum ab Euangelio. Epiphanius autem omnino noster est initio Panarij, vbi Tharam vigesimum ab Adamo numerat, qui omisso Cainano esset decimus nonus: deinde in Anchorato, vbi de suo sensu loquitur bis Cainanum numerat, sicut et aduersus Manichæos esto hæresi 55. disputãs aduersus Samaritas non admittẽtes nisi Hebraica volumina, omittendum consuerit Cainan. At eum enumerauit S. Gregorius Nazianzenus in Poemate de Christi genealogia, & inclusit Seuerus Sulpitius à Diluuio ad Abrahamum numeratis annis 1070. qui detractis 130. Cainani essent 940. Eundem Cainanum agnouere Nicephorus lib. 2. Chronol. & ibi Contius, et Georgius Syntellus apud Scaligerum, Beda præf. in Acta Apost. Chronicum Alexandrinum tam Græcum à Scaligero editum, quàm Latinum à Radero, Marianus Scotus in Chron. Lipomanus in Catena, Melchior Canus l. 2. de locis c. 18. Sigonius in Seuerum Sulpicium, Laurentius l. 7. doctrinæ temporum cap. 17. Sebastianus Veronius lib. 2. Chron. c. 12. Torniellus anno 38. secundæ ætatis, Spondanus in Annalibus sacris ad Annum Mundi 1694. Isaac Vossius in dissertatione de Mundi ætate c. 6.

Ex nostra autem Societate Cainanum agnoscunt, & agnoscendum censent Sâ in c. 11. Genes. Salmeron tom. 3. trac. 28. Toletus in c. 3. Lucæ, Bellarminus in sua Chronologia & l. 2. de Verbo Dei c. 2. Barradius tom. 1. l. 5. c. 29. Suarez in 3. p. q. 1. disp. 6. sect. 1. Ribera prælud. 2. in Prophetas, Vincentius Regius l. 1. Euangel. delucid. c. 3. nu. 10. Gordonus in Chron. periodo 3. & cap. 5. nu. 6. prolixum catalogum aliorum pro hac veritate texens, Del Rio, & Bonfrerius in c. 1. Geneseos, Henricus Samerius in Chronol. Mariana, Tirinus in Chronico Sacro, Henricus Philippi in Synopsi Chronol. c. 2. Salianus tomo 1. ad Annum Mundi 1694. & fusius, ac doctissimè tomo 3. in præfat. ad Lectorem, Raderus in Chron. Alex. nu. 8. Philippus Brietius in Prolegomenis Chronici vniuersalis q. 2.

Sanè mihi præter argumenta supra indicata, nunquam potuit occurrere vlla probabilis causa, ob quam voluerit quispiam in textum septuaginta Interpretum intrudere non solum Cainanum, sed etiam annos eius 130. quibus genuit Salam, & reliquos 330. quibus superuixit, cui enim bono? sed hoc gratis fingitur; Quia potius si suspicionibus locus dandus est, dici posset ex Hebræo expunctum Cainanum, ne parum credibile videretur tam ipsum quam Sale anno 130. genuisse & annos deinde 330. vtrumq; superuixisse. Aut voluisse in 2. ætate Mundi 10. tantum generationes numerare sicut in prima.

De reliqua in Annis Differentia inter Septuaginta Interp. & Hebraicam, ac Latinam Vulgatam.

5 PRætermissa differentia, quæ in annis post generationem numerandis, & In summa totius vitæ inde deducta apparet, quia ad seriem Chronologiæ, & annos à diluuio ad Abrahamum determinandos non pertinet, duplex in annis generationum restat dissensio; Prima de annis centenis, quibus suaptuaginta Interpretes abundant; Hebraicus autem, & Latina vulgata deficit, de quibus S. Augustinus l. 16. Ciuit. c. 10. inquit. *Fiunt itaq; anni à diluuio vsque ad Abraham mille septuaginta, & duo secundum Vulgatam editionem, hoc est interpretum septuaginta. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inueniri de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.* Agnouit ergo in Hebraica, quæ à Iudæis introducta erat deesse illas annorum centurias, sed quia nullam aut difficillimam creditu rationem adducebant illius omissionis, maluit sequi septuaginta editionem, & antiquam Hebraicam vnde septuaginta transtulerant. Notandum interim obiter ex hoc S. Augustini loco, & ex l. 15. Ciu. c. 13. Septuaginta interpretum editionem Græcam, & Latinam appellari *Vulgatam*, quæ scilicet ex reconditis Hebræorum voluminibus iam ad gentes per LXX. translationem in Græcum sermonem, & inde in Latinum euulgata erat, & hanc S. Hieronymus *communem* vocat idest Communem. Imò ex S. Augustino l. 15. ciu. c. 14. dum dicit: *Illa verò numerorum varietas, quæ inter Codices Hebræos inuenitur & nostros* videtur Hebraicam non esse illam, qua *nostri*, idest Catholica Ecclesia tunc vteretur: quando igitur Concilium Tridentinum sess. 4. decernit habendos pro authenticis libros antea enumeratos, *Prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur*, videtur comprehendi etiam Latina illa Vulgata, quam ex LXX. desumptam, & *nostram* appellat S. Augustinus & quam constat vsitatam fuisse in primitiua Ecclesia, & quinque propemodum seculis antiquiorem translatione S. Hieronymi, cuius sicut nec Hebraicæ, mentionem nullam facit Concilium, sicut nec Sixtus V. in decreto, quo approbauit Græcam LXX. editionem, imò dum iubet eam recipi ac retineri, vt ab omnibus: *Quò potissimum ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum Sanctorum Patrum intelligentiam vtantur*, & superius dixerit eadem editione LXX. vsos fuisse Apostolos, videtur de illa vulgata Latina intelligi posse, de qua S. Augustinus; Postea tamen vulgatæ nomen adepta est translatio S. Hieronymi, qua de re Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei c. 9. & ibi Gretserus, Baronius Anno 231. Del Rio in Genes. reg. 3, Pagninus in Thesauro, Masius in Iosue.

6 Iam verò quoad Annorum supputationem, valent hic quæ-

quæcunq; dixi capite primo à numero 5. ad 12. Imò argumentum sumptum ab antiquitate Regum Sinensium, Chaldæorum, Ægyptiorum, & Tartarorum non improbanda, sine necessitate, magis pertinet ad hanc secundam ætatem Mundi, quia illa antiquitas stare non potest citra finem Diluuij, imò circa tempora Phaleg, & dispersionem filiorum Noe super terram, nisi anni à Diluuio ad Abrahamum computentur iuxta septuaginta Interpretes, vt ostendimus libro 5. cap. 1. 2. & 3. Accedit huc, quod Noe post Diluuium ex vtraq; editione vixit annos 350. Genesis enim 9. in fine dicitur vtrobiq; *Vixit autem Noe post Diluuium trecentis quinquaginta annis*, sed à Diluuio ad Abrahamum Hebræi non computant nisi annos 292. vel (si Abraham natus sit anno 130. Thare) annos 352. Ergo Noe superuixisset octo suis post se generationibus, & à Diluuio ad Phalegi ortum essent anni solum 131. atq; inter ortum Phaleg. & Abrahami solum 251. quod nimis angustum & parum probabile videtur. Quod verò spectat ad annos pubertatis idoneæ ad generandum, in quo Isaac Vossius magnam vim facit, ego nullam; existimo enim primos illos homines non tam serò distuliisse generationem, præcepto illo Dei vrgente: *Crescite, & multiplicamini*, sed eorum tantum Annos designari & tempora generationum, qui ad genealogiam Christi pertinebant, aut erant præcipua capita propagationis humanæ.

7 Altera dissensio est in annis; quibus Nachor genuit Thare, Hebræi enim numerant 29. at septuaginta interpretes 79. vel 179. Samaritæ habent 79. & totidem habent septuaginta interpretes apud S. Augustinum l. 16. ciu. c. 10. vbi sic: *Secundo igitur anno post diluuium Sem cum esset centum annorum genuit Arphaxat; Arphaxat autem cum esset centum triginta quinque annorum genuit Cainan; qui cum esset centum triginta annorum genuit Sala. Porrò etiam ipse Sala totidem annorum erat, quando genuit Heber. Centum verò & triginta, & quatuor agebat annos Heber quando genuit Phalec, in cuius diebus diuisa est terra. Ipse autem Rhagau centum triginta duos, & genuit Rhagau, Ruth centum triginta, & genuit Nachor, & Nachor septuaginta nouem, et genuit Thara; Thara autem septuaginta, & genuit Abram, quem postea Deus mutato vocabulo vocauit Abraham. Fiunt itaque anni à Diluuio, vsque ad Abraham mille septuaginta, et duo, secundum vulgatam editionem, hoc est Interpretum septuaginta.* At in Romana & Regia impressione LXX. habent cum plerisq; exemplaribus Græcis καὶ ἔζησε ναχὼρ ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἐννέα καὶ ἐγέννησε τὸν Θάρρα, ideſt. *Et vixit Nachor annos centum septuaginta nouem, et genuit Tharra*, quæ lectio magis placet, quia hinc, sequitur tota vita Nachor annorum 304. verisimilior, ex omnium prædecessorum annis vitæ, quam 204. si annos illos 100. expungeremus.

De Anno Thare quo genitus est Abraham.

8 GEnesis 11. tam in Hebraica, quam in LXX. editione scriptum est: Vixitque *Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran*, & post pauca. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filij sui, et Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, et eduxit eos ad Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan; veneruntq; vsque ad Haran, et habitauerunt ibi, et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.* Et statim post hæc c. 12. pergit Moyses: *Dixit autem Dominus ad Abram egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamq; te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, benedicam benedicentibus, tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque IN TE benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Egressus est itaq; *Abram, sicut præceperat ei Dominus, et iuit cum eo Lot*: *septuagintaquinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran*: *Tulitque Sarai vxorem suam, et Lot filium patris sui vniuersamq; substantiam, quam possederant, et animas quas fecerant in Haram, et egressi sunt, vt irent in terram Chanaan.* At S. Stephanus in Actis Apost. 7. ait. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquã moraretur in Charan, et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstrauero tibi: Tunc exijt de terra Chaldæorum, et habitauit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis*; ideſt in Palæstinam. His præmissis; S. Augustinus l. 16. Ciuit. c. 14. monet de annis vitæ Thare: *Non sic autem accipiendum est, quasi omnes hos dies ibi egerit, sed quia omnes dies vitæ suæ, qui fuerunt anni ducenti, et quinque ibi compleuerit: alioquin nesciretur, quot annis vixerit Thara, quoniam non legitur quoto anno vitæ suæ in Charan venerit, et absurdum est existimare in ista serie generationum, vbi diligenter commemoratur, quot annos quisque vixerit, huius solius numerum annorum vitæ non commendatum esse memoriæ.* Et hac ratione intelligendum est, quod LXX. Interpretum editio habet: *et facti sunt dies Tharra in terra Charan ducenti quinque anni, et mortuus est Tharra in Charan.*

Aduertendum præterea cum Samuele Bocharto in Geographia Sacra l. 2. c. 6. Chaldeæ partem illam, in qua erat *Vr* pertinuisse ad Mesopotamiam Asyriæ conterminam, cum ex Ammiano lib. 5. constet *Vr* in Mesopotamia fuisse in via à Tigri Nisibin, indeq; per Charan via recta est in Iudeam, esto Eupolemus apud Eusebium lib. 9. de præpar. ponat *Vr*, siue *Vram* in Babylonia, cui fauet Plinius lib. 5. c. 24. sed item tamen libro 6. c. 26. inquit. *Mesopotamia tota Assyriorum fuit vicatim dispersa, præter Babylona, et Ninum*, & paulo post: *Reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæq; Babylonia appellata est*; vtrouis ergo modo Vr ita fuit Chaldaica, vt tamen etiam in Mesopotamia fuerit, & rectè S. Stephanus terram Chaldæorum, & Mesopotamiam pro eadem sumpserit.

9 Ex præcedenti historia cum duabus animaduersionibus præmissis, simplici, & obuio contextu colligitur, Tharam vi apparitionis diuinæ factæ filio suo Abrahamo exisse cum eo de Vr Chaldæorum, seu Mesopotamiæ, & venisse in Charam; ibique per aliquod tempus moratos esse vnà cum Lot, & Sara, & aliquot animas fecisse seu, vt habent LXX. possedisse ideſt aut Tharam, ipsum, & Lot (nam Sara sterilis erat nec dum Isaacum genuerat) aliquos filios procreasse aut seruos, & ancillas, vel pecora emisse; deinde mortuo Thara in Charan, cum complesset annos 205. Abramum, siue vi pristinæ apparitionis, de qua S. Stephanus, & per hypochronysmum Moyses cap. 12. siue etiam vi nouæ apparitionis, & iussionis exisse de Charan cum esset annorum 75. quare si Abram statim à morte patris exiuit de Charan vt indicat S. Stephanus, detractis 75. annis de Thare annis 205. sequitur Abramum genitum anno 130. vitæ Thare. Si sic est ergo verba illa: *Vixitq; Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, et Aram*, ita intelligenda sunt, vt ab anno 70. cœperit generare, & inter tres ibi nominatos, nominatus sit primus Abram, ratione non primogenituræ carnalis, sed præeminentiæ moralis ac mysticæ, eo quòd esset trium illorum sapientissimus, & futurus pater multarum gentium ac princeps in genealogia Christi; quod concedit S. Augustinus q. 15. *in* Genesim dicens: *Fieri autem potuit, vt posterior generatus sit Abraam, sed merito excellentiæ, quia in scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus*, sic Genesis 25. Isaac Ismaeli, & 1. Paralipom. cap. 2. ac Apocalipsis 7. Iudas alijs fratribus prænominati sunt ratione dignitatis, non primogenituræ. Nulla ergo est necessitas ex prioritate nominationis dicendi Abramum genitum esse ipso anno 70. vitæ Thare, & aliunde ex prædicto contextu Sacræ Historiæ colligitur prope necesario natum non esse ante annum 130. vitæ Thare. Nam si natus esset anno 70. Thare, & egressus esset de Haran anno 75. vitæ suæ, ideſt anno Thare 145. egressus inde esset viuente adhuc patre, quià verò certum est ex S. Stephano inde translatum *esse à Deo postquam mortuus est pater eius*; fingendi essent (vt reipsa fingunt aduersæ opinionis auctores) duo Abrami egressus ex Haran, vnus anno 145. Thare, et 75. Abrami ipsius, alter mortuo Thare annis 60. post, quando Abram fuisset annorum 175. post reditum tamen ex Chananitide in Haran. Sed reditus iste, & duo exitus ex Haran gratis finguntur, nusquam eos indicante scriptura; imò violenter, nedum improbabiliter, contra perfectam obedientiam Abrahami, qui iussus exire de terra sua, & de paterna domo, et migrare in terram alienam, non debuit, siue ante, siue post mortem patris, reuerti in Haran ad domum patriam, vt patris funus

cura-

curaret, et bona paterna transferret in Chanaam, commendat enim Apostolus ad Hebræos 11. in Abrahamo, et alijs hanc obliuionem terræ paternæ semel relictæ, cum enim dixisset, *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem acceptvrus erat in hæreditatem, et exijt nescions quo iret; fide commoratus est in Terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, et Iacob*, paulo post addit de patria ipsorum, *et si quidem ipsius miminissent de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt*. Non est ergo reuersus in patriam suam, nec in Haram domum patris sui, sed eo defuncto, et curato eius funere semel inde exiuit, nunquam postea illuc reuersurus: et ita intellexerunt hoc factum S. Io. Chrysostomus homilia 31. in Genesim, vbi Moysem cum S. Stephano concordans ait: *Dissident ne à seipsis diuinæ Scripturæ? Absit; sed hinc datur intelligi, quod cum filius Deo acceptus esset, apparens ei Deus, imperauit vt inde migraret. Quod vt cognouit Thara pater eius, licet infidelis esset, tamen ob amorem in filium Socius illi peregrinationis esse voluit, & vt venit in Charan, & illic habitauit aliquamdiu, vita hac excessit. Patriarcha autem tunc ad imperium Dei in Chananæam concessit. Denique non antea eum Deus inde euocauit donec mortuus est Thara, tunc enim illo defuncto &c. dixit Dominus Abræ egredere &c.* vbi duas apparitiones, & iussiones diuinas supponit vnam vi cuius exiuit de Vr, alteram, vi cuius exiuit de Charan, & hanc non nisi mortuo Thare. Et sanè si Thare exiuit de Vr, vt sequeretur filium, cui apparuerat Dominus, vt ex S. Stephano colligit Chrysostomus, quomodo totis 60. annis mansisset in Charan, absente interim Abramo? & non potius eum secutus esset in Chananæam? Ad hæc si Abraham reuersus est in Haram annorum 135. vt volunt aduersarij, ergo cum centenarius genuerit Isaacum, iam Isaac habuisset annos 35. & cum anno item centesimo vitæ suæ accepit præceptũ circumcisionis, debuisset postea circumcidere patrem quoque suum, cuius tamen nulla mentio est in Scripturis. Si hæc minus fortia videantur vnicum mihi sufficit validissimum hoc argumentum sic formatum. Abraham egressus est ex Haran annorum 75. & egressus indidem est mortuo Thare annor. 205. & inde egressus est semel tantum, ergo natus non est ante annũ 130. Thare, consequentia euidens est per subtractionem annorum 75. factam annis 205. Antecedens quoad annos patet ex Geneſis 12. & de egressu ex Haran mortuo patre constat ex Actorum 7. & de vnico egressu constat ex S. Paulo ad Hebr. 11. nedum ex silentio Scripturæ vnicum tantum egressum Abrahæ ex Haran memorantis, & perfecta obedientia, ac fide Abrahami. Hanc verò opinionem clarè eluescere in Scriptura sentit Procopius Gazæus cap. 11. in Genesim illis verbis. *Verum enim verò mihi eluescere satis superque videtur Tharam genuisse Abrahamum non instanti anno septuagesimo, sed eo transacto. Nec etiam continuò vbi ille annus finem accepit, natus est Abraham, sed demum centesimo trigesimo anno Thare. Nec Moyses meminit Abrahami, vt inter primogenitos eum numerari velit, sed vt præcipui, & celeberrimi filiorum.* Et Caietanus ibidem: *Thare ad minus 130. annorum fuit quando genuit Abraham*, eiusdem opinionis fuit Theodoretus apud Lipomanum in Catena, Chronicon Alexandrinum dum ait Thare mortuum esse anno 75. Abrahami, Pontacus in Chronologiam Eusebij, Iacobus Naclantus lib. de Arcanis Christi, & tractatu de 3. Mundi ætate, Nicolaus Lyranus, & Marzilla in 12. Geneſis, Torniellus anno 383. secundæ ætatis, Gaspar Sanctius in Acta Apost. cap. 7. Salianus tomo 1. ad Mundi Annum 2039. Spondanus ad eundem annũ in Annalibus Sacris, Tirinus in Chronico Sacro cap. 14. Io. Ferdinandus, & Bonfrerius in Geneſim, Barradius lib. 8. Concordiæ cap. 9. Henricus Philippi in Synopsi Chronol. cap. 2. Vuilhelmus Langius de Annis Christi lib. 2. c. 4. Gerardus Vossius in Isagoge Chronol. dissert. 5. cap. 6. & Isaac Vossius dissert. de Mundi ætate cap. 6. vbi argumenta Scaligeri, & Petauij pro contraria opinione appellat *frigida, nec digna confutatione, & obscura, & intellectu difficilia, non debere præualere claris, & manifestis*, idem apud Langium sentiunt Iudæorum doctissimi, vt liquet ex legis Conciliatore Rabbi Menasseeh, qui Abramum natum anno 130. Thare, & mansisse in Haran annos 5. tradunt; Salianus verò in Scholio 3. adducit ex sectarijs Beroaldum, Brougtonum, Capellum, Caluisium, Codomanum, Temporarium, Tremellium, Vignerium. Idem nouissime asserit Brietius noster q. 3. in prolegomenis Chronici vniuersalis.

10 Contrariam tamen opinionem de Abrahamo nato anno 70. Thare secuti sunt quicunq; cum Hebraico textu annos 292. à Diluuio ad ortum Abrahæ numerarunt, quos inter Hebræi illi, de quibus in Seder Olam, & Masius in cap. vlt. Iosue; item Ioseph Hebræus, Genebrardus, Abulensis in cap. 11. Genes. Sà, Del Rio, & Cornel. à Lapide in cap. 12. Genes. Magalianus in c. 24. Iosue, Pererius l. 16. num. 203. Lorinus in cap. 7. Actor. Scaliger lib. 5. de em. temp. pag. 372. Petauius lib. 9. de doctr. tempor. cap. 18. ex patribus autem S. Hieronymus in traditionibus Hebr. & S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. lib. 15. & 16. & q. 25. super Genes. difficultates tamen agnoscens multas in hac opinione, quas insolubiles appellare non est veritus S. Hieronymus, & inextricabiles Pererius.

11 Igitur cum ex Hebraica, Latinaq; vulgata editione anni à Diluuij fine ad Ortum Abrahæ numerentur 292. nec possint accipi pro merè initis, ita vt redigantur ad pauciores quam 282. contra verò maxima summa, quæ colligitur ex LXX. Interpretibus, inserto Cainam, & promota natiuitate Abrahæ ad annum 130. Thare sit annorum 1232. quàm maximè probabilem censemus, nec possit hæc ex mensibus super annos completos abundantibus augeri plusquam decade, cum annus 2. à Diluuio, quo natus est Arphaxad non fuerit completus, patet maximam huius interualli summam non posse excedere annos 1242. prout in Conclusione dictum fuit. Sequendo tamen Hebraicam editionem, sed inserendo annos 30. pro Cainan, & promouendo Habrahæ ortum ad 130. annũ Thare probabilior in ea editione summa est annorum 382. Cui tamen probabile est Nachorem anno 79. potiùs quam 179. genuisse Tharam, potest summæ annorum 1232. detrahere centenarium, & retinere 1132.

CAPVT III.

Colliguntur ex Conclusis cap. 1. & 11. Anni Patriarcharum ab Adamo ad Abrahæ mortem, tum iuxta Hebraicam, & Latino-Vulgatam editionem; tum iuxta LXX. Interpretes, correctis, quæ corrigenda docuimus ijsdem Capitibus.

CVm initio Capitis 1. & 2. præmiserimus Annos Generationis, & vitæ totius Patriarcharum, iuxta vtramq; editionem, & quædam supplenda, aut corrigenda ostenderimus, licet probabiliores nobis, & Ecclesiæ olim, ac Patribus plerisq; visi sint Anni ex LXX. Interpretum Translatione deducti, tamen in gratiam eorum, qui maluerint sequi alteram, placuit hic breue Chronicon, iuxta vtranq; viam exhibere, quod valde vtile nobis in posterum erit, ad quasdam alias quæstiones enodandas: cætera, quæ inseremus de Sara, Ismaele, Isaaco, & Iacobi ortu patebunt ex dicendis Cap. 5.

Chronicon Annorum, quibus à Mundi initio nati, vel mortui sunt Patriarchæ ab Adamo ad Abrahamum, suppositis ferè semper annis, quos Sacra Scriptura recenset pro completis.

Anni Mundi.	Iuxta Hebræorum, & Latinam Vulgatam.
1	Adam creatur.
130	Seth nascitur.
235	Enos nascitur.
325	Cainan nascitur.
395	Malaleel nascitur.
460	Iared nascitur.
622	Henoch nascitur.
687	Mathusala nascitur.
874	Lamech nascitur.
930	Adam moritur annorum 930.
987	Henoch translatus anno vite 365.
1056	Noe nascitur.
1140	Enos moritur annorum 905.
1142	Seth moritur annorum 912.
1235	Cainan moritur annorum 910.
1290	Malaleel moritur annorum 895.
1422	Iared moritur annorum 962.
1556	Sem, & deinde Iaphet, & Cham nascuntur.
1651	Lamech moritur annorum 777.
1655	Mathusala moritur annorum 966.
1656	Diluuij finis.
1658	Arphaxad nascitur.
1693	Cainan II. nascitur.
1723	Sala nascitur.
1753	Heber nascitur.
1787	Phaleg nascitur.
1817	Rheu nascitur.
1849	Sarug nascitur.
1879	Nachor nascitur.
1908	Thare nascitur.
1996	Arphaxad moritur annorum 338.
2006	Noe moritur annorum 950.
2026	Phaleg moritur annorum 239.
2027	Nachor moritur annorum 148.
2038	Abraham nascitur.
2048	Sara nascitur.
2056	Rheu moritur annorum 239.
2079	Sarug moritur annorum 230.
2113	Thare moritur annorum 205. & Abraham exit de Haran annorum 75.
2124	Ismael nascitur.
2137	Circumcisionis præceptum.
2138	Isaac nascitur.
2153	Cainan II. moritur annorum 460.
2156	Sala moritur annorum 433.
2156	Sem moritur annorum 600.
2175	Sara moritur annorum 127.
2178	Isaac ducit Rebeccam vxorem.
2198	Iacobus, & Esau nascuntur.
2213	Abraham moritur annorum 175.
2217	Heber moritur annorum 464.

Anni Mundi.	Iuxta LXX. Interpretes.
1	Adam creatur.
230	Seth nascitur.
435	Enos nascitur.
625	Cainan nascitur.
695	Malaleel nascitur.
930	Adam moritur annorum 930.
960	Iared nascitur.
1122	Henoch nascitur.
1142	Seth moritur annorum 912.
1287	Mathusala nascitur.
1340	Enos moritur annorum 905.
1474	Lamech nascitur.
1487	Henoch translatus anno 365.
1535	Cainan moritur annorum 910.
1656	Noe nascitur.
1690	Malaleel moritur annorum 895.
1922	Iared moritur annorum 962.
2156	Sem nascitur, & Iaphet, & Cham.
2227	Lamech moritur annorum 753.
2255	Mathusala moritur annorum 969.
2256	Diluuij finis.
2258	Arphaxad nascitur.
2393	Cainan II. nascitur.
2523	Sala nascitur.
2606	Noe moritur annorum 950.
2653	Heber nascitur.
2693	Arphaxad moritur annorum 435.
2756	Sem moritur annorum 600.
2787	Phaleg nascitur.
2853	Cainan II. moritur annorum 460.
2917	Rhagau nascitur.
2983	Sala moritur annorum 460.
3049	Seruc nascitur.
3057	Heber moritur annorum 404.
3126	Phaleg moritur annorum 339.
3179	Nachor nascitur.
3256	Rhagau moritur annorum 339.
3358	Tharra nascitur.
3379	Seruc moritur annorum 330.
3483	Nachor moritur annorum 304.
3488	Abraham nascitur.
3498	Sara nascitur.
3562	Tharra moritur annorum 205. & Abram exit de Haran annorum 75.
3574	Ismael nascitur.
3587	Circumcisio.
3588	Isaac nascitur.
3625	Sara moritur annorum 127.
3628	Isaac ducit Rebeccam.
3648	Iacob, & Esau nascuntur.
3663	Abraham moritur annorum 175.

CAPVT IV.

De Tempore Turris Babel, Diuisionis linguarum, & Dispersionis posteriorum Noe super faciem Terræ.

CONCLVSIO IV.

Quanquam non est omnino impossibile aliquem de posteris Noe ante linguarum Diuisionem longius à Mesopotamia migrasse, suæque cognationis sedem alibi statuisse; Maximam tamen partem posterorum Noe probabilius est cœptam dispergi super terram post Turris Babel fundamenta iacta, & diuisionem linguarum; quam diuisionem ipso tempore ortus Phalegi factam putamus Anno ante CHRISTI Epocham MMDCCCXLVII. seu bismillesimo octingentesimo quadragesimo septimo, & post Diluuium quingentesimo tricesimo primo, iuxta Chronologiam LXX. Interpretum, quam probabiliorem censemus.

1 GEnesis cap. 10. nu. 5. recensentur *filij Iapheth, à quibus diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam, & familias suas in nationibus suis*, & deinde à versu 6. vsque ad 10. inter filios Chami *Chus*, de quo dicitur: *Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra &c. Fuit autem principium regni eius Babylon &c, in terra Sennaar* & versu 20. *Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis & generationibus, terrisq; & gentibus suis* deinde versu 25. *Natiq; sunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra*: & versu 31. *Isti filij Sem secundùm cognationes & linguas, & regiones in gentibus suis, hæ familiæ Noe iuxta populos, et nationes suas, ab his diuisæ sunt gentes in terra post Diluuium*. Capite autem 11. sic: *Erat autem terra labij vnius, et sermonum eorundem: cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt Campum in terra Sennaar, et habitauerunt in eo. Dixitq; alter ad proximum suum* &c. versu 4. additur: *Venite faciamus nobis Ciuitatem, & Turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum. et celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras*. Et post hæc confusio linguarum cœlitùs facta describitur versuq; 8. dicitur: *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, et cessauerunt ædificare ciuitatem: et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, et inde dispersit eos Dominus super vniuersam faciem cunctarum regionum*. Tandem reassumuntur generationes Sem antea indicatæ, & fusius exponuntur, ob stirpem nobilissimam Hebræorum, & genealogiam Messiæ ad eas spectantem.

2 Ex præindicatæ historiæ contextu videtur colligi *primò* Nemrodum, qui potens fuit in terra Sennaar, fuisse vnum ex præcipuis authoribus fabricandæ illius turris, ac Ciuitatis, præsertim, quod ex nomine Babel, ortum sit nomen Babylonis, in qua fuit principium regni Nemrod; fallitur enim Bochartus l. 1. Sacræ Geographiæ c. 10. negans interfuisse ibi Nemrodum, vtpote nondum natum. At cum Nemrod fuerit nepos Chami, Phaleg autem abnepos si non atnepos Semi, vtique non paucis annis priusquam Phaleg, natus est. *Secundò* colligitur posteros Noe ante fabricam dictæ turris præsciuisse, siue ex præcepto Noe, siue ob multiplicationem generis humani præsentem, & futuram fore, vt dispergerentur in diuersas regiones, & licet non sit impossibile paucos aliquos ante ortum Phaleg longius à Mesopotamia peregrinatos esse, ac fixisse sedem in Asiæ regione aliqua valde amoena, maximam partem tamen dispersionis posterorum Noe non prius diuisam esse, quàm in diebus Phaleg. decreta, & designata sit illa diuisio, imò nec priùs, quàm mediante confusione linguarum compulsi sunt aliò migrare. Sed quoto anno Phaleg hæc peracta sint incertum est.

3 *Prima* opinio est diuisionem terrarum iuxta mentem Noe factam esse à filijs Noe Sem, Cham, & Iapheth anno illo, quo natus est Phaleg: dicente Iosepho l. 1. antiq. c. 4. *Porrò Heberus Iectam, & Phalegum genuit, qui natus est dum Habitationes distribuerentur*. Ita, & Chronicon Alexandrinum, Beda de 6. ætatibus, Ado, Marianus Scotus, & Samerius in Chronico, Abulensis, & Caietanus in c. 10. vel 11. Genes. Arias Montanus, & Bochartus in libro Phaleg. c. 10. Gordonus c. 5. Chron. Sigonius l. 1. in Sulpicium Pererius l. 15. in Genesim, Salianus ad annum mundi 1788. qui plures Sectarios citat. Quare enim, inquiunt Heber nato huic filio nomen *Phaleg.* imposuit à diuisione terræ, nisi quia tunc peracta? Nam si dicas, Heberum id feciisse, quia præuidit eam faciendam viuente Phalego, aut quando facta est eo iam grandæuo, id non magis pertinebat ad illum filium, quàm ad alios eius filios, & non sunt fingendæ prophetiæ sine necessitate; ex versione autem LXX. Interpretum natus est Phaleg anno 134. Heberis, intra quod tempus potuit Iectan primo genitus eius nasci, & habere 13. filios, ac totidem cognationes, & linguas quæ illis adscribuntur Genesis 10. versu 26.

4 *Secunda* opinio promouet non linguarum solùm, sed & terrarum diuisionem ad extremos annos vitæ Phaleg: Ita Hebræi in Seder Holam, ex auctoritate R. Iosue, qui dixit Heberum spiritu prophetico indidisse filio suo illud nomen à præuisa in fine vitæ ipsius diuisione terrarum futura. Eadem de causa Heberum, vt prophetam agnoscunt Chrysostomus hom. 30. in Gen. S. Hieronymus quæst. Hebr. Epiphanius in Panario, Genebrardus in Chron. Lyranus in c. 10. Genes. Fundamentum eorum est, quod Iectan, & 13. eius filij iam nati, & adulti erant, quando secundùm eos totidem linguæ, & cognationes diuisæ sunt.

5 *Tertia* opinio diuisionem terrarum, seu distributionem ponit medio ferè tempore inter ortum, & mortem Phalegi, vt Spondanus in Annalibus ad annũ Mundi 1931. Torniellus in 2. ætate Mundi nu. 233. Gerardus Vossius in Isagoge Chron. dissert. 5. c. 5. cum quibus ferè Petauius in Chron. qui dispersionem hominum ac diuisionem linguarum ponit anno 52. Phalegi; sed Salianus distributionem quidem terrarum in ipso ortu Phalegi agnoscit, diuisionem autem linguarum anno 144. Phalegi, quo item anno Phalegi, diuisionem linguarum factam censet Spondanus, sed distributionem terrarum anno 22. Phalegi.

6 Nostra verò opinio est distributionem terrarum inchoatam fuisse, & præmeditatam ante ortum Phaleg, realem autem diuisionem, & terrarum, & linguarum eodem anno factam quo natus est Phaleg, seu illum natum esse illis diebus, quibus cœpere dispergi homines in varias regiones, quia id videtur insinuare sacra scriptura in plano, & obuio sensu accepta, nec vlla est necessitas, præsertim in Chronologia LXX. interpretum, quam probabiliorem putamus, diiungendi pluribus annis inter se ortum Phalegi, & realem illam diuisionem ad dispersionem, imò habemus, si non necessitatem, valde tamen probabilem causam quam primum, et propius à diluuio agnoscendi dispersionem hominum, tum vt Nemrod potuerit interesse structuræ turris Babel, et deinde alibi sedem regni quærere, quam ibi moliri cœperat, sed exterritus à Deo, non est ausus prosequi; tum præcipuè, ne sine necessitate damnemus probabilem antiquitatem Regnorum quam, circumscriptis fabulis asserunt Historiæ, de Sinis, Tartaris, Chaldæis, Ægyptijs.

7 Aduertendum enim est secundùm Chronologiam ex Hebraica, et Vulgata Latina editione deductam, et ex annis Cyri ac Nabuchodonosoris, de quibus diximus lib. 5. c. 6. et 7. Maximum interuallum à Christi Epocha sursum ascendendo vsque ad otum Phaleg esse annorum 2662. Sed ex dictis ibidem, et dicendis de sequentibus Hebraicorum annorum interuallis, verum, et probabilissimum annum, quo natus est Phaleg esse annum ante CHRISTVM 2397. Diluuij autem finem anno 2528. At initium Regni Sinensium fuit probabiliter anno 2952. ante Christum ex dictis lib. 5. c. 1. et Chaldæorum anno 2786. ex dictis ibidem c. 2. Ægyptiorum verò anno 2466. Ergo iuxta Chronologiam hanc Sinensium initium fuisse annis 424. ante Diluuium Noeticum, et Chaldæorum annis 258. Ægyptiorum denique fuisset

fuisset ante ortum Phaleg annis 69. quæ sunt absurda.

8 Verum admissa Chronologia LXX. Interpretũ, quam Patres, & Ecclesia sequi consueuere, & interuallis annorum, quæ lib. 5. c. 6. et 7. ex annis Nabuchodonosoris, et Cyri probauimus, & reliquis interuallis annorum ab ortu Abrahæ ad Exodum, et hinc ad fundamenta Templi, et hinc ad eius excidium, et hinc ad Christum, quæ deinceps hoc libro demonstrabimus colligitur Diluuij Noetici finis anno ante Christum 3378. et ortus Phaleg anno 2847. eiusq; mors anno 1508. Ideoq; principium Regni Chaldæorum annis 61. post ortum Phaleg, et Ægyptiorum annis 381. Belus autem instaurator Babylonici Regni annis 501. post ortum Phalegi ex dictis lib. 5. c. 4. Sinensium porrò initium cadit post Diluuium annis 426. et ante ortum Phaleg annis centum quinque. Fieri autem potuit, vt Foius auctor illius Dynastiæ, ante diuisionem communem peregrinatus sit ad Serum Regionem, aut Xinnungus, qui ante Christum annis 2847. ibi electus est in Regem, parentis sui, vel aui Foi consilia secutus cum sua cognatione, et lingua migrarit ad Sericam, ideoq; Foius fundator illius Dynastiæ habitus sit.

CAPVT V.

De Annis ab ortu Abrahæ, vsque ad mortem Ioseph.

CONCLVSIO V.

Ab ortu Abrahæ, vsque ad Ioseph Patriarchæ mortem anni fuere CCCLXI. Sed vsque ad mortem Leui anni CCCXXCIII. Horum autem, & reliquorum Patriarcharum Anni ordinandi sunt, vt in sequenti Chronico. Iobum porrò sicut verius est fuisse pronepotem Esau, ita verisimile est natum esse circa illud tempus, quo Iacob migrauit in Aegyptum.

DE his Annis ex Alexandro Polyhistore Eusebius lib. 9. de Præparatione c. 4. Petauius lib. 9. doctrin. tempor. c. 19. Tirinus in Chronico sacro cap. 15. et 16. Gerardus Vossius in Isagoge Chronol. diss. 6. Salianus anno Mundi 2329. præter alios Chronologos, quos tamen non audiemus, nisi vbi Sacra Scriptura nobis non præluxerit. Numerabimus autem annos ab ortu Abrahami, quem natum anno Thare 130. probauimus cap. 2.

Anni Abrahę	
1	Nascitur *Abraham* anno Mundi 2038. iuxta Hebraicam, sed 3488. iuxta LXX. Interpr. computationem ex dictis cap. 2.
9	Nascitur *Lot* iuxta Hebræos in Seder olam apud Genebrardum lib. 1. Chron.
10	*Sara* nascitur, fuit enim nonagenaria, quando Abraham erat centenarius, Genesis 17. nu. 17.
70	Abraham cum patre egreditur de Vr Chaldæorum, nempe annis 5. ante egressum ex Haran, iuxta opinionem Hebræorum apud Genebrardum lib. 1. Chron. certè Iudith 5. in textu Græco dicitur, *Fugerunt in Mesopotamiam, & ibi habitauerunt dies multos.* Etto Eusebius apud S. Augustinum lib. 16. Ciuit. cap. 16. vno tantum anno nec toto fuisse in Haran putarit.
75	Thare moritur in Haran annorum 205. et Abraham vi nouæ apparitionis, ac præcepti Domini egreditur de Haran, iturus in terram Chanaan, Genesis 11. et 12. simul geminam enim fuisse euocationem expressè docet Chrysostomus homil. 36. in Genesim, et Abulensis probat.

Anni Abrahę	
	q. 18. in c. 12. Genes. Petrus Lombardus, et Ludouicus Ystella ibid. Ribera in cap. 11. ad Hebr. Gagneus in c. 7. Actor. Completos autem fuisse annos 75. Abrahæ censemus cum Mariano Scoto, Io. Lucido, et alijs quos refert Salianus anno Mundi 2114. eodemque anno prouecto peruenit in Sichem Chananeæ, vbi tertio apparuit illi Deus, et confirmauit promissionem suam ex Geneſis 12. nu. 7.
77	Abraham descendit in Ægyptum, vbi iam regnabat Pharao, peregrinatio enim longa Abrahami vnum circiter annum requirit ex Geneſis 12. à nu. 4. ad 11. & 13. v. 3. vbi dicitur fixisse tabernaculum in Bethel, quo ex Ægypto reuersus est, vt post diuisum ab ipso Lot, apparuit ei quartò Dominns, & confirmauit suam
79	promissionem. Abram verò tabernaculum suum transtulit iuxta conuallem Mambræ Genes. 13. nu. 14. quod factum initum Abrahæ anno 79. non incongruè ponit Salianus.
80	Clodorlahomor pugnam, subsidium Abrahami, Melchisedechi benedictionem in hunc annum contulimus ob rationes, & auctoritates adductas à Saliano; vide Genes c. 14.
81	Quinta apparitio Domini, & promissio ad Abraham Geneſis 15. nu. 5. & sexta item promissio, ac prophetia de annis 400. seruitutis afflictionis, de qua ibidem nu. 13.
86	Post annos 10. habitationis in Chanaam, Abraham concumbit cum Agar, Genes. 16. num. 3. vbi illud *post annos decem*, phrasis Hebraica significat sic *post finem decem annorum.*
87	*Ismael* nascitur, Geneſis enim 16. nu. 16. dicitur *Octoginta, & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem*, vtique completorum iuxta Scripturæ Phrasim.
100	Septima apparitio Domini, & præceptum de Circumcisione, et promissio de ortu Isaac futuro anno sequenti, dicitur enim Geneſis 17. *Postquam verò nonaginta, & nouem annorum esse cœperat apparuit ei Dominus &c.* non dicitur incœpisse annos 99. *Sed incœpisse esse annorum 99.* quod significat eos completos fuisse, & initum annum 100. in Hebraico habetur: *fuit Abraham filius nonaginta annorum, & nouem annorum.* Vatablus, cum Chaldæo, & Græco habent: *Cum Abram natus iam esset annos nonaginta nouem*: confirmatur, quia eodem tempore dicit de se ipso Abram num. 27. *Putasne centenario nascetur puer?* Ergo iam annum 100. ingressus erat, & nu. 24. *Abraham nonaginta, & nouem erat annorum, quando circumcidit carnem præputij sui, & Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ: eadem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius.* At Ismael natus est anno 86. Abrahami expleto, ergo circumcisus anno 99. expleto, & inchoato 100. & ita expressè Chrysostomus homil. 40. in Genes. *post quam hæc audiuit iam centesimum annum ingressus erat*, vt habet Græcus Codex; Licet Latinus habeat: *Iam nonaginta, & nouem annos excesserat*, quod æquè valet: ita demum cum Beda, Nicephoro, Adone, Samerio, Lipomano, Mercatore, Torniello, Contio, & alijs Salianus ad hunc annum Abrahæ.
101	Isaac nascitur anno altero à promissione diuina Abrahamo facta anno 100. vt ostendimus. Geneſis enim 17. nu. 21. dicitur de Isaac: *Quem pariet tibi Sara tempore isto anno altero.* Et ita centenario Abrahami expleto natum esse Isaac sentiunt Eusebius in Chron. Isidorus, Seuerus, Sulp. Marianus Scotus, Spondanus.
105	Isaac ablactatur iuxta Hebræos, & S. Hieronymum in trad. Hebr. c. 21. Poterium, Del Rio, &

Anni Abrahę

Salianum, & anno sequenti ejecta est Agar cum Ismaele, qui iam cœperat persequi Isaacum, ex S. Hieronymo in Epistola ad Galatas 3.

125 *Isaac* jubetur Immolari cum esset 25. annorũ, vt asserit Iosephus l. 1. antiq. c. 13. Lyranus, Del Rio, Pererius, Caietanus, in c. 22. Geneseos; Torniellus anno 5. ætatis 51. Spondanus, & Salianus ad annum mundi 2163. eodem anno octaua, & insignis promissio facta Abrahæ cum iuramento Genes. 22. nu. 16.

137 Sara moritur Genesis 23. vbi sic. *Vixit autem Sara centum viginti septem annis*.

140 Isaac ducit in vxorem Rebeccam Genesis 25. nu. 20. vbi. *Abraham genuit Isaac, qui cum quadraginta esset annorum duxit Vxorem Rebeccam*.

161 *Iacob*, & *Esau* nascuntur Isaaco Sexagenario Genesis 25. nu. 26. *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli*, expletis nimirum annis 60.

175 *Abraham* moritur, Genesis 25 nu. 7. *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni, & deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaq; ætatis, & plenus dierum*.

195 Isaac occasione famis peregrinatur in Geraris, & confirmat Deus ei iuramentum, ac promissionem factam Abrahæ, Genes. 26. id enim factum paucis annis ante quadragesimum annũ Esau.

200 *Esau quadragenarius duxit vxores Iudit, & Basemath*, Genes. 26. nu. 34.

223 *Ismael* moritur. *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem defecienſq; mortuus est*, Genes. 25. nu. 17.

237 *Iacob* præcepta benedictione fugit ab Esau ad Labanum in Mesopotamiam, cùm esset annorum non 75. vt deprauatus habet Codex Eusebij lib. 9. de præpar. c. 4. sed annorum 77. vt rectè supputant Abulensis in c. 27. Genes. Pererius, Torniellusq; Petauius lib. 9. c. 19. Salianus, & Spondanus anno Mundi 2276. Tirinus in Chron. Sacro c. 16. & Vossius in Isagoge Chronol. diss. 6. c. 2. Nam annis 14. seruiuit Labano antequam potiretur Rachele, & anno 15. huius seruitutis inito suscepit Ioseph ex Genes. 29. & 30. Ioseph autem annorum 30. eductus de carcere stetit coràm Pharaone, Genes. 41. num. 1. & 46. elapso autem septennio fertilitatis, et biennio sterilitatis Iacob annorum 130. venit in Ægyptum, Genesis 45. nu. 6. et 11. et Genes. 47. nu. 9. Annorum autem 14. 30. et 9. summa est 53. quæ subtracta annis Iacobi 130. reliquit annum 77. quo exeunte, aut ineunte sequenti fugit ad Labanum. Et viciſſim retrocedendo, auser 39. annos Iosephi, quos habebat quando Iacob venit in Ægyptum, annis 130. restat 91. Iacobi quo natus est Ioseph, nempe annus 251. ab Abrahamo; deme his annos 14. seruitutis sub Labano, restat annus 77. Iacobi, quo ad Labanum fugit, qui additus anno 160. Abrahami completo, quo natus est Iacob, dat annum 237.

240 *Rebecca* moritur anno 80. Iacobi, annor. 114. Hebræi in Seder Olam, Genebrardus, Salianus.

244 Iacob post 7. annos seruitutis Lia Labani primogenita loco Rachelis potitur, & post dies 7. potitur Rachele: Ex Lia autem suscipit anno seruitutis 8. *Ruben*, & anno 9. *Simeonem*, &

247 anno 10. *Leui*, et anno 11. *Iudam*, nempe anno 247. ab ortu Abrahami, vt colligitur ex Genesis 29. à num. 18. ad finem et ex Demetrio, ac Alexandro Polystore apud Eusebium lib. 9. præp. c. 4.

248 Iacob iussu Rachelis ducit *Balam* ancillã eius, &

Anni Abrahę

ex hac anno 12. seruitutis suscipit *Dan*, et anni sequentis initio *Nephtalim*, quo anno suasu Liæ duxit Iacob *Zelpham* ancillam Liæ, et ex ea suscepit *Gad*, et anno sequẽti ineunte *Aser*; ex Lia verò *Isachar*, et ineunte anno 14. seruitutis *Zabulon*, et anno 14. *Dinan* ex Lia, Genesis 30.

251 Ioseph nascitur anno 14. seruitutis expleto, et inito 15. ex Rachele, iuxta Epilogismum anni 237. Abrahami expositum.

258 *Iacob* expletis 20. annis seruitutis, de quibus Genesis 31. nu. 41. dimissus à Labano reuertitur ex Mesopotamia in Chananæam, luctatur cum Angelo, et accipit nomen Israel.

267 *Rachel* post editum Beniamin moritur annorum 45. vt ex Hebræis colligit Salianus anno Mundi 2306. et eodem anno *Iosephus* venditus à fratribus ducitur in Ægyptum anno 16. ætatis expleto, vt communiter accipiunt Sacri Interpretes, et Chronologi illud Genesis 37. nu. 2. *Ioseph cum sexdecim esset annorum pascebat gregem cum fratribus suis &c.* nam ex LXX. et Hebraica, Chaldaica, et Ioseph, habent annum 17. videlicet labentem.

279 Ioseph labente anno ætatis 28. in carcerem conijcitur, nam inde eductus est ætatis 30. ex Genesis 41. nu. 1. vbi dicitur eductus *post duos annos*, et nu. 46. vbi dicitur: *Triginta autem annorum erat quãdo stetit in conspectu Regis Pharaonis*: vide Salianum, et Spondanum anno Mundi 2316.

280 Isaac moritur, de quo Genes. 35. nu. 28. *Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusq; ætate mortuus est.*

281 Ioseph exeunte anno ætatis 30. ac penè completo eductus de carcere constituitur princeps, seu præfectus totius Ægypti, Genes. 41. num. 14. 40. et 46.

290 Septennio fertilitatis, et biennio sterilitatis, ac famis (prædictæ à Iosepho quando erat annorum 30.) expleto, *Ioseph* agnoscitur à fratribus, & *Iacob* cum tota familia sua descendit in Ægyptum, cum esset annorum 130. ex Genesis 41. nu. 47. et c. 45. nu. 6. et c. 47. nu. 9.

291 Iob sub hæc tempora, vide Appendicem huius capitis.

307 Iacob moritur: de quo Genesis 47. nu. 27. dicitur: *Habitauit ergo Israel in Ægypto, ideſt in terra Gessen, & possedit eam, auctusq; & multiplicatus est nimis: et vixit in ea decem, et septem annis, factiq; sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.*

361 *Ioseph* in Ægypto moritur, de quo Genesis 50. nu. 22. *Vixitq; centum decem annis*, & num. 25. *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis.* Reliquorum filiorum Iacobi annos natiuitatis indicauimus supra ad annũ Abrahæ 244. vsq; ad 267. Annos autem vitæ S. Scriptura non exprimit excepto Iosepho, de quo supra, & Leui, qui Exodi 6. nu. 16. dicitur vixisse annos 137. reliquorum annos tradunt Hebræi in Seder Olam, et in libello de vita Patriarcharum dant enim annos *Rubeno* 124. *Simeoni* 120. Iudæ 119. Dano 127. Nephtali 132. & totidem ferè *Gado*; at Aseri 125. Hachari 122. Zabuloni 124. quibus positis mors eorum fuerit Annis ab Abrahamo computatis, vt vides in margine.

365 *Simeon* moritur annorum 120.
366 *Iuda* moritur annorum 119.
368 *Ruben* moritur annorum 124.
372 *Isachar* moritur annorum 122.
374 *Zabulon* moritur annorum 124.
375 *Dan* moritur annor. 127. & *Aser* annor. 125.
381 *Nephthali, & Gad* moriuntur annorum 132. et anno 383. Leui annorum 137.

Appen-

Appendix de S. Iob Tempore.

HOc argumentum luculentissimè tractarunt post Abulensem, Pererium, & Pinedam, Salianus tomo 1. ad Annum Mundi 2319. Spondanus ad eundem annum, Petauius lib. 9. de Doctrina temporum c. 20. Tirinus initio Commentarij in Iob: Breuiter dico S. Iobum non fuisse de stirpe Nachor fratris Abrahami, esto filius eius fuerit Huz ex Genesis 22. ideoq; Hebræi aliquot, & S. Hieronymus ad Paulinum disp. 2. & in c. 1. Iobi, & in traditionibus Hebr. & Rupertus lib. 6. c. 34. pauciq; alij putarint Iob, quia fuit in terra Hus, fuisse Nachoritam. Sed terra Hus in qua vixit Iob dicta est ab Huz nepote Semi, vt ipsemet Hieronymus, & LXX. Interpr. in cap. 10. Geneſis docent, & Iosephus lib. 1. antiq. cap. 6. deinde non constat Nachorem, aut filios eius relicta Mesopotamia venisse in Chananitidem, vbi erat terra Hus. Communior itaq; opinio, & probabilior, quam plurimi authores apud Salianum, Spondanum, & Petauium sequuntur est, Iob fuisse Idumæum de stirpe Esau, quia Genesis 36. Esau vocatur Idumæorum pater, & dicitur genuisse *Rachuelem* de vxore Basemath; *Rachuel* autem genuisse *Zaran*, & hos appellat duces in terra *Edom*, postea num. 31. dicitur *Reges autem, qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent Regem Filij Israel fuerunt hi: Bela filius Beor, nomenq; Vrbis eius Denaba. Mortuus est autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Bostra*, seu de *Bostrra* vxore, vt habent Septuaginta, qui in alia versione habent, *Et prius ei nomen Iobab*, nempe ante calamitates, postea ijdem in c. 1. Iob nominant eum *Iob*, aiuntq; habitasse in *Ausitide*, seu vt habet alia versio in *Hus* in finibus Idumeæ: Sic Aristeas apud Eusebium l. 9. de Præpap. c. 4. τοῦτον δὲ τὸν Ἰώβ πρότερον Ἰοβὰμ ὀνομάζεσθαι, *Hunc autem Iobum prius nominatum esse Iobam*, seu *Iobab*. Epiphanius initio Panarij, & Isidorus disertè dicunt Iobum fuisse *filium Zare filij Raguelis, filij Esau*, & S. Ambrosius lib. de vita, & morte Sanctorum: *Quod de Esau sint boni, & fideles probat Iob, qui est ex filijs Esau quintus ab Abraham*, nempe exclusiuè denique Idumæum fuisse, & de stirpe Esau sentire S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 47. Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, S. Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, & post eos plurimi recentiorum. Supponunt autem Petauius, Salianus, & alij Esau tunc duxisse vxorem, quando Iacob fugit ad Labanum, qnod diximus accidisse anno ab Abramo 237. & anno sequenti genuisse *Reguel*, qui non priusquam anno 18. circiter ætatis potuit generare *Zaram*, & hic totidem annorum generare Iobum; quare Iob natus videtur anno 36. aut 40. circiter post fugam Iacobi, nempe 277. ab Abrahamo, vel si tardius & anno 54. post illam fugam, natus fuerit anno 291. quo Iacob migrauit in Ægyptum. Vixit autem post suas calamitates annos 140. vt dicitur Iob vltimo; quot verò annis vixerit antea Scriptura non exprimit: & licet dicat Dominum reddidisse ei omnia duplicia, inde non est certum vixisse annos 70. qui duplicati faciunt 140. et sic in totum vixisse annos 210.

CAPVT VI.

De Annis ab ortu Abrahæ ad Exodum, seu exitum Israelitarum ex Aegypto.

CONCLVSIO VI.

Probabile quidem est Annos quadringentos triginta, quos à promissione Diuina facta Abrahæ, ad legem datam, & Exodum Sacra Scriptura recenset, computandos esse ab exitu Abrahæ, ex Haran, ideoque ab ortu Abrahæ ad Exodum interfuisse annos DV. Probabilius tamen est eos computandos esse à promissione Diuina iuramento confirmata à Deo, eidem accincto ad immolandum Isaac, atque adeo ab ortu Abrahæ ad Exodum fuisse annos DLV. Annos autem Quadringentos, quos Sacra Scriptura numerat à peregrinatione Seminis Abrahæ, eiusq; afflictionibus, vsque ad reditum in Chanaam, & Amorrhæorum debellationem computandos esse à peregrinatione Isaac in Geraris, nouaq; confirmatione iuramenti à Deo facta Isaaco, vsque ad ingressum Israelitarum in Terram Chanaam; non autem ab ingressu eorum in Aegyptum, vsque ad exitum eorundem ab Aegypto, atque adeo ab anno Abrahami CXCII. ad DXCV.

1 GRauissima est inter Chronologiæ Sacræ quæstiones hæc controuersia, de qua S. Hieronymus in cap. 3. ad Galatas dixit: *Videndum vtrum verè CCCCXXX. anni sint, & quomodo Deus in libro Geneſis polliceatur Abrahæ, quod post CCCC. annos de terra seruitutis filij eius exituri sint. Non enim parua res est, & à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta.* Censeo autem prius omnia loca sacri textus, ad hoc negotium spectantia, simul præmittenda. Quorum Primus est Geneſis 15. nu. 13. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsq; ad præsens tempus.* Et ita omnes Hebræi Codices & LXX. Onkelos &c.

Secundus Locus extat Exodi c. 12. nu. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum: Quibus expletis eadem die egreſsus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.* Verum LXX. Interpretes, in Sixtiano & Regio codice habent ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, & tota periodus Latinè sic: *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitauerunt in terra Aegypto, et in terra Chanaam, anni quadringenti triginta, et factum est post quadringentos triginta annos, exijt omnis virtus Domini de terra Aegypti nocte.* Imò in quibusdam Græcis codicibus habetur αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν. *ipsi, et patres eorum*, quam vtramq; additionem, seu paraphrasim legit S. Augustinus q. 47. in Exodum, ac recipit tanquam scripturam Canonicam; esto Augustinus Eugubinus in c. 12. Exodi, vtramq; additionem, non vereatur appellare falsam nedum otiosam, quia suæ opinioni, de qua infra, nocebat. Præterea prior paraphrasis de terra Aegypti, & Chanaano extat in codice Samaritano.

Tertius locus habetur Iudith cap. 5. vbi à num. 5. & 8. Achior dux Ammonitarum inquit de Hebræis. *Vnum Deum cœli coluerunt, qui et præcepit eis, vt exirent inde, et habitarent in Charan, cumque operuisset omnem terram fames descenderunt in Aegyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.* Quæ verba, licet non sint ipsius scriptoris canonici, sed Achioris Ammonitæ, tamen vt profecta à perito Hebraicæ historiæ suum pondus habent, nec contemnendum; esto de habitatione in Chanaam nihil dixerit, sed subintelligendam reliquerit, eam tamen habent LXX. eodem c. V. Iudith, sed nihil habent de annis 400.

Quartus locus extat in Actis Apostolorum c. VII. nu. 6. *locutus est autem ei*, ideſt Abrahæ *Deus, quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, et malè tractabunt eos annis quadringentis, et gentem cui seruierint iudicabo ego, Dixit Dominus, et post hæc exibunt, et seruient mihi in loco isto.* Ita in Vulgata hodierna: nam Rabanus S. Thomas, & Caietanus legebant: *annis quadringentis triginta.*

Quintus locus habetur c. III. Epistolæ ad Galatas vbi nu. 14. loquens Apostolus de pollicitatione, & promissionibus Abrahæ factis ait. *Fratres (secundùm hominem di-*

co) *tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut subordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius; Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est CHRISTVS, hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* At si diceret, sicut homo non spernit, aut immutat testamentum ab ipso, vel ab alio confirmatum; ita nec promissiones Dei factas Abrahæ, quas ego dico esse testamentum confirmatum à Deo, Lex à Deo per Moysen data annis 430. post illud testamentum, reddit illud irritum, nec euacuat promissionem diuinam; & subiungit: *Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione: Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.*

Sextus tandem locus ad annorum, de quibus hic inquirimus, computationem pertinens mixtus est ex Genesis 46. nu. 12. vbi inter filios *Leui*, qui cum Iacobo descendit in Ægyptum numerantur *Gerson*, & *Caath*, & *Merari*, ex Exodi VI. nu. 18. dicitur: *Filij Caath, Amran, & Isaar, & Hebron, & Oziel, anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres*, & nu. 20. *accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron, & Moysen fueruntq; anni vitæ Amram centum triginta septem.* Et Exodi cap. VII. nu. 7. *erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem*; quo scilicet anno exacto, Exodus contigit. Iam etiam si fingatur Caath eodem anno, & non antea, natum ex Leui quando hic cum Iacob, & reliquis Israelitis descendit in Ægyptum itemque fingatur Amram natus vltimò anno vitæ Caathi, & Moyses natus vltimò anno vitæ Amrami, iunganturq; simul anni *Caath* 133. & *Amrami* 137. & Moysis 80. summa non excedit annos 350. & multo minor est annis 400. nedum annis 430. & tanto adhuc minor euadet, quanto prædicti tres citius nati ponentur.

Ex dictis locis triplex quæstio nata est *prima* an anni 400. vel 430. contineant solam habitationem Israelitarum in Aegypto, an partim in Aegypto, partim in terra Chanaan. *Secunda* à quo anno computandi sint anni 400. vel 430. *Tertia* quomodo concilianda sit veritas annorum 400. cum veritate annorum 430. sed has omnes Deo iuuante extricabimus comprobando quatuor Conclusionis nostræ partes.

Prima pars Conclusionis de Annis 430. ab exitu ex Haran.

2 CVm annos 430. quos Moyses habitationi Israelitarum in Aegypto tribuit Exodi 12. S. Paulus 3. ad Galatas numeret à promissionibus Abrahæ factis, & prima promissio facta sit ei quando iussus est exire de Haran, ac reipsa exiuit annorum 75. vt constat ex Genesis 12. & septuaginta Interpretes, & codex Samaritanus Exodi 12. habitationem annorum 430. explicarint de habitatione in Aegypto & in Chanaam, in qua habitare cœperunt patres eorum eodem anno, quo exiuit Abraham de Haran, vtique probabile est annos prædictos à prima illa promissione computandos, nempe ab exitu ex Haran ad exitum ex Aegypto; ideoque addendo annis 430. annos 75. Abrahæ, interuallum ab eius natiuitate ad Exodum (quæ est 3. Mundi ætas) fuisse annorum DV. Et si enim Hebræi non sunt appellati Israelitæ, nisi postquam Iacob nominatus est Israel, quod factum fuit post luctam cum Angelo anno ab Abrahamo 258. Ideoq; nec ipse ante hoc tempus, nec Isaac nec Abraham Israelitæ, nedum filij Israel videntur dici posse, vt huic opinioni obiecit Eugubinus in 12. in Exodum, & Genebrardus l. 1. Chron. in 3. ætate nihilominus nomine *filiorum Israel* intelliguntur per retrofictionem, & paronomasiam Hebræi omnes quorum maxima pars ab Israele propagata est, & longè maior pars annorum illorum 430. ad eos pertinet: sic Exodi V. nu. 1. et 3. idem dicitur *Deus Israel, & Deus Hebræorum*. Dicuntur autem habitasse in Aegypto annos 430. quia eos compleuerunt ibi, et dimidium saltem eorum ideſt annos 215. posteriores ibi expleuerunt. Quemadmodum Genesis 11. Septuaginta Interp. dixerunt factos esse annos Thare in Haran 205. non quod eos totos ibi moratus sit, sed quia eos ibi compleuit, vt diximus c. 2. nu. 8. cum S. Augustino: Neque enim tota illa annorum 430. habitatio restringi potest ad Aegyptum, vt patebit ex quarta parte Conclusionis probanda.

3 Præterea sola multitudo Auctorum hanc partem Conclusionis probabilem reddit. Iosephus enim l. 2. antiquit. c. 6. in Græco codice et versione Gelenij sed c. 13. in versione Rufini, ait, *Reliquerunt autem Aegyptum mense Xanthico, Luna quarta decima, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham pater noster in Chananeam venit, & post migrationem in Aegyptum anno ducentesimo quinto*, qui quomodo intelligendus sit, dum præcedenti capite dixit per annos 400. laboratum in Agypto infra explicabitur. Eiusdem opinionis fuere R. Leui, et R. Salomon apud Genebrardum et Hebræi plurimi in Seder Olam, et in computo Iudaico Hilelis. S. Hieronymus in Ep. ad Galatas 3. Eusebius in Chronico, Epiphanius in Anchorato, Chrysostomus homil. 37. in Genesim, S. Augustinus q. 47. in Exodum, vbi post multa concludit: *Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est, ab illa enim promissione computat annos quadringentos triginta, qua vocauit Deus Abraham, vt exiret de terra sua in terram Chanaam*, idque confirmat ex Apostolo ad Galatas, et lib. 16. Ciuit. c. 24. Seuerus Sulpicius l. 1. Sacræ historiæ, Anastasius in Synopsi Exodi, Beda de 6. Aetatibus, Strabus in Glossa ordinaria ad Galat. 3. Rupertus l. 2. in Exodum c. 20. Vincentius l. 2. Speculi c. 6. Lyranus, Caietanus, et Abulensis q. 54. in c. 12. Exodi. Salmeron, et Iustinianus, et Cornelius à Lap. in c. 3. ad Galat. Sanctius in c. 7. Actorum; Scaliger l. 5. emend. temp. p. 373. Gordonus in Chronico, Petauius l. 9. de doctr. temp. c. 24. Salianus, et Spondanus in Annalibus ad Annum Mundi 1543. Henricus Philippi in Synopsi Chronol. c. 3. Tirinus in Chronico sacro c. 17. Isaac Vossius in Chronologia sacra c. 2. vbi dolet à patre suo Gerardo promotam opinionem de annis 400. vel 430. ab ingressu in Aegyptũ computandis, adducitq; pro hac Eupolemum, et Philonem Hebr. Accedit his omnibus S. Cyrillus l. 1. contra Iulianum, quatenus inquit: *Ad ipsum venio festinus Sacrorum dncem Moysen, anno enim natus est quadringentesimo vigesimo quinto post diuinum Abraham* mortuus est autem Moyses annorum 120. et anno 40. post Exodum ex Deuteronom. 34. et Actorum 7. ergo anno 80. vitæ eduxit populum ab Aegypto, adde igitur annis 425. annos 80. fiunt ab ortu Abrahæ ad Exodum anni 505. Denique Demetrius Phalereus in scripto de Regibus Iudæorum, laudato ab Isaac Vossio, tradit Caathum natum ex Leui anno 17. ab ingressu in Aegyptum, quo mortuus est Iacob, et Caatho quadragenario natum esse Amramum; Amramo autem annum agenti 78. natum Moysen, ergo natus est Moyses anno 135. ab ingressu Israelitarum in Aegypto, & additis 80. Moysis, fiunt ab ingressu ad Exodum anni 215. reliqui ergo 215. sunt ab exitu ex Haran, ad ingressum in Aegyptum. Hoc tamen non dixit Demetrius, sed Alexander Polyhistor apud Eusebium l. 9. de præparatione c. 4. vbi lego potius. Leuim obijsse annorum 137. filiumq; reliquisse Caath annorum 40. ab hoc natum esse Amram, & ab hoc anno ætatis 77. genitum Aaron, & tertio ab hinc anno Moysen, sed hæc obiter.

Secunda pars Conclusionis de Annis 430. numerandis à Promissione Dei Iuramento firmata.

4 A Præcedenti opinione adeo communi non recessissem, nisi me valida ratio, & maior probabilitas impulisset, quarum potissima est hæc: Apostolus 3. ad Galatas annos 430. vsque ab Legem quæ anno Exodi data est, computat non ex promissione prima sed ex promissionib. seu promissione, quæ fuit *Repromissio*, & quæ confirmata fuit per modum *testamenti*, & in qua dictum est Benedicentur in *semine suo* omnes gentes; vt manifestum est legenti totum illum locum. Iam verò prima illa promissio de qua Genesis 12. quando Abraham exiuit de Haran, non fuit Repromissio confirmata à Deo per modum testamenti, nec in illa dictum est: *Benedicentur in semine tuo*; sed in te benedicentur, vt legenti patebit; & esto ex Actor. 7. colli-

colligatur antea Deum illi apparuisse, ac iussisse vt exiret de Vr Chaldeorum ideoq; Bonfrerius ab anno 70. Abrahæ computet annos 430. nulla tamen ei promissio facta, nedum de benedicendis in semine eius Gentibus inde colligiturr. Contra verò quando Deus, vt dicitur Genesis 22. tentauit Abrahamum, et cognouit idest cognitam fecit Angelis, et hominibus insignem obedientiam eius, et præparationem animi ad sacrificandum vnigenitum suum, ac dilectissimum Isaac, tunc enim verò, inquit. *Permemetipsum iurauí, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas Cæli, et velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Hæc igitur est illa insignis non promissio solum, sed repromissio, quæ non quocunque modo confirmata fuit, sed iuramento interposito, vt haberet vim testamenti, et quam signanter ipse Deus characteristica iuramenti inculcauit Isaaco Gen. 26. num. 4. dicens. *Tibi enim, et semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas Cæli, daboq; posteris tuis vniuersas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obediuerit Abraham voci meæ.* Hoc illud testamentum iureiurando sancitum quod Zacharias in Cantico suo agnoscit, ac prædicat Lucæ 1. illis verbis: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui Sancti: iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Hæc denique est illa promissio antonomasticè notata ab Apostolo ad Hebræos 6. nu. 13. dicente *Abrahæ nanque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum,* & num. 16. *Homines enim per maiorem sui iurant, et omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum, in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Consilij sui interposuit iusiurandum etc.* Igitur cum Apostolus ad Galatas 3. annos 430. numeret ab illa promissione, seu repromissione, quam velut testamentum à Deo confirmatum ostendit esse immutabilem, non secùs imò magis, quam testamenta hominum confirmata ab ipsis, et ab illa, in qua benedicendæ gentes promittuntur in semine ipsius, qui fuit Isaac, iuxta illud Genesis 21. repetitum ab eodem Apostolo ad Hebr. 9. nu. 18. *Quia in Isaac vocabitur tibi semen;* mihi nullum dubium est quin iuxta ipsius mentem anni illi 430. computandi sint ab anno Abrahæ 125. quo iuxta dicta in Chronico præcedenti ad hunc annum, ex Iosepho, et alijs Abraham accinctus ad sacrificandum Isaacum meruit repromissionem illam iuramento firmatam: Quare additis simul his numeris 125. et 430. fiunt ab ortu Abrahæ ad Legem, et Exodum anni 555. seu DLV.

5 Non est autem mirum eos, qui sequuti sunt Eusebium, nec aduerterunt ad discrimen harum promissionum, ab ea, quæ primo occurrit in Sacra Genesi annos illos computasse, præsertim cum potissimum eorum propositum esset ostendere annos illos non esse computandos ab ingressu Israelitarum in Aegyptum, sed multo ante à promissionibus factis Abrahæ, nam S. Augustinus l. 4. q. 47. in Exodum, post relata verba Apostoli ad Galatas 3. de testamento confirmato à Deo subiungit. *Ex illa ergo promissione, qua vocatus est Abraham, et credidit Deo post quadringentos, et triginta annos factam legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Iacob intrauit in Aegyptum.* At Langius l. 2. de annis Christi c. 4. annos 430. dicit ab Apostolo computari à natiuitate Isaachi, tunc enim fœdus à Deo confirmatum fuisse in Christum, in semine Abrahami, quod fuit Isaac: sed fallitur quia illud non habuit rationem testamenti confirmati, in quo vim fecit Apostolus, quandiu iure iurando firmatum non fuit, nec est illud testamentum aut fœdus quod ipse Deus Isaacho inculcauit, et de quo Zacharias in cantico, et de quo Moyses Deuteronomij 9. nu. 6. *Vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, et Iacob*, etc. et cap. 10. nu. 12. *Vade, et præcede populum, vt ingrediatur, et possideat terram, quam iurauí patribus eorum, vt tradarem eis.* et cap. 19. nu. 8. *Cum autem dilatauerit Dominus Deus terminos suos, sicut iurauit patribus tuis, et dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est.*

Tertia pars Conclusionis de Annis 400. ab Isaachi peregrinatione in Geraris vsque ad reditum in Chananæam.

6 NE sacra Scriptura repugnare sibijpsi admittatur, dum peregrinationem Hebræorum modo annis 430. Exodi 12. et ad Galatas 3. definit, modò annis 400. Genesis 15. Iudith 5. Actorumq; 7. et 13. Quidam putant rotundum numerum 400. positum pro præciso 430. vt loquitur Salianus ad annum Mundi 2543. nu. 5. Quasi verò Deus ipse Genesis 15. minus accuratè numerarit illos annos, quam Moyses Exodi 12. aut Paulus ad Galat. 3. Alij tolerabilius cum S. Hieronymo in c. 3. ad Galatas ad illa verba: *Quæ post quadringentos triginta annos facta est lex* subiungente: *Nequis putet esse contrarium: Quoniam in libro Geneseos ad Abraham à Deo dicitur: Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subijcient eos seruituti, et affligent quadringentos annos; et hic Apostolus triginta annos amplius ponat: Quod autem dicit hoc est septuagesimo quinto ætatis suæ anno, Abraham accepit à Deo repromissionem, à quo tempore, vsque ad initium legis Mosaicæ, quadringenti, et triginta anni hac ratione complentur. Ex tempore repromissionis, vsque ad centesimum annum Abrahæ, quando Isaach filius ei natus fuit viginti quinque anni numerantur: postea quinto ætatis anno Isaac paruulus ab Ismaele cœpit affligi sicut idem Apostolus in hac ipsa Epistola scribit. Euidenter ergo monstratur secundum sermonem Dei ad Abraham factum post centum triginta annos repromissionis, semen eius persecutionibus laborare cœpisse.* Sed lapsus calami aut librariorum emendandus, et scribendum: *post triginta annos repromissionis*: sic enim anni 430. à repromissione computati, si ab anno 5. post ortum Isaachi idest 30. à repromissione numerentur remanent 400. Hunc modum conciliandi hæc loca sequitur Torniellus in tabulis; sed S. Augustinus q. 47. in Exodum, aut quicunq; sit ille author nomine Augustini vulgatus, et Beda Actor. 7. ab ipso Isaac ortu computant ad Exodum vsque annos 405. quos rotundè vocari 400. asserunt. *Quia scriptum est: in Isaach vocabitur tibi Semen, ex anno natiuitatis Isaach, vsq; ad annum egressionis ex Aegypto computantur anni CDV. cũ ergo de CDXXX. detraxeris xxv. qui sunt à promissione ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos, & quinque annos summa solida voluit appellari Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, vt quod de summa perfectionis numeri, paululum excrescit, aut infra est, non computetur.* Idipsum placet Abulensi, Pererio, Torniello, Gordono, Saliano supra num. 15. quia Isaac in ortu suo iam peregrinus erat in terra non sua. Sed in his opinionibus supponitur terminum annorum tam 400. quam 430. esse exitum Israelitarum ab Aegypto, & principium exitum Abrahæ ex Haran, nos autem neutrum supponimus vt de principio iam docuimus nu. 4. & 5. & de termino, seu fine mox docebimus.

7 Ponderatis enim diu multumq; Sacræ Scripturæ, hoc est Dei ipsius verbis, aduertimus annos 400. de quibus Genesis 15. ad quæ referuntur verba Achioris, Iudith c. 5. & S. Stephani 7. Actorum hos ipsos annos 400. præcisè numerantium, computari debere ab anno quo primum Isaac cœpit peregrinari in terra aliena, & numerari vsque ad reditum Israelitarũ in Chananitidem post debellatos Amorrhæos nempe transactis per desertum annis ab Exodo 40. atq; ita nec in termino à quo, nec in termino ad quem conuenire cum annis 430. recensitis in Exodi c. 12. & in 3. Ep. ad Galatas, esto maior pars de annis 400. nempe anni 360. includantur in summa illa annorum 430. Deum autem in definiendis illis annis 400. exactè loquutum esse, nec sine necessitate recedendum à literali significatu verborum ipsius, præsertim cum illud præloquium *scito prænoscens* indicium sit prædictionis, & Oraculi Deo digni, & exacti ad ipsissimam normam veritatis; dixit itaq; Deus Genesis 15. num. 13. *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis &c. Tu autem ibis ad patres tuos sepultus in senectute bona.* Ergo peregrinatio illa non pertinet ad ipsum Abraham, idest non contingetur in illis

annis

annis 400. sed ad semen ipsius, quod fuit post mortem tamen Abrahæ, ideoq; non potest ad ipsum Isaac pertinere ex eo præcisè, quòd natus sit Abramo degenti in terra aliena, nihil enim nouum dixisset ei Deus quoad hoc, & præterea cum post hoc tempus peregrinatus sit Abraham in Chananitidem iam nato Isaaco, vel saltem ibi peregrinus fuerit, dicendum potius videbatur, *quod peregrinus futurus sis tu, & semen tuum*. Nec frustra adiecit illud: *Tu autem &c.* sed ideo quia ipso mortuo, eius semen peregrinaturum erat, ac descessurum ex loco, vbi tunc erat. Ergo locutus est Deus de peregrinatione illa, quam post mortem ipsius Abrahæ, inchoaturus erat nouo exordio Isaac, & vnde afflictiones, & molestiæ ipsi, et posteris sustinendæ erant. Nam actio qua Ismael dictus est persequi Isaacum, dicitur lusus Geneseos 21. nu. 10. quia forte pugnis aut cursu, vel lucta præualebat Isaaco, vt fieri consueuit inter paruulos, illum opprimens, aut subigens ad lacrymas compellebat non minus, ac si hostiliter illum persecutus esset, aut insultabat ei tanquam primogenitus. Nulla porrò peregrinatio Isaaci, & initium laborum, atq; afflictionũ prior narratur, quam quæ post mortem Abrahami narratur Geneseos 26. hisce verbis. *Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara. Apparuitq; ei Dominus, & ait: ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroq; tecum, & benedicam tibi: tibi enim, & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo &c.* Ex eo autem tempore incœperunt molestiæ Isaaci ab Abimelecho, & Philistæis ipsi inuidentibus, & iurgia pastorum, quæ describuntur eodem capite, in cuius fine dicitur: *Esau verò quadragenarius duxit vxorem*. Quare peregrinatio illa Isaaci cœpta est paucis annis ante quadragesimum annum Iacobi, & Esau, nempe ex dictis in præcedentis capitis Chronico, ante annum ab Abrahamo 200. sed quoto præcisè non exprimit Scriptura, sed nos ex termino annorum 400. deducemus fuisse annum 195. ab ortu Abrahami. Interim gemini pro initio annorum 400. Characteres notandi sunt. *Primò* enim sicut annorum 430. initium fuit à promissione facta Abrahæ cum iuramento, ita horum annorum 400. à promissione facta Isaaco, cum confirmatione prædicti iuramenti; *Secundò* sicut futura peregrinatio Iacobi in Ægyptum fuit occasione famis post sterilitatem, ita Isaac peregrinatio habuit occasionem ex fame orta ex sterilitate, sed cogitantem fortasse Isaacum de itinere in Aegyptum, vbi esset abundantia Deus inhibuit ab ea peregrinatione.

8 Quod spectat ad terminum, seu finem annorum 400. considerandа sunt reliqua Dei verba Geneseos 15. num. 14. *Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cum magna substantia &c. Generatione autem quarta reuertentur huc: nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus*. Ergo anni 400. quos paulo ante definiuerat, extenduntur vsq; ad reuersionem in terram illam, in qua erat tunc Abraham, nempe in Chananitidem, & non tantum ad exitum ex Aegypto cum magna substantia, quod ipsum retulit S. Stephanus Actor. 7. illis verbis: *Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto*. Præterea id futurum designat, & complendos annos 400. quando complerentur iniquitates Amorrhæorum, quorum propterea debellandorum ab Israelitis terras quoque illas pacifica possessione fruendas ijsdem daturus esset: Constat autem hoc non euenisse, nisi absolutis 40. annis, quibus Israelitæ post exitum ab Aegypto, peregrinati sunt in deserto, ex libro Iosue, ergo tunc, & non ante, completi sunt anni illi 400. seu quatuor generationes, quas communiter Cornelius, Vatablus, Salianus, Menochius, & alij Interpretes ibi accipiunt pro vno seculo, seu centum annis iuxta illud Ecclesiastici 18. *Numerus dierum hominum, vt multum centum anni*, sic Nestori quia vixit annos 300. trium generationum tempus Poetæ quidam tribuunt. Igitur cum ex dictis num. 4. Exitus ab Aegypto contigerit expletis annis 430. ab anno Abrahæ 125. expletis, ideſt anno Abrahami 555. expleto (expletos enim exprimit Moyses Exodi 12.) si addamus his 40. expletos in deserto fiunt ab Abrahamo anni 595. quibus expletis reuersi sunt Israelitæ ad terram Chanaam post tot promissiones possidendam; quare detractis hinc annis 400. restat annus ab Abrahamo 195. quo Isaac cœpit peregrinari in Chananæa, seu Palæstina.

Quarta pars Conclusionis de Annis 400. non computandis ab ingressu in Aegyptum.

9 EVgubinus, & Stapletonius in 12. Exodi, Genebrardus lib. 1. Chronici ad annum mundi 2239. susè, sed fusius Gerardus Io. Vossius in Isagoge Chronologica disert. 7. accipientes ad litteram illud Exodi 12. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserũt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum*, & contemnentes paraphrasim 70. Interpretum, negant S. Paulum ad Galatas 3. computare annos 430. à promissione Abrahæ, quia nec ille, nec Isaac, nec Iacob, ideſt Israel possunt dici filij Israel; & quia vt 70. animæ, quæ descenderunt in Aegyptnm potuerint multiplicari, adeo, vt in exitu reperta sint sexcenta armatorum millia, absq; paruulis, mulieribus, & ineptis ad arma, non requiruntur anni pauciores, quàm 430. idcirco concordant eos computari debere ab ipso ingressu Iacobi, & familiæ eius in Aegyptum anno 290. ad Abrahamo numerato, cui si addas 430. euadit hæc tertia ætas ab ortu Abrahæ ad Exodum annorum 720. Addunt tandem inter Leui, & Moysem, non solum Caath, & Amri, sed alios intercessisse obscuriores, & illos annos, quibus dicuntur vixisse, esse annos non mortis, sed generationis, qua Caath annorum 133. genuit Amramum, & Amramus annorum 137. Moysen, inter hos tamen mediasse alios, & Caath, dictum genuisse Amramũ, & hunc Moysen eo modo, quo Matth. 1. Iosias genuit Iechoniam nepotem suum, & Esdræ 5. Zacharias Iddonem item nepotem.

10 Sed longè Sanctior nobis est auctoritas LXX. Interpretum, quàm Eugubini, & Genebrardi. Qui LXX. imò & Codex Samaritanus Hebraicus exponunt habitationem filiorum Israel ideſt Hebræorum (quia Exodi tempore, & multo ante iam Israelitæ vocabantur) in Aegypto, & in terra Chanaam fuisse. Et nimis manifestum est S. Paulum ad Galatas 3. asserere legem Moysi factam esse annis 430. post promissionem Abrahæ illam quæ testamenti à Deo confirmati vim habuit: alioquin corrueret totum illud argumentum Apostoli, quo contendit conuincere Galatas, & ostendere non iustificari hominem ex meris operibus legis, sed ex fide in Christum, qui est illud semen Abrahæ, in quo benedicendæ omnes gentes erant, iuxta promissionem Abrahæ factam Argumentum autem Apostoli tale est, sed paraphrasticè à nobis expositum: Licet humana voluntas mutabilis sit, & ambulatoria nec ab ea videatur sumenda comparatio cum voluntate Dei prorsus immutabili, tamen *secundum hominem dico*, ideſt stando etiam intra terminos humanæ consuetudinis, & prudentiæ, si homo prudens, & constans, non solet suum, aut alterius testamentum confirmatum spernere, aut eius loco aliud subordinare; ergo nec antiquas promissiones Abrahæ factas, quas propterea dico esse testamentum confirmatum à Deo, nempe iuramento adiecto, lex Moysis tanto post tempore lata, ideſt annis 430. post irritas, & inanes reddidit, sed manent in suo vigore, & ideo benedictio, & iustificatio ex fide in Christum, qui est semen Abrahæ, non ex legis Mosaycæ nuda obseruantia prouenit. Quamuis autem hoc loco non meminerit Apostolus iuramenti, meminit tamen ad Hebræos 6. vt docuimus nu. 4.

11 Præterea si mordicus ad litteram hærendum est verbis illis vulgatæ: *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Aegypto fuit 430. annorum*. Ergo sine vlla paraphrasi aut figurata locutione accipienda sunt verba illa Geneseos 15. *Quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*, tamen certum est Israelitas, non fuisse afflictos in Aegypto, nec seruituti subiectos, nisi post mortem Ioseph, ipso enim viuente, bene tractati sunt à Rege Aegypti in gratiam Ioseph, & assignata eis terra Gessen, vt narratur Geneseos 47. mortuus est autem Ioseph anno 70. ab ingressu Iacobi in Agyptum. Imò ne mortuo quidem Iosepho, nec nisi post mortem omnium fratrum eius imo omnium 70. homi-

hominum qui descenderant in Aegyptum, incœpit oppressio, & seruitus Israelitarum. Exodi enim 1. de ingressis cum Iacob in Aegyptum dicitur: *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, Septuaginta: Ioseph autem in Aegypto erat. Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniq; cognatione illa, filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleuerunt terram: surrexit interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est; Venite sapienter opprimamus eum &c.* Mortuus est autem Leui anno 92. post ingressum in Aegyptum, ergo filij eius & reliqui de animabus 70. multo post, quare initium seruitutis, sesquiseculo circiter, si non duobus seculis ab illo ingressu cœpit, ergo non seruierunt in Aegypto, nec ibi afflicti sunt totis annis 400. Sed intelligendum est de illis annis, partim affligendos extra Aegyptum, partim affligendos, & seruituti subijciendos in Aegypto, aut sicut exponit S. Augustinus l. 4. q. 47. in Exodum. *Non itaq; quod ait in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in seruitute, sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terra non propria, siue in terra Chanaã, siue in Aegypto &c. Vt hyperbaton hic intelligatur, & ordo verborum sit. Sciendo scias quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis &c. in extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est post mortem Ioseph factum est, vt in Aegypto populus Dei duram perageret seruitutem.* Nos tamen extremos annos 40. ad peregrinationem in deserto retulimus. Sicut ergo figuratè hic locus intelligendus est, & annorum 400. pars notabilis ad peregrinationem extra Aegyptum pertinet, ita & locus Exodi 12. de habitatione tum extra, tum in Aegypto completa tamen post annos 430. in Aegypto.

12 Tandem si ad rigorem literæ volunt aduersarij accipi locum illum Exodi 12. ergo æquitas postulat, vt ad rigorem literæ accipiant, et ipsi loca Geneseos 46. nu. 12. & Exodi 6. num. 18. ac 20. & lib. 1. Paralipom. c. 6. quibus locis simul iunctis dicitur Leui ingressum in Aegyptum cum filio suo Caath, & filium Caathi fuisse Amri, filios verò Amri fuisse Aaron, & Moysen; præterea vixisse Caath annos 133. & Amram 137. Chronicon autem Alex. et Nicephorus dicunt Amramum anno ætatis 72. genuisse Aaronem, ergo etiam si fingatur Caath genitus ipso anno ingressionis in Aegyptum, & Amram ipso vltimo anno Caathi, & Moyses vltimo Amrami, summa ab ingressu in Aegyptum ad ortum Moysis non excedit annos 270. & cum annis 80. Moysis quibus expletis facta est Exodus, non excedit 350. desuntq; ad annos 430. anni 80. quibus supplendis, multa fingenda sunt absque vlla necessitate, cùm per annos 265. quibus iuxta nostram Chronologiam Israelitæ manserunt in Aegypto, potuerint ex viris 70. propagari plusquam sexcenta millia hominum. Fac enim quod nemini improbabile videbitur, ætatis anno 17. singulos mares generare cœpisse, & deinceps quotannis genuisse vnum marem, ita vt ab anno 17. ad 24. ætatis 8. filios suppeditante vna linea, alteri fœminas genuerint, & anno 8. ab ingressu Rubenum exempli gratia habuisse 8. masculos, qui & ipsi anno 17. ætatis generare cœperint, ita vt anno ab ingressu 31. post annos 24. ætatis singuli sustulerint 8. filios; vtique si ad numerum annorum ab ingressu continuè adijcias 23. & numerum filiorum antecedentem per 8. multiplices, sola vna Tribus anno 215. ab ingressu genuisset plusquam 1065. milliones hominum quorum dimidium potuit esse superstes. Quid igitur omnes simul Tribus? etiam si serius generare cœperint, nec singuli singulis annis genuerint? Accipe enim ex Petauio l. 9. c. xiv. diagramma multiplicationis huius, quod ille applicat multiplicationi hominum post diluuium ex solo Iapheto.

Diagramma Propagationis hominum.		Anni ab ortu Abrahæ.	Chronologia Capitis huius.
Anni ab ingressu in Aegyptum.	Numerus Filiorum.		
8	8	125	Isaac anno 25. Promissio Dei iurata ad Abrahamum, & initium annorum 430. vsq; ad Exodum.
31	64	195	Isaaci initium peregrinationis, & annorum 400. vsque ad reditum in Chananitidem.
54	512	290	Iacobi, & omnium Israelitarum ingressus in Aegyptum.
77	4096	555	Exodus, & Lex data per Moysen.
100	32768	595	Exitus Israelitarum ex deserto, & reditus in terram promissionis, seu Chananitidem.
123	262144		
146	2097152		
179	16777216		
202	134217728		
215	1065741824		

CAPVT VII.

De Annis ab ortu Mariæ Aaronis, & Moysis, vsq; ad mortem Iosue.

CONCLVSIO VII.

Probabilius est anno ab ortu Abrahami 470. *natam Mariam sororem Aaronis, & Moysis, Aaronem verò natum anno* 474. *Moysen* 476. *Iosue* 514. *Calebum* 518. *Missum porrò à Deo ad Pharaonem Moysen anno* 554. *Exodum fuisse anno* 555. *die* 15. *Nisan feria* 5. *Aprilis* 16. *ineunte* 17. *post occasum Solis, obijsse autem Mariam, & Aaronem anno* 594. *& Moysen anno* 595. *statimq; illi successisse Iosue, hunc q; obijsse anno* 623. *post celebratum anno* 608. *primum Sabbaticum.*

1 MAriam natam anno Abramico 470. Aaronem verò anno 474. & Moysem 476. sic ostendimus. Anno ab ortu Abrahæ DLV. completo, & ineunte Hebraico anno DLVI. Moyses eduxit Israelitas ab Aegypto, ex dictis cap. 6. nu. 4. & dicendis infra; sed Exodi 7. nu. 7. dicitur: *Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem*: post quod tempus secutæ sunt plagæ, quæ prudenter consideratæ non occuparunt minus quam vnum annum, vt expendit ostenditq; Salianus anno Mundi 2543. nu. 17. expresèq; habent Hebræi in Seder Olam', asserentes à die, qua Deus mandauit Moysi, vt adiret Pharaonem, vsque ad diem exitus intercessisse menses 12. Ergo exitus Israelitarum incidit post completum annum

num 80. Moysis,& inchoatum iam 81. & ideo subtrahendo annos 80. solidos annis Abrahæ 556. initis, restat annus 476. quo natus est Moyses, & demptis duobus integris hinc, restat annus 474. pro ortu Aaronis, nisi velis natum sub finem anni 473. Quia verò Hebræi in Seder Olam, suisq; Calendarijs Mariam sororem Moysis septennio ante ipsum natam dicunt, cadit eius natiuitas in annum 470. ab Abrahamo. Porrò Moyses *cum implerentur ei anni quadraginta*, vt dicitur Actor. 7. num. 23. ideſt sub finem anni 40. ex Iosepho l. 1. antiq. c. 1. visitauit fratres suos.

2 Iosue natum anno ab Abrahamo 514. & Calebū anno 518. ita conficimus. Iosue cap. 24. nu. 29. & Iudicum 2. num. 8. dicitur: *Mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini, centum, & decem annorum.* At esse mortuum anno 68. post exitum ab Aegypto, ideſt post Abrahæ annum 555. ferè completum ostendemus num. 7. ergo mortuus est anno Abrahæ 623. cui detrahendo annos 109. completos, cadit eius natiuitas in Abrahami annum 514.

Caleb annos sic inuestigamus: Iosue cap. 14. num. 7. Caleb ipse sic loquitur, *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, vt considerarem terram*, & num. 10. *Quadraginta, & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum.* Certum est autem Calebum missum esse de Cadesbarne ad considerandam terram promissionis anno 2. Exodi currente, & Moysis 82. ipsa enim ineunte prima die mensis Nisan erectum fuit Tabernaculum, vt patet Exodi 40. deinde quinto circiter mense missi sunt 40. Exploratores ad lustrandam terram Chanaan, *quando iam præcoque vuæ vesci poterant*, vt dicitur Numeror. 13. num. 21. currebat autem tunc annus ab Abrahamo 557. & Calebi quadragesimo, ideſt 518. incœpit annus primus Calebi, eoque anno natus est inito iam Moysis anno 43. & completo 42. proinde annus octogesimus quintus Calebi, quo petijt à Iosue in diuisione terræ montem Hebron, vt dicitur Iosue 14. nu. 12. erat septimus currens à morte Moysis, & per nos Abrahami annus 602.

3 Exodi ideſt exitus Israelitarum ab Aegypto annus primus inijt à 15. die mensis primi Nisan, vt constat ex c. 12. Exodi, expletis annis 430. habitationis in Ægypto, & in terra Chanaam, Exodi enim 12. nu. 40. dicitur: *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.* Quo loco communiter Interpretes notant non significari hic eo ipso die expletos fuisse annos 430. sed postquam completi fuerunt, omnes eadem die egressos non autem vno die aliquos, & alijs diebus reliquos: Verùm non est mihi inueritimile eadem quoque die præcisè completos annos 430. qui eos c. 6. nu. 4. computandos ostendi à Sacrificio Isaaci, cuius tamen loco sacrificauit arietem, cum enim illud fuerit figura Agni immolandi pro salute Mundi, & liberatione populi electi, sicut eadem die Christus mortuus est, quæ posi esum agni illuxit, quidni eadem die ideſt 15. Nisan primum Pasch. celebratum sit post Agni necem & esum, quo olim Isaac immolandus, & eius loco aries immolatus fuit? Accidit illud anno Abrahami 125. cum Isaac ingressus esset annum 25. vt ex traditione Hebræorum & Iosepho communiter omnes recipiunt, ergo additis annis 430. incidit Exodus in annum Abrahami 555. quo die 15. Nisan expleti sunt anni 430. esto alioquin Iuliano more annos in Chronologia auspicemur à Kalendis Ianuarij, & sic intra eundem annum Abrahami completus sit annus 80. Moysis & initus 81. per aliquot dies; Quod si Moyses compleuit annos 120. & die præcisè, quo mortuus est nempe die 7. Adar; annum 80. complesset 7. Adar præcedentis, et die 15. Nisan subsequentis habuisset annos 80. et præterea dies 37.

4 Quæ verò dies fuerit in forma anni Iuliani, quæ coincidit in diem 15. Nisan, seu diem Exodi pendet ex anno ante Epocham Christi, certum enim est fuisse diem plenilunij illius ciuilis, cuius decima quarta Lunæ dies accidit die verni Aequinoctij aut post iuxta dicta lib. 1. c. 12. Hebræi verò in Seder Olam c. 5. et plurimi cum illis tradunt eam diem fuisse feriam 6. mane, seu in aurora quæ subsecuta est feriam 5. Petauius l. 9. c. 24. censet fuisse annum ante Epocham Christi 1531. Cyclo Solis 19. Lunæ 10. Littera E. Exodumque 3. Maij. Scaliger lib. 5. de Emend. temp. pag. 374. fuisse annum ante Christum 1497. et diem 22. Maij, eundem annum habet Henricus Philippi in Tabulis Synopsis Chronologiæ, et in Manuali pag. 51. ponit 16. Aprilis, Salianus anno Mundi 2544. et ante Christum 1509. seu ante Epocham Christi 1510. diem Romanum non determinat, contentus referre opiniones Chronici Alexandrini die 14. Aprilis, Scaligeri in Eusebium, Caluisij, & Capelli de die 16. Aprilis, Codomani, & Temporarij de die 26. Aprilis, Langius l. 2. c. 4. de annis Christi ait fuisse ante Epocham Christi 1503. Exodumq; 5. Aprilis. Nobis ille annus ex dicendis c. 9. fuit ante Epocham Christi 1592. ideoq; ex Canonib. in fine libri 1. traditis Cyclus Solis fuit 14. Lunæ 6. Plenilunium ciuile 17. Aprilis feria 6. et Exodus die 16. Aprilis fer. 5. et Pentecoste, ac dies Legis latæ die 5. Iunij feria 6. iuxta Exodi cap. 19.

5 Mariam sororem Moysis mortuam esse anno Abrahami 594. eodemq; anno Aaronem, & anno sequenti, ideſt 595. Moysen; Colligo sic. Anno Abrahami 595. completi sunt anni 400. peregrinationis seminis Abrahæ iuxta dicta cap. 6. num. 7. quando Israelitæ transito Iordane die 10. mensis primi, vt narratur Iosue 4. nu. 19. deerant dies 5. ad complendum annum 40. ab Exodo: Eodem verò anno Iuliano mortuus erat Moyses annorum 120. die 7. mensis vltimi Adar, hoc enim die Adar semper Hebræi ieiunarunt ob mortem Moysi, vt extat in eorum Kalendario, Mensem autem eundem indicat Sacra Scriptura nam Deuteronomij 1. nu. 3. ait *Quadragesimo anno*; ideſt ab exitu ex Aeg. vndecimo mense, prima die mensis *Locutus est Moyses ad filios Israel*, et exposuit Deuteronomium populo, toto illo mense in hoc consumpto, deinde cap. 31. inquit *Centum viginti annorum sum hodie, non possum vltra egredi & ingredi, præsertim cum Dominus dixerit. non transibis Iordanem istum* et cap. 34. *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo*, et nu. 5. *Mortuusq; est ibi Moyses, iubente Domino*, & nu. 7. *Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est.* Aaron verò currente eodem anno 40. ab Exitu mortuus fuerat mense quinto iuxta illud numerorum 33. nu. 38. *Ascenditq; Aaron Sacerdos in montem Hor iubente Domino; & ibi mortuus est, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Aegypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum vigenti trium.* At numerorum 20. dictum fuerat: *Veneruntq; filij Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, & mansit populus in Cades, mortuaq; est ibi Maria, & sepulta in eodem loco:* Mense scilicet primo anni 40. peregrinationis in deserto, vt explicant in Chronico suo Hebræi, nempe in Seder Olam c 9. vbi exponunt verba prædicta numerorum 20. dicentes: *Quadragesimus voluebatur annus, & principium mensis Nisan.* Similiter Iosephus lib. 4. antiq. cap. 4. *Eodem tempore sorori eius Mariamnæ vltimus dies vitæ aduenit, quadragesimo anno ex quo Aegyptum reliquerat mensis Xanthici Luna prima*; at in Calendario Hebraico, & Chronico dies mortis Mariæ notatur die 10. Nisan, de anno 40. consentiunt Comestor in Hist. Scolastica; Dionysius, Vatablus, Caietanus Adrichomius, Lyranus, Caietanus, Abulensis in 20. num. qui asserit esse communem, Torniellus, Salianus, et Spondanus ad annum Mundi 2583. Lorinus, Cornel. à Lapide, Henricus Philippi in Manuali ad c. 20. Numeror. Petauius, & Tirinus in Chronico; Solus Genebrardus absq; necessitate putauit Mariam mortuam anno 39. ab exitu ineunte, omnibus igitur computatis Maria mortua est anno Abrahami 594. initio veris, & inde mense quinto in fine ætatis Aaron, anno verò 595. Moyses circa mensem Martium.

6 Mortuo Moyse statim Iosue, successit ei vtpote à Deo per Moysen designatus, vt exprimitur Deuteronomij 34. à num. 8. & Iosue c. 1. successit inquam statim die 7. aut 8. mensis Adar ante terminum luctus, quia populo ad seditionem, & murmur proclivi, non expediebat dilatio, & interregnum sine duce, & id probabilius censent plerique Hebræorum apud Lyranum, Andreas Masius in Iosue, & multi antiqui apud Abulensem, & Salianus anno Mundi 2584. num. 4. Fuerat enim ante mortem suam designatus, & nominatus à Moyse successor, esto non nisi fletu post mortem Moysis expleto Dominus locutus sit ad Iosue, eumq; confortarit ad transitum Iordanis &c. ideoq; Abulensis, Hugo, Caietanus, Serarius, Menochius, Bonfrerius, Hen-

Henricus Philippi, & quidam Rabbini principatum Iosue auspicentur ab ea Domini loquutione post fletum super Moyse, quem constat ex Deuteronomij fine durasse 30. dies atq; adeo absolutum 7. die mensis Nisan subsequentis cuius die 10. Iosue cum populo transiuit Iordanem, vt narratur Iosue 4. at quomodo intra duos tresue dies potuerunt à Iosue mitti exploratores, & illi redire & præparari omnia necessaria ad transitum? ergo longè probabilius est multo ante fletus finem Iosue exercuisse populi principatum.

7 Quot verò annis illum exercuerit sacra historia non tradit, sed Iosue 24. nu. 29. ait: *Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun seruus Domini centum, & decem annorum.* At capite 11. dictum erat eum bellando, & obsidendo multas Vrbes expugnasse, & num. 18. additum: *Multo tempore pugnauit Iosue contra reges illos*, & cap. 12. in fine, *Reges triginta vnus*, & cap. 13. dicitur: *Iosue Senex, prouectæque ætatis erat &c.* ibidemq; præcipitur diuisio terræ per sortes, & cap. 14. Caleb annorum 85. petijt à Iosue montem Hebron, quod accidisse anno 7. à morte Moysis supra ostendimus, deinde vsque ad caput 23. narratur reliqua diuisio per sortes, cap. autem 23. *Euoluto autem multo tempore postquam pacem dederat Israeli subiectis in gyro nationibus vniuersis, & Iosue iam longæuo, & persenilis ætatis &c.* Ex quibus mihi certum est Iosue rexisse populum multo pluribus quam 7. annis, quidquid dicat Adrichomius, & Masius. Decem fuisse putant Caietanus, Torniellus, Spondanus, Mercator, ac Temporarius, *Quatuordecim* verò R. Moyses Maiemon, & Petauius lib. 9. cap. 33. Septemdecim autem fuisse censet Io. Lucidus lib. 2. Genebrardus, Arias Montanus, Io. Benedictus in 3. Regum cap. 6. Salianus anno mundi 2600. num. 3. & 4. vbi pro hoc numero adducit Brougtonum, Beroaldum, Heluicum, Tremellium; Henricus Philippi in Manuali ad cap. 24. Iosue, Tirinus in Chronico Sacro cap. 20. sed annos *Vigintiquinque* numerant Iosephus lib. 5. antiq; cap. 1. Zonaras, & Melchior Canus in locis Theol. *Vigintisex*, Beda, Comestor, Treculphus, Bellarminus, Gordonus Codomanus, vel si terminos includas *Vigintiseptem*, vt S. Augustinus lib. 15. Ciuit. cap. 11. Sulpicius Seuerus lib. 1. Georgius Sincellus, Africanus, Clemens Alexand l. 1. Strom. Eusebius in Chron. Chronicon Alexandrinum, Nicephorus, Gagneus, Bibliander. *At vigintiocto* fuisse Hebræi communiter in Seder Olam cap. 12. R. Salomon, R. Kimhi, R. Abram Zagut, R. Godolias in catena fol. 14. & 97. Masius in cap. vlt. Iosue Phrygio, & alij, triginta Eupolemus apud Euseb. lib. 9. de præpar. *Triginta annum duo sue* Q. Iulius Hilarion, Sebastianus Verronius, & Functius. Maior itaq; pars stat pro annis circiter 28. Nam qui annos 17. contendunt, vt Salianus, Tirinus, & Philippi ex eo quod alioquin ex annis Iosue & Iudicum non efficietur summa annorum 480. quos l. 3. Regum cap. 6. numerat ab Exodo ad fundamenta Templi, quam sit id incertum, & obscurius conclusione inde probata, patebit ex capite sequenti. Iam si cum communi Hebræorum supponamus fuisse annos 28. incompletos, sed 27. completos, mortuus fuerit Iosue anno 68 ab Exodo, ideſt Abrahami 623. & succesſerit Moysi annos natus 83. ortusq; fuerit anno Abrahami 514. quod interim probabilius censeo.

8 Quod spectat ad annos Sabbaticos, Iubilæosq; & eorum exordium, iam libro primo cap. 16. omnes has quæstiones expediuimus; eo igitur Lector recurrat, videbit enim probabilius esse primum annorum Sabbaticorum fuisse annum 14. Iosue, ideſt Abrami, secundum nos 608. & primum Iubilæorum annum Abrahami 658.

CAPVT VIII.

De Annis ab Exodo, ad Fundamenta Templi Salomonis.

CONCLVSIO VIII.

Quamuis ex 3. Regum cap. 6. vt iacet nunc in Vulgata editione, & propter multorum auctoritatem videatur probabile ab Exodo ad fundationem Templi Salomonici interfuisse Annos CDLXXX. Reuera tamen quia ex libris Geneſis, Iudicum, & Regum simul certò, ex Actis autem Apostolor. c. 13. probabiliſsimè, multo plures Anni huius interualli colliguntur nempe DLXXX. valde probabile est corrigendum Librariorum mendũ in Vulgata, reponendoſq; annos DLXXX. aut annos CDLXXX. aliunde computandos esse, quàm à primo egreſsu Israelitarum ex Aegypto.

1 DIfficillimam de his annis controuersiam reddidit multiplicitas opinionum orta ex tribus Sacræ Scripturæ libris, in hoc apparenter sibi repugnantibus; videlicet ex toto libro Iudicum, ex lib. 3. Regum c. 6. & ex Actis Apostolorum c. 13. Opinionum autem quædam suppeditant nobis fundamenta, quibus nituntur, quædam nudam summam annorum. Exordiar à prioribus. Iosephus lib. 10. antiq. cap. 11. ait Templum Salomonis concrematum à Nabuchodonosore anno ab ipsius fundatione CDLXX. & Exodo MLXII. subtrahe 470. ab 1062. restant ab Exodo ad fundationem DXCII. & totidem habentur in Græco Codice lib. 8. antiq. cap. 2. vbi πεντακόσια, καὶ ἐνενήκοντα, καὶ δύο; *quingenti nonaginta duo*. Mendum enim est in Sigismundi Gelenij Latina translatione vbi DCX. pro DXCII. at ex datis ab ipsomet Iosepho colliguntur anni 597. Nam lib. 6. antiq. c. 6. inquit: *Sub Moyse enim, & discipulo eius Iesu, qui tum exercitui cum imperio præfuit, optimates rem administrabant; post cuius mortem octodecim annis populus sine summo Magistratu vixit. Deinde rursus ad pristinam regimiuis formam redierunt, cum qui belli gerendi scientia, & fortitudine præcelleret, Iudicem supremum constituendo. Proinde totũ hoc tempus, quo talis status durauit, Iudicum appellarunt. Samuel autem Propheta &c.* Demptis igitur ex anarchia annorum 18. annis 8. seruitutis sub Chusano, de quibus mox, restant anni 10. pro senioribus, quibus post mortem Iosue viuentibus, populus mansit in cultu Dei. Anteà verò lib. 4. c. 8. retulit Moysis principatum annorum 40. & lib. 5. c. 1. Iosue præfecturam *post Moysis obitum annorum*

	Iudices, vel seruitutes.	Anni
Anarchia.	Moyses in deserto	40
	Iosue.	25
	Seniores post eũ	10
	Seruit. sub Chusã	8
	Cenizus.	40
	Seruit. sub Eglon.	18
	Ehud.	80
	Sanagarus.	1
	Seruit. sub Iabin.	20
	Barac, & Debora.	40
	Seruit. sub Madianitis.	7
	Gedeon.	40
	Abimelech.	3
	Iairus.	22
	Seruit. sub Ammonitis.	18
	Iephthe.	6
	Apsanes.	7
	Helon.	10
	Abdon.	8
	Seruit. sub Philist.	40
	Samson.	20
	Elis, seu Helis.	40
	Samuel solus.	12
	Samuel, & Saul.	18
	Saul solus.	20
	Dauid.	40½
	Salomon.	3½
	adde Tholæ 23.	597 62

norum vigintiquinque: & cap. 2. ad Anarchiæ tempus refert gesta à tribubus Beniamin, & Dan, quæ in libris Iudicum narrantur à capite 19. ad finem; deinceps Iosephus à lib. 5. capite 3. ad finem libri, & libro sexto, atq; initio libri 7. recenset annos, quos fideliter eum perlegens ordinaui in adiecto Laterculo, sed in nostro Codice ex translatione Sigismundi Gelenij desunt anni 23. Tholæ Iudicis, quibus additis ad summam priorem, fiunt anni 620. Sed si anni 20. Samsonis includantur in annis 40. Philisthææ vexationis, cui inclusioni nihil repugnat narratio Iosephi, essent anni 600. At Isaac Vossius in Sacra Chronologia cap. 4. 7. & 20. colligit secundùm Iosephum annos 592. sed certè non ex Iosephi numeris partialibus, quos potius ex libro Iudicum desumit, & Iosue dat annos modo 26. modo 18. & Sauli simul cum Samuele modo 32. modo 40. & Anarchiæ annos 18. dissimulat. Supponendi sunt autem ex lib. 6. Iosephi c. 14. & 15. anni præfecturæ Samuelis solius 12. & cum Saule 18. & Saulis solius 20.

3 *Sulpicius Seuerus* paulo antiquior SS. Augustino, & Hieronymo, & extremis suis annis ijs coæuus lib. 1. Sacræ Historiæ à Moyse ad Salomonem vsque recenset singillatim annos, quos ex ipso in laterculo dispositui. De Iosue sic ait: *Iesus mortuus est anno ætatis decimo, & centesimo. De imperij autem eius tempore parum definio: frequens tamen opinio est XX. & VII. annis cum Hebræis præfuisse.* De Gothoniele ait: *Donec Gothoniel Duce in libertatem vindicati, per quinquaginta annos rerum potiti sunt.* Igitur non bene Sigonius ibi ait in his 50. annis contineri tempus totum à morte Iosue ad mortem Othonielis; nam annis 7. quibus subacti sunt à rege Mesopotamiæ rerum potiti non sunt; Post Samsonem nominat Simmichar, & ait populum fuisse deinceps sine duce, & ciuile bellum ortum contra Beniamitas, subiungit tamen multos annum vnum tribuere Simmicharo; multos immediatè post Samsonem collocare Heli, & concludit. *Nos eam rem, vt parum compertam, in medio relinquemus*: posteà de hac ambiguitate loquens: ait: *Cæterùm à morte Iesu vsque in id tempus, quo Samson defunctus est numerantur anni CCCCXIX.* Ex quo euidens est eum annos Samsonis non includere in annis 40. Philisthæorum: vbi non satis mirari possum Sigonij hallucinationem, qui non dubitat redigere hunc numerum ad 339. relictis nimirum annis seruitutum; quos tamen Sulpicius annumerat. Porrò annos regiminis Heli cum LXX. Interpretibus definit 20. propositis deinde dubijs hinc inde de annis Samuelis, & Saulis, concludit probabilius esse ex Actibus Apostolorum annos 40. spectare ad Samuelem, & Saulem simul. Tandem in Salomone ita concludit: *Quarto ferè imperij anno primum fundamentum iecit, à profectione Hebræorum ex Aegypto anno ferè octauo, & octogesimo, & quingentesimo. Licet libro Regnorum tertio CCCCXL. fuisse referantur: quod nequaquam conuenit. Siquidem per seriem superius comprehensam facilius fuerit, vt minus fortassis annorum, quam amplius annotarim. Sed non dubito librariorum potius negligentia, præsertim tot iam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quàm vt Propheta errauerit, sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, vt describentium incuria, quæ non incuriosè à nobis sunt digesta, vitientur.* Quid si Scholiastes aliquis ea vitiauerit? Nempe ibi Sigonius audet, ex falsa, de qua prius, opinione de annis à Iosue ad Samsonem, corrigere & hic Sulpicium ac reducere annos omnes ad DX. Cum ex datis à Sulpicio sint DXC. vel quia terminos includere noluit, vt securior esset de annis completis 588. plures potiùs indicans fuisse ob neglectos Anarchiæ annos ignotos.

	Anni
Moyses	40
Iesus	27
Seru. sub R. Mesopotamiæ	7
Gothoniel	50
Seru. sub Eglon	18
Adon	80
Semigar	1
Seru. sub Iabin	20
Barac, et Debora	40
Seru. sub Madian	7
Gedeon	40
Abimelech	3
Thola	22
Iair	22
Ser. sub Ammon	18
Iepta	6
Esebon	7
Allon	10
Abdon	8
Seru. sub Philisth.	40
Samson	20
Heli	20
Samuel, & Saul.	40
Dauid	40
Salomon	3
Summa	590

4 *Beda* in Acta Apostolorum ad cap. 13. exponens verba Apostoli illa. *Et dedit illis Saul annis quadraginta* subiungit: *Credo quia liber Regum non apertè quot annis Saul regnauit, exponit, Apostolum vulgo loquentem, hoc quod fama crebrior haberet, dicere voluisse. Sed quærentes sollicitius ibidem, sicut & Chronicorum libri testantur, inuenimus Samuel, & Saul annis quadraginta Israeli præfuisse: Factum est enim inquit, Quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorum Israel ex Aegypto, cœpit Salomon ædificare templum Domino anno quarto regni sui. Cum verò ad trecentos nonaginta sex annos, quibus Iudices præfuerunt, vt eorum liber indicat, quadraginta Dauid, & Salomonis quatuor adijcies, restant quadraginta, quorum (vt Iosephus testis est) Samuel viginti, & Saul alios totidem in regimine transegerunt.*

Quid Iosephus de his tradiderit, iam vidimus n. 1. Quod verò velit summam ex annis 396. Iudicum & 44. Dauidis, ac Salomonis; idest annos 440. detrahi ab annis 480. vt restent 40. pro Samuele & Saule, non rectè facit: anni autem 480. de quibus 3. Regum sunt anni ab Exodo ad Templum, non ab initio Iudicum ad templum. Deinde non apparet quo fundamento Iudicum annos definiat 396. Sed demus esse tales, vtique additis 40. Moysis, & 40. Saul, ac Samuel, & 44. Dauid, & Salomonis, fiunt 520. & si addas annos seruitutis 111. fiunt 631. si verò eos detrahas, restant 409. quare nullo pacto salua est illa summa annorum 480. quam ex 3. Regum pro fundamento adduxit.

Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum valde varius est in recensendis Iudicum annis, dat tamen *Iosue* annos 27. Gothonieli 50. distinctos à seruitute annorum 8. sub Chusachare, & Heli 40. & Samueli 27. & Sauli 20. deinde concludit: *Fiunt ergo à Iesu Naue vsque ad tempus, quo Dauid regnum accepit, vt nonnulli quidem volunt, anni quadringenti quinquaginta: vt autem proposita ostendit Chronographia, colliguntur anni quingenti vigintritres, menses; septem vsq; ad mortem Dauidis* additis ergo 40. Moysis in deserto, & 4. ferè Salomonis, fiunt ab Exodo ad fundamenta templi anni ferè 567.

5 Eusebius in Chronico numerat ab Exodo ad fundamenta Templi annos 480. fundans se in lib. 3. Regum c. 6. vbi scriptum est: *Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Aegypti in anno quarto mense Zio (ipse est mensis secundus) Regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit Domus Domini.* Et ita habet Chaldæus paraphrastes. & licet septuaginta Interpretes in editione Romana, & Parisina habeant. τεσσαρακοστῷ καὶ τῷ τρακοσιοστῷ ἔτει. nempe, *quadragesimo, & quadringentesimo anno.* Et ita legeretur tempore Sulpicij; posteà tamen in Complutensi editione, & Nobilius in notis ad Sixtianam, & Vulgata emendarunt reponentes ογδοηκοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει. *octogesimo, & quadringentesimo anno.* Salmanticensis quoq; Iudæus, qui scripsit Seder Olam ait: *Anno quarto regni sui cœpit Salomon extruere Templum, anno Mundi 3928. quo tempore finiunt anni 480. egressionis ex Aegypto.* Sed quia ex libro Iudicum simul cum libris Regum colligun tur multo plures anni, vt ex Iosepho, Clemente Alexandrino, & Sulpicio didicimus, & ex infra dicendis constabit, ideo Eusebius, eiusq; sectatores annos seruitutum includunt in annis Iudicum, ait enim Eusebius in priore Chronico. *Hebræorum primus Iudex de tribu Iuda Gothoniel anni XL. post mortem Iesu tenuerunt subiectos Hebræos alienigenæ annis octo, qui iunguntur Gothonielis tẽporibus, secundùm Hebræorum traditiones*; & similiter affirmat de aliarum seruitutũ annis. Sed certè Iosephus eos non includit. Eusebium ni-

	Anni
Moyses	40
Iosue	17
Othoniel	40
Aod	80
Barac, & Debora	40
Gedeon	40
Abimelech	3
Thola	23
Iair	22
Iephthe	6
Abessan	7
Aialon	10
Abdon	8
Samson	20
Heli	40
Samuel, & Saul	40
Dauid	40
Salomon	4
Summa	480

hilomi-

hilominus secuti sunt, Osorius, Isidorus, Petrus Comestor in historia Scholastica, Hugo, Lyranus, Abulensis, Arias Montanus lib. de Seculis, Genebrardus cum aliquot Rabbinis recentioribus, item Marianus Scottus, Bellarminus, Gordonus, & Samerius in suis Chronicis, Scaliger lib. 5. emend. temp. p. 380. Origanus tomo 1. Ephemer. Torniellus ad annum Mundi 2591. nu. 17. Baradius, Sanctius, Cornelius à Lapide, Salianus, et Spondanus ad annum Mundi 2600. et 3023. Henricus Philippi in Synopsi Chronol. c 3. Tirinus in Chronico Sacro cap. 33. et Langius lib. 2. de Annis Christi c. 7. Inter quos Salianus, Henricus Philippi, & Tirinus ordinant annos, sicut vides in laterculo hic adiecto. Et Salianus cum Turcellino, & Ribera lib. 1. de templo admittit dici posse quieuisse terrã 40. annis sub Othoniele, ideſt vsque ad finem anni 40. etiam si non totis illis quieuerit, sed prioribus octo fuerint sub seruitute Chusan. Annos autem 17. Iosue eligunt, non alio fundamento, quã quòd non aliter stare potest summa annorum 480. iuxta Vulgatam.

6 Sed huic opinioni, licet multorum auctorum, obstat *Primò* annorum 17. Iosue gratis conficta paucitas, & contra plurimorum Doctorum, & Hebræorum traditionem, qui non minus quam 25. & multi 27. plurimi 28. tribuunt, vt diximus cap. 7. nu. 7. *Secundò* omissio annorum, quibus anarchia viguit, seu quibus non erat Rex, seu Iudex in Israel, vt expresse dicitur Iudicum 18. nu. 1. & 31. & cap. 21. num. 24. quos annos post obitum Iosue, vsq; ad primi Iudicis initium fuisse 18. asserit Iosephus lib. 6. antiq. c. 6. *Tertiò* inclusio illa seruitutum omnium in annis Iudicum, sub quibus Terra Israelitarum quieuisse dicitur est manifestè, non dico contra Iosephum, sed contra Sacram Scripturam, nec sine violentissima interpretatione potest adstrui, loquendo de primis quatuor, aut quinque seruitutibus. Quando enim tempore Iudicis alicuius Terra non omnino quieuit, sed ex parte tantum, vel incœpit quiescere, Scriptura non dicit *Quieuisse terram*; sic Iudicum 13. cum esset dictum de Domino: *Qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis*, & num. 5. prædictum fuisset, Manuæ filium ipsi nasciturum cum illa clausula: *& ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum* post descriptam nu. 15. victoriam Samsonis, qua in maxilla asini interfecit mille viros concluditur: *Iudicauitque Israel in diebus Philistym viginti annis*, quod repetitur in fine capitis 16. post narratam eius mortem quando secum oppressit omnes principes Philisthinorum, cum tribus millibus eorum. Quia enim à prima illa victoria cœpit quidem liberare Israelitas, sed tamen Philisthæi non destiterunt totaliter ab eo vexando quandiu vixit, seu annis 20. iudicauit Israel, ideo non est scriptum quieuisse terram, sed eum iudicasse, nec id simpliciter, sed: *In diebus Philistym*, ideſt quando adhuc Philisthæi ex parte dominabantur Israelitis, aut eos vexabant. Quam limitationem non addit Scriptura quando dicit alios Iudices iudicasse.

At quando post longam vexationem, & seruitutem sub alienigenis, Deus suscitauit Iudices, qui totaliter liberarunt populum snum à seruitute, & infestatione, apertissimè Scriptura distinguit annos seruitutis, ab annis totalis quietis, & pacificæ possessionis sic Iud. 3. num. 8. dicitur: *Tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, seruieruntq; ei octo annis, & clamauerunt ad Dominũ, qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos; Othoniel videlicet filium Cenez fratrem Caleb minorem, fuitq; in eo Spiritus Domini, et iudicauit Israel, egressusq; est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim Regem Syriæ, & oppressit eum. Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel.* Quis non videat ex his verbis colligi potuisse quidem Othoniel iudicasse Israel aliquantulo tempore ante illam victoriam, sed tamen annos 40. quietis post illam secutos nullo modo pertinere ad præcedentes annos 8. seruitutis? Similiter cum eodem cap. nu. 14. dicatur: *Seruieruntq; filij Israel Eglon Regi Moab decem, & octo annis, & postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem vocabulo Aod.* Et num. 30. post necem Eglonis concludatur: *Humiliatusq; est Moab in die illo sub manu Israel, & quieuit terra octoginta annis*; quis non agnoscat quietem 80. annorum fuisse postea quàm clamauerunt ad Dominum, & liberati sunt per Aod? Nam si anni illi 18. seruitutis inclusi fuissent in annis 80. facillimè, & veriori sensu, ac sine ambagibus minimè necessarijs, periculoq; decipiendi Lectorem dixisset: *Quieuitq; terra sexaginta duobus annis.*

At inquies, Iudicum 4 num. 3. de Iabin Rege Chanaam, eiusq; duce Sisara dicitur: *Clamauerunt que filij Israel ad Dominum, nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos: Erat autem Debora Prophetissa vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.* Ergo quando narrata nece Sisaræ, & victoria de Iabin, in fine capitis 5. dicitur; *Quieuitque terra per quadraginta annos*, in his annis includitur seruitus prædicta, quia in diebus illius seruitutis, iam Debora iudicabat populum. Sed nulla, & falsa est hæc illatio, non enim dicit Scriptura Deboram iudicasse per 40. annos, imò licet inde feratur iudicasse ante illam victoriam, non tamen constat an ipsa deinde vel sola, vel cum Barac, vel hic sine illa iudicarint populum totis 40 annis quietis; Sed tamen explano Scripturæ contextu constat annos 40. quietis distinctos esse ab annis 20. vehementis oppressionis. Pariter quando Iud. cap. 10. num. 8. scribitur: *Dominus iratus tradidit eos in manus Philistyn, & filiorum Ammon; afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem, & octo,* & postea *quando* filij Ammon conuenerunt contra filios Israel in Galaad, & principes Galaad dixerunt: *Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad*, vt dicitur Iud. 10. num. 18. Capite autem 11. & 12. descriptis victorijs Iephthe num. 7. scribitur. *Iudicauit itaq; Iephthe Galaadites Israel sex annis, & mortuus est*: Satis liquet eum non fuisse electum in ducem, & principem Galaaditarum, & multo minus in Iudicem totius Israel, nisi post debellatos Ammonitas, & indirectè repressos Philisthæos eorumq; fœderatos, atque adeo sex annos hosce, non esse includendos in annis 18. seruitutis: præsertim cum sub sequentibus Iudicibus Abesan, Aialon, & Abdon nulla mentio fiat de Philisthæis.

Sed reuertendo ad filum historiæ: Cap. 6. Iudicum dicitur: *Fecerunt autem filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, et oppressi sunt valde ab eis*; qua oppressione narrata post pœnitentiam, clamoremq; ad Dominum, & post missum Gedeonem à Deo, & huius victorias de Madianitis tandem cap. 8. num. 28. concluditur. *Humiliatus est autem Madian coràm filijs Israel, nec potuerunt vltra ceruices eleuare, sed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.* Ergo non est sensus tantùm terram quieuisse, vsque ad finem anni quadragesimi; sed quieuisse, per quadraginta illos annos quibus præfuit Gedeon, qui certè nec præfuit illis annis 7. quibus oppressi erant valde sub Madianitis.

Quartò denique ex verbis Apostoli Actor. 13. congruentius intellectis colligitur ab Exodo ad Templi fundamenta, multo plures quàm 480. annos interfuisse, vt inferiùs ostendemus, ergo non debemus ob vnicum, ac singularem textum Vulgatæ in 3. Regum cap. 6. postponere tot alios eiusdem Scripturæ textus, aut illis violenta interpretatione abuti; sed potiùs in illo vnico, aut vitium à librarijs ortum agnoscere, aut interpretatione aliqua probabili conciliare cum alijs; & ideo duæ Classes Auctorum repertæ sunt, vna reprobantium summam annor. 480. altera conciliantium, quibus præiuit Canus, & Petauius.

7 *Melchior* enim *Cano* lib. 11. de locis Theol. cap. 5. ad Argum. 12. non existimat fidei, aut religionis quæstionem esse, num iste numerus annorum 480. vitio librariorum, vt de alijs locis constat, mendosus sit, cum ex libro Iudicum, vnà cum Genesi, & libris Regum colligantur minimum anni 574. ab Exodo ad Templi fundamenta, nihil de Iosue, & Senioribus loquendo; nec possint defendi anni 480. nisi dicendo auctorem libri Regum noluisse enumerare annos seruitutum, sed annos Ducum, Iudicum, & Regum, ideoq; concludit, *Anni ergo plures ab eo, quo Israel excessit de Aegypto, ad templi initia fluxere: sed Ducum, Iudicum, et Regum non fluxere nisi quadringenti octogita*: Cani sententiam secutus est Emanuel Sà, et Serarius in 3. Regum c. 6. et Gerardus Vossius in Itagoge Chronol dis. 8. cap. 7. in prima solutione. Sed mihi maius inconueniens videtur admittere Sacrum Hictoricum scientem, volentemq; numerum aut falsum, aut deficientem, et sine causa mutilatum, pro vero, et ad Chronologiam Sacram illustrandam idoneo,

ſubſtituiſſe, quàm errorem in numeris adſcribere Librarijs: Non enim dixit anno 480. *regiminis*, aut huiuſmodi, ſed anno *egreſſionis ab Aegypto*, ergo voluit deſignare tam certum annorum numerum, quam certam Epocham, vnde illi computandi eſsent. Abſolutè itaque loquendo iuxta opinionem hanc ab Exodo ad Templi fundamēta ſunt multo plures anni quam 480.

8 Dionyſius Petauius lib. 9. de Doctrina tempor. cap. 33. & Petrus Poſſinus in Genealogia Chriſti cap. 23. vt conciliet annos Iudicum, cum annis 480. dicunt in 3. Regum cap. 6. annos computari non ab Exodo ſeu egreſſu ex Aegypto, inito à tranſitu per mare Rubrum, ſed ab egreſſu poſt 40. annos completo, quando cum arca tranſierunt per Iordanem. Idcirco enim in pſalmo 113. ſimul poni quædam in principio, quædam in fine annorum 40. facta, canitur enim: *In Exitu Iſrael de Egypto*, & paulo poſt *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuerſus, eſt retrorſum*. Sic Deuteronomij 4. num. 45. & 46. expoſitio Deuteronomij dicitur facta à Moyſe, *Quando egreſſi ſunt de Aegypto*, cum tamen conſtet factam eſse ſub finem 40. annorum & vitæ Moyſis: itaq; à primo Exodo ad fundamenta Templi fuiſſe re ipſa annos 520. ſed ab Exitu conſummato poſt 40. annos eſse annos 480. ad quos ipſos colligendos, cum anni primarum quatuor ſeruitutum euidenter in Sacra Scriptura diſtinguantur ab annis Iudicum, aliarum tamen ſeruitutum annos non diſtinguunt. Ordo autem annorum, & Syntaxis apud Petauium, talis eſt, qualem in laterculo hic vides.

	Anni
Moyſes	40
Ioſue	14
Seniores	10
I. Seruitus	8
Othoniel	40
II. Seruitus	18
Aod	80
III. Seruitus	20
Debora	40
IV. Seruitus	7
Gedeon	40
Abimelech	3
Thola	23
Iairus	22
V. Seruitus	0
Iephthe	6
Abeſan	7
Elon	10
Abdon	8
VI. Seruitus	0
Samſon	20
Heli	20
Samuel, & Saul	40
Dauid	40
Salomon	4
Summa	520
Sine Moyſe	480

Hic modus conciliandi, licet precedenti ingenioſior, & tolerabilior, abſolutè tamen minus placet. *Primò* quia contra communem opinionem Hebræorum, & aliorum annos Ioſue, qui fuere plures quam 25. reſtringit ad 14. non alio fundamento, quàm, vt colligat ſine annis Moyſis, annos 480. *Secundò* quia omittit tempus *Sangari*, qui iudicauit poſt Aod, & tempora intermedia inter mortes Iudicum, & initia ſeruitutum, neque enim Deus tradebat populum ſuum in manus alienigenarum, niſi poſtquàm mortuis Iudicibus ad Idololatriam aliaue peccata delapſi, vel relapſi erant; *Tertiò* quia aliud eſt dicere *Anno* 480. *Egreſſionis filiorum Iſrael ex Aegypto*, & Chronologi munus exercendo, temporis certi interuallum, & Epocham annorum deſignare, vt ſolet fieri in rebus memorabilibus, & vt voluiſse deſignare apparet ſacrum hiſtoricum, aliud in eodem cantico, aut narratione recenſere tum ea quæ ab initio facta ſunt, tum ea quæ poſtea ob connexionem rerum, & mirabilia Dei ſucceſſiuè patrata ad fauorem populi Iſraelitici, nec in illius Cantici perioche deſignatur exitus ab Aegypto tantum, ſed etiam à populo barbaro reliquo, qui ſe in via per deſertum, aut in tranſitu ad Chananitidem oppoſuit. Illud verò: *Quando egreſſi ſunt*, præteritam iam egreſſionem ſignificat, & ex Hebraico æquè bene, ſi non melius, verti potuit: *Poſtquam egreſſi ſunt*, vt contra Petauium notat Langius lib. 2. cap. 7. Denique 40. annorum intercapedo non patitur vt vnus egreſſus, & alter moraliter pro eodem accipiantur. Vt nihil dicam de annis 18. quintæ ſeruitutis confuſis cum annis diuerſorum Iudicum, quod non poteſt fieri ſine vi illata Sacro textui, vt diximus nu. 6. dum de Iephthe.

9 Reliquas opiniones non habeo vnde examinem, ſed eas vna cum præcedentibus in ſequenti Synopſi propono.

Ab Exodo ad Templi fundam.	Anni
Septuaginta Interpretes 3. Reg. 6. in aliquibus editionib. In alijs.	440 480
Vulgata, et Hebr. Codices, Euſebius, et alij adducti nu. 5.	480
Aimoinus lib. 4. de Geſtis Francorum.	489
Beda Retract. in Acta Apoſt. c. 13.	490
antea ibidem, ex datis ab ipſo	520
et additis ſeruitutibus.	631
Rufinus in parua transl. Ioſephi eumq; ſecuti Hugo, et Carthus in 3. Reg. cap. 6. ac Sabellicus Enneade 1. libri 9.	502
Sigonius ex Sulpicio Seuero malè intellecto.	510
Petauius, et Poſſinus ex datis num. 8.	520
Septuaginta Interpr. in edit Germanica.	540
Tyrij apud Theophilum lib. 3.	560
Clemens Alexandr. l. 1. ſtrom.	567
Melchior Cano ſine Ioſue annis.	574
Nos infra à numero 10.	580
Sulpicius Seuerus l. 1. hiſt.	588
Sed ex datis ab ipſo	590
Ioſephus Hebr. l. 8. c. 2. et l. 10. c. 11.	592
Sed ex datis ab ipſo, ſine Thola	597
cum Thola	620
Theophilus Antiochenus l. 3.	602
Ioſephus in quibuſdam Codicibus apud Abulenſem 3. Regum c. 6. q. 4. et Pinedam l. 5. c. 5. de rebus Salomon.	602
Nicephorus Conſtantinopolitanus.	634
Cedrenus in Hiſtoria Eccleſ.	672
Philaſtrius 3. parte hæreſi 63.	713
Quidam apud Nicephorum.	757

Secunda pars Concluſionis de Annis 580.

10 PRima Concluſionis noſtræ pars de annis pluribus quàm 480. probata eſt iam ex dictis hactenus, et magis probabitur ex ſecunda parte; pro qua ſingillatim afferemus fundamenta noſtra. *Primò* enim de annis 40. Moyſis, de quibus Exodi 7. cum Deuteronomij 37. nemo dubitat. Ioſue annos 28. rexiſse communior eſt Hebræorum opinio, vt retuli c. 7. nu. 7. quæ opinio media eſt inter 25. et 31. ab alijs aſsertos; et eadem cum afferente annos 27. excluſis terminis pro qua multi ſtant. A Ioſue autem vſq; ad primū Iudicum Othoniel annos eſse 18. quorum vltimi 8. ſpectant ad ſeruitutem primam ſub Chuſano, reliqui præcedentes 10. ad Seniores, quibus ſuperuiuentibus, populus permanſit in cultu, et timore Domini, oſtendimus ex Ioſepho nu. 1. Neque enim Iudicum 2. nu. 7. et Ioſue 24. nu. 31. dicuntur illi Seniores rexiſse, aut iudicaſse populum ſed ſic: *Seruiuitq; Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & Seniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, et qui nouerunt omnia opera Domini, quæ fecit in Iſrael.*

11 *Secundò* ſeruitutem primam annorum 8. ſub Chuſano non includi in annis 40. quietis ſub Iudice Othoniele, nec ſeruitutem ſecundam annorum 18. ſub Eglone in annis 80. quietis ſub Aod Iudice, patet ex dictis num. 6. et confirmat Serarius in cap. 3. Iudicum, tum ex Ioſephi libro 5. c. 4. vbi græcè per aoriſtum dicitur de Othoniele, ἄρξας ἐ᾽π᾽ ἔτη τεσσαράκοντα καταστρέψη τὸν βίον: *cum imperaſſet ad annos quadraginta, vitam cum morte commutauit*. Addit etiam ridiculum eſſe auſpicari annos 40. quietis ab initio ſeruitutis, non ſecus ac ſi quis ægrotaſset annis 8. & poſtea Sanatus ac viuens in ſanitate annos 32. rediculè diceretur ſanus fuiſse annos 40. *Sangarium* autem poſt Aodum iudicaſse anno ferè vno patet ex Ioſepho l. 5. c. 5. vbi ait. *Sanagarus cum imperaſſet vix toto vertente anno vitam finiuit.* Et Scriptura diſertè dicit. *Poſt hunc fuit Sāgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthyn ſexcentos viros vomere, et ipſe quoque defendit Iſrael*, ergo eius annus non includitur in vltimo ſub 80. anno quietis ſub Aod, tum quia fuit *Poſt hunc*, tum quia illo vltimo anno fuit quies, at non ſic anno Sangari, quia opus fuit, vt defenderet Iſrael à Philiſthæis. De diſtinctione quoque annorum 20. ſeruitutis ſub Iabin,

ab

ab annis 40. quietis sub Debora, & annorum 7. seruitutis sub Madian, ab annis 40. quietis sub Gedeone, & annorum 18. seruitutis sub Ammonitis, ab annis 6. Iephthe, ac sequentium Iudicum, constat ex dictis nu. 6. & ex nostro Serario in librum Iudicum.

Liber Iudicum		Iudices, & Seruitutes.	Anni	Anni
		Moyses.	40	
		Iosue.	28	21
I	n	Seniores.	10	10
3	8	1 Seru. sub Chusan.	8	8
3	11	Othoniel.	40	40
3	14	2 Seru. sub Eglon.	18	18
3	31	Aod.	80	80
3	31	Sangar.	1	1
4	3	3 Ser. sub Iabin.	20	20
5	32	Debora, Barac.	40	40
6	2	4 Ser. sub Madian.	7	7
8	28	Gedeon.	40	40
9	22	Abimelech.	3	3
10	2	Thola.	23	23
10	3	Iair.	22	22
10	8	5 Ser. sub Ammon.	18	18
12	7	Iephthe.	6	6
12	9	Abesan.	7	7
12	11	Aialon.	10	10
12	14	Abdon.	8	8
13	1	6 Seru. sub Philist. annorum 40. eius anni priores.	20	20
15	20	Samson cum Heli.	20	20
		Lib. 1. Reg. c. 4. nu. 18. iuxta LXX. Heli solus	20	20
		Interstitia Iudicum, & seruitutum.	7	7
1 R. 7		Samuel solus	20	450
		Samuel, & Saul.	18	
		Saul solus.	2	
2 R. 5		Dauid.	40	
3 R. 6		Salomon	4	
			580	

12 *Tertiò* annos 20. Samsonis includi in annis 40. vexationis Philisthinorum liquet ex lib. 15. Iudicum nu. 20. vbi dicitur de illo: *Iudicauitq; Israel in diebus Philistyn viginti annis*, ideſt in diebus dominationis Philisthinorum, quod antea num. 11. expressum fuerat verbis illis Israelitarum ad Samsonem: *Nescis quod Philistyn imperent nobis?* In ijsdem annis 40. dominationis Philisthinorum includi annos priores 20. Heli inde colligimus, quod num. 1. Regum cap. 4. num. 18. dicatur in vulgata iudicasse Heli 40. annis, tamen septuaginta interpr. & cum eis Sulpicius Seuerus, dicunt iudicasse annos 20. nempe solum post Samsonem, antea verò reliquos viginti vnà cum Samsone, quo absente vel occupato in rixis, ac prælijs cum Philisthæis, & consentiente, Heli siue Iudex, siue proiudexe aut arbitrer causarum, tanquam summus Pontifex habebatur, sic enim conciliantur optimè duæ illæ editiones.

13 Quartò à morte Heli, & Samuelis initio, ad mortem Saulis numerandi sunt anni 40. id enim significant Apostoli verba Actor. 13. nu. 20. *Dedit iudices vsq; ad Samuelem prophetam, & exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Deus Saul filiũ Cis de tribu Beniamin quadraginta annis.* Vbi non ait Saulem regnasse annos 40. sed à fine Iudicum postquam Samuel Propheta in eorum locum successit, postulasse illos Regem, qui regnauit vsq; ad annum 40. exinde computatum, ideſt à fine Iudicum, & initio Samuelis: Licet enim Samuel iudicarit populum post Heli vsq; ad sui mortem iuxta illud 1. Regum c. 7. nu. 15. *Iudicabit quoq; Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ: et ibat per singulos annos circuiens Bethel, et Galgala et Masphath, et iudicabat Israelem in supradictis locis reuertebaturq; in Ramatha, ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem.* Quia tamen præeminebat in eo Sanctitas, & Prophetiæ donum, maluit Apostolus Prophetam, quàm Iudicem appellare. Proinde in illis annis 40. includi præfecturam Samuelis, & regnum Saulis communis est opinio, ita Sulpicius Seuerus l. 1. in Saule, vbi de dictis verbis Apostoli ait: *Quanquam ego arbitror, tum à Paullo etiam Samuelis annos sub regis istius ætate numeratos.* & paulo infra: *Nos in tanta erroris copia, Chronicorum annotationem secuti, qui eam ex Apostolorum actibus (sicut superius memorauimus) profectam arbitramur, Samuelem, & Saulem XL. annos principatum egisse referimus.* ita & Eusebius in Chronico Beda in 13. Act. Cedrenus, Nicephorus. Constantinopol. in Chronico, ibiq; Contius, Chronicon Alexandrinum, Abulensis 1. Reg. c. 9. q. 1. & c. 13. q. 1. Lyranus, & Glossa interlinearis in 13. Act. Adrichomius c. 9. Genebrardus in Chron. Io. Lucidus, Sebastianus Verronius l. 4. Chronicor. cap. 2. Torniellus, & Spondanus Anno Mundi 2978. ex nostris autem Bellarminus in Chronol. Ribera l. 1. de Templo cap. 1. Lorinus in c. 13. Actor. Pineda l. 8. Salomonis c. 2. Petauius l. 9. c. 32. Henricus Philippi in Synopsi Chronol. c. 4. Gordonus in Chron. Tirinus in Chronico sacro cap. 6. & Salianus anno Mundi 2962. & 2964. vbi allegat Mercatorem, Bibliandrum, Caluisium, Codomanum, Capellum, Carionem, Functium, Temporarium. Et hoc modo conciliantur S. Augustinus 18. de Ciuit. c. 20. & Chrysostomus homil. 4. in Acta dantes Sauli annos 40. regni cum Freculpho in Chronico dante Samueli 40. Quot verò annos seorsim rexerit Samuel, & Saul magna est inter scriptores diuersitas de qua videri possunt Salianus, & Tirinus supra. Nos censemus Samuelem seorsim iudicasse annos 20. & aliquot menses, reliquos verò ferè 18. cum Saule, & omnino 38. Saulem autem cum Samuele ferè 18. & solum mortuo Samuele annos 2.

14 *Quintò* enim ita ratiocinamur: mortuo Heli arca Dei mansit 7. mensibus apud Philisthæos 1. Reg. c. 6. & restituta Hebræis mansit in Cariathiarim annos 20. quo anno 20. currente Samuel conuocauit Israel in Maspha, nam cap. 7. dicitur. *Et factum est ex quo die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies, (erat quippe iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israel post Dominum. Ait autem Samuel etc.* narraturque ibidem victoria quam orante, & sacrificante Samuele reportarunt de Philisthæis, & statim cap. 8. narrantur Israelitæ postulasse Regem, & c. 9. Saulis electio & c. 10. vnctio; ergo verisimiliter incœpit Saul, sub finem anni 20. vel initium 21. Samuelis, de cuius initio dicitur c. 13. *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.* Hoc est vt exponunt S. Hieronymus ibi, Rupertus ibi, & l. 2. in Apocalipsim, B. Petrus Damianus lib. 2. Epist. 20. Theodoretus q. 28. S. Gregorius in cap. 13. Regum, & cum illis Procopius, Lyranus, Abulensis, Angelomus, Dionysius, Sà & communiter Interpretes: *Sic erat innocens quando regnare cœpit, sicut filius est vnius anni: et in eadem innocentia duobus regnasse annis dicitur*; verba sunt Hieronymi, & Ruperti: *licet enim multis annis regnauit*, ait S. Gregorius, *illis solis regnare dicitur, in quibus innocens, et humilis fuisse perhibetur.* addit Theodoretus, reliquum tempus deputari administrationi Samuelis potius quàm regno Saulis. Potest tamen intelligi ad literam Saulem regnasse duobus annis solum, seu post mortem Samuelis, Nam Iosephus l. 6. antiq; c. 14. & 15. regnasse eum cum Samuele annis 18. affirmat, quibus additis ad annos 20. Samuelis fiunt 38. & ad 40. qui vtriusq; regimini debentur supersunt duo illi, qui seorsim Sauli debentur. Et Clemen Alexandrinus l. 1. strom. *Mortuus est Samuel duobus annis ante Saulem.* Quæ expositio de duobus regni annis à morte Samuelis, et Rufini in versione Iosephi, Comestoris in 1. Regum c. 27. Bedæ in exposit. allegorica lib. 1. Regum l. 4. c. 7. Abulensis in 1. Reg. c. 8. q. 2. quid quid sit de textu Apostoli l. 6. c. 15. vbi habetur Saulem mortuo Samuele, regnasse annos δύο καὶ ἴκοσι, nam illud ἴκοσι adiectitium esse, contra mentem Iosephi putat Salianus Anno Mundi 2977. Natum verò Samuelem anno 1. quo Heli iudicare cœpit cum Torniello, et Saliano ad Annum Mundi 2900. puto ob rationes ab ijs adductas.

Sextò

15 *Sextò* demum certum esse videtur, non statim à die mortis Iudicum, Israelitas in apostasiam, et alia delicta relapsos esse, et ea ipsa die traditos in Captiuitatem alienigenarum; sed illud Iudicum 2. nu. 19. *Postquam autem mortuus esset Iudex reuertebantur, & multo faciebant peiora, quàm fecerunt patres eorum sequentes Deos alienos &c. Iratusq; est furor Domini in Israel &c.* intelligendum est cum aliqua latitudine temporis, nempe, vt aliquot diebus, aut mensibus post luctum defuncti Iudicis, paulatim ex consuetudine cum infidelibus ad Idololatriam reuerterentur, vnde Deus non diu dilata pœna suscitaret contra eos extraneos Reges, et in eorum seruitutem eos traderet, ita vt à morte Iudicis ad initium seruitutis vnus minimum annus interlaberetur, vel paulo amplius, quare partim pro 6. seruitutibus, vel pro 5. posterioribus, partim pro aliquot mensibus supernumerarijs in eo interregno, aut post annos solidos quietis, & præfecturæ Iudicum abundantibus posui annos 7. vt mihi proueniret numerus annorum 580. ab Exodo; & numerus annorum quasi 450. à distributione terræ, vsq; ad Samuelem: vt vides in Laterculo hic inserto, vbi penultima columna habet annos pro summa 580. & vltima annos 449. qui sunt quasi 450.

Tertia pars Conclusionis de Annis quasi 450. ex Actorum 13. ad hoc interuallum spectantibus.

16 ACtorum 13. nu. 16. S. Paulus inquit in Vulgata: *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cum essent incolæ in terra Aegypti, & in bracchio excelso eduxit eos ex ea per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto: & destruens gentes septem in terra Chanaam, sorte distribuit eis terrā eorum quasi post quadringentos, & quinquaginta annos, & post hæc dedit Iudices vsque ad Samuelem Prophetam.* At Græcus Codex habet: καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδοκε κρίτας ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου: nempe. *Et post hæc per annos quadringentos, & quinquaginta, dedit Iudices, vsque ad Samuelem prophetam.* Syriacus autem Codex habet: *Post hæc quadringentis, & quinquaginta annis dedit eis Iudices &c.* Ex diuersis hisce lectionibus duæ sunt natæ opiniones, vna de annis 450. ante diuisionem terræ, altera de ijsdem post diuisionem terræ Chanaan.

17 Beda enim in Acta Apostolorum cap. 13. & cum eo Petrus Comestor, Glossa ordinaria, Hugo, Lyranus, Charthusianus, Salmeron, Barradius lib. 5. harmon. Euang. c. 20. Lorinus, Sanctius, & Cornel. à Lapide in 13. Actor. Petauius lib. 9. c. 33. Salianus anno Mundi 3023. ac Tirinus in Chron. Sacro c. 22. computant annos illos 450. ab Isaaci ortu, ab illo enim vsq; ad Exodum fluxisse aiunt annos illos 400. quibus Deus Genesis 15. prædixit Abrahæ semen ipsius peregrinum futurum in terra aliena, additis enim annis 40. peregrinationis in deserto, & annis 7. ante diuisionem terræ, fieri annos 447. idest quasi 450. Sed hanc opinionem præferre non possumus *primò*, quia iam cap. 6. num. 6. & 7. euicimus annos illos 400. computandos esse à peregrinatione prima Isaaci, vsque ad exitum ex deserto in Chananitidem, quibus etiam si addantur anni 7. post quos diuisa fuit terra per sortes, fiunt 407. qui nullo modo possunt dici quasi 450. *Secundò* quia iuxta transpositionem illam clausulæ: *Et post hæc* repertam in Codicibus Vulgatæ, locutio Apostoli euadit si non minus ordinata, eo quòd prius viderentur memorandi anni ante Exodum, deinde anni 40. in deserto, & tertio loco anni, post quos facta est distributio, saltem euadit manca imperfecta, & suspensa, quia, sic ne indicatur quidem Epocha, seu terminus à quo anni illi 450. computandi sint, præsertim cum idem Apostolus, ad Galatas 3. computarit annos 430. à promissione Abrahæ facta, & confirmata per modum testamenti, vsque ad Legem Moysis, simile quid ergo & hoc loco debuit præstare, præterea, cum deinde enumeret annos 40. à Samuele ad Dauidis initia, debuit etiam certam mensuram annorum à distributione terræ ad Samuelem recensere, ne tanto hiatu, vacua relinqueretur Chronologica illa series, quam exorsus erat.

18 Altera itaq; opinio inhærens Græcè, & Syriacæ editioni est Q. Iulij Hilarionis lib. de Mundi duratione, Cajetani in 13. Actor. Gagnei, Erasmi, & Paquini apud Lorinum in Acta cap. 13. versu 20. Melchioris Cani XI. de locis cap. 5. ad arg. 12. Gerardi Vossij in Isagoge Chronol. diss. 8. cap. 6. et apud eum Caluisij Funccij, Temporarij, item Isaaci Vossij in Chronologia Sacra cap. 4. videlicet annos illos 450. numerari per Apostolum ab anno vltimo distributionis terræ Chananitidis, vsque ad Samuelem, quo tempore Israelitæ non fuere sub Regibus proprijs, sed sub Iudicibus, quandiu non seruiebant alienigenis, sic enim euadit narratio Apostoli ordinatissima, clarissima, et perfectissima, merificèq; consentiens cum interuallo, quod ex libro Iudicum colligitur. Enumeratis enim annis 40. deserti, et indicatis annis distributionis per sortes post septem nationes superatas, subiungit *post hæc annis quasi* 450. qui sunt ab illa distributione ad Samuelem, Deum eos gubernasse per Iudices antequam postularent dari sibi Regem. Nos autem ex libris Iudicum fidelissimè examinatis, et prudentia propemodum necessaria insertis annis 7. interstitiorum inter mortes Iudicum, ac seruitutes, et detractis ab annis 28. Iosue prioribus 7. spectātibus ad distributionem terræ, et debellationem septem gentium reperimus, vsque ad Samuelem annos 449. qui sunt quasi 450. Quid igitur plura requirimus potuitne maior parallelismus, et consensus ad veritatis indicium excogitari? aut forte putamus casu id euenisse non autem ex ipso fonte veræ, et antiquæ Chronologiæ Hebræorum? Quod enim in Vulgata transpositio vnius copulæ, et quæ sensum variauit, corrigenda sit, nec mirum, nec inconueniens esse patebit ex dicendis, de correctione numeri annorum 480. in lib. 3. Regum cap. 6. non enim sine causa fit, sed ex ipso fonte Græco, et Syriaco, ex quibus vertendum fuit: *Et quasi quadringentis quinquaginta annis post hæc dedit Iudices.*

Quarta pars Conclusionis de corrigendo numero annorum CDLXXX. & reponendo DLXXX.

19 QVi numerum annorum 480. ab Exodo ad fundamenta Templi mordicus retinent, id potissimum faciunt, quia ille numerus est in Hebraica, et in Latina vulgata editione, ad quam recipiendam pro Canonica in omnibus suis partibus obligamur ex decreto Cōcilij Tridentini Sess. 4. Atqui ex eodem decreto inter libros Canonicos est liber Iudicum, et ex eo secundùm vulgatam manifestè colliguntur, vna cum Genesi, et libris Regum pro illo interuallo multo plures anni quàm 480. nec possunt hi defendi, nisi violenta, imò alicubi apertè repugnante interpretatione: quid enim repugnantius, quam dicere in annis illis 40. de quibus Iudicum 8. versu 28. asseritur. *Humiliatus est autem Madian coram filijs Israel, nec potuerunt vltra Ceruices eleuare, sed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit*; dicere inquam inclusos esse annos illos 7. de quibus cap. 6. versu primo scriptum est. *Fecerunt autem filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian 7. annis, et oppressi sunt valde ab eis.* Nam si inter illos 40. sunt hi 7. anni, ergo falsum est, annis illis 40. quibus præfuit Gedeon quieuisse terram, nisi quis adeo desipiat, vt putet quieuisse Israelitas in terra sua, quando valde opprimebantur à Madianitis, cum potiùs, *clamarint* tandem *ad Dominum postulantes auxilium contra Madianitas*, vt dicitur cap. 6. nu. 7. Falsa enim esset illa particula aduersatiua, *sed*, per quàm apertè distinguitur quies 40. annor. post humiliatos Madianitas à tota illa oppressione annorum 7. Nec verò vnico huic, sed alij multis textibus vulgatæ vis inferenda est (ne quid dicam de Apostoli verbis Actorum 13. congruentius intellectis) vt saluus sit vnus textus annos 480. recensens sicut patet ex dictis num. 6. et 18. Ergo insistendo eidem decreto Tridentini, recipiendus est numerus annorum, qui ab Exodo ad Templum colligitur ex Genesi, libris Iudicum, et Regum ad literam sumptis, et sine violenta, aut repugnanti interpretatione intellectis; ille autem textus vnicus lib. 3. Regum c. 6. his repugnans, aut corrigendus est, aut solida aliqua interpretatione conciliandus; at nullam adhuc inuenimus: nobis enim, nec illa interpretatio de annis 480. spectantibus solum ad annos regiminis sub Ducibus, Iudicibus, et Regibus, de qua nu. 7. nec illa

de

de annis 480. ab egreſsu ex deſerto, de qua num. 8. ſolidæ videntur. Reſtat ergo vt potius corrigendum agnoſcatur mendum Librarij, qui olim in Hebraico textu vnum centenarium omiſerit, et pro 580. ſcripſerit 480. Saluo ſemper iudicio Sedis Apoſtolicæ, cui hæc, et alia omnia noſtra ſubiecta eſse ſcimus, et volumus.

20 Negamus itaq; recipiendum eſſe ad literam illum textum Vulgatæ, qui repugnat alijs textibus eiuſdem Vulgatæ, nec poteſt ſolida interpretatione conciliari cum illis, ſiue in hoc, ſiue in alijs caſibus. Nam tempore Sulpicij Seueri, & S. Auguſtini Vulgata, & communis editio, quam ſequebatur Eccleſia, erat Latina verſio ex Græca LXX. Interpretum vt ex S. Auguſtino docuimus cap. 2. nu. 5. Et tamen in ea S. Hieronymus aliquot vitia à librarijs orta correxit, & Sulpicius, vt num. 3. retuli errorem in hoc puncto agnoſcens deduxit ex Sacra Scriptura annos 588. & tam multi Catholici antiqui ac recẽtes multo plures annos quàm 480. aſſeruerunt vt conſtat ex Catalogo numeri 9. quod certè non feciſſent, ſi putaſſent numerum annorum 480. eſſe neceſſario retinendum.

Accedit huc, quòd Concilium in ſuo illo decreto non obligat ad recipiendam Vulgatam in omnibus ſuis partibus, abſolutè, ſed limitando id ad res *Fidei, & morum*, & ad *Chriſtianam Doctrinam* ſpectantes, cuius modi non eſſe controuerſiam de numero annorum quando diuerſus numerus ex alijs ſcripturæ eiuſdem locis colligitur, nec vnanimi conſenſu Patrum prior eſt receptus, ſenſere S. Auguſtinus adductus à nobis c. 1. n. 7. & in caſu noſtro Melchior Canus l. 11. de locis theol. c. 5. cuius opinionem admiſit Sà, & Serrarius, itemq; Gerardus Voſſius in Iſagoge Chronologica diſſert 8. c. 7. & filius eius Iſaac Voſſius in Chronologia Sacra c. 20. atq; ante hos Carolus Sigonius in lib. 1. Sulpicij Seueri de Salomone ita loquens: *Cap. VI. libri 3. Regũ in Codice Hebræo numerantur anni CDLXXX. in Græco CDXL. quæ res torquet multos, qui cœlum terra miſcere malunt, quàm vt aliquid vitij, vel humana contractum incuria in ſacris libris aſſerant. Sulpicius autem natus ante annos mille ducentos, librariorum negligentia, mendoſa multa in ſacris libris facta eſse, præſertim in numeris cenſet*: & paulo poſt: *Nonnulli verò poſt tot annorum ſpatia, multaq; literarum detrimenta, omnia bene habere defendunt, ac ſophiſticis rationibus, ſynceritatem hiſtoriæ veritatis corrumpunt. In numeris autem annorum regum Iuda, & Iſrael, tanta diuerſitas, atq; aliquando abſurditas eſt, vt tutius eſſe videatur confiteri, eos librariorum culpa aliquando vitioſos eſse, quàm ad ineptas interpretationes, & ſolutiones confugere. Diuerſitas autem apparet, non ſolùm ſi ipſi numeri librorum Regum per ſe ſpectentur, ſed etiam multo magis, ſi cum numeris librorum Paralipomenon conferantur.* Quod autem dicit hoc loco libet vno ſaltem exemplo confirmare. Nam 2. Paralipomenon c. 21. n. 5. ſcriptum eſt: *Triginta duorum annorum erat Ioram cùm regnare cœpiſſet, & octo annis regnauit in Ieruſalem*. quod repetitur num. 20. mox capite 22. dicitur: *Conſtituerunt autem habitatores Ieruſalem Ochoziam filium eius minimum pro eo* &c. *regnauitq; Ochozias filius Ioram regis Iuda pro eo: Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, & vno anno regnauit in Ieruſalem*. Si Ioram pater eius mortuus eſt anno vitæ 40. & Ochozias ei ſucceſſit annorum 42. Ergo Ochozias biennio ante patrem ſuum natus eſt, quod eſt ridiculum, eſt ergo hic manifeſtum vitium antiquorum librariorum in Hebraica editione vnde Vulgatus Interpres illum expreſſit, & corrigendum eſt ex LXX. Interpretibus imò, & ex Vulgata in 4. Regum cap. 8. nu. 25. vbi dicitur. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet* &c. Sicut ergo pro 22. librarius Hebræus in Paralipomenis erraut ponendo 42. quid abſurdi eſt erratum eſſe à librario in 3. Regum c. 6. & pro 580. ſcriptum eſſe 480? Illum porrò errorem in lib. Paralip. agnoſcunt Petauius l. 9. c. 55. Salianus Anno Mundi 3150. nu. 11. & apud eum, Caietanus, Torniellus, Turcellinus, Scaliger, Capellus; idem agnoſcit Tirinus in Chron. Sacro cap. 29. Vbi aduertit facile fuiſſe ſcribere pro *Caph beth* ideſt 22. *Mem-beth* ideſt 42.

CAPVT IX.

De Annis à Templi Salomonici fundatione ad eius excidium à Nabuchodonoſore factum, & de his, ac reliquis Annis à Templi fundatione ad initium Mundi, de quibus in hoc libro hactenus diſputatum eſt, cum Epocha CHRISTI Connectendis.

CONCLVSIO IX.

A Saulis initio, vſque ad Annum XI. Sedeciæ durauit Regnum Hebræorum annos 488. *à diuiſione autem regni durauit Regnum Iudæ annos* 388. *Regnum autem Iſrael à Ieroboamo ad vltimum Oſeæ annos* 244. *A Templi Salomonici fundamentis ad eius excidium fuere anni* 425.

Fuit autem Saulis initium ante Epocham Chriſti anno 1075. *Templi fundatio, Anno* 1012. *diuiſio Regni* 975. *Excidium Regni Iſrael* 721. *Captiuitas Babylonica* 605. *Excidium Regni Iudæ; & incendium Templi anno* 587. *Reliqui anni Regum ordinari poſsunt, vt in ſequentibus Catalogis.*

QVantacunque indagine, ac diligentiſſima conquiſitione adhibita, nulla nobis certior, ac ſecurior methodus innotuit, qua poſſimus Epochas Hebraicas, & annos in Sacris libris recenſitos, connectere cum annis ante vulgarem Chriſti Epocham, quàm per annos Nabuchodonoſoris, & Cyri, illos enim ex Nabonaſſarij Epocha; hos ex Olympiadibus, & vtroſque ex Alexandri Magni annis notiſſimos habemus, quas tres inſignes Epochas, tum alij Characteres, tum præcipuè Eclipſes nobis manifeſtè connectunt cum Epocha Chriſti, aliunde autem Nabuchodonoſoris, & Cyri anni cum annis Regum Iudæorum connexi in ſacris libris habentur. Oſtenſum eſt autem à nobis libro 5. cap. 6. & 7. Nabuchodonoſoris Iunioris annum primum, Ioakimi Regis Iuda annum quartum, & initium Captiuitatis Babylonicæ incidiſſe in Annum DCV. ante Epocham Chriſti, & Ezechiæ Regis annum primum in Annum DCCXXVI. ante eandem Epocham, Cyriq; initium primum regnandi in Perſide in Annum DLIX. Monarchiam verò eius Babylone expugnata, & Captiuitatis Iudaicæ ſolutionem in Annum DXXXVI. ante Epocham Chriſti. Quare, ſi reliquorum Regum Iuda, & Iſrael annos ritè ordinauerimus, reliquos facile cum Epocha Chriſti, quo noſter diſcurſus, ac labor Chronologicus dudum anhelat, connectemus, ecce igitur Catalogum ex libris Regum concinnatum, & per partes deinde, vbi quid controuerſiæ fuerit, comprobandum.

CATALOGVS Regum Iuda, & Israel. Eorumq; initia in annis ante Epocham CHRISTI.

Init. Anno ante Epocham Christi.	
1075	*Saul* electus, & vnctus à Samuele regnat cum Iudice Samuele annos fere 18. & solus, mortuo Samuele annos duos, ex dictis cap. 7. nu. 14.
1055	*Dauid* lib. 2. Regum c. 5. nu. 4. *Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit; in Hebron regnauit super Iudam septem annis, & sex mensibus, in Ierusalem autem regnauit triginta tribus annis super omnem Israel, & Iudæ.* Quæ repetuntur 3. Reg. c. 2. nu. 11.
1015	*Salomon* de quo l. 3. Reg. c. 11. nu. 42. *Dies autem, quos regnauit Salomon in Ierusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt.*
974	*Roboam* filius Salomonis successit l. 3. Reg. c. 11. nu. 43. & c. 14. num. 21. dicitur *Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. Quadraginta, & vnius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset, decem, & septem annis regnauit in Ierusalem.*
976	*Ieroboam* filius Nabat, paulò post mortem Salomonis eligitur in Regem Israel ex l. 3. Regum c. 12. nu. 2. & 20. at cap. 14. nu. 20. dicitur. *Dies autem quibus regnauit Ieroboam viginti duo anni sunt.*
958	*Abiam* filius Roboami, de quo l. 3. Reg. cap. 15. *In octauo decimo anno regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam super Iudam: tribus annis regnauit in Ierusalem.*
955	*Asa* filius Abiami successit, l. 3. Regum c. 15. nu. 9. & additur. *In anno ergo vigesimo Ieroboam Regis Israel, regnauit Asa Rex Iuda, & quadraginta, et vno anno regnauit in Ierusalem.*
954	*Nadab* de quo lib. 3. Reg. c. 15. nu. 25. *Nadab verò filius Ieroboam regnauit supra Israel anno secundo Asa Regis Iuda, regnauitque super Israel duobus annis.*
953	*Baasa* filius Ahiæ, interfecto Nadabo, regnauit loco eius l. 3. Reg. c. 15. nu. 26. & 33. vbi additur: *Anno tertio Asa regis Iuda, regnauit Baasa filius Ahiæ super omnem Israel in Thersa viginti quatuor annis.*
930	*Ela* filius Baasæ succedit lib. 3. Reg. c. 16. nu. 6. & 8. *Anno vigesimo sexto Asæ regis Iuda, regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.*
929	*Zambri* seruus Elæ occiso à se succedit l. 3. Reg. c. 16. nu. 9. & 15. *Anno vigesimo septimo Asa regis Iuda regnauit Zambri septem diebus in Thersa.*
929	*Amri* princeps militiæ electus ab exercitu in Regem Israel l. 3. Reg. c. 16. nu. 15. vbi post interregnum, & discordias Israelitarum alijs sequẽtibus Thebni, vt constituerent eum Regem, alijs Amri: mortuo itaq; Thebni, Amri solus, & sine æmulo regnare cœpit: ibidem num. 23. *Mortuusq; est Thebni, & regnauit Amri: anno trigesimo primo Asa regis Iuda regnauit Amri super Israel duodecim annis regnauit: in Thersa regnauit sex annis*, reliquos enim sex regnauit in Samaria à se extructa.
917	*Achab* filius Amri mortuo successit, de quo lib. 3. Reg. c. 16. nu. 29. *Achab filius Amri regnauit super Israel anno trigesimo octauo Asa regis Iuda &c. In Samaria viginti, & duobus annis.*
914	Iosaphat filius Asæ mortuo successit ex lib. 3. Reg. c. 22. nu. 41. *Iosaphat verò filius Asa regnare cœperat super Iudam anno quarto Achab regis Israel. Triginta quinque annorum erat, cùm regnare cœpisset, & vigintiquinque annis regnauit in Ierusalem.*

Init. Anno ante Epocham Christi.	
896	*Ochozias* filius Achabo mortuo successit, de quo 3. Reg. c. 22. nu. 40. & 52. sic. *Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria anno septimo decimo Iosaphat regis Iuda, regnauitq; super Israel duobus annis.*
895	Ioram mortuo Achabo succedit 4. Reg. c. 3. nu. 1. *Ioram filius Achab regnauit super Israel in Samaria anno decimo octauo Iosaphat Regis Iudæ; regnauitque duodecim annis.*
889 vel 890	Ioram Iosaphati filius, de quo 4. Reg. c. 8. nu. 16. *Anno quinto Ioram filij Achab regis Israel, & Iosaphat regis Iuda regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda, triginta duorum annorum erat cùm regnare cœpisset, & octo annis regnauit in Ierusalem.* Corrige: *& Iosaphat rege Iuda.*
883	*Ochozias* mortuo Ioramo Iosaphati filio successit 4. Reg. c. 8. num. 25. *Anno duodecimo Ioram filij Achab regis Israel regnauit Ochozias filius Ioram regis Iudæ vigintiduorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem.* Sed quid est quod 4. Reg. c. 9. nu. 29. dicitur. *Anno vndecimo Ioram filij Achab regnauit Ochozias super Iudam, venitq; Iehu in Iezrael?*
883	*Iehu* occisis Ioramo rege Israel, & Ochozia rege Iuda, vt narratur 4. Reg. c. 9. regnauit in Israel, de quo 4. Reg. c. 10. nu. 36. *Dies autem quos regnauit Iehu super Israel viginti, & octo anni sunt in Samaria.*
883	*Athalia* mater Ochoziæ vsurpauit regnum Iuda annis sex solidis, ex 4. Regum c. 11. num. 3. & 21.
877	Ioas filius Ochoziæ, interfecta iussu Ioiadæ Sacerdotis Athalia regnare cœpit, de quo 4. Reg. c. 11. nu. 21. *Athalia autem occisa est gladio in domo regis: septem annorum erat Ioas cum regnare cœpisset.* Et c. 12. nu. 1. *Anno septimo Iehu regnauit Ioas, & quadraginta annis regnauit in Ierusalem.*
855	Ioachaz defuncto Iehu succedit 4. Reg. c. 10. nu. 35. & cap. 13. nu. 1. *Anno vigesimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis Iuda, regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem, & septem annis.*
839	Ioas mortuo Ioachazo succedit 4. Reg. cap. 13. num. 10. *Anno trigesimo septimo Ioas regis Iuda, regnauit Ioas filius Ioachaz super Israel in Samaria sedecim annis.*
838	*Amasias* regnare cœpit in Ierusalem ex 4. Reg. c. 14. nu. 1. *In anno secundo Ioas filij Ioachaz regis Israel, regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda: vigintiquinque annorum erat cùm regnare cœpisset; viginti autem, & nouem annis regnauit in Ierusalem.*
824	*Ieroboam* II. de quo 4. Reg. c. 14. nu. 23. *Anno quintodecimo Amasiæ filij Ioas regis Iuda regnauit Ieroboam filius Ioas regis Israel in Samaria quadraginta, & vno anno.*
809	*Azarias* alio nomine *Ozias* successit Amasiæ 4. Regum c. 14. nu. 17. *Vixit autem Amasias filius Ioas rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz regis Israel quindecim annis*: quo à coniuratis interfecto, vt ibi narratur num. 19. subiungitur nu. 21. *Tulit autem vniuersus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum Regem pro patre eius Amasia*, & cap. 15. nu. 1. de eodem: *Anno vigesimo septimo Ieroboam regis Israel regnauit Azarias*

Init. Anno ante Epocham Christi.	
	rias filius Amasiæ regis Iuda sedecim annorum erat, cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem.
772	*Zacharias* filius Ieroboami, de quo 4. Reg. c. 14. nu. 29. & c. 15. nu. 8. sic: *Anno trigesimo octauo Azariæ regis Iuda, regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israel in Samaria sex mensibus.*
772	*Sellum* filius Iabes coniurauit contra Zachariam, eoq; interfecto regnauit 4. Reg. c. 15. nu. 10. & 13. vbi *Sellum filius Iabes regnauit trigesimo nono anno Azariæ regis Iuda, regnauit autem vno mense in Samaria.*
771	*Manahen* interfecto Sellum regnauit 4. Reg. c. 15. nu. 14. & 17. *Anno trigesimo nono Azariæ regis Iuda, regnauit Manahen filius Gadi super Israel decem annis in Samaria.*
761	*Phaceia* filius succedit mortuo Manahemo, 4. Reg. c. 15. nu. 22. & 23. *Anno quinquagesimo Azariæ regis Iuda regnauit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio.*
759	Phacee coniurauit, & occidit Phaceiam, ac pro eo regnauit 4. Reg. c. 15. n. 25. & 27. vbi sic. *Anno quinquagesimo secundo Azariæ Regis Iuda, regnauit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis.*
758	*Ioatham* filius Azariæ, seu Oziæ (qui annorum iam 68. regni habenas tradiderat Ioathano) solus iam regnare incipit 4. Reg. c. 15. num. 32. *Anno secundo Phaceæ filij Romeliæ regis Israel, regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda: viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem.*
743	*Achaz* filius Ioathamo defuncto successit 4. Regum c. 15. nu. 38. & c. 16 nu. 1. *Anno decimo septimo Phaceæ filij Romeliæ, regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda. Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnauit in Ierusalem.*
729	*Oseæ* filius Ela coniuratione facta interfecit Phacee, regnauitq; pro eo vigesimo anno Ioatham filij Ozie, vt dicitur 4. Reg. c 15. nu. 30. at cap. 17. nu. 1. asseritur. *Anno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Osee filius Ela in Samaria super Israel nouem annis:* nam anno 9. regni captus est à Salmanasar rege Assyriorum, vt ibidem nu. 6. & c. 18. num. 10. & sic extinctum est Regnum Israel.
726	*Ezechias* filius Achazo defundo succedit 4. Reg. c. 16. nu. 20. & c. 18. nu. 1. vbi sic: *Anno tertio Oseæ filij Ela regis Israel, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda. Vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpisset, et viginti nouem annis regnauit in Ierusalem.*
697	*Manasses* filius defuncto Ezechię successit 4. Reg. c. 20. nu. 21. & c. 21. nu. 1. *Duodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, et quinquagintaquinque annis regnauit in Ierusalem.*
642	*Amon* filius mortuo Manasse succedit 4. Reg. c. 21. nu. 19. *Vigintiduorum annorum erat Amon, cùm regnare cœpisset: duobus quoq; annis regnauit in Ierusalem.*
640	*Iosias* filius Amoni mortuo succedit 4. Reg. c. 21. nu. 26. & c. 22. nu. 1. *octo annorum erat Iosias, cùm regnare cœpisset; triginta, et vno anno regnauit in Ierusalem.*
609	*Ioachaz* postquam Iosias occisus fuerat in Mageddo, successit patri 4. Reg. c. 23. num. 31. *Viginti trium annorũ erat Ioachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnauit in Ierusalem.* Eum enim in vincula coniecit Pharao Nechao, eiusq; loco constituit regem Ierusalem Eliacim filium Iosiæ, eiusq; nomen vertit in *Ioakim*, vt narratur 4. Reg. c. 23. nu. 33. ad 36. Est autem Ioachaz idem, ac Sellum 1. Paralipom. 3. & Ierem. cap. 22.
608	*Ioakim* filius Iosiæ, substituitur loco Ioachaz, de quo 4. Reg. c 23. nu. 36. *Vigintiquinque annorum erat Ioakim cum regnare cœpisset, et vndecim annis regnauit in Ierusalem.*
598	*Iechonias*, seu *Ioachin* mortuo Ioakimo successit 4. Reg. cap. 24. vbi sic. *Decem, et octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnauit in Ierusalem.* Eum enim Nabuchodonosor transtulit in Babylonem, ac pro eo cõstituit regem Matthaniam patruum eius, eumq; nominauit *Sedeciam*, 4. Reg. c. 24. n. 15. ad 17. At 2. Paralip. c. 36. dicitur fuisse annorum octo, quando regnare cœpit, nempe quoad pater eius eum secum in socium Regni adsciuit.
598	*Sedecias* de quo 4. Reg. cap. 24. nu. 18. *Vigesimum, et primum ætatis annum habebat Sedecias cum regnare cœgisset, et vndecim annis regnauit in Ierusalem.* Capite autem 25. narratur quomodo Nabuchodonosor Rex Babylonis anno 9. regni Sedeciæ, obsedit Ierusalem, ac totam circumuallauit anno 11. Sedeciæ, nona die mensis, & anno 19. regis Babylonis Nabuzardan venit mense 5. septima die mensis, & succendit Domum Domini, & domos Ierusalem.

Quomodo autẽ coordinandi sint anni prædictorum Regum, & apparentes repugnantiæ cõciliandæ, tractant in primis Hẽricus Philippi in Synopsi Chronol. c. 5. & in Manuali Chronologico à cap. 2. Tirinus, Salianus, & Spondanus in suis Annalibus, Petauius lib. 9. Doctrina temporum à cap. 54. ad 61. & in Rationario p. 2. lib. 3. c. 11. Tirinus in Chronico Sacro c. 29. in Genealogia CHRISTI à c. 27. ad 55. Langius de annis Christi l. 2. c. 7. Isaac Vossius c. 23. ex his nos, quod verius existimabimus singillatim proponemus.

2 *Salomonem* regnasse annos totos 40. (non 80. vt malè Iosephus) omnes recipiunt ex adducto Regum loco, & 2. Paral. 9. nu. 31. quia verò Dauid 3. Regum cap. 2. num. 6. & 9. appellauit virum Sapientem, & quia *Cum iam esset senex deprauatum est cor eius*, vt dicitur 3. Reg. c. 11. nu. 4. probabilius est regnare cœpisse annos natum circiter 20. vt cum Abulensi, & Lirano docent Barradius, & Gordonus, vel 24. vt Torniellus, Paludanus Petauius, & Henricus Philippi putant. Ita vixerit annos 60. aut 64. Natum vero anno 21. Regni Dauidis ipsa series rerum gestarum eius docet, & tenent Pineda, Torniellus, Salianus.

Roboamo annos 17. integros omnes tribuunt, demptis Sulpicio, & Adone. *Ieroboamo* damus annos 21. solidos, & 22. inchoatum cum Torniello, Saliano, Petauio, Henrico Philippi, hoc enim modo Asæ annus primus attigit 20. Ieroboami, & totum fere 21. ideoque anno 2. Asæ mortuus est Ieroboam inchoato anno 22. & eodem anno ei succedit Nadab.

Abiamo annos 3. solidos cum Scriptura, & Communi opinione adscribimus, est enim vitiosus numerus annorum 6. in Sulpicio; *Asæ* autem dant annos 41. solidos, esto in Chronico Alexandrino deprauatè sint 44. *Nadabi* autem annus primus concurrit cum anno 22. Ieroboami, & secundus cum primo *Baasæ*; ita annum vnicum solidum *Nadabo*, & 23. solidos *Baasæ* tribuimus, cum Petauio, Henrico Philippi, nisi dixeris cum Petauio, & Saliano Nadabum à Ieroboamo in fine vitæ suæ aduocatum in partem regni; anno verò Baasæ 24. incœpit *Ela*, cui vnicum annum solidum damus, & anno eius secundo labente regnauit Zameri dies 7. & Ameri eodem incœpit anno. Sed antequam Baasam dimittamus, qui annos 24. dicitur regnasse, & Asæ anno 3. cœpisse, vt notauimus in Catalogo, & tamen 2. Paralip. c. 15. num. 19. & c. 16. nu 1. dicitur anno tricesimo quinto Asæ completo, & 36. inchato infestasse regnum Iudæ nempe, quia annus ille 36. numeratur à morte Salomonis, & diuisione regni eius in duas partes, quo tempore Asa non vt Rex, sed vt administrator regebat rem publicam, alioquin annus ille erat 16. Asæ in rigore regnantis;

ita censent Azor, Sanctius, Torniellus, Petauius, Salianus, Mariana, Henricus Philippi, & ante hos Hebræi in Seder Olam; Nolunt enim admittere errorem librariorum, qui pro 16. scripserint 36.

Ex dictis relatis in Catalogo de *Amri* colliges cum Richardo, Lirano, Abulensi, Torniello, Saliano, Petauio, Henrico Philippi, duplex initium fuisse *Amri*, primum quando interfecto Zamri regnauit in Thersa anno 27. Asæ; alterum quando extincto eius competitore Thebnio, solus regnare cœpit in Israel anno 31. Asæ, ideoq; in Thersa regnauit annos 5. solidos, et attigit de sexto, reliquos in Samaria, et in totum annos 11. solidos, ac 12. inchoatos.

Iosaphath ex annis 25. quibus regnauit, duos vltimos regnauit cum filio Ioramo, ideoque *Ioramus* ex annis 8. quos regnare dicitur, sex tantum post mortem patris regnauit simili ferè modo *Ioachaz* ex annis 17. quos regnasse dicitur, solus annos 14. et aliquot menses, reliquos cum filio regnauit; ideoq; *Ioas* eius filius in Israele regnauit cum patre annis 2. solus 14. et in totum 16. cui mortuo successit *Ieroboamus* II. in regno Israel.

Si *Amasias* post mortem Ioasi regis Israel, et initium Ieroboami vixit annos 15. et occisus est à coniuratis, ergo *Azarias* eius filius incœpit anno 16. Ieroboami regis Israel, et tamen dicitur regnasse anno 27. Ieroboami illius. Solutionem huius diuersitatis indicat Scriptura dum dicit: *Tulit autem omnis populus Iudæ Azariam annos natum Sedecim, & constituerunt eum regem pro Amasia patre suo.* Quando enim occisus fuit Amasias eius filius, *Azarias* puer sex annorum erat, et coniuratis, vel alijs principibus titulo tutelæ regnum administrantibus, non habebatur tanquam rex de facto, esto esset de iure; at vbi peruenit ad annos 16. populus Iuda illum in throno collocauit, et conclamauit Regem. Anni tamen 52. quibus Azarias regnauit non ab ipsius enthronismo, sed ab ipsa successione hæreditaria post mortem patris computantur.

Si *Ieroboam II.* rex Israel regnauit ab anno 15. Amasiæ annos 41. et Amasias occisus est anno 16. Ieroboami, successitq; *Azarias*, ergo Ieroboam defunctus est anno 26. aut 27. *Azariæ* à morte patris computato, debuitq; *Zacharias* eius filius ei succedere eodem anno. At non regnauit nisi ab anno 38. *Azariæ*; ergo populus Israel in dissidia more solito diuisus, non recepit illum in regem, nisi post interregnum annorum 11. Cuiusmodi interregnum agnoscunt Salianus, et Petauius cum alijs potius in regno Israel, quàm in regno Iudæ.

Si *Phacee* regnauit in Israel annos 20. et *Osee* loco eius annos 9. annoq; 9. abductus est in captiuitatem; ergo ab initio *Phacei* ad vltimum *Oseæ* non sunt nisi anni solidi 28. et 29. inchoati. At in Iuda *Ioatham* regnauit anno 2. *Phaceæ*, et vno loco dicitur regnasse annos 16. alio loco anno eius 20. occisum *Phacee*; præterea Achaz dicitur regnasse anno 17. *Phaceæ*, et tamen anno 12. *Achazi*, regnasse Oseæ, et annus 9. Oseæ idem est, ac 6. *Ezechiæ*; Hæc enigmata sic soluimus *Ioatham* solus annos 16. reliquos 4. cum filio regnauit; Anno 20. et vltimo *Ioathami*, qui erat primus *Acazi* solius, *Osee* occidit *Phaceam*, sed non est acceptatus tanquam legitimus Rex, nec pro tali constitutus nisi anno 12. *Achazi*, qui non regnauit nisi annos 15. solidos ab anno 16. patris computatos, ideoque annus 6. *Ezechiæ* concurrit cum 9. Oseæ. Intuere iam sequentem Syntaxim.

SYNTAXIS TEMPORIS REGVM HEBRÆOR.

An. ante Chr.	An.	*Reges Iudæ.*	Annus.	*Reges Israel.*
1075	1	Saul cum Samuele 18. solus 2. regnat.		
1055	1	*Dauidis*, regnauitq; ann. 40.		
1015	1	Salomonis primus, regnat an. 40.		
1012	4	Templum fundatum anno 4. Salomon.		
975	1	*Roboami* regnat an. 17.		
958	1	*Abiami* regnat an. ferè 3.		
955	1	Asæ regnat an. 41.		
954	2	Asæ concurrens cum 1. Nadabi.		
953	3	Asæ concurrens cum 1. Baasæ.		
930	26	Asæ concurr. cum 1. Elæ.		
929	27	Asæ concurr. cum 1. Zamri.		
929	27	Asæ concurr. cum 1. Ameri.		
925	31	Asæ concurrens cum 1. Amri solius.		
917	38	Asæ exiens, & concurr. cum 1. Achabi.		
914	1	Iosaphati regnat 23. solus, & 25. omnino ideſt 2. vltimos cum filio.	1	*Ieroboami* regnat an. 22. vix inchoatos.
896	17	Iosaphat exeunte.	18	Ieroboami cum 1. Abiami concurrens.
895	18	Iosaphati concurr. cum 1. Iorami.	20	Ieroboami exeunte.
891	1	*Iorami* filij Iosaphat viuo patre cum quo 2. & deinde solus 6. annos regnat.	1	*Nadabi* regnat an. 1. & aliquanto plus.
889		Iosaphati mors 1. Ioram solus.	1	*Baasa* regnauit an. 23. & alijq; plur.
884	1	*Ochoziæ* regnauitq; ann. 1.	1	*Elæ* regnauit an. 1. & aliquanto plus.
883	1	Athaliæ reginæ, regnauit an. 6.	1	*Zamri* regnauit dies 7.
877	1	Ioas regnauit annos 40.	1	*Amri* electi ab exercitu, regnat an. 12.
855	23	Ioas concurr. cum 1. Ioachaz.		Thebni mortuo, Amri solus, & pacificè.
841	37	Ioas concurr. cum 1. Ioas.	1	*Achab* regnat ann. 22. ferè.
839	39	Iosias concurr. cum 1. Ioasi iam solius.	4	Achabi concurr. cum 1. Iosaphati.
838	1	Amasiæ regnat an. 29.		
824	15	Amasiæ concurr. cum 1. Ieroboam II.	1	Ochoziæ filij Achab regnat an. 1. & alijq; plus.
809		Amasiæ mors, successio Zachariæ, à qua computantur anni 52.	1	Iorami filij Achab. regnat ferè 12.
798	1	*Azariæ* in throno collocati.	5	Iorami concurr. cum 1. Iorami Iudæ.
783				
772	38	Azariæ concurr. cum 1. Zachariæ.	12	Iorami concurr. cum 1. Ochoziæ.
771	39	Azariæ incunte.	1	Iehu regnauit 28. an.
771	39	Azariæ inito.	7	Iehu concurr. cum 1. Ioas.
761	50	Azariæ inito.	1	*Ioachazi* regn. solus ferè an. 15. & duos adhuc cũ filio.
759	52	Azariæ, & vltimo.	1	Ioas viuo adhuc patre.
758	1	*Ioatham* regnat 16. solus, cum filio 20. an.	1	Ioas solus regnat an. 14.
743	1	*Achaz* viuo patre incipit.	2	Ioasi solius concurr. cum 1. Amasiæ.
737		Ioathami mors; Achaz solus an. 14. regni.	1	Ieroboami II. regnat an. 41.
729	12	*Achazi* concurr. cum 1. Oseæ.	16	Ieroboami concurr. cum morte Amasiæ.
726	1	*Ezechiæ* concurr. cum 6. Oseæ.	27	Ieroboami concurr. cum Enthronismo Azariæ.
721	6	Ezechiæ concurr. cum 9. Oseæ.		*Ieroboami* mors, & Interregnum an. XI.
			1	*Zachariæ* regnauit menses 6.
			1	*Sellum* regnat mensem 1.
				Manahen regnat ann. 10.
			1	Phaceiæ regnat an. 2.
			1	Phaceiæ regnauit an. 20.
			2	Phaceæ concurr. cum 1. Ioathami.
			17	Phaceæ concurr. cum 1. Achazi.
			20	Phaceæ occisi ab Osea.
			1	Oseæ acceptati pro legitimo Rege.
			6	Oseæ concurr. cum 1. Ezechiæ.
			9	& vlt. Oseæ.

Reliqua vide in fine Capitis.

3 Iam videndum est, quare S. Mattheus in Genealogia Christi prætermiserit *Ochoziam*, *Ioas*, & *Amasiam* Reges Iudæ, & Dauidis successores. P. Petrus Possinus libro de Genealogia Christi post Catenam Patrum Græcorum in Matthæum edito à cap. 27. ad 30. doctissimè, more suo tractat hanc quæstionem, docetq; non ideo prætermissos, quod peccatores fuerint, & cum domo Achab connubia Deo exosa miscuerint, vt SS. Hilarius, ac Hieronymus suspicati sunt, aut quòd eorum impietas sine interuallo continuata sit, vt dubitauit S. Augustinus in qq. veteris, ac noui testam. q. 85. Nam tres illi reges inter Christi proauos, nec soli, nec maximi peccatores fuere peior enim fuit *Achaz*, vt patet legenti 4. Reg. caput 16. & 2. Paralip. c. 28. peior & *Manasses*, qui abominationibus suis superauit Amorrhæos, vt habetur 4. R. c. 21. peior etiam *Amon*, vt disertè testatur 2. Paralip. c. 33. num. 23. pessimus *Salomon*, qui phana multa idolis construxit (quod non fecerunt tres illi à Matthæo prætermissi) & affinitates contraxit, non cum Israelitica domo, sed quod peius est, cum Ægyptijs, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Sidonijs, Hetthæis. Sed & *Ioram*, qui tamen non siletur, Athaliam de domo Achab duxit in vxorem contra verò Ioas, et Amasias aliunde, quam ex stirpe Israelitica duxere vxores; et Ioasi mores laudantur, quamdiu vixit Ioiadas eiusq; consilijs paruit, et Amasias *fecit rectum in conspectu Domini* 4. Reg. c. 14. et 2. Paralip. c. 25. vbi et laudatur, quod obediuerit legi Moysis parcendo filijs innocentibus; Sed neque subsistit opinio Abulensis, ob Mysterium numeri quatuordenarij prætermissos illos tres. Cur enim potius illi quàm alij delecti, vt silentio mulctarentur? cur si Deus hoc mysterium amauit, non prouidit vt reipsa essent 14. generationes illæ? Demum quod pluris est cur Euangelista ob mysterium inutile, veritatem tacuit, & tanto fidei periculo exposuit Euangelium accusationibus Iudæorum? apage igitur hæc mysteria. Maldonatus nititur Eliæ verbis 3. Reg. c. 21. nu. 21. *Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Acab mingentem ad parientem &c.* Quibus videtur delenda posteritas Achabi vsque ad quartam generationem in Amasia terminatam, delenda inquam de catalogo genealogiæ Messiæ. Sed præter multa, quæ Possinus obijcit, cur permisit Deus eos in libris Regum, & Paralipomenum recenseri. Causam igitur huius silentij refert in Sacerdotum arcana Tabularia, in quibus bis mille annorum genealogias conseruatas fuisse testatur Iosephus lib. 1. contra Apionem, & de quibus sermo est 1. Esdræ c. 11. nu. 62. vbi electi sunt de Sacerdotio, quorum genealogia non est inuenta, & cuiusmodi catalogos apud Iudæos vidisse se testatur Abulensis q. 30. in 1. Paralip. Iam in Tabulis, quæ ad Historiam non spectabant (in his enim nihil immutatum) sed ad moralem instructionem quorundam nomina Sacerdotali iudicio ad ignominiam deleta erant, talis enim pœna insinuatur in Scripturis 1. Exodi 32. nu. 32. & 4. Reg. c. 21. nu. 13. & Ps. 68. nu. 29. & alibi, sicut ex Sacris diptychis delebantur quorundam Clericorum, etiam Episcoporum nomina ob delicta, vt tradit Baronius ad annos 57. 307. 518. 519. 680. Quare autem tres illi reges sacerdotali censura deleti sint è Tabulis Sacropoliticis causam affert Possinus, quod Ioiadas *Athaliam* nequissimam, & crudelissimam interfectricem suorum filiorum, vt tyrannidem suam stabiliret indignam nomenclatura regum ipsam, & eius filium Ochoziam iudicarit; cuius exemplum secutus Pedaias, eraserit ex eodem Catalogo *Ioasum* Athaliæ filium, & interfectorem Zachariæ Pontificis Ioiadæ successoris. *Amasias* quoq; filius *Ioasi* meruit, vt deleretur è fastis, quia comminatus est mortem Prophetæ missi diuinitus ad ipsum, vt narratur 2. Paralip. c. 25. num. 16. Si sic est, Matthæus Hebraicè scribens potuit conformare se illis Tabulis, & dicere: *Ioram autem genuit Oziam*, idest mediantibus Ochozia, Ioas, & Amasia; Mihi verò suborta est suspicio Ioramum genuisse duos filios nempe hinc Ochoziam, inde Oziam, qui Ozias diu vixerit, & genuerit Ioathamum, Azariam verò nepotem Oehoziæ caruisse liberis, vel illis mortuis adoptasse in filium, ac successorem regni Iudæ Ioathamũ, & tunc Azariam assumpsisse nomen Oziæ, vt perinde haberetur, ac pater eius, effetq; instar alterius Oziæ. Etsi enim Scriptura generationem illam non exprimit, huic tamẽ expositioni non repugnat: & si sic esset, Matthæus naturali generationi inhærens rectè dixisset, *Ioram autem genuit Ozias*, *Ozias autem genuit Ioatham*. Quædam tamen alia afferemus lib. 8. c. 18. nu. 15.

4 Esto nunc exoptatum diu Chronicon breue annorum ante Epocham Christi, quibus Reges Iuda, & Israel incœperunt regnare, cum annis, sed integris, & Chronologicis, vt aiunt, quibus regnarunt, ac summa annorum à quarto anno Salomonis mensęq; secundo eius anni, vsq; ad excidium, seu incendium Templi, quod fuit *mense quinto septima die mensis anni 19. regis Babylonis*, vt narratur 4. Regum c. 25. nu. 8. quià verò incendium illud in diuersis partibus diuerso die cœpit dicitur fuisse die 10. mensis 5. Ieremiæ 52. nu. 11. Iam verò Nabuchudonosor Iunior regnare cœpit anno 605. ante Epocham Christi ex dictis lib. 5. cap. 6. ergo annus eius 19. et incensi Templi fuit ante Epocham Christi 587. et fundati annus 1012. et interuallum annorum 425. ac 3. circiter mensium.

CHRONICON REGVM IVDÆ, ET ISRAEL.

Reges Iudæ, & Beniamin.	Regnauit.	Init. ante Christ.
Dauid.	40	1055
Salomon.	40	1015
Salomonis Quartus.		
Roboam.	37	1012
Abiam.	17	975
Asa.	3	958
Iosaphat.	41	955
Ioram.	23	914
Ochozias.	6	889
Athalia.	1	884
Ioas.	6	883
Amasias.	40	877
Azarias, seu Ozias,	29	838
Ioatham.	52	809
Achaz.	16	758
Ezechias.	15	741
Manasses.	29	726
Amon.	55	697
Iosias.	2	642
Ioachaz.	31	640
Ioakim.	m. 3	609
Ioachin, seu Iechonias.	11	608
Sedecias.	m. 3	598
Excidiũ Regni, & Templi.	11	598
		587
Summa annorum	488	

Reges Israel.	Regnauit.	Init. ante Christ.
Ieroboam.	21	975
Nadab.	1	954
Baasa.	23	953
Ela.	1	930
Zamri.	D. 7	929
Amri.	11	929
Achab.	21	917
Ochozias.	1	896
Ioram.	12	895
Iehu.	28	883
Ioachaz.	16	855
Ioas.	16	839
Ieroboam II.	41	824
Interregnum annor. 11.	11	783
Zacharias.	m. 6	772
Sellum.	m. 1	772
Manahem.	10	771
Phaceia.	2	761
Phacee.	20	759
Oseæ legitimè.	89	729
Regni finis.		721
Durauit omnino	244 &c.	

CAPVT X.

De Temporibus SS. Prophetarum cum Epocha Christi Connectendis.

CONCLVSIO X.

Septemdecim Prophetarum tempora ordinanda sunt, vt in sequenti Catalogo, Quorum vndecim Sacra Scriptura, Reliquorum Hebræa Chronica, vel Interpretes tempora tradidere, licet Ionam, non autem, vt multi putant, Oseam omnium inter dictos XVII. antiquissimum teneamur agnoscere.

Anni ante Christum.

1 OSeas, omnium Prophetarum, quorum peculiaria scripta vaticinia extant, antiquissimus à multis habetur, iuxta illud Oseæ 1. *Verbum Domini quod factum est ad Oseæ filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan Acaz Ezechiæ Regum Iuda; in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel. Principium loquendi Domino in Osee.* Quæ verba de principio omnium, qui scripserint Prophetarum intellexit S. Hieronymus ibi, & in cap. 1. Esaiæ S. Basilius in c. 1. Esaiæ, Rufinus in c. 1. Oseæ concedit tamen S. Hieronymus illa verba sic intelligi posse, vt illa prima prophetia fuerit omnium, quas Oseas loquente Domino promulgauit, & huic fauent LXX. textus Hebr. Chaldæus Paraphr. Vatablus, Theodoretus, Sà. Ribera verò vtrumq; sensum literalem esse dicit. Initium huius Prophetiæ ad annum 2. Oziæ regis Iudæ ideſt ante Christum per nos 808. referunt, Salianus, & Tirinus. At nos Ionam primum prophetasse mox docebimus. 808

2 *Ionas* propheta ille, de quo scriprum est 4. Reg. c. 14. vbi de Ieroboamo 11. Rege Israel nu. 25. *Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi Prophetam.* idem censetur cum Iona illo, de quo Ionæ 1. dicitur: *Et factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi*, idemq; affirmant Ioseph l. 9. antiquit. c. 10. S. Hieronymus in prologo ad Ionam; ipsemet Ionas c. 1. nu. 9. de se sic testatur: *Hebræus ego sum.* Sed non videtur esse idem Ionas, de quo Tobias senior filio dixit Tob. 14. nu. 6. *Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini*, vbi in Græco apud LXX. habetur; *Et nunc fili mi discede à Niniue, quoniam omnino erunt quæ locutus est Propheta Ionas*: Etenim S. Hieronymus in prologo; iunctis quæ habet in c. 1. Oseæ, & Amos, putat iuxta Chronicon Eusebij Ionam prædicasse pœnitentiam Niniuitis tempore Sardanapali, quo relapso ad pristinam luxuriam, vastata est Niniue ab Arbace Medo; & translatum est imperium illud ad Medos, Anno ante Epocham Christi 863. vt docuimus l. 5. c. 2. & 4. addentes causam, ob quam à Chronologia Eusebij coacti fuimus in hoc recedere, & à Saliano nimis timidè illum sectante; prædicauerit ergo Ionas Niniuitis anno ante Christum circiter 864. deinde iterum anno Ieroboami II. Regis Israel, ideſt (ex dictis cap. præcedenti) anno 823. ante Christum, & 40. annis post subuersam Niniuem, quando vergebat in Senium, adeoque fuit antiquior Osea, qui non incœpit nisi anno 808. Esto S. Hieronymus Eusebium secutus Ionam Oseæ Synchronon faciat, quod tamen fieri potuit, quoad posteriores Ionæ annos, si admittatur eum vixisse annos circiter 84. & quando prædicauit Niniuitis, habuisse annos 50. Salianus quoq; in cap. 1. Ionæ q. 2. fatetur Ionam antiquissimum fuisse omnium, quorum scripta extent, Prophetarum; Quod autem ait Ribera præludio 2. in Prophetas minores nu. 7. prophetas 12. minores eo ordine prophetare incœpisse, quo sunt dispositi, & S. Hieronymus in prologo ad prophetas minores, nempe *Vnum librum esse duodecim prophetarum in quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus, & ij, qui ante eos habent titulos prophetarunt*: intelligendum in sensu affirmatiuo, non autem exclusiuo alterius temporis, quo antea, saltem extra Iudæam prophetauerint; Itaque verum quidem est Ionam prophetasse in diebus Oziæ regis Iuda & Ieroboami regis Israel; sed cum hoc stat, prophetasse etiam antea in Niniue, in diebus *Ioas* regis Iuda. Excidium porrò illud, de quo Tobias non fuit sub Sardanapalo, sed aliud & multo post nempe annis plusquam 204. vt dicam c. 10. nu. 2. 864 & 823

3 *Ioelis* tempus non designat Sacer Codex, sed ex regula Hebræorum nuper tradita iuxta Riberam, & S. Hieronymum prophetauit paulo post Oseam sed sub eodem rege Ozia, vel vt putat S. Augustinus l. 18. de Ciuit. cap. 27. sub Ioatham quoq; Notat autem S. Hieronymus initio Ioelis vaticinium eius de clade futura pertinere ad tribus duas Iuda & Beniamin, sicut vaticinium Oseæ ad reliquas 10. tribus. Salianus initium Ioelis annis 11. post Oseam subiungit, quod mihi est annus 797. ante Christum, nec habeo, quo in hoc repugnem. Extrema tamen vitanda sunt tum Vatabli, qui eum floruisse sub Ioramo, tum Genebrardi, & Christophori à Castro, qui collocant sub Manasse, & negant vidisse Oziam. 797

4 *Amos* Propheta de se ipso testatur c. 1. sic. *Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus.* Sed terræmotum hunc accidisse anno 25. Oziæ regis ex traditione Hebræorum docent S. Hieronymus, & Procopius in c. 7. Esaiæ, confirmantq; Christophorus à Castro in cap. 1. Amos, et lib. 4. de Prophetis cap. 8. Torniellus anno V. Ætatis 225. et Salianus anno Mundi 3248. et 3250. diluens obiecta Riberæ, et Sanctij, qui absque necessitate interregnum inter Oziam, et Amasiam excogitarunt. At ex dictis de Oziæ initio, patet annum eius 25. incidisse in annum 785. ante Christum, à quo cum ad finem regni Israelitici in Samaria et Ephraim sint anni 65. vt patet ex annis huius regni capite præcedenti ordinatis; consequens est eodem hoc anno 25. Oziæ, et ante Christum 785. Amos prædixisse regni illius excidium post 65. annos, et hoc intelligi ab Esaia c. 7. vbi ait loquens ad Achaz n. 8. dixit: *Adhuc sexaginta, & quinque anni, & desinet Ephraim* esse populus, ideſt, *Adhuc currunt quidem anni 65.* post quos excidium illius regni futurum constat ex oraculo Dei, sed complebuntur tamen haud multo post, neque enim abibunt 65. quin deficiat regnum illud: seu vt LXX. loquuntur: *In 65. annis deficiet regnum Ephraim.* Seu, vt Chaldæus Paraphr. *In fine 65. annorum cessabit regnum domus Israel.* Quare Isaias allusit ad prophetiam Amos, audi enim S. Hieronymum in c. 7. Isaiæ: *Igitur Hebræi hunc locum ita edisserunt, vt Amos, qui sub Ozia cœpit prophetare,* 785

Anni ante Christum.

re, quando & Esaias prophetiæ suæ habuit exordium primus prophetauerit contra Israel dicens. Israel autem captiuus ducetur de terra. Alioquin ab ipso primo anno regni Achaz, ideſt ante Chriſtum 741. vſq; ad finem regni Iſrael, quod fuit anno 721. non ſupererant niſi anni 20. Supereſt aduertendum, Amos hunc non eſſe illum, qui fuit pater Iſaiæ, nam Amos de quò agimus, fuit paſtor de Thecua, & ſe vocatum dum cuſtodiret gregem, & vellicantem Sycomoros teſtatur cap. 7. eiuſq; nomen Hebraicè ab onere dictum notat S. Hieronymus; at pater Iſaiæ à robore, & fortitudine nominatus eſt, & hunc fuiſſe fratrem Amaſiæ regis, ac de ſanguine regio tradunt Hebræi in Seder Olam, & Genebrardus in Chronico.

5 ISAIAS fuit de Chriſti Genealogia tranſuerſali, deque ipſo luculentiſſimè, ac ſtylo omnes quotquot fuere vates ſiue ſacri, ſiue prophani, maximè ſublimi, & florentis ſcripſit. De initio ſuorum oraculorum ſic vel ipſe, vel qui eius oracula chartis conſignauit: *Viſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda*, & c.6. admirabilem illam viſionem Dei ſedentis ſuper ſolium ſuum conſignauit anno, quo mortuus eſt Ozias, ideſt 758. ante Chriſtum, annus autem 14. Ezechiæ, quo Iſaias illi ſanitatem reſtituendam diuinitus, & vitam vſque ad annos 15. prorogandam prædixit, fuit ante Chriſtum 712. ex dictis lib.5. c.6. Occiſum porrò Iſaiam, & ſectum in duas partes iuſſu Manaſſis non ferentis eius obiurgationes, communis eſt opinio (excepto Abulenſi in 4. Regum c. 21. q. 18.) pro qua ſunt Martyrologium Romanum pridie nonas Iunij, S. Zeno in Sermone de Martyrio Iſaiæ, S. Hieronymus in c.57. Iſaiæ, Tertullianus lib.3. contra Marcionem, Iſidorus de vita, & morte Sanctorum, Epiphanius, & Dorotheus in vita Iſaiæ, Comeſtor in hiſtoria Scholaſtica. Primus annus Manaſſis fuit 697. ante Chriſtum; ſi cœpit Iſaias prophetare ſub finem Oziæ puta anno 760. & habuit tunc annos circiter 30. natuſq; ſit anno 790. ergo anno primo Manaſſis habuerit annos 93. & tanto plures, quàto citius natum poſueris; Salianus enim putat natũ anno 1. Oziæ, & cœpiſſe prophetare anno 30. Oziæ, qui mihi eſt 779. ante Chriſtum.

6 *Abdias* eodem tempore, quo Iſaias, & paulo poſt *Amos*, ac *Ioel*, quibus Synchronos fuit prophetare incœpit, vt habet Hieronymus in c.1. Oſeæ, idcircò ponimus prophetaſſe anno 778. circiter ante Chriſtum, plures autem fuere Abdiæ ab hoc diuerſi, de quibus conſule Salianum anno Mundi 3255. nu.8.

7 *Michæas* poſt mortem Oziæ incœpit: dicitur enim Micheæ 1. *Verbum Domini quod factum eſt ad Michæam Moraſtithen in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, quod vidit ſuper Samariam, & Ieruſalem.* Chriſtophorus à Caſtro non improbabilibus coniecturis docet eum anno 9. aut 10. Ioathami prophetiam incœpiſſe, & vltimis verbis capitis primi prædixiſſe captiuitatem, qua multi Iudæorum abducti ſunt in Aſſyriam à Teglath Phalaſar rege Aſſur, vt narratur 4. Regum c.15. nu.29. Annus 9. Ioathani nobis eſt 746. ante Chriſtum; Non ſequimur autem Euſebiũ, ſecundùm quem S. Hieronymus captiuitatem hanc anno 2. primæ Olympiadis conſignat: fuit enim ferè 30. annis poſt. Caue autem ab errore Sixti Senenſis, qui hunc prophetam centum annis ante Oſeam collocat, neque enim eſt ille Michæas qui ex 3. Regum c.22. prophetauit ſub Achabo, mortuus enim eſt Achab anno 897. ante Chriſtum.

8 *Nahum* prophetauit aduersùs Niniuẽ poſt

circiter 772

720

Anni ante Christum.

10. tribus abductas in Aſſyriam, antequam Sennacherib moueret contra Ieruſalem, vt ex S. Hieronymo in eius prologo, & Chriſtophoro à Caſtro lib.4. de Prophetis c. 4. Theodor. & Theophilacto colligitur, nempe circa annum Ezechiæ 7. quod probabile putat Salianus anno Mundi 3315. num. 19. & Henricus Philippi in Manuali Chronol. vbi de minoribus prophetis; Ribera, & Serrarius, quibus ſuſcribimus potiuſquàm Ioſepho lib.9. c. 11. Nahum ſub Ioathano collocanti, aut Hebræis qui in c.20. Chronici illum ad Manaſſis tempora reijciunt.

9 *Habacuc*, ſub Ezechia cœpiſſe prophetare, & prædixiſſe à Chaldæis primum Aſsyrios, & deinde Iudæos vincendos, multo ante captiuitatem Iuda cenſemus, cum Epiphanio in ipſius vita, Theophilacto in fine Comment. in hunc prophetam, Caſtrio l.4. de Prophetis c.8. Ribera in præludio 2. Henrico Philippi in Manuali Chronol. Torniello anno 329. quintæ ætatis, & Saliano ad annum Mundi 3327. qui tamen cum Chronico Hebræorum Manaſſis quoq; tempore prophetaſſe dicunt. Non fuit ergo idem cum illo Habacuc, qui tulit prandium Danieli, eſto S. Hieronymus in prologo Habacuc eos confuderit; Alter enim Habacuc regna te iam Cyro tulit prandium Danieli annis poſt hunc circiter 172. Hic autem anno circiter 19. Ezechiæ cœpit prophetare, vt ſcitè Salianus docet; qui annus nobis eſt 708. ante Chriſtum. 708

10 *Sophonias* in principio Ioſiæ prophetaſſe creditur nempe circa annum 640. ante Chriſtum: quia non ſolum Sophoniæ 1. dicitur: *Verbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi &c. in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda*, ſed diſperdendam Idololatriam à Ioſia prædixit cap 1. nu.4. *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal*, quod præſtitit Ioſias, vt narratur 4. Reg. cap.23. At 2. Paralipom. c.34 nu.3. dicitur de eo. *Duodecimo anno poſtquam regnare cœperat mundauit Iudam, & Ieruſalem ab excelſis, & lucis ſimulacriſque, & ſculptilibus, deſtruxeruntque coràm eo aras Baal &c.* 640

11 Ieremias prophetare incœpit anno 13. regni Ioſiæ nempe nobis 628. ante Chriſtum: ſcriptum eſt enim Ieremiæ 1. nu.2. *Quod factum eſt Verbum Domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon Regis Iuda in tertio decimo anno regni eius*; & ibidem dicitur prophetaſſe vſque ad 11. annum Sedeciæ, & tranſmigrationem de Ieruſalem in menſe quinto. Si quis deſiderat annos pro ſingulis eius prophetijs, conſulat Chriſtophorum à Caſtro, Henricum Philippi in Manuali Chron. poſt cap. 52. Ieremiæ, & Tirinum in Chronico Sacro cap. 30. 628

12 *Baruch* anno 5. Ioakimi, ideſt 605. iuſſu Ieremiæ prophetias, & minas ex ore Ieremiæ exceptas legit populo, & principibus, vt patet ex Ieremiæ c.36. nu.9. & 10. ſed eadem poſtea relegit, & inculcauit anno quinto tranſmigrationis in Babylonia, vt patet ex c.1. Baruch. 605

13 *Ezechiel* capite 1. ſcriptum eſt: *Et factum eſt in trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis, cum eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei, in quinta menſis: ipſe eſt annus quintus tranſmigrationis regis Ioachim, factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi ſacerdotem in terra Chaldæorum ſecus flumen Chobar.* At ex dictis lib. 5. c.6. tranſmigratio illa fuit anno 605. ante Chriſtum, ergo viſio hæc, & initium prophetiæ fuit anno 601. ante Chriſtum. Ioſias autem ex dictis ibidem, cœpit regnare anno ante Chriſtum 640. Ergo annus trigeſimus quem recenſet Ezechiel, non fuit 30. ab initio Ioſiæ: ſed neque numeratur 601

ab

Anni ante Christum.

ab anno Nabuchodonoſoris, quia regnare cœpit anno 605. aut ab initio Nabopollaſsari, quod fuit anno 625. quidquid dicat Hieronymus Pudus cum Scaligero lib. 2. & 5. emend. temp. fallaci Chronologiæ innixo. Nec tacuiſset Ezechiel Epocham, & Regem, vnde annos 30. numerauerit, ſicut non tacuerunt alij Prophetæ. Ergo nil aliud ſignificare voluit Ezechiel, quam ſibi annum 30. ætatis agenti apertos eſse cœlos &c. vt cenſent plurimi, cum S. Gregorio, Origene, Iſidoro, Hugone Carenſi, Comeſtore, Lyrano, Dionyſio, Mariana, Sanctio, Torniello, Saliano: quem vide ad annum Mundi 3411. Mirum verò eſt S. Hieronymum prologo in Ezechielem dixiſse *Triceſimo autem ætatis ſuæ anno, & captiuitatis quinto, exorſus eſt ad concaptiuos loqui*; Et tamen in Commentario mutaſse opinionem, & annos 30. numerare à 18. Ioſiæ, quo repertum dicit librum Deuteronomij, & huic opinioni adhæſiſse Theodoretum, & Maldonatum; illud enim initium magis obſcurum, & reconditum erat, quam ætas prophetæ hoc ipſo intelligenda, quod non expreſſit vnde annos 30. computaret. Fuit autem figura Chriſti, cui agenti annum 30. aperti ſunt Cœli ſupra Iordanem.

14 *Daniel* primam ſuam interpretationem ſomnij, & initium prophetiæ deſignat cap. 2. dicens: *In anno ſecundo regni Nabuchodonoſori vidit Nabuchodonoſor ſomnium &c.* At annus primus huius Nabuchodonoſoris ex dictis lib. 5. c. 7. fuit ante Chriſtum 605. ergo annus ſecundus fuit 604. — 604

15 *Aggæus*, incœpit anno 2. Darij, ſcriptum eſt enim Aggæi primò. *In anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die vna menſis factum eſt Verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel Ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum.* Darius autem 1. ſeu Hiſtaſpides, ex dictis lib. 5. c. 7. incœpit anno 522. ante Chriſtum, ergo eius annus 2. fuit 521. & initium Aggæi, & Zachariæ. — 521

16 *Zacharias* enim cap. 1. habet: *In menſe octauo, in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam &c.* Quod autem ibidem nu. 12. Angelus Domini dixit: *Domine exercitum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte iam ſeptuageſimus annus eſt*, intelligendum de anno 70. computato ab anno 9. Sedeciæ, de quo 4. Regum c. 24. nu. 20. ſcriptum eſt. *Receſſitq; Sedecias à rege Babylonis*, & mox c. 25. *Factum eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe, & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circumdederunt eam &c.* Annus enim 9. Sedeciæ ex dictis præcedenti capite fuit ante Chriſtum 590. à quo incluſiuè ad annum 2. Darij, ideſt 521. ante Chriſtum ſunt anni 70. & hinc obiter vides inſignem huius Chronologię comprobationem. Annus enim incenſi Templi, vnde aliqui hos annos 70. computant fuit 19. Nabuchodonoſoris, vt expreſsè dicitur 4. Regum c. 25. nu. 8. atq; adeo ante Chriſtum 587. ex dictis l. 5. c. 6. Et à fundatione Templi ad incendium fuere anni 425. — 521

17 *Malachias* eodem tempore, aut paululo poſt Zachariam cœpit prophetare ex communi conſenſu, et Regula S. Hieronymi num. 2. ſub finem tradita, proinde initium poſuimus anno 520. inito. — 520

CAPVT XI.

De Annis Captiuitatum Iudaicarum, initio & fine Captiuitatis Babylonicæ, eaque occaſione de Annis Tobiæ, Iudith, & Eſther, cum Epocha Chriſti connectendis.

CONCLVSIO XI.

Prima *Hebræorum captiuitas ſub Teglatphalaſar rege Aſſyriorum facta eſt paulo poſt Annum 750. ante Chriſtum*, Secunda *ſub Salmanaſar anno 721. qua Niniuem translatus eſt Tobias*; Tertia *anno 605. qua Daniel, & alij Babylonem deportati ſunt, & ab hac computandi ſunt anni 70. à Ieremia prænunciati, vſque ad initium Monarchiæ Cyri Babylone potiti.* Quarta *anno 598. qua Iechonias cum alijs, eodem deportatus eſt.* Quinta *anno 587. qua reliqui deportati ferè omnes, Templumq; & Ieroſolyma incenſa. Iudith autem obtruncauit Holofernem anno circiter 690. Et Eſther ab Artaxerſe Longimano ducta eſt anno 459.*

1 PRima inter celebres captiuitates Hebræorum, fuit illa, qua Teglath Phalaſar rex Aſſur tranſtulit captiuos Hebræos de Galaad, Galilæa, &c. vniuerſaq; terra Nephthali, in Aſſyriam in diebus Phaceæ regis Iſrael, vt narratur 4. Regum c. 15. nu. 29. additis addendis ex 1. Paralip. c. 5. n. 6. S. Hieronymus Euſebij Chronicon ſecutus refert id ad annum 2. Olympiadis primæ & Salianus hunc annum ponit 1. Teglathphalaſar & 3. Phaceæ: ſed nos lib. 5. c. 6. coacti ſumus recedere ab Euſebio & annum primum Teglathphalaſaris ponere anno ante Chriſtum 750. libro autem hoc 6. primum Phaceæ anno 759. ideoque hæc captiuitas non potuit eſſe ante annum 10. Phaceæ.

2 *Secunda* fuit illa, qua Salmanaſar rex Aſſyriorum anno 6. Ezechiæ expugnata Samaria, tranſtulit Iſraelitas in Aſſyrios; fuit autem ille annus ex dictis cap. 8. ante Chriſtum 721. & Oſeæ regis Iſrael nonus, vt narratur 4. Reg. c. 18. n. 10. nempe computatus à legitima electione, ſeu confirmatione Iſraelitarum; alioquin enim erat 17. ab occiſo Phacee, & vſurpato tyrannicè regno. Inter hos captiuos fuit Tobias ex tribu & ciuitate Nephthali, vt narratur Tobiæ cap. 1. Vixit autem Tobias ſenior in ea captiuitate annis pluribus quam 46. nam in ea viſum amiſit, & poſtea recuperauit, & tamen Tobiæ 14. dicitur: *Et poſt quam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum completis itaq; annis centū duobus ſepultus eſt honorificè in Niniue. Quinquaginta namque & ſex annorum lumen amiſit, ſexagenarius verò recepit*; Ergo mortuus non eſt ante annum 676. Chriſti, & certè tot annis poſt, quot anni à captiuitate ad amiſſionem oculorum interceſſerunt Salianus Anno Mundi 3276. Tobiam Seniorem putat natum eſſe, & cum eſſet annorum 39. abductum in Captiuitatem à Salmanaſaro, quod & Serrarius cenſet, qui annus fuit nobis 721. ante Chriſtum, hinc ideſt à 39. ætatis ad 56. ætatis, quo lumen amiſit ſunt anni 16. ſolidi, ergo lumen amiſit anno 704. ante Chriſtum, ſuperſunt ad annos 102. implendos anni 46. ergo mortuus (hac quidem ratione) anno 659. ante Chriſtum; poſt quod fuit alterum excidium Niniue à Tobia prædictum, & illo, quod ſub Sardanapalo 863. ante Chriſtum accidit, poſterius per annos plus 204. Quando autem, & à quo iterum ſubuerſa ſit Niniue non conſtat, & magnum diſſidiū eſt inter Chronologos, de quo vide Salianum anno Mundi 3377. à nu. 4. & Petauium l. 10. c. 4. Græci autem codices in annis Tobiæ, valde diſcrepant à Vulgata Latina.

3 *Tertia* Captiuitas omnium celeberrima fuit, illa, qua Nabu-

Nabuchodonosor iunior anno 4. Ioakimi regis Iudæ transtulit, & sui regni primo transferri iussit Hebræos Babylonem, vt habetur Ieremiæ c. 25. & Danielis c. 1. ex quibus colligitur, anno 3. exeunte Ioakimi missum fuisse à patre Nabuchodonosorum iuniorem aduersus rebelles, sed mortuo patre, vt narrauimus l. 5. c. 6. n. 3. ipsum regnare cœpisse, & sic eius primum annum incidisse in annum 4. Ioakimi quo capta Hierosolyma est, & captiuitatis Babylonicæ initium fuit; fuisse autem annum illum 605. ante Epocham Christi, constat ex dictis eodem capite 6. sed dubitatur an hinc computandi sint celeberrimi illi anni 70. de quibus Ieremias capite eodem 25. nu. 9. sic vaticinatus est: *Ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu eius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas*, & paulo post: *Et seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumq; impleti fuerint septuaginta anni visitabo super regem Babylonis*; Hoc autem vaticinium factum est *in anno quarto Ioakim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis*, vt dictum fuerat initio capitis. Deinde Ieremias c. 29. nu. 10. post deportationem alteram annis octo posteriorem tempore Ioachin seu Iechoniæ, scripsit ad captiuos Babylonem. *Quia hæc dicit Dominus, cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo eos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum*. De ijsdem autem annis à Ieremia memoratis vult intelligi Daniel c. 9. vbi ait: *In anno primo Darij filij Assuери de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum. Anno vno regni eius, Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.* Sed & Zachariæ 1. nu. 12. dicitur: *& respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsquequò Tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est*. Denique 2. Paralipom. c. 36. à nu. 20. ratio redditur huius septuagenarij, nimirum, vt tot annis terra vel tota, vel ex parte à suis cultoribus quiesceret, et Sabbatum, idest quietem haberet, quot vicibus Hebræi contempserant obseruantiam anni Sabbatici, nec permiserant terram quiescere: *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi, donec imperaret rex Persarum & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum vsq; dum complerentur septuaginta anni*. Hactenus Sacra Scriptura; ex quâ item constat initium captiuitatis. *Primæ* fuisse anno 1. Nabuchodonosor et 4. Ioakim, quo capta Hierosolyma multi, et inter hos Daniel, deportati sunt, ex c. 1. Daniel, et 25. Ieremiæ. Qui annus ex dictis l. 5. c. 6. et 6. c. 8. fuit ante Christum 605. *Secunda* deportatio, et incrementum captiuitatis fuit anno ante Christum 598. vtpote anno, quo Ioachin, seu Iechonias cœpit regnare, vt constat ex 4. Reg. c. 24. nu. 10. et 2 Paralip. cap. 36. n. 10. *Tertia* et consummata captiuitas, coniuncta cum nece Sedeciæ, interruptione regni Iudæ, Ierosolymæ ac Templi incendio, et excidio, fuit anno ante Christum 587. vtpote anno 11. Sedeciæ et 19. Nabuchodonosor, de quo 4. Reg. c. 25. à num. 3. ad 9. et 2. Paralip. c. 36. nu. 11. ac Ieremiæ 52. à nu. 5. Hinc inter opiniones multas tres præcipuè sunt exortæ de initio annorum 70. Quas diligenter referunt, et expendunt Petauius l. 12. de Doctrina temporum c. 22. 23. et 24. Salianus anno Mundi 3429. Tirinus tomo 1. in Chronico sacro, c. 35. Henricus Philippi in Synopsi Chronologica c. 6. Spondanus anno Mundi 3429. et 3447.

4 *Prima* opinio annos 70. Ieremiæ numerat à primo anno Nabuchodonosoris et 4. Ioakimi vsque ad annum, quo Cyrus Babylone capta Monarchiam illam regno Persarum Medorumq; adiunxit. Ita communiter Hebræi in Seder Olam, cum plurimis Rabbinis; Sulpicius Seuerus, qui l. 2. Sacræ histor. captiuitatem à Danielis deportatione orditur, eamque terminat anno illo, quo Cyrus Babylonico regno potitus est; Theodoretus in cap. 9. Danielis Isidorus l. 5. Origin. Vatablus, et Montanus in c. 9. Danielis, Lyranus in l. 1. et c. 1. Esdræ, Petrus Comestor in hist. Schol. ad c. 18. Esdræ, Christophorus à Castro in c. 29. Ieremiæ; Ribera in c. 9. Danielis, et 1. Zachariæ, Sanctius sæpe, Gordonus c. 13. Chronol. Barradius l. 5. concord. Euang. cap. 17. Henricus Philippi in Synopsi Chronolog. c. 6. Petauius l. 12. Doctrina tempor. c. 23. Et hanc nos quoque coacti sumus eligere, quia receptis annis Regum Babyloniorum vsq; ad Cyrum; et à Cyro vsq; ad Alexandrum Magnum, quos antiquiores historici et Babylonicarum rerum peritiores nobis tradidere, multisq; illorum per Eclipses à Ptolemæo relatas firmissimo charactere constitutis, vt iam ostendimus cap. 6. et 7. libri Quinti, constat annum primum Nabuchodonosoris Iunioris incidisse in annum 605. ante Christi Epocham; annum autem, quo Cyrus potitus iam Babylone Darium Medum in Caramaniam amandauit soluſq; pacificè, et sine competitore Babylonem possedit, fuisse annum 536. ante Epocham Christi, esto Babylonem expugnasset anno 537. exeunte. ab anno autem 536. ad 605. sunt anni præcisè 70. currentes. Ex altera verò parte constat ex Sacra Scriptura, anno 1. Nabuchodonosoris partem eorum abductos esse Babylonem in captiuitatem, tempus verò seruitutis illius definitum fuisse annorum 70. et quidem loquendo, non de desolatione tantum (esto, et hæc prædicta fuerit) sed de seruitute, et quidem tunc inita, quando aliæ omnes nationes, quæ erant in circuitu Iudeæ, subiugatæ, cœperunt seruire Nabuchodonosori, quod partim ex Ieremiæ 25. partim ex historia prophana relata l. 5. c. 6. patet fuisse illo ipso anno primo Nabuchodonosoris. Certum præterea est, eo tempore solutam fuisse Captiuitatem, quo Babylon visitata est à Deo, vt patet ex Ieremiæ 25. idq; per Cyrum, vt ex l. 1. Esdræ c. 1. nec potuisse id Cyrum præstare antequam potiretur Babylone, vbi erant Captiui. Quid igitur plura requirimus? Contra verò qui aliunde computant annos hos 70. vel ante Monarchiam Cyri Babylone potiti illos terminant, coguntur peruertere annos prædictorum regum, dissimulatis Eclipsibus, aut Historicis Babylonicarum rerum peritis, ac violento artificio interuallum annorum 70. stabilire. Audiamus tamen, sed breuiter aliorum opiniones: nam de annis 70. à Zacharia memoratis vide quæ diximus c. 9. nu. 16.

5 *Secunda* opinio annos 70. à Ieremia memoratos computat à secunda deportatione facta anno 8. Nabuchodonosoris, ita R. Salomon apud Lyranum in principio Esdræ, Caietanus in cap. vlt. 2. Paralip. Genebrardus lib. 1. Chron. in fine, Azorius tomo 1. Moral. l. 6. c. 56. Scaliger. in Isag. Canon. & in Prolegomenis pag. 29. Vbbo Emmius lib. 4. Rer. Chronol. p. 96. quia scilicet tunc Ieremias, vt habetur c. 29. nu. 10. scripsit ad eos, qui iam deportati fuerant initio captiuitatis, promittens eis liberationem, & reditum in patriam, cùm cœperint impleri 70. anni. Sed hoc leuissimum est argumentum loquitur enim de annis 70. de quibus etiam locutus fuerat cap. 25. anno 1. Nabuchodonosoris. Numquid enim si Ieremias, aliusue propheta crebro vel etiam singulis annis consolatus esset Hebræos, promittens illis finem captiuitatis post 70. annos, oporteret toties vt à nouo initio computare annos 70. at hoc modo iretur in infinitum. Deinde cur non valeat idem argumentum de anno primo Nabuchodonosor, cum et illo anno Ieremias dixerit seruituros annis 70. et post illos Deum visitaturum Babylonem.

6 *Tertia* opinio numerat annos 70. Ieremiæ ab 11. Sedeciæ, & Nabuchodonosoris 19. quo omnes Hebræi deportati sunt, incensumq; templum, & Hierosolyma excisa penitusq; desolata Iudæa, ita Iosephus lib. 11. antiq. c. 11. & lib. 1. contra Apionem; Eusebius lib. 10. de præparat. c. vlt. Nicephorus Callistus lib. 1. c. 6. Torni. Illus. lib. 5. ætatis, Salianus ad Annum Mundi 3429. Tirinus in Chronico Sacro c. 35. qui pro se adducunt Sigonium, Villalpandum, Adrichomium, Pererium, Serarium, & quosdam alios. Fundamentum præcipuum est, quia Ieremias c. 25. & Daniel cap. 9. annos illos 70. non seruitutis tantum, sed desolationis denominat, & quia prædicitur à Ieremia venturus Nabuchodonosor, qui tamen iam anno 4. Ioakimi aduenerat. Sed negamus eo tempore, quo Ieremias prima vice præmonuit Hebræos de futuro aduentu illius Regis, cum iam peruenisse in Iudæam, initio enim anni 4. Ioakim, Ieremias hoc vaticinium edidit, & paucis post mensibus Nabuchodonosor, Syriæ Satrapa debellato, peruenit in Iudæam, & cœpit Ierosolymam, esto anno 3. Ioakimi nondum absoluto expeditiones has suscepisset. Etsi verò Ieremias in-

ter

ter calamitates, quas intra illos annos 70. passuri erant, numerauit etiam desolationem totalem, non inde tamen sequitur, omnes illas ab initio annorum 70. incœpisse. Nec insolitum est S. Scripturæ plura indistinctè futura aserere intra certum annorum numerum, quorum quædam vno, quædam alio tempore cœpta sunt fieri. Sic Abrahæ prædictum est semen ipsius peregrinum futurum in terra aliena, & seruitute subijciendum 400. annis, & tamen non sunt subiecti Israelitæ seruituti alienigenarum, nisi in Aegypto, post mortem Iosephi. Denominati sunt tamen illi anni 70. à potiori, & maiori calamitate, quæ fuit desolatio Templi, esto illa non acciderit ipso initio annorum 70. et hoc sensu intelligenda sunt verba Danielis relata num. 3. et S. Hieronymi in c. 9. Danielis dicentis: *Prædixerat Ieremias 70. annos desolationis, post quos rursus veniret populus in Iudæam, vt ædificaretur templum.* Clemens autem Alexandrinus 1. Strom. licet dicat: *Nabuchodonosor excæcatum Sedeciam adduxit in Babylonem, totumq; populum commigrare iussit durauit autem hæc captiuitas 70. annis*; intelligendus est de captiuitate ab initio sui computata, tunc enim cœpta est pars eius ad totum illud spectans, neque enim totus populus anno 11. Sedeciæ abductus est, sed reliquum populi ad implendum totum; quibus similia habet Leontius Byzantinus lib. de Sectis act. 2. esto in specie videantur hi fauere 3. opinioni. Imò licet decretum sit, vt totus populus abduceretur, exequtio tamen non fuit absoluta nisi anno 23. Nabuchodonosoris, vt dicitur Ieremiæ 52. nu. 30.

7 De Anno imò, & mense excidij Hierosolymitani, & incensi Templi nulla est controuersia, si attentè legatur 4. Regum c. 25. & Ieremiæ c. 52. in quo sic scriptum est de Sedecia. *Factum est autem in anno nono regni eius in mense decimo, decima mensis: venit Nabuchodonosor Rex Babylonis ipse, & omnis exercitus eius aduersus Ierusalem, & obsederunt eam, & ædificauerunt contra eam munitiones in circuitu, & fuit ciuitas obsessa, vsque ad vndecimum annum regis Sedeciæ. Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames ciuitatem &c.* Et narrata fuga Sedeciæ, nece filiorum eius, & ipsius excœcatione subiungit Ieremias: *In mense autem quinto decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardam princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis, & Ierusalem, & incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ierusalem etc.* Nec repugnat 4. Reg. c. 25. vbi dicitur venisse Nabuzardam, & succendisse domum Domini *mense quinto septima die mensis.* Hoc enim de primo die incendij Ieremias autem de vltimo incendij excitati, quod non vno die, nec vno loco, sed per partes factum est, & non minùs, quàm triduo obtinuit. Addit verò Ieremias num. 28. *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: in anno septimo Iudæos tria millia, et viginti tres: in anno octauo decimo Nabuchodonosor de Ierusalem animas octingentas triginta duas: in anno vigesimo tertio Nabuchodonosor transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorũ septingentas quadraginta quinque: omnes ergo animæ quatuor millia sexcentæ:* vbi pro summa animarum 4598. positus est rotundus numerus 4600. reliqui etiam occisi sunt, vel fame perierunt, vel alio diffugerunt, & loquitur hic Ieremias de translatis, post reditum Nabuchodonosoris ex Babilone: nam primi captiui anno 1. eius non ab ipso, nec ipso interueniente, ac præsidente huic expeditioni; sed ab ipsius administris abducti fuerint, postquam audita morte patris conuolauerat Babylonem. Cum autem ex dictis lib. 5. c. 6. annus 1. Nabuchodonosoris huius ostensus sit incidisse in 605. ante Epocham Christi patet 19. eiusdem fuisse 587. ante Epocham Christi, atq; adeo tunc completum fuisse vndecimum Sedeciæ. Et cum ex dictis libro hoc 6. c. 8. nu. 4. annus 4. Salomonis, quo Templum fundari cœptum est mense Zio, idest mense 2. fuerit annus 1012. ante Epocham Christi, sequitur ab ipsius fundatione ad excidium, & incendium eius fuisse annos 425. integros, & præterea menses 3. & aliquot dies, vt diximus etiam c. 8.

8 Cyrum porrò non prius soluisse Captiuitatem Iudæorum, quàm capta Babylone colligitur ex 2. Paralipom. c. 36. num. 22. vbi sic. *Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per Scripturam dicens. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudea: Quis ex vobis est in omni populo eius? Sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.* Quæ verba repetuntur statim cap. 1. libri 1. Esdræ. Didicisse autem Cyrum à Daniele se esse eum, quem Deus destinarat ad hoc munus, & ostendisse illi, ac declarasse prophetiam Isaiæ, tradunt partim Iosephus lib. 11. antiq. cap. 1. partim Theodoretus in cap. 1. & in fine Danielis. Isaiæ autem vaticinium habetur cap. 43. nu. 28. *Qui dico Cyro: pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis, qui dico Ierusalem: Aedificaberis, & Templo Fundaberis*, & cap. 44. *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro &c.* At non est verificatum omnia regna terræ data esse Cyro, nisi post quã Regno Persarum, Medorum, Assyriorum, & Babyloniorum potitus Monarchiam Asiæ adeptus est. Sed expressius id habetur 1. Esdræ c. 5. nu. 13. vbi sic. *Anno autem primo Cyri regis Babylonis Cyrus rex proposuit edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur.*

9 Nabuchodonosor verò ille rex Assyriorum qui regnabat in Niniue quique misit Holofernem contra Iudæos, vt narratur in libro Iudith c. 1. et 2. probabiliter fuit successor ille Assarhadonis, quem libro 5. cap. 4. in fine diximus regnasse annos 13. et cap. 6. cœpisse regnare anno ante Christum 698. ac mortuum esse anno 685. nempe anno 12. Manassis regis Iudæ. Itaq; Iudith factum ad hos annos intermedios pertinet, ideſt post 698. et ante 685. ante Christum. Fuisse autem Nabuchodonosorem hunc circa primos annos Manassis, consentiunt Serrarius in Iudith. Petauius l. 12. c. 26. Salianus anno Mundi 3340. nu. 12. et 3344. à nu. 4. et apud eum Salmeron; Tirinus in Chronico Sacro c. 33. Turcellinus q. vlt. Chronol. Gordonus cap. 10. Chron. Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 12. ibiq; Gretserus, Pererius l. 1. in Danielem sed fuisse vnum de successoribus Assarhadonis, non autem Merodachum, cum Petauio, Serrario, ac Tirino; Non habeo tamen quo repugnem Saliano cædem Holofernis consignanti anno 7. Manassis, qui nobis fuit annus 691. ante Epocham Christi, ex constitutis cap. 8. aut Petauio, qui anno 10. Manassis id notat, quiq; nobis est annus 688. sed non possumus assentiri Tirino, qui ad 15. Manassis hæc refert, nam fuisset annus 684. ante Christum, quando iam mortuus erat Nabuchodonosor ille. Sic eligemus annum Manassis 8. et ante Christum 690. et Iuditham viduam quidem, sed adhuc florenti et pulchro aspectu puta annorum 40. Nata ergo fuerit anno 730. ante Christum, et cum vixerit annos 105. ex cap. vlt. Iudithæ, obierit anno 646. ante Christum. Fundamenta tamen eorum, qui volunt Iudithæ trophæum fuisse post Captiuitatis Babylonicæ solutionem vide apud Salianum soluta. Tantum monemus eundem regem fuisse Assyriorum simul, et Babyloniorum.

10 Estheris tempus ex Mardochæi tempore frustra inquiritur, quod enim dicitur Esth. 2. nu. 5. *Erat vir Iudeus in Susan ciuitate vocabulo Mardocheus filius Iair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat*: Non de translatione ipsius Mardochæi, sed ipsius *Cis*, qui fuit proauus Mardochæi intelligitur à plerisque. Quod certum est ex libro Estheris, & Regem eius maritum fuisse *Assuerum*, qui regnauit ab India, vsque Æthiopiam super centum viginti septem Prouincias, & fuisse in primis regem Persarum, & Medorum, vt habetur cap. 1. & Esther ductam fuisse ad thalamum *Regis Assueri, mense decimo, qui vocatur Thebeth septimo anno regni eius*, vt habetur cap. 2. nu. 16. & statim assumptam fuisse in reginam loco Vasthi ibidem nu. 18. et eundem regem Artaxersem cognominatum ex cap. 16. anteà verò c. 3. nu. 7. memoratur annus 12. *regni Assueri*, vnde excluditur Cambyses, qui regnauit solum annos 7. et menses 5. et Xerses II. qui menses 2. Nulla verò inter diuersas opiniones probabilior est, quàm quæ pro marito Estheris agnoscit *Artaxersem Longimanum*, quem cœpisse regnare solum anno 465. ante Epocham Christi, ostendimus lib. 5. c. 7. ideoq; annus eius 7. & initium reginæ Esther fuit annus 459. nam, et nomen conuenit, et beneuolentia regis in Iudæos, et veri Dei cognitio, et similitudo morum, et commoratio in Perside, et regni diuturnitas. Ita Iosephus lib. 11. antiq. c. 6. Sulpicius Seuerus lib. 2. hist. Nicephorus Constantin. in Chronico, Ludouicus Viues in caput 36. libri 18. de Ciui-

tate

tate Dei, Suidas verbo *Esther*, Zonaras, Sabellicus Enneade 3. lib. 3. Caietanus in Esther, Bellarminus tomo 1. lib. 1. c. 7. Henricus Philippi in Manuali Chronol. vbi de Esthere, Menochius in c. 1. Esther is, Petauius l. 12. de doctrina temporum c. 27. et 28. Salianus ad annum Mundi 3590. vbi diligentissimè exhibet aliorum opiniones, et fundamenta earum, sicut et Petauius, et subuertit. Dilatum verò fuit secundum conuiuium nuptiale in annum 7. regis huius, quia ante hunc annum debellandi fuere quidam rebelles, per Artabazum, et Megabyzum eius duces, vt colligitur ex Diodoro, et Thucydide, et idcirco annum hunc 7. non annumeramus in primo eius initio, quo cœpit viuente patre regnare.

CAPVT XII.

De initio fine, & quantitate Hebdomadum Danielis.

CONCLVSIO XII.

Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ de quibus S. Gabriel Danielis 9. sunt Annorum non Lunarium, sed Luniſolarium Hebdomades 69. cum ferè dimidia, nempe Anni 486. vel 485. & aliquot menſes; ijque computandi ſunt ab anno 20. Artaxerſis Longimani, inito à primo eius exordio regnandi viuente adhuc patre, vſque ad mortem, & Reſſurrectionem Sancti Sanctorum IESV CHRISTI, qua conſumatæ ſunt promiſſiones Diuinæ, & figuræ de hoc in Teſtamento veteri, & confirmatum Euangelium, ac Teſtamentum nouum.

1 COntrouerſiam hanc celeberrimæ difficultatis, & arcanorum ænigmatum plenam, & tamen Sacræ Chronologiæ anniſq; veteris cum annis noui Teſtamenti connectendis perneceſsariam agitarunt poſt Patres, & antiquiores interpretes in caput 9. Danielis Salmeron t. 1. proleg. 43. lo. Lucidus l. 7. de emend. temp. c. vlt. Vil'alpandus t. 3. p. 1. lib. 3. c. 3. Pererius l. 10. & 11. in Danielem, Suarez tomo 1. in 3. partem initio, Gordonus cap. 15 Chronol. Henricus Philippi in Synopſi Chronol. c. 12. & in Manuali ad cap. 9. Danielis, Cornelius à Lapide in harmonia Chronol. Prophetarum, Petauius lib. 12. de Doctrina temporum à cap. 29. ad 35. Salianus anno Mundi 3595. à num. 37. & fuſius anno 3609. à num. 2. ad 10. Spondanus anno Mundi 3516. Tirinus in Chronico Sacro c. 38. Iacobus Grandamicus quæſtione de die ſupremo, & Natali Chriſti lib. 1. c. 3. apud quos videri poſsunt aliorum opiniones; Nobis expeditius videtur noſtram ſententiam prius exponere, & ſtabilire, & obiter alias refutare, aut deinde potiſſima earum fundamenta, & obiectiones ſubuertere. Præmittenda autem ſunt verba Sanctiſſimi Archangeli Gabrielis ad Danielem cap. 9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem Sanctam tuam, vt conſumetur, prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, et prophetia, et vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animaduerte. Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, et hebdomades ſexaginta duæ erunt: Et rurſum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum, et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et Ciuitatem, et Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: et finis eius vaſtitas, et poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, et Sacrificium, et erit in templo abominatio deſolationis, et vſque ad conſummationem, et finem perſeuerabit deſolatio.* Græcè illud *Abbreuiatæ ſunt*, idem eſt, ac *conciſę ſunt*, ſed Hebraicè *Nechthach* præciſum eſt, *pro preciſæ ſunt*, ideſt definitæ præcisè, vt non vltra extendantur; Euſebius lib. 8. de præpar. Euang. demonſtr. 2. legit. *Septuaginta hebdomades compendium accepere.*

	Anni ante Epoch. Chriſti.
2 Ex dictis & probatis libro 5. c. 6. & 7. & annis numero præcedenti inueſtigatis præmittenda eſt vera Chronologia annorum ante Chriſtum, qui ad hanc Danielis prophetiam ſpectare poſſunt, & eſt huiuſmodi.	
Daniel deportatur in Babylonem anno 1. Nabuchodonoſoris.	605
Darius Medus, qui & Nabonidus electus in locum Balthaſsaris, cuius anno primo S. Gabriel illi reuelauit de 70. Hebdomadibus.	554
Cyrus Babylone potitus promulgat edictum de Templo reædificando.	536
Templi reædificati fundamenta iacta menſe ſeptimo, ideſt Tiſri.	533
Cambyſes, qui et Artaxerſes, et Aſsuerus communi prænomine, inhibet anno primo regni ſui fabricam murorum vrbis, ſed Iudæi ceſſant etiam à Templi fabrica.	530
Darius Hiſtaſpides anno 2. regni ſui concedit facultatem reſumendi fabricam Templi; quod completum eſt, ac dedicatum anno eius ſexto.	521 517
Artaxerſes Longimanus viuente patre declaratur Rex, et regnare incipit.	472
Artaxerſes Longimanus, qui cum patre Xerſe regnarat, incipit ſolus regnare.	475
Artaxerſes Longimanus anno 7. regni ſui Eſdræ concedit quæcunq; petijt.	459
Artaxerſes idem anno 20. regni ſui concedit facultatem reædificandi muros, et portas Ieroſolymæ paulo ante deſtructos, et combuſtas ab hoſtibus.	453
Darius Nothus regnare incipit poſt Xerſem II. et Sogdianum anno	424
Artaxerſes Mnemon regnare incipit.	405
Artaxerſes Ochus regnare incipit.	362

3 His præmiſſis aſſero Hebdomadas Danieli reuelatas à S. Gabriele ab anno Artaxerſis Longimani 20. ex quo primum regnare cœpit viuo patre, computandas eſſe, vſq; ad CHRISTI mortem, idq; duobus validiſſimis argumentis. *Primum* eſt, quod Hebdomades 70. ideſt 69. cum dimidia explicatæ à S. Gabriele, vtique non dierum ſunt, ſed (ex communi ſententia, & ex euentu) annorum; cuiuſmodi erant Hebdomades numerandæ ab vno ad alterum annũ Iubilæum; nec annorum Lunarium, quibus nec Hebræi, nec Babylonij, ſeu Caldæi, nec Aegyptij vtebantur, ſed Luniſolarium quibus aſſuetus erat Daniel, aut Solarium, quibus Chaldæi, præſertim cum nulla ſit neceſſitas recurrendi ad annos Lunares meros, quibus nulla natio ante Mahometanos vſa eſt. Iam verò annorum Hebdomades 69 ½. ideſt anni 486 ½. nõ poſsunt ſalua vera Chronologia, & abſq; violentia computari, niſi ab anno ante Epocham Chriſti 453. additis enim Chriſti annis 33. completis, & aliquot menſibus prætereà fiunt anni 486. & ciuili quod. m modo dimidiatus annus 487. Oſtendimus autem libro 5. ap. 7. & per Eclipſes confirmauimus, Artaxerſem Longimanum mortuum eſse anno ante Epocham Chriſti 424. & cœpiſſe regnare viuo adhuc patre anno ante Epocham Chriſti 472. vnde annus 20. regni eius incœpit manifeſtè anno ante Epocham Chriſti 453. idque nulla prorſus violentia facta Hiſtoriæ, ſeu prophanæ, ſeu ſacræ, & ſine vlla veræ Chronologiæ peruerſione; quod nulla alia opinio, aliunde computans prædictas hebdomadas præſtare potuit, vt ex dicendis infra patebit.

4 Alterum Argumentum eſt, quod Hebdomadum dictarum initium ab illo ipſo anno computandum eſt, quod S. Gabrieli tanquam certum determinatum, & manifeſtè futurum erat, ex nota temporis ab eo conſignata, nec debebat

esse expositum æquiuocationibus, aut ambagibus, nec ex incerta Epocha sumptum; tum quia ita exigebat rei magnitudo; tum quia id significant verba illa S. Archangeli. *Scito ergo, & animaduerte*, quibus attentum esse vult Danielem ad præfixum tempus, quod mox designaturus erat. Tempus autem illud fuit: *Exitus sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem*, nempe quando data est expressa facultas, & exequtoria reædificandi Ierusalem. Hæc autem nunquam data fuit, nisi anno 20. Artaxersis, Annus autem 20. regni primum initi fuit 453. ante Epocham Christi, vt iam diximus. Ad huius argumenti soliditatem recolendæ sunt ex libro Esdræ omnes facultates Hebræis de reædificando Templo, & Ierusalem datæ à Regibus Persiæ, & Babylonis. Primo enim libro, et cap. dicitur in edicto Cyri. *Hæc dicit Cyrus rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei Domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso: Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Ierusalem.* In hoc tamen edicto continebatur interpretatiua licentia ædificandi muros vrbis, ad maiorem securitatem Templi, & habitatorum, vt indicat Isaias 44. nu. 28. *Qui dico Cyro: Pastor meus, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem ædificaberis, & Templo Fundaberis*: Idcirco post quam Iosue, & Zerobabel mense septimo, ideſt Tisri ædificauerunt altare, & fecerunt solemnitatem Tabernaculorum, vt narratur 1. Esdræ c. 3. vsque ad numerum 4. & postquam anno secundo aduentus sui in Ierusalem fundatum est Templum, vt ibidem dicitur num. 8. & 10. ædificare cœperunt muros quoq; Ierosolymæ, vnde nata occasio hostibus eorum, præsertim Samaritanis scribendi ad Asſuerum Artaxersem successorem Cyri (is erat proprio nomine vocatus Cambyses) et accusandi Iudæos, quod animo rebellionis reædificarent mnros, et obtinendi rescriptum de cessando ab ædificatione vrbis, vt narratur lib. 1. Esdræ c. 4. quod sic concluditur: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat vsq; ad annum secundum Darij regis.* Timuerunt enim, ne si pergerent in ædificando Templo, darent ansam hostibus calumniandi eos, tanquam mandato Cambysis non obtemperarent, esto ille non esset locutus de Templo expressè. Mortuo Cambyse, cuius commune pronomen erat Artaxerses, & Assuerus, successit Darius Histaspides, cuius anno secundo Zerobabel, & Iosue prophetantibus, & iuuantibus Aggæo, & Zacharia, resumpserunt fabricam Templi, vt constat partim ex primis capitibus Aggæi, & Zachariæ, partim ex l. 1. Esdræ c. 5. & 6. vbi habetur rescriptum cum ampla facultate ædificandi Templũ, nulla mentione facta vrbis, aut murorum eius, & eodem cap. 6. num. 14. dicitur completam fuisse domum Domini, die 3. mensis Adar, anno sexto Darij Regis. Posteà anno 7. Artaxersis Esdras impetratis quæcunque voluit, venit de Babylone Ierusalem cum ampla facultate, & subsidijs in ordine ad domum Domini, & cultum Dei in illa, sed nec ibi, nec reliquis capitibus libri primi verbum vllum expressum de facultate muros vrbis ædificandi, esto cap. 9. nu. 9. Esdras dicat: *Inclinauit super nos misericordiam coràm rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret Domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda, & Ierusalem.* Et licet 3. Esdræ (qui liber non est canonicus) cap. 4. dicatur non semel Darius dedisse facultatem ædificandi Ierusalem, id tamen exequutioni non est mandatum absolutè, niti quando dissipatis per hostes muris, qui cœperant construi viuente Cyro, & portis combustis, vt narratur lib. 2. Esdræ c. 1. & 2. Neemias, *In mense Nisan, anno vigesimo Artaxersis Regis*, obtinuit non solum facultatem eundi in Iudæam ad Ciuitatem ædificandam, sed etiam Epistolas regias super hoc, vt narratur l. 2. cap. 2. à nu. 5. ad 9. in earum enim virtute exorsus est fabricam portarum vrbis, & murorum, ideoq; ipsi soli laus illa tribuitur Ecclesiastici 44. *& Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas, & seras, qui erexit domos nostras.*

5 *Completus est autem murus vigesimo quinto die Elul quinquaginta duobus diebus*, vt habetur lib. 2. Esdræ, cap. 6. nu. 15. & hæc est illa angustia temporis significata à S. Gabriele, quia propter Samaritanos aliosq; hostes conantes interturbare murorum structuram, opus fuit, vt fabri cæmentarij accincti gladio essent & media pars opus faceret, media staret accincta cum armis ad propulsandum infestantes, vt narratur c. 4. Nondum tamen erant ædificatæ domus, vt dicitur c. 7. n. 4. postea verò ædificatæ sunt domus, & platea ante templum, nec absoluta hæc nisi post annorum hebdomadas 7. ½. ideſt annos 52. à quo tempore post hebdomadas 62. occisus est Christus, ideſt post annos 434. nempe in dimidio ferè hebdomadis septnagesimæ, & instituto nouo Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini, defecerunt hostiæ, & sacrificia veteris legis, & adeo defecerunt vt Ciuitas illa, & Sanctuarium discipatum sit, cum vastitate, & desolatione, fuerintq; in templo subſtituta Idola abominanda. Inter hebdomadas verò 70. vltima fuit omnium celeberrima, in qua Christus Euangelij prædicatione & miraculis, ac tandem passionem, & resurrectione sua confirmauit pactum seu testamentum nouum, & promissiones diuinas in testamento veteri toties iteratas de mittendo Saluatore in salutem omnium gentium, & in cuius dimidio, consummatum est opus salutis nostræ. Proinde fuerunt Hebdomades 70. sed abbreuiatæ, ideſt vt postea S. Gabriel explicauit septem, & sexaginta duæ, & dimidium hebdomadis. Nec mirum Archangelum per hebdomadas annorum potiùs, quàm per annos distinctos tempus designasse, siquidem Iugenti Danieli super desolatione annorum 70. & oranti, vt quam primum cessaret illa desolatio, & reædificaretur Sanctuarium, ac Ciuitas Sancta, Deus per Archangelum suum promisit non solum futurum tempus, quo ædificaretur ciuitas illa, sed ab eo tempore totidem, & non plures, immo ne integras quidem sed abbreuiatas hebdomadas annorum vsque ad Messiæ mortem interlapsuras, quot annis definita erat captiuitas Bubylonica, & à Ieremia prædicta. Alioquin cum ab anno primo Darij Medi, quo facta est hæc reuelatio Danieli, ideſt ab anno ante Christi Epocham 554. vsque ad annum Christi 34. currentem, fuerint anni ferè 588. ideſt Hebdomades 84. facile erat has ab exordio precum Danielis inire: sed propter analogiam cum annis 70. & propter mysteria septenarij numeri, maluit ab eo tempore tempus mortis Christi computare, quo Nehemia deprecante exiuit à rege Persarum sermo epistolis patentibus confirmatus de iterum ædificanda Ierusalem, quia diuina prouidentia ita tempora dispoſuerat, vt ab eo anno ad mortem Saluatoris nostri essent hebdomades annorum ferè 70.

6 Porrò ab anno 20. Artaxersis Longimani computandas esse 70. Hebdomadas Danielis censuerunt Iulius Africanus 5. Annalium apud S. Hieronymum in c. 9. Danielis, & Eusebium l. 8. de præpar. demonstr. 2. Beda de ratione temporum c. 7. & lib. de 6. ætatibus Mundi, vbi de Artaxerse, & l. 3. allegoricæ expositionis in Esdram c. 16. Theodoretus oratione 9. in Danielem; Rupertus c. 15. in Daniel, Zonaras 1. Annalium, Petrus Comestor in historia Scholastica Danielis c. 10. S. Antoninus parte 1. Chron. tomo 3. c. 8. Petrus Galatinus l. 4. de Arcanis c. 16. Io. Lucidus l. 7. de emend. temp. c. vlt. Carthusianus in c. 9. Danielis, Torniellus in 6. ætate anno 70. ex nostra verò Societate, Salmeron tomo 1. prolegom. 43. Pererius lib. 10. & 11. in Danielem, Villalpandus p. 3. p. 1. l. 3. c. 3. qui fatetur esse communem, Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 1. sect. 2. Gordonus in Chron. Sub annum 20. Artaxersis, Salianus ad Annum Mundi 3609. Petauius l. 12. de doctrina temp. c. 32. ac ferè Tirinus in Chronico Sacro cap. 38. quatenus Neemiam impetrasse facultatem reædificandæ Ierusalem anno 20. Artaxersis agnoscit, sed putat hebdomadas numerandas ab anno 23. quo dedicati sunt muri. Differunt tamen aliqui ex his, quod annos merè lunares vsurpant vt Africanus, Beda Theodoretus, Rupertus Torniellus, Pererius, Gordonus & Salianus; Præterea aliqui annum 20. Artaxersis, non à primo regni initio, sed ab obitu patris computant, vt Salianus, & non pauci alij; sed ab initio primo cum Petauio, & Tirino computandos iam ostendimus num. 3.

7 Opiniones aliorum pluribus refellere non est necesse, vtpote fundatas in fallaci Chronologia, aut minus congrua interpretatione oraculi S. Gabrielis: quid enim minus congruum, quam exitum sermonis de reædificanda Ierosolyma fuisse vaticinium Ieremiæ de reditu ex captiuitate post annos 70? vt voluit cum aliquot Hebræis Lyranus, Vatablus, & Burgensis; aut pro dicto exitu intelligi oportere ipsum

annum

annum primum Darij Medi, quo hæc loquebatur S. Gabriel, vt Tertullianus? *Tertiò* sed nec idoneus est annus primus Monarchiæ Cyri quidquid senserint Clemens Alexandrinus 1. Strom. & Io. Mariana, nec recusat Eusebius: nam nec emanauit tunc expressa concessio reædificandi vrbem, & ab eo anno ad Christi mortem, reuera fuere anni 570. ideſt Hebdomades 81. $\frac{3}{7}$. *Quartò* neque item idoneus est annus 2. Darij Histaspidis, cui subscribunt Eusebius l. 8. de præpar. demonstr. 2. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 12. Driedo l. 3. de dogm. c. 5. p. 4. Iansenius in concord. c. 122. quia Darius non expressit aliam facultatem, quàm quæ à Iudæis petebatur, nempe de ædificando templo, & illam ipsam, quam Cyrus concesserat, prout extabat in archiuio regio; Votum enim illud ædificandi Ierusalem, quod 3. Esdræ c. 4. n. 45. inculcatur regi, explicatur mox de templo dicendo: *Et tu vouisti ædificare templum*. Implicita autem concessio de muris vrbis, non habuit effectum tunc, & tamen S. Gabriel loquitur de illo exitu qui reuera exequutionem habuit, dum addit: *& rursum ædificabitur platea & muri*. Præterquàm quòd ab anno 2. Darij Histaspidis ad mortem Christi, fuere anni 555. ideſt hebdomadas 79. $\frac{3}{7}$. *Quintò* nec annus 7. Artaxersis Longimani est ad rem, quia Esdras ab eo non petijt facultatem ædificandi, quidquid ex mera coniectura censeant Cedrenus in Compendio, vbi de Artaxerse, Cornelius à Lapide in cap. 9. Danielis, & ibidem Sanctius, & Henricus Philippi in Synopsi Chronol. cap. 12. ex ijs enim, quæ reipsa præstitit Esdras satis constat, eum non petijsse aliud quàm facultatem conquirendi libros legis diuinæ per Moysen datæ, & secundùm illam reformandi ritus, & mores Hebræorum, ac ordinandi eorum politiam spiritualem, seu Ecclesiasticam, & ad id eos cum auctoritate conuocandi, sed nullum verbum, nullum factum ab eo legimus circa Vrbis fabricam. Deinde si annus Artaxersis 7. computatur à primo initio, sunt ab eo ad Christi passionem anni 499. Si verò computatur ab obitu patris, sunt 492. *Sextò* multo minus probabilis est opinio Sulpicij Seueri lib. 2. Sacræ Historiæ, vbi de Dario Ocho successore Longimani, vbi de hoc Dario; & Scaligeri lib. 6. de emend. tempor. qui à Dario Notho (idem enim fuit) Hebdomadas Danielis computantium. Nam nec vlla expressa facultas ab eo emanasse scitur de reædificanda Ierusalem, & ab eius initio ad Passionem Christi non fuere nisi Anni 458. ideſt hebdomades 65. $\frac{1}{2}$. Reliquas opiniones absurdas non vacat, nec expedit in censum conferre.

8 Quæres quales fuerint anni illi quadraginta sex, quibus fabricatum esse Templum obiecere Iudæi CHRISTO Ioannis 2. num. 20? Respondeo cum Cornelio à Lapide in hunc locum non fuisse continuatos, sed interpolatim, conflatos ex annis circiter duobus sub Cyro, & quinq; sub Dario Hitaspide, cum 6. eius anno dicatur completa fuisse domus Domini ex 1. Esdræ c. 6. postea verò ex alijs annis præsertim sub Machabæis, et sub Herode, quibus additæ sunt aliæ substructiones et ornamenta Templo.

CAPVT XIII.

De Annis Pontificum Hebræorum.

CONCLVSIO XIII.

Ab Aarone ad annum 4. Phanasij, sub quo capta est per Titum Hierosolyma, fuere Pontifices Hebræorum 86. per Annos MDCLX.

PRæter Interpretes ad librum 1. Paralipom. cap. 6. tractant de serie, & interuallis horum Pontificum aut suppeditant eorum nomina, & ordinem Iosephus Hebræus passim in libris Antiquitatum Nicephorus lib. 2. Histor. Eccl. cap. 4. Franciscus Sansouinus sub initium lib. 2. Chronologiæ, Onuphrius Panuinus in catalogo Pontif. Heb. Vbbo Emmius l. 5. rerum Chronol. pag. 132. & 133. Salianus in præfatione tom. 4. & in Annalibus passim, Langius l. 1. de annis Christi c. 18. Barradius tomo 1. in Euangel. l. 5. à c. 24. Sed omnium accuratissimè Dionysius Petauius l. 10. de Doctrina temporum à cap. 47. vsq; ad 57. & in Paralipomenis successione 13. à pag. 868. ac Iacobus Tirinus tomo 1. in Chronico Sacro c. 142. quibus adde Redanum in Machabæos pag. 110. nos ex annis Iudicum Regum, aliorumue, sub quib. Pontifices aliqui vixerunt iuxta nostram Chronologiam ipsorum tempora quantum in re alicubi obscura licebit, indicabimus incerta & inscrutabilia in incerto relinquentes.

Catalogus Pontificum Hebræorum.	Anni ante Epoch. Christi.
1 *Aaron* initiatus anno 2. exitus de Ægypto Exodi 29. Leuit. 9. gessit pontificatum annis 38. & mensibus 4.	1591
2 *Eleazar* Aaronis filius ei successit Numeror. 20. & 33. & Deut. 10.	1553
3 *Phinees* Eleazari fil. Paralipom. c. 6. & 1. Esdræ c. 7. nu. 5.	
4 *Abisue* Phineæ fil. 1. Paralip. c. 6. nu. 4. & 1. Esdræ c. 7. nu. 5.	
5 *Bocci* Abisuæ fil. Paralipom. c. 6. num. 5. & 1. Esdræ c. 7. nu. 5.	
6 *Ozi* Bocci fil. 1, Paralip. c. 6. nu. 6. & 1. Esdræ cap. 7. nu. 5.	
7 *Zararias* Ozi fil. 1. Paralip. c. 6. nu. 6. & 1. Esdræ c. 7. nu. 4.	
8 *Meraioth* Zarariæ fil. 1. Paralip. c. 6. nu. 7. & 1. Esdræ c. 7. nu 4.	
9 *Amarias* Meraiothi fil. 1. Paralip. c. 6. nu. 7. & 1. Esdræ c. 7. nu. 3.	
Quidam Hebræi cum Iosepho l. 5. & 8. antiq. post *Ozi* dicunt translatum Sacerdotium ab Eleazari posteris, ad *Heli* posterum Ithamaris secundogeniti Aaronis, sed l. 20. c. 9. admisit ab Aarone ad Templum conditum sub Sadoco tredecim fuisse Pontifices, et alioquin Sadoc quando se ad Dauidem in Hebron contulit, *eratq; puer egregiæ indolis*, vt dicitur 1. Paralipom. c. 12. nu. 28. fuisset octogenario maior. Porrò tempora distincta durationis in Pontificatu post Aaronem nescimus, sed solum ab Aaronis obitu, vsque ad initium Heli Sacerdotis simul, et Iudicis fuisse annos 416.	
10 Heli Pontifex simul et Iudex tenuit Pontificatum annis 40. ex 1. Reg. c. 4. nu. 18.	1136
11 *Achitob* nepos Heli, filius Phineez, et frater Ichabodi 1. Reg. c. 14. nu. 3.	
12 *Achias* fil. Achitobi, qui et *Achimelech* à Saule occisus 1. Reg. c. 14. et 21.	
13 *Abiathar* Achiæ filius, quem Salomon exauthorauit, translato sacerdotio ad Sadochum, Eleazari posterum 1. Regum c. 22. et 3. Regum c. 3. sed et ipse Achimelech alio nomine Abiatar dictus est ex 1. Paralip. c. 18. nu. 16. et sub eo Dauid edit panes propositionis, et ita conciliatur dictum Marci 11. num. 26. cum 1. Regum c. 21. A morte porro Heli, vsq; ad initium Sadochi, Petauius, et Tirinus numerant annos 80. distribuendos in tres eius successores.	
14 *Sadoc* de stirpe Eleazari à Salomone substitutus Abiatharo, in qua familia mansit Pontificatus, vsq; ad CHRISTVM.	1015
15 *Achimaas* Sadoci fil. sub Rege Roboamo et Iosepho, et Seder Olam.	975
16 *Azarias* Achimaazi filius 1. Paralip. c. 6. nu. 9. sub Rege Abiamo.	958
17 *Ioannam* Azariæ fil. 1. Paralip. c. 6. nu. 10. Iosepho est *Ioram* sub rege Iosaphato.	914
18 *Isus* filius Ionami, seu Ioanni ex Iosepho, hic in Seder Olam nominatur *Ioarib*, et dicitur vixisse sub Ioramo Iudæ rege.	889
19 *Axioramus* Isi filius ex Iosepho l. 10. c. 21. vixit sub rege Ochozia.	885
20 *Phideas*, seu *Phidaias* filius Axiorami ex Iosepho, vixit sub Athalia.	884
21 *Ioiadas* Phideæ fil. de quo 4. Reg. 12. et 2.	882

	Anni ante Epoch. Christi.
Paralip. 23. Ioſepho nominatur *Sudeas*, vixit ſub Athalia, & Ioas vſq; ad annum 130. ex 2. Paral. c.24.	
22 *Zacharias* filius Ioiadæ, de quo 2. Paralip. 24. Ioſepho alio nomine *Iulus*, ſub Ioas rege Iudæ.	850
23 *Ioannam II.* Zachariæ fil. Ioſepho dicitur *Iatham*, at in Seder Olam *Zedachias*, ſeu *Sedecias* vixit ſub Amaſia rege Iudæ.	838
24 *Azarias II.* filius Ioannani, de quo antonomaſticè dicitur 1. Paralipom. c.6. nu. 10. *Ipſe eſt, qui Sacerdotio functus eſt in domo, quam ædificauit Salomon in Ieruſalem*, quia vt exponit Lyranus ſtrenuè functus eſt ſuo officio, reſiſtens in faciem Oziæ regi tentanti adolere incenſum in templo, vt narratur 2. Paralip. c.26. hunc Ioſephus nominat *Vriam*.	810
25 *Amarias* filius Azariæ 1. Paralip. c.6. nu. 10. Ioſepho *Nerias* ſub Ioathamo rege.	762
26 *Achitob II.* Amariæ fil. 1. Paralip. c.6. nu. 12. ſub rege Achaz.	745
27 *Sadoc II.* fil. Achitobi 1. Paral. c.6. nu. 12. ſub Achaz, et Ioſepho dicitur *Odeas*.	736
28 *Sellum* fil. Sadoki 1. Paralip. c.6. nu. 12. Hic Baruc 1. nu. 7. dicitur *Salom*, et Ioſepho *Salduмus* ſub Ezechia.	720
29 *Helcias* filius Sellumi 1. Paralip. c.6. nu. 13. ſed intruſus eius loco *Sobnas*, de quo Iſaiæ 22. à nu. 15. ad 22. qui tamen expulſus eſt ſub Ezechia, et in eius locum ſubſtitutus Eliacim filius Helciæ, vt ibidem dicitur.	710
30 *Eliacim* fil. Helciæ, de quo Iſaiæ 22. nu. 20. et Iudith 4. ſub Manaſſe rege.	697
31 *Azarias* IV. filius ſecundogenitus Helciæ, mortuo Eliacim ſine liberis ſucceſſit 1. Paralip. c. 6. nu. 13. ſub Amon rege, & Ioſia regibus.	642
32 *Sararias* filius Azariæ 1. Paral. c.6. n.14. ſub Ioachaz, Ioakim, Ieconia, & Sedecia regibus; hic Ioſepho eſt *Sareas*, qui à Nabuchodonoſore interfectus eſt anno excidij, & incendij Ieroſolymæ, ac Templi 4. reg. c. vlt. & Ieremiæ 52.	618
33 *Ioſedec* filius Sarariæ, de quo 1. Paralip. c.6. nu. 14. *Sararias genuit Ioſedec: porro Ioſedec egreſſus eſt, quando tranſtulit Dominus Iudam, & Ieruſalem per manus Nabuchodonoſor.*	587
34 *Ioſue*, ſeu *Ieſus* filius Ioſedech, ſub quo, regnante Cyro, ſoluta eſt captiuitas & cœptum reædificari templum: Eſdræ 1. c.3. & l.2. c.12. Et Aggei 1. Philo apud Annium ait eum vixiſſe vſq; ad 20. annum Darij Hiſtaſpidæ. Licet autem anno 536. eſſet Pontifex antea tamen fortaſſe incœperit.	536
35 *Ioacim* filius Ioſue 2. Eſdræ c. 12. n. 10. geſſit Pontificatum ab anno 21. Darij Hiſtaſpidis vſq; ad 11. Artaxerſis, vt ait Philo apud Annium.	502
36 *Eliaſib* filius Ioacimi 2. Eſdræ c. 12. nu. 10 fuitq; Pontifex ab anno 12. Artaxerſis vſq; ad 33. eiuſdem 2. Eſdræ c.3. & cap. vlt.	461
37 *Ioiadas* II. filius Eliaſibi 2. Eſdræ c. 12. n. 11. alijs Iudas, vel Ioachaz, huic Mercator dat annos 44. pontificatus.	441
38 *Ionatham* Ioiadæ filius, Ioſepho Ioannes, cui Mercator dat annos 47.	397
39 *Ieddoa*, ſiue Iaddus 2. Eſdræ c. 12. num. 11. præfuit annis 27. Hic eſt ille, qui obuiam venit Alexandro Magno, illumq; Iudæis conciliauit, nec ita multo poſt obijt eodem anno quo Alexander. Eius frater Manaſſes fuit primus Pontifex templi Samaritanorum in monte Garizim, vide Ioſephum l.11. antiq. cap. 7. & vlt. & l.13. c.vlt.	350
40 *Onias* Ieddoæ filius cognomento Priſcus, cui Mercator dat annos 23.	324
41 *Simon* Oniæ filius Euſebio cognomento *Iuſtus*, laudatus in Eccleſiaſtico cap. 50. cui Philo dat annos 13.	300
42 *Eleazarus* II. Simonis frater cum Onias II. filius Simonis eſſet paruulus adminiſtrauit pontificatum, & miſit 72. Interpretes ad Ptolemæum ex Ioſephi l. 12. c. 3. fuitq; Pontifex annos 23.	287
43 *Manaſſes* patruus Eleazari ex Ioſepho lib. 12. c.3, annis item 23. geſſit.	265
44 *Onias* II. Simonis Iuſti filius præfuit annis 9. ſub Ptolemæo Euergete.	242
45 *Simon* II. Oniæ filius ſucceſſit, & præfuit annis ferè 46.	233
46 *Onias* III. Simonis II. filius cognomento *Sanctus* de quo 1. Machab. 12. nu. 7. & 8. item 2. Machab. c.3. vbi de Heliodoro, præfuit pacificè totis annis II. ſed exul ſuperuixit annis alijs 4. ex 2. Machab. c.4. nu. 34.	187
47 *Iaſon* Oniæ III. frater, antea Ieſus, qui gentilis factus pontificatum pecunia emit ab Antiocho Epiphane, extruſo fratre Onia, & aſſumpto nomine Iaſonis, ideoq; Pſeudopontifex dicendus 2. Machab. 4. nu. 7. & c.5. nu.5. durauit annos 3.	176
48 *Menelaus* Onias pecunia & ipſe pontificatum ab Antiocho Epiphane redemit expulſo Iaſone, ſed dilata ſolutione pecuniæ iuſſus eſt pontificatum cedere Lyſimacho fratri.	173
49 *Lyſimacho* fratre, lapidato, Menelaus nouis largitionibus pontificatum recuperat ſimulque duo hi præfuerunt annis 6. ex 2. Machabæorum c.5. eſto enim Menelaus peruenerit ad annum 10. donec ſuaſu Lyſiæ occiſus fuit ab Antiocho Eupatore ex 2. Machab. c. 13. eique ſuffectus fuerit *Alcimias* ex Ioſepho l. 12. c. 12. tamen iam inde ab anno 7. Menelai, *Mathathias*, & deinde Iudas legitimi Pontifices fuere.	
50 *Mathathias* Sacerdos ex Aſſamonæis exeunte anno Græcorum 145. ſummum Pontificatum, & ciuilem Ducatum init ac tenet paucis menſibus 1. Machab. c. 2. Petauius tamen lib. 10. c.52. contendit eum non fuiſſe Pontificem.	168
51 *Iudas* Machabæus Mathathiæ filius ſuccedit patri in vtraque præfectura anno Græcorum 146. & gloriosè occumbit in prœlio anno Græcorum 152. menſe primo ex 1. Machab. c.4. & 9. Alcimus, pſeudopontifex anno 153.	167
52 Græcorum paralyſi percuſſus, à Deo perit c. 9. n. 56.	
53 *Ionathas* frater Iudæ eligitur à populo 1. Machab. c.9. nu.30. quam electionem confirmauit anno 60. & iterum 167. Græcorum Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius 1. Machab. c. 10. vixitque in pontificatu poſt confirmationem annos ferè 4. vtpote occiſus à Tryphone anno Græcorum 170. ex 1. Machab. c.13. nu.23. & 41. & Ioſepho l. 13. c.15.	161
54 *Simon* à populo ſubſtituitur fratri Ionathæ 1. Machab. c.13. n.8. & 25. et interimitur à Ptolemæo genero ſuo, anno Græcorum 177. menſe 11. ex 1. Machab. c.vlt. à nu. 11. ad 17. cum præfuiſſet annis 8.	143
55 *Ioannes Hyrcanus*, Simonis filius 1. Machab. c.vlt. et præfuit annis 31. teſte Ioſepho l. 20. cap.8.	135
Pontifices ac Reges ſimul Hebræorum.	
56 *Ariſtobulus* Io. Hyrcani filius, primus regium diadema ſumpſit regnauitq; anno 1. ex Ioſepho l.13. c.19. et l.20. c. penult.	104

57 *Ale-*

	Anni ante Epoch. Christi.
57 *Alexander* frater Aristobuli cognom. *Iannæus* regnauit annis 27. ex Iosepho l. 13. c. 23. sub finem anni cœpit.	104
58 *Hyrcanus* II. Alexandri primogenitus fit Pontifex à matre *Alexandra* iam vidua, & pro marito regnante, quæ regnauit annos 9. ex Iosepho l. 14. c. 1. & l. 20. c. 8. ipse autem præfuit annis ferè 11.	78
59 *Aristobulus* Alexandri filius natu minor, mortua matre, fratrem spoliat pontificatu; eo regnante M. Crassus templum expilauit, ipse autem Aristobulus cum filijs Antigono, & Alexandro cum regnasset annos 3. Romã captiuus missus est à Cn. Pompeio. Addit Iosephus l. 14. antiq. c. 8. Ierosolymam captam à Pompeio mense 4. Tamuz in die solemnis ieiunij Olympiadis 179. anno 1. nempe exeunte, quia id factum Consulib. M. Tullio, & C. Antonio idest ante Epocham Christi 63. notant Eusebius, Cuspinianus, Onuphrius, & Fasti Siculi.	67 64 63
60 *Hyrcanus* iterum Pontificatui præficitur à Pompeio, & Gabinio, quem variante fortuna tenuit annis alijs 22. interim Aristobulus, cum filio Antigono Roma profugus auxilio Parthorum Iudeæ regnum & pontificatum recuperat, tenetq; per 3. annos, & menses 6. sed C. Iulius Cæsar, mortuo Pompeio confirmat Hyrcano Pontificatum, Herodes autem Antipatri Idumæi filius, fit tetrarcha Iudææ à Marco Antonio ex Iosepho l. 14. c. 13. & l. 20. c. 8. factum id Caleno, & Vatinio Consulib	63 47
61 *Antigonus* Aristobuli secundogenitus, iterum ope Parthorum occupat Iudææ regnum, & Pontificatum, tenetq; donec petente Herode, à M. Antonio securi percussus est post annos 4 & in eo desijt Assamonæorum stirps, ac regnum transijt ad Herodem, Pontificatus autem ad Ananelum ex Iosepho l. 14. c. 28. qui ait Assamonæos præfuisse annis 126. sed à Matathia essent 131. nisi fuissent interrupti.	40
62 *Ananelus* ab Herode Pontifex creatus præfuit annos 3. ex Iosepho l. 15. c. 2. & 3.	37
63 *Aristobulus* Hyrcani nepos fit pontifex & præest annos 3. ex Iosepho supra.	34
64 *Ananelus* iterum factus pontifex durauit vsque ad mortem Antonij, & Cleopatræ idest anno 1. ex Iosepho supra.	31
65 *Iesus* Phabetis dehinc pontifex per annos 6. ex Iosepho.	30
66 *Simon* Boethi filius Socer Herodis, vsque ad finem ferè Herodis fuit pontifex per annos 25. huius anno penult. VERBVM Diuinum incarnatum est in Vtero VIRGINIS MARIÆ.	24

	Anni Christi.
Sequentes Pontifices desumpti sunt ex Iosepho à lib. 12. 15. et 18. vsq. ad lib. 20. cap. 8.	
67 *Matthias* Iosephi successor Simonis per annum ferè 1.	1
68 *Ioazarus* Simonis filius anno 1.	2
69 *Eleazarus* Boethi filius anno 1. factus ab Archelao.	3
70 *Iesus* filius Siæ anno 1.	4
71 *Ioazarus* iterum annis 2.	5
72 *Ananus* Sethi filius annis 10.	6
73 *Ismael* Fabi à Grato Iudææ præside anno 1. Tiberij creatus pro 1. anno.	10
74 *Eleazarus* Anani filius anno 1.	17
75 *Simon* Camithi fil. anno 1. etc.	18
76 *Iosephus Caiphas* pontifex pro annis 19.	19
77 *Ionathas* Anani filius substitutus Caiphæ à Vitellio Syriæ præside anno vltimo Tiberij pro annis 3.	37

	Anni Christi.
78 *Simon* Boethi Canthara pro annis 3.	40
79 *Matthias* Anani filius ab Agrippa factus an. 1	43
80 *Elionæus* Cithæi filius anno 1.	44
81 *Simon* Boethi Canthara iterum, annis ferè 2.	45
82 *Iosephus* Canæi anno 5. Claudij, anno 1.	47
83 *Ananias* Anani senioris filius substitutus ab Agrippa iuniore an. 1.	48
84 *Ananias* Nebedæi fil. de quo Actor. 23. et 24. pro annis 7.	49
85 *Ismael* Fabi, seu Fabæi, ab Agrippa iuniore creatus annis 2.	56
86 *Iosephus* Canæi iterum pro annis 3.	58
87 *Ananus* Anani fil. anno 1.	61
88 *Iesus* Damnæi filius annis 2.	62
89 *Iesus* Gamalielis fil. annis 2.	64
90 *Matthias* Theophili fil. anno 1.	66
91 *Phanasius Rusticus* tempore belli electus, cuius Pontificatus anno 4. capta est Ierosolyma à Tito die Sabbathi, et exusta anno scilicet 70. Epochæ Christi, vt ostendimus lib. 4. cap. 8. num. 9.	

Iosephus lib. 20. cap. 8. ab Aarone ad Phanasium numerat Pontifices 83. sed sunt 86. quia tres omisit: Ex nostro autem numero marginali e x quo consurgunt 91. demendi sunt, qui iterum creati sunt Pontifices, cuiusmodi sunt *Hyrcanus, Anamelus, Ioazarus, Simon Boethi Canthara, & Iosephus Canæi*.

CAPVT XIV.

De Herodis Annis.

CONCLVSIO XIV.

Cum de morte Herodis infanticidæ, extent opiniones diuersæ imò ipse Iosephus Historicus sibi ipsi repugnet, nec sufficiat Dionis auctoritas ad eum annum determinandum, perperàm ex morte Herodis Annus Natiuitatis CHRISTI à quibusdam definitus est, cùm potiùs ex hoc aliunde notiori, de annis Herodis coniectura sumenda fuerit: & hinc probabilius sit Herodem mortuum esse anno CHRISTI vero, & simul vsitato Primo ideoq; annos Herodis ordinandos vt in Tabella ad finem huius capitis exhibenda.

1 CErtum est CHRISTVM natum esse viuente adhuc Herode Infanticida ex illo Matthæi 2. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlem Iudæ in diebus Herodis Regis*. Omnes quoq; Chronologi pro certo recipiunt ex Iosepho lib. 17. antiquit. cap. 8. post morbi, ex quo mortuus est Herodes initium, & ante mortem, accidisse Lunæ Eclipsim, & ex c. 11. ipsum mortuum esse aliquot diebus ante Pascha. Ideoq; in illa parte anni Iuliani Olympiadici, atq; Vrbis conditæ, quæ est inter Kalendas Ianuarij, & Pascha Hebræorum, iuxta quàm rationem adiecimus hic laterculum annorum ad CHRISTI ortum, & Herodis obitum spectantium, vt opinionibus de hoc referendis, & intelligendis promptius deseruiat; Quas opiniones redigemus ad annos Olympiadicos, vel Vrbis, vel Christi, aut ante Epocham Christi.

Anni currentes inter Kal. Ianuarij, & Pascha Hebræorũ.

Iuliani.	Olympiad.	Annus.	Vrbs Cond. Varronian.	Ante Epoc. Christi.
40	193	2	743	6
41		3	744	5
42		4	745	4
43	194	1	746	3
44		2	747	2
45		3	748	1
46	194	4	749	1
47	195	1	750	2
48		2	751	3
49		3	752	4
50		4	753	5
51	196	1	754	6
52		2	755	7
53		3	756	8

I. Pars Conclusionis de Diuersitate Opinionum.

Herodis mors anno Iuliano.

2 MArcus Antonius Capellus C. V. dissertationis de vltima Christi Cœna, Laurentius Suslyga in thesibus, & Io. Dekerius eius magister; Io. Keplerus in Sylua Chronologica; Dionysius Petauius lib. 11. de doctrina temporum c. 1. & lib. 12. c. 6. & 46. Anno 42. Iuliano mortem Herodis statuunt, & confirmant ex Lunæ Eclipsi eo anno 13. Martij facta tribus ferè horis ante ortum Solis; Ideoque Christum natum anno 40. Iuliano Capellus, & Keplerus, sed 41. Suslyga, & Dekerius, immò, & Petauius spectata auctoritate Iosephi, ac Dionis; his enim neglectis sustineri posse natum esse anno Iuliano 45. ideoq; l. 12. c. 6. ampliùs pronunciat. — 42

Sethus Caluisius in Isagoge Chronol. anno 44. Iuliano mortuum putat. — 44

Iosephus Scaliger l. 5. emend. tempor. pag. 465. & l. 6. tit. de Natali Christi, & cum eo Iacobus Salianus Anno Mundi 4052. num. 31. & anno 4053. nu. 23. mortuum dicunt anno Iuliano 45. & confirmant ex Lunæ Eclipsi nocte inter diem 8. & 9. Ianuarij factam, nec dissentit Codomanus in annalibus. — 45

Augustinus Torniellus in Annalibus Paulus Forosempronien sis in summa parte 2. l. 11. c. 1. & Iacobus Grandamicus in quæst. Euang. de die supremo, & Natali Christi lib. 3. c. 3. mortuum anno 46. Iuliano, quo Christus circumcisus est, Eclipsim verò à Iosepho memoratam accidisse anno 45. Iuliano die 29. Decembis colligit pag. 165. — 46

Georgius Syncellus ad annũ Mũdi 5505. ad marginẽ ponit mortẽ Herodis anno 4. ab Incarnatione, et Aeræ communis 3. qui est 48. Iulianus. — 48

Io. Lucidus in Chron. lib. 2. c. 14. Herodis mortem anno 5. ab Incarnatione, et anno 47. Augusti, ergo Iuliano 49. — 49

Eusebius in Chronico Herodis obitum notat anno 4. exeunte Olympiadis 185. et Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. numerat annos 37. Herodis ab anno 4. Olympiadis 186. Epiphanius hæresi 51. et 78. et Sulpicius Seuerus l. 2. mortuum Herodem anno 5. Christi, et Christũ natum anno 33. Herodis, ergo Iuliano 50. — 50

Io. Georgius Heruartus cap. 149. et 150. Nouæ Chronologiæ, mortuum Herodem statuit anno 7. Epochæ vulgaris Christi, firmatque ex Eclipsi Lunæ die 20. Februarij, et Cardinalis Baronius in apparatu ad annales, tum ex annis ætatis Herodis, tum ex veriori mitio annorum 37. regni computando à secundo Senatus consulto post mortem Antonij, et Cleopatræ facto, concludit obijsse anno 52. Iuliano, qui est 7. Epochæ vulgaris, sed Baronio nonus Christi. — 52

II. Pars Conclusionis de Iosephi repugnantia cum seipso.

3 NArrat Iosephus lib. 14. antiquit. c. 15. C. Iulium Cæsarem confecto bello Alexandrino, cum esset in Syria Antipatro Idumæo optionem dedisse cuiuscumq; Dynastiæ, cumq; creasse procuratorem Iudææ, ipsum verò Antipatrum capite 17. refert duos natu maiores filios regimini applicuisse dicens: *Phasaelum è liberis suis natu maximum Hierosolymis, & circumuicinæ regioni ducem constituit, Herodi secundogenito Galilæam regendam commisit, etiam tum maximè adolescenti, vtpote annos quindecim tantummodo nato. Quod tamen nihil illi obfuit, sed quia erat generoso ingenio præditus &c.* De Anno Romano, quo hæc gesta sunt, nemo dubitat, cum ex Fastis Consularibus, gestisq; Cæsaris constet fuisse sub Consulibus *Caleno, & Vatinio* inter 2. et 3. Consulatum Caesaris, atq; adeo ante Epocham Christi annum 47. seu 2. ante Iulianum primum. Licet autem Dekerius, et alij, quos inter Petauius in animaduersionibus ad Eusebium, videntes annum 15. ętatis Herodis non valde idoneum regimini, & alioquin destruere opinionem de anno mortis Herodis, ex alijs Iosephi locis deductam, conati sint emendare textum Iosephi ac pro ιε' *ideſt quindecim* reponere να', ideſt *vigintiquinque*. Petauius, tamen l. 10. c. 65. fatetur legendos in Iosepho ετη ιε' *annos quindecim*, esto addat, sicut et Salianus anno Mundi 4008. nu. 43. Iosephum imprudenter putasse Herodem illa ætate regimini addictum fuisse à patre. Quasi verò nouum sit hoc, & consiliarijs adolescenti datis, non potuerit Antipater generosam eius Indolem præfectura Galilææ experiri. Deniq; cum Iosephus huic obiectioni occurrat, & adolescentiam minimè obsuisse asserat, non est cur annum 25. pro 15. requiramus. Quod si hinc aliquid repugnans Iosephi assertis alibi deducitur, hoc ipsum est, quod contendimus, vt tandem testi inconstanti, et sibi repugnanti fidem adhibendam non esse concludamus. Asserit præterea Iosephus l. 17. antiq. c. 8. et lib. 1. de bello Iudaico cap. vlt. Herodem hunc mortuum esse cum accederet *ad annum ætatis septuagesimum*. Ergo si anno 47. ante Epocham Christi vulgarem habebat annos 15. et in morte annos 70. attingebat, sequitur eum natum esse anno 62. ante Epocham Christi, et mortuum esse anno Epochæ Christi 7. ideſt Iuliano 52.

4 Refert præterea Iosephus lib. 15. antiq. cap. 10. Anno illo, quo Augustus, extincto Antonio, et Cleopatra versabatur Rhodi, venisse ad ipsum Herodem, ac depositio diademate confessum esse, se partes M. Antonij tutatum esse, et impetrasse regni confirmationem ab Augusto, & per eum à Senatu: cum ergo Herodes deinceps omnia quæ haberet accepta referret Augusto, valde probabile fit Baronio, eum non debuisse numerare annos regni sui à pristino Senatus Consulto per Antonium impetrato, tum ne Augustum offenderet, tum quia Senatus omnia Antonij acta residerat tamquam à perduelle et hoste reipublicæ facta, vel obtenta. Ergo anni illi 37. quos regnasse Herodem sciebat debuit computare ab hoc secundo Senatus Consulto: Extinctum porrò Antonium, et Cleopatram anno 30. ante Epocham Christi ostendimus lib. 4. c. 7. ergo inde numerando annos 37. caderet finis eorum, et Herodis in annum 7. Epochæ Christi, et Iulianum 52. vt supra.

5 Antea tamen Iosephus lib. 14. Antiq. c. 26. narrauerat Herodem Romam confugisse ad M. Antonium, eiusq; opera declaratum fuisse à Senatu Regem Iudææ Olympiade 184. Domitio Caluino iterum, et C. Asinio Pollione Consulibus, qui ex dictis l. 4. c. 5. fuit annus ante Epocham Christi 40. et Iulianus 6. quo absoluta est. Olympias 184. et incœpit 185. Sed reuera in Iudęam Herodi bellandum fuit, cum Antigono biennio et amplius, donec Sosio iuuante, capta est Hierosolyma, et Antigonus de medio sublatus est *Consulibus M. Aggrippa, & Canidio Gallo*, vt ait Iosephus l. 14. c. 28. videlicet ex dictis l. 4. c. 5. Anno ante Epocham Christi 37. seu Iuliano 9. Hinc fit vt Iosephus annos regni Herodis computet modò ab anno 6. Iuliano quando declaratus est à Senatu rex, modò ab anno 9. Iuliano quando extincto Antigono solus, et pacificè regnare cœpit, &

ali-

aliquando vtroq; modo simul, vt cum l. 17. antiq. cap. 10. inquit. *Vita defunctus est, post detrusum regno Antigonum anno trigesimo quarto, ex quo autem à Romanis Rex declaratus est Anno trigesimo septimo*; quod repetit lib. 1. de bello Iud. c. vlt.

Primò tamen modò seorsim computat nempe ab anno 6. Iuliano, quando lib. 16. antiq; cap. 9. asserit Cæsaream ædificatam, & absolutam anno vicesim octauo regni Herodis Olympiade 192. quæ incœpit anno ante Epocham Christi 12. At *Secundò* modo, ideſt à Iuliano 9. sæpius computat, vt cum lib. 15. c. 7. Annum pugnæ Actiacæ (qui ex dictis lib. 4. cap. 7. fuit 31. ante Epocham Christi, & Iulianus 15.) appellat *septimum Herodis*, quod repetit lib. 1. de bello Iudaico cap. 13. Numerando igitur annos 37. regni à primo initio, ideſt 6. Iuliano, vel 34. à secundo initio, ideſt Iuliano 9. si anni completi sunt cadit vltimus regni annus in Iulianum 43. *Si* incompleti in 42. pro anno autem 42. stare Eclipsim Lunæ 13. Martij repertam ex Tabulis Astronomicis contendunt Dekerius, Keplerus, & Petauius. Et tamen ex dictis num. 3. colligitur ex datis ab eodem Iosepho mors Herodis anno Iuliano 52. aut 53. & ex dictis nu. 4. idem confirmatum fuit.

6 Verum si anni 37. regni computandi fuerunt non à declaratione prima per Senatum facta, interim enim nondum reipsa regnabat, sed regnabat adhuc Antigonus, sed ab extincto Antigono; cum id euenerit anno, vt diximus Iuliano 9. additis 37. consurgit Annus Iulianus 46. quo Christus est circumcisus, & Herodes obijt; Inde autem computandos esse debebat Iosephus discere à seipso lib. 14. cap. 28. dicente: *Antigono sublato, Assamonæorum principatus desijt post annos 126. &c. idq; ad Herodem transijt.* Immò ab ipso Herode, qui non aliunde numerabat quando, vt refert Iosephus lib. 17. antiq. cap. 8. *Commemorabat Herodes Templum impendijs suis ingentibus instauratum, nec Assamonæos potuisse annis 126. quibus regnauerant tale aliquid in honorem Dei perficere.* Ergo si regnarunt Assamonæi, vsq; ad Antigoni mortem, inde tantum anni regni Herodis, & quidem 37. videntur computandi Nobis autem sufficit à num. 3. ad hunc 6. ostendisse manifestam repugnantiam Iosephi cum se ipso, quod ipsum ex Archelai annis manifestum fiet numero sequenti.

III. *Pars Conclusionis de Dionis auctoritate cum Iosepho coniuncta.*

7 Dio libro 55. recensitis Consulibus *M. Aemilio Lepido, & L. Arruncio*, paulo post subdit: *Eodem anno &c. Herodes Palæstinus à fratribus accusatus trans alpes est relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta.* Hoc nulli alij congruit quàm Archelao filio Herodis, quem regnasse annos 9. & decimo inito relegatum Viennam Galliæ in exilium narrat Iosephus lib. 17. antiq. c. 15. & lib. 2. de bello Iud. cap. 11. Porrò prædicti Consules ex cap. 5. lib. 4. fuere anno Epochæ Christi 6. ideſt Iuliano 51. à quo subductis annis 9. restat annus Iulianus 42. pro Herodis morte, quod est alterum argumentum, & maximum Dekerij, Keplerij, ac Petauij; sed videamus in quem annum Romanum, iuxta Iosephum inciderit illa relegatio: nam lib. 18. antiq. cap. 3. ait: *Kyrinus venditis, & confiscatis Archelai facultatibus, peractoq; Censu, qui incidit in annum trigesimum septimum post victum à Cæsare Antonium ad Actium, Anano Pontificatum dedit.* Actiaca victoria ex libro nostro 4. cap. 7. fuit anno 31. ante Epocham Christi, seu Iuliano 15. ergo Quirini census in annum 51. Iulianum prorsus eodem anno, quo relegatum Archelaum ex Dione didicimus. Nihilominus idem Iosephus l. 18. antiq. cap. 1. ait: *Quirinus autem à Cæsare mittitur in Syriam, vt iura genti redderet, & vt possessiones, seu prædia ipsorum describeret, & simul, cum eo mittitur Coponius præfectus turmæ equitum, qui summum in Iudæa exerceret Imperium. Venit autem in Iudæam Quirinus, quæ iam Syriæ adscripta fuerat, vt percenseret eorum facultates, & vt Archelai pecuniam in potestatem redigeret.* Eodem pariter libro 18. cap. 3. inquit: *Coponius, quem cum Quirino missum fuisse diximus, paulo post Romam reuertitur, successore Imperij accepto M. Ambiuio; huicq; successit Anius Rufus, cuius tempore Augustus vita functus est.* Certum est autem ex dictis lib. 4. cap. 7. & per Eclipses stabilitis Augustum obijsse 19. Augusti mensis, Anno Epochæ Christi 14. qui est Iulianus 59. Ergo annua præfectura Ambiuij fuit anno 58. Iuliano, & Coponij anno 57. quare Census hic Quirini eodem anno fuit, & relegatio Archelai, vel eodem, vel ad summum anno 56. Iuliano: ideo ablatis annis 10. restat annus 46. Iulianus pro initio Archelai, & morte Herodis, ait enim Iosephus lib. 17. antiq. cap. 15. *Decimo autem principatus anno &c. Archelaus Viennam Vrbem Galliæ in exilium missus est mulctatus omni pecunia*, & lib. 2. de bello Iud. cap. 11. *Archelaus nono principatus sui anno in exilium pellitur Viennam Galliæ Vrbem: eiusq; patrimonium fisco Cæsaris adiudicatur, Archelai verò ditione in Prouinciam adscripta præses eo mittitur Coponius eques Romanus.* Errauit igitur Dio, aut qui eius lacunam supplevit, relegationem Archelai annis quinque, aut sex anticipans, & ad Herodem referens. Aut Iosephus errauit, siue in anno relegationis, siue in annis regni Archelai, qui forte fuerunt tantummodo 6. ita vt si anni 37. Herodis computandi sint ab anno Iuliano non 6. sed 9. & mors eius ab anno 42. ad 45. vel 46. Iulianum promouenda, ita detrahendi in regno Archelai anni tres, aut quatuor, vt salua sit auctoritas Dionis. Mihi satis sit ostendisse ex Archelai annis, & auctoritate Dionis, ac Iosephi inter se dissidentibus, nihil certi haberi posse pro determinando anno mortis Herodis, nec tanti faciendum illud argumentum, quod veluti Achillem exhorrescere visi sunt Dekerius, ac Petauius.

8 Sed alia maiora dissidia inter Iosephum, Dionem, Velleium, ac Suetonium detegenda sunt, vt hinc de anno mortis Herodis, & successione Archelai coniectura fiat: Scribit Iosephus l. 17 antiq. c. 11. anno, quo mortuus est Herodes, Archelaum Romam nauigasse, & in iudicio contendisse cum Antipa de successione Regni, eiq; iudicio interfuisse Caium nepotem Augusti, filium Iuliæ, & Agrippæ. Dio autem lib. 55. narrat Consulibus *C. Antistio Vetere, & D. Lælio Balbo*, Tiberium abijsse in Rhodum, deinde Iuliam ob lasciuiam, & adulteria relegatam ab Augusto in Insulam Pandatariam; Caio autem ad bellum Armeniarum in Syriam misso, Tiberio in Chium profecto se submisisse; Phraatem dimissa Armenia reconciliatum Caio, mox ait: *Statim post hanc rem Caio, & Lucio mortuis Tiberius Romam Rhodo rediit.* Quæ narratio plena est falsitatis quoad temporis ordinem: Nam *Antistius, & Balbus* Consules fuere anno Iuliano 40. & ante Christum 6. At Iuliæ ablegatio, & Caij profectio in Syriam; & reditus Tiberij, ac mors Lucij, & Caij multo post nec vno eodem; anno, sed diuersis contigere. Primò enim Suetonius in Tiberio cap. 15. ait Tiberium Romam reuersum publicis muneribus abstinuisse, deinde *Caio, & Lucio intra triennium defunctis adoptatum ab Augusto*, & in Augusto cap. 65. dixerat: *Caium, & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos: Caio in Lycia; Lucio Massiliæ defunctis.* Velleius autem, cui longe magis credendum, quàm Dioni post duo ferè secula scribenti, cùm Velleius fuerit testis oculatus, & Caij Tribunus militum in Expeditione in Syriam lib. 2. affirmat anno 32. à Consulatu M. Vinicij (cui Velleius opus suum dedicauit) Augustum Consulem cum Gallo Caninio, post gladiatorios ludos, & naumachiam datam, ac Martis templum dedicatum, filiam Iuliam ob luxuriam relegasse, & breue intercessisse spatium cum C. Cæsar missus in Syriam est, & prius conuenit Tiberium, ipseque Velleius cum eo missus est Tribunus militum: & licet anticipate dicat Caium reuertentem in Vrbem morbo obijsse Limyræ in Lycia, cum antè Cæsar frater Massiliæ decessisset in Hispanias tendens: Sed se explicat dicens. *Quippe ante vtriusq; horum obitum Patre tuo P. Vinicio Consule, Tiberius Nero, reuersus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleuerat:* deinde addit mortuo Lucio Augustum voluisse adoptare Tiberium, sed hunc viuo Caio recusasse, & mortuo tandem Caio, Tiberium ab Augusto *adoptatum Aelio Cato, & Sentio Consulibus V. Kal. Iulias, post Vrbem conditam DCCLVI. ab hinc annis XXVII.* ideſt à Consulatu M. Vinicij Quartini, quibus tribus notis Chronologicis conuincitur Tiberium adoptatum ab Augusto die 27. Iunij anni 4. Epochæ Christi, seu Iuliano 49. illo enim anno ex dictis lib. 4. c. 5. Consules fuere *Aelius Catus, & Sentius Saturninus*, & inde ad Consulatum M. Vinicij, qui fuit

anno

anno 30. Epochæ Christi, inclusis terminis, sunt anni 27. & ex dictis lib. 3. cap. 2. completus erat Vrbis annus 756. paulo ante, eodemq; anno adoptionis mortuum esse Caium, & triennio ante inclusis terminis iuxta Suetonium, seu mensibus 18. ante, hoc est sub finem anni 2. Epochæ Christi mortuum esse Lucium, eo ipso anno quo reuersus est in vrbem Tiberius; sed tamen post eius reditum; nam P. Vinicius Consul fuit anno 2. Epoch. Christi, seu 47. Iuliano. Præterea ex Velleio liquet dedicatum Martis templum, & ludos gladiatorios, ac Naumachiam datam, detectam deinde Iuliæ turpitudinem versùs finem anni 2. ante Epocham Christi, seu Iuliani 44. quo scilicet Augustus fuit Consul XIII. priùs cum Siluano, deinde cum Gallo Caninio; Anno autem sequenti, idest 45. Iuliano Iuliam relegatam fuisse, & de multis complicibus adulteriorum supplicia post diuturnas quæstiones sumpta, pauciq; post mensibus anno iam 46. Iuliano inito, Caium in Syriam missum esse; Ergo si mortuo Herode, Caius interfuit iudicio de Archelao Romæ, oportet Herodem mortuum esse multis mensibus ante finem anni 46. Iuliani: Errauit ergo Dio, vel qui lacunas eius suppleuit, Iuliæ relegationem, & Cai profectionem in Syriam conferens in annum Iulianum 40. aut 41. & nullum est argumentum Dekerij, ac Petauij ex authoritate Dionis, ac Iosephi simul contendentium Herodem mortuum esse anno 40. aut 41. Iuliano. His enim repugnat Velleius, immò ipsemet Dio cum Macrobio coniunctus, Dio enim lib. 48. ait Iuliam natam *L. Marcio, & C. Sabino Consulibus*, idest anno Iuliano 7. et Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 5. ait Iuliam egisse annum ætatis trigesimum octauum, quando reperta ab Augusto canos iam habens deprehensa est inter manus ornatricum, quæ legebant canos; Adde annos 38. anno 7. Iuliano, incides in annum Iulianum 45. quando adhuc Iulia erat Romæ, et nundũ deprehensa erant eius flagitia, igitur ablegata non est nisi sub finem anni 45. Iuliani, atq; adeo Caius non nisi adulto anno 46. Roma discessit: Non potuit tamen Archelaus eodem anno declarari Rex Iudæ, seu Ethnarcha, sed anno tantum 47. Iuliano, nam Archelai causa ob multas litteras, et legationes à Iudæa missas, de quibus Iosephus, in longum protracta fuit, et indiguit patrocinio Tiberij iam in vrbem reuersi anno, vt diximus 47. Iuliano: Inquit enim Suetonius in Tiberio cap. 8. *Ciuilium officiorum rudimentis Archelaum, Trallianos, & Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente defendit.* Proinde esto Archelai anni ex testamento patris numerari citius, ipse tamen Rex declaratus non fuit ab Augusto, nisi versus finem anni 47. Iuliani.

IV. Pars Conclusionis, de præpostera indagine anni Natalis Christi, ex anno mortis Herodis.

ANnus mortis Herodis valde controuersus est & incertus: nam ex dictis num. 5. colligitur mortuus anno 42. Iuliano; at ex dictis num. 6. & in fine num. 7. & 8. deducitur mortuus anno 46. Iuliano; ex dictis autem nu. 3. & 4. infertur mortuus anno 52. aut 53. Iuliano. Ex altera verò parte plerique consentiunt Christum natum esse Augusti anno 42. idest aut 44. aut 45. Iuliano, vt libro 8. ostendetur, ergo præposterè ex incerto anno mortis Herodis, inuestigatur annus Natiuitatis Christi haud ita incertus. Eos verò, qui nimis tribuunt Iosepho, meritò carpit Baronius in apparatu ad Annales, Salianus non semel, & Grandamicus quæstione prænominata l. 3. c. 3. præsertim cum circa tempus hoc Iosephus silentio inuoluerit celeberrimas res gestas Christi ortum illustrantes, nempe aduentum Regum Magorum, Commotionem Herodis & totius Hierosolymæ, concilium super hoc conuocatum, & veram causam cædis infantum innocentium, & excidij Ierosolymitani.

V. Pars de Probabiliore Anno mortis Herodis.

INter tres annos mortis Herodis, nempe Iulianum 42. 46. & 52. eligimus pro verisimiliori annum 46. non tam vt medium inter extremos, quàm quia illi suffragantur plures characteres Chronologici. *Primò* enim euenit Eclipsis Lunæ anno 45. Iuliano die 29. Decembris hora 5. ¼. post meridiem Hierosolymis, ab ea autem vsq; ad mortem Herodis defuncti paulo ante Pascha sunt fere 3. menses, tempus vtiq; idoneum omnibus illis quæ post talem Eclipsim vsq; ad mortem Herodis gesta narrat Iosephus. *Secundò* probabilius est annos 37. regni Herodis numerandos esse à fine regni Assamonæorum, quando extinctus fuit Antigonus, quod euenisse anno 37. ante Epocham Christi, & Iuliano 9. ostendimus num. 5. inde autem numeratis 37. solidis annis, deuenitur in 46. Iulianum. *Tertiò* illo anno probabilius mortuus est Herodes, eique successit Archelaus, quo post relegationem Iuliæ Caius paulo ante profectionem in Syriam interesse potuit iudicio de successione in regnum Herodis, hic autem fuit annus Iulianus 46. ex dictis nu. 8. *Quartò* si mortuus ponatur Herodes anno 46. Iuliano, & inde à verno tempore inchoentur anni 10. quos attigisse Archelaum in regnando affirmat Iosephus, eius relegatio Viennam Galliæ cadit in annum Iulianum 56. tribus annis ante mortem Augusti, quod conforme est Iosepho lib. 18. antiq. c. 1. & 3. vt retuli nu. 7. nam Augustum mortuum esse anno 59. Iuliano certissimum est ex dictis lib. 4. cap. 7. His verò suppositis non potest sustineri Herodem anno 2. ante primum Iulianum habuisse annos 15. & anno Iuliano 46. implesse annos ætatis 69. ideoque in alterutro Iosephus errauerit. Neq; verò obstat quod Sanctus Ioseph iussus fuit fugere in Ægyptum, & ibi fuerit vsque ad obitum Herodis, esto enim post Purificationem MARIÆ vsq; ad mortem Herodis, duo circiter menses interfuerint, intra hoc tamen tempus futura erat cædes infantum, & Deus hoc humano modo vti voluit ac per fugam saluare Saluatorem nostrum ad exemplum humilitatis, & exercendum fidem ac obedientiam MARIÆ, & Ioseph. Hinc tamen non sequitur, statim ac mortuus est Herodes, euocatum ab Ægypto S. Iosephum.

Quoad posteros Herodis stemma eorum concinnauit Salianus tomo 6. anno Mundi 4053. in Scholijs, & Vbbo Emmius post Chronologiam in Appendice folio 11. de illis verò differit doctissimè Petauius lib. 11. de doctrina temporum cap. 10. satis est hic monere Herodem illum, qui decollauit S. Ioannem Baptistam, & CHRISTVM spreuit indutũ veste alba, fuisse *Herodem Antipam* filium Marthacæ Samaritanæ, & fratrem vterinum Archelai, filiumq; Herodis infanticidæ, vt colligitur ex Iosepho lib. 17. cap. 1. Huic Augustus Tetrarchiam Galilææ dedit, sed eundem Caius anno sui 4. & Christi 40. Lugdunum relegauit ex Iosepho l. 19. Herodes autem ille, quem nominat S. Lucas Actorum 12. fuit Herodes Agrippa, filius Aristobuli, & nepos Herodis Magni, obijtq; Cæsareæ ab Angelo percussus anno Chr. 44. Act. 12. Nec dubium, quin fuerit ille, qui & occidit S. Iacobum Apostolum, & S. Petrum in Vincula coniecit, fuitq; frater Herodiadis.

ANNI HERODIS MAGNI,
Ante vel post Epocham vulgarem CHRISTI.

Anni ante Christ.		Anni Christi.	
68	Herodes ex Antipatro Idumæo naſcitur, alienigena, & plebeius.	1	Herodes Magorum nuncio turbatus Concilium conuocat, diuq; fruſtra expectato eorum reditu, Innocentes infantes occidi iubet. Eodemque anno Herodes paulo ante Paſcha menſe Aprili moritur, eique ex parte ſuccedit Archelaus ex teſtamento patris, & anno ſequente ex ſententia Auguſti.
47	Herodes annorum 11. præficitur Galilææ.		
40	Herodes ſuaſu M. Antonij declaratur Rex Iudææ à Senatu Romano.		
37	Herodes Antigono extincto, & ceſſante Regno in ſtirpe Aſſamonæorum ſolus regnare incipit tyrannicè.		
30	Herodes ab Auguſto, & Senatus Conſulti vi Regni confirmationem obtinet.	11	Archelaus relegatur ab Auguſto in exilium Lugdunum &c.
12	Cæſareæ ſtructuram abſoluit.		

Conſtabit autem ex dicendis libro 8. inter opiniones de Anno nati CHRISTI, illam eſſe omnium probabiliſſimam, quæ à mille, & amplius ſeculis inualuit in Eccleſia, & Romano Imperio videlicet eum natum eo anno à quo ex Kal. Ianuarij, & Circumciſione anni CHRISTI communiter numerantur, ideſt anno Iuliano 45. itaut primus CHRISTI ex Circumciſione computatus inierit à Kalendis Ianuarij cum anno 46. Iuliano, et reſpectu cuius Gregoriana correctio Kalendarij facta dicitur et eſt Anno CHRISTI 1582.

LIBER SEPTIMVS
DE ANNIS MVNDI CONDITI, EIVSQVE ÆTATIBVS, Vsque ad Epocham CHRISTI.

CAPVT I.

De Opinionibus circa Mundi Annos ab ipsius creatione, vsque ad ortum CHRISTI.

CONCLVSIO I.

Ex Auctoribus, qui æternum Mundum fuisse negant, nemo ab ipsius conditu, ad ortum CHRISTI numerat annos plures, quàm septem mille; Nemo pauciores, quàm termille septingentos.

1 COnstat hoc ex Auctoribus quotquot consulere licuit, quorum aliqui summam horum annorum tradunt; aliqui verò eos distinguunt per ætates, & certa interualla, de quibus ætatibus eruditissimè Iacobus Mazzonus in Dantis defensione lib. 3. c. 12. Benedictus Arias Montanus volumine de seculis, Scaliger lib. 5. de emend. tempor. à pag. 368. & 781. Petauius de doctr. tempor. lib. 9. cap. 6. & 7. Possevinus in Bibliotheca selecta lib. 2. c. 26. Pererius lib. 11. in Danielem q. 5. Henricus Philippi in Synopsi Chronologica c. 7. Salianus in Annalibus anno Mundi 2463. nu. 16. & anno 2940. num. 1. Cornelius à Lapide in Pentateuchum pag. 7. Firinus in Chronico Sacro cap. 7. & Isaac Vossius in Chronologia Sacra à cap. 1. ad 20. vbi Iosephi Hebr. Chronologiam examinat.

I. TABVLA ÆTATVM MVNDI.

Ex Iosepho Hebræo.	Anni
A Creatione Mundi ad Diluuium.	2256
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	1192
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	505
ab Exodo ad fundamenta Templi.	592
à Templi fundamentis ad eius incendium, per Nabuchodonosorem.	470
ab incendio Templi ad ortum Christi.	540
Summa	5555

Suidas.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2242
à Diluuio ad terræ diuisionem.	758
à Diuisione terræ ad Christum.	3000
Summa	6000

Rabbini recentiores.	Anni
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	500
ab Exodo ad Templi fundamenta.	480
à Templi fund. ad eius excidium.	410
ab excidio Templi ad Christum.	422
Summa	3760

Clemens Alexandrinus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2148
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	1250
ab ortu Abrahæ ad diuisionem terræ.	616
à Diuisione terræ ad Samuelem.	463
à Samuele ad Captiuitatem.	572
à Captiuitate ad Christum.	575
Summa	5624

Nicephorus Constantinopolitanus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2242
à Diluuio ad Abrahamum.	1157
ab Abrahamo ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundam. Templi.	633
à fundam. Templi ad captiuitatem.	442
à Captiuitat. Babyl. ad Christum.	596
Summa	5700

Eusebius Cæsariensis.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2242
à Diluuio ad Abrahamum.	1017
ab Abrahamo ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundam. Templi.	480
à fundam. Templi ad eius excidium.	442
ab excidio Templi ad Christum.	589
Summa	5200

S. Hieronymus, & Beda.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Dauidem.	942
à Dauide ad Captiuitatem Babylon.	473
à Captiuit. Babyl. ad Christum.	589
Summa	3952

Q. Iulius Hilarion.	Anni
Ab Adamo ad Diluuium.	2237
à Diluuio ad exitum Abrahæ ex Haran.	1012
ab exitu Abrahæ, ad Exodum.	430
ab Exodo ad Captiuit. Babylonicam.	1113
à Captiuit. Babyl. ad Christum.	683
Summa	5497

S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2242
à Diluuio ad Abrahamum.	1072
ab Abrahamo ad Christum.	1886
Summa iuxta 70. Interpr.	5200
ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad Abrahamum.	292
ab Abrahamo ad Christum.	1886
Summa ex Hebraica editione	3834

S. Isidorus, & Lucas Tudensis.	
Ab Adamo ad Diluuium.	2242
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	1072
ab ortu Abrahæ ad Dauidem.	941
à Dauide ad Captiuit. Babylon.	484
à Captiuit Babyl. ad Christum.	597
Summa	5336

Benedictus Arias Montanus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	500
ab Exodo ad fund. Templi.	480
à fundam. Templi ad Captiuitatem.	410
à Captiuitate Babyl. ad Christum.	511
Summa	3849

Iosephus Scaliger.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	505
ab Exodo ad fundam. Templi.	479
à fundam. Templi ad eius excidium.	428
ab excidio Templi ad Christum.	590
Summa	3950

Dauid Origanus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad Abrahami exitum ex Har.	367
ab Abrahamo ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundam. Templi.	480
à fundam. Templi ad Captiuitatem.	427
à Captiuit. Babyl. ad Epoch. Christi.	589
Summa	3949

Vbbo Emmius.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1657
à Diluuio ad Abrahæ exitum ex Har.	367
ab exitu Abrahæ ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundam. Templi.	480
à fundam. Templi ad Excidium.	426
ab Excidio Templi ad Christum.	590
Summa	3950

Dionysius Petauius Soc. Iesu.	Anni
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	505
ab Exodo ad Templi fundamenta.	520
à fundam. Templi ad finem Captiuit.	474
à Captiuit. fine ad Christum.	536
Summa	3983

Iacobus Gordonus Soc. Iesu.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad Abramum.	322
ab Abrahamo ad Exodum.	505
ab Exodo ad fundam. Templi.	480
à fundam. Templi ad Captiuitatem.	420
à Captiuit. Babyl. ad Christum.	497
Summa	3880

Iacobus Salianus Soc. Iesu.	
Ab Adamo ad Diluuium finitum.	1656
à Diluuij fine ad ortum Abrahæ.	382
ab ortu Abrahæ ad ortum Moysis.	425
ab ortu Moysis ad Samuelis regimen.	476
à Samuele ad Cyrum, & Captiuit. solut.	576
à Captiuit. soluta ad Christum.	537
Summa	4052

Augustinus Torniellus.	
Ab Adamo ad Diluuij finem.	1656
à Diluuij fine ad Abrahæ exitum ex Haran.	456
ab exitu Abrahæ ad Exodum.	431
ab Exodo ad fundamenta Templi.	479
à fundam. Templi ad excidium eius.	422
ab excidio Templi ad Christum.	608
Summa	4052

Cornelius à Lapide Soc. Iesu.	
Ab Adamo ad finem Diluuij.	1657
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	292
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	505
ab Exodo ad Templi fundamenta.	480
à fundam. Templi ad Captiuit Babyl.	426
à Captiuit. Babyl. ad Christum.	591
Summa	3951

Io. Georgius Heruartus.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad Abrahæ ortum.	292
ab Abrahamo ad Dauidem.	942
à Dauide ad Captiuitatem Babyl.	473
à Captiuitate ad Christum.	589
Summa	3952

Henricus Philippi Soc. Iesu.	
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad ortum Abrahæ.	382
ab ortu Abrahæ ad Regnum Dauid.	941
à Dauide ad Captiuitatem Babyl.	473
à Captiuit. Babyl. ad Christum.	588
Summa	4040

Iacobus Tirinus Soc. Iesu.	Anni
Ab Adamo ad Diluuium.	1656
à Diluuio ad Exodum.	887
ab Exodo ad fundam. Templi.	480
à fundam Templi ad finem Captiuit.	452
à fine Captiuitatis ad Christum.	425
Summa	4000

Isaac Vossius.	
ab Adamo ad finem Diluuij.	2256
à Diluuio ad ortum Abrahæ,	1132
ab ortu Abrahæ ad Moysis obitum.	186
à Moysis obitu ad fundam. Templi.	552
à fundam Templi ad eius excidium,	470
ab excidio Templi ad Christum.	594
Summa	5590

Nos ex Hebraica, & Vulgata.	Anni
A Mundi exordio ad finem Diluuij.	1656
à Diluuij fine ad Sacrificium Abrahæ, & Dei repromissionem iuratam de benedicendis Gentibus omnibus in semine Abrahæ, qui est Christus.	506
à repromissione dicta ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundamenta Templi.	580
à fundam. Templi ad Captiuit. solutam.	476
à Captiuit soluta ad Christum.	536
Summa	4184

Nos ex LXX. Interpretum numeris, quos Ecclesia, & Patres multi secuti sunt.	
A Mundi exordio ad finem Diluuij.	2256
à Diluuij fine ad Sacrificium Abrahæ, & repromissionem Dei iuratam.	1356
à Repromissione dicta ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundamenta Templi.	580
à fundam. Templi ad Captiuit. solutam.	476
à Captiuit. soluta ad Christum.	536
Summa	5634

II. TABVLA ANNORVM MVNDI, vsque ad Epocham CHRISTI.

Anni	*Auctores.*
6984	Alphonsinæ Tabulæ apud Mulerum.
6310	Onuphrius Panuuinus.
6000	Suidas verbo *Phalee.*
5984	Alphonsinæ in meo Codice.
5801	Lactantius, & Philastrius.
5709	Nicephorus Constantinopolitanus.
5634	Nos ex LXX. Interpretibus &c.
5624	Clemens Alexandrinus.
5590	Isaac Vossius.
5555	Iosephus Hebræus probè expensus.
5515	Theophilus Antiochenus.
5508	Constantinopolitana Ecclesia, Rutheni, Moscouitæ, Bulgari, Abissini.
5506	Nicetas, Persæ, ac Cedrenus.
5500	Theophanes, & Georgius Monachus.
5497	Q. Iulius Hilarion.
5492	Alexandrina Ecclesia, & Panodorus.
5351	S. Augustinus apud Genebrardum, & Chaldæi.
5344	Petrus Alliacensis, & quidam Thalmudistæ.
5336	S. Isidorus, & Lucas Tudensis.
5328	Albumasar Arabs.
5296	Rabanus Maurus.
5200	Martyrologium Romanum, Eusebius, Vincentius Lirinensis, Gaurius, S. Iulianus, & Sansouinus.
5198	Philippus Bergomensis, & Alphonsus Pandulphus.
5196	Philo Iudæus, & Sigebertus.
5185	Arabes aliqui apud Genebrardum.
5049	S. Epiphanius.
5000	Metrodorus.
4832	Ado Vienensis Archiepisc.
4697	Aurelius Cassiodorus.
4320	Odiaton Astrologus.
4193	Marianus Scottus.
4184	Nos ex Vulgata, & Hebraica editione.
4140	Laurentius Codomanus.
4058	Rabbi Moses, & Ioseph Blancanus.
4053	Nicolaus Mulerus.
4052	Torniellus, Salianus, Spondanus
4040	Henricus Philippi, & Vuilhelm. Langius.
4022	Benedictus Pererius.
4000	Iac. Tirinus, & M. Ant. Capellus.
3933	Ioannes Keplerus in Rodulphinis.
3989	Carolus Bonuillus.
3984	Dionysius Petauius.
3970	Pantaleon, et Bucholzerus.
3977	Theodorus Bibliander.
3969	Gualterus, Bullungerus, Ekstormius.
3967	Hieronym. Bardius, et Henricus Buntingus.
3966	Gerardus Mercator, et Petrus Opmeer.
3964	Christianus Seuerinus Longomontanus.
3963	Alphonsus Tostatus, Functius, Melanchthon.
3962	Erasmus Reinoldus, Vuolfgangus Lazius, Io. Funccius, et Vrspergensis, Dauid Chyeræus.
3960	Auicenna, Io. Lucidus, Dolionus, Alexander Scultetus, M. Guazzus.
3959	Io. Picus Mirandulanus, et Alphõsus Salmeron.
3957	Philo Hebræus.
3952	Beda, Hermannus Contractus, Io. Scaffana, Burgensis, & Io. Georgius Heruartus.
3951	Cornelius à Lapide.
3950	Ioseph Scaliger, Vbbo Emmius, Fabric. Vecchiettus.
3949	Dauid Origanus, Argolus, Bullialdus.
3947	Sethus Caluisius, Heluicus, Alstedius, Micrælius
3944	Ioannes Caryon.
3941	S. Hieronymus in qq. Hebr.
3928	Martinus Beroaldus.
3880	Iacobus Gordonus.
3849	Benedictus Arias Montanus.
3834	S. Iulianus ex Hebraica editione.
3784	Thalmudistæ aliqui apud Genebrardum.
3780	Rabbi Leui.
3761	Rabbini aliqui in Kalendario.
3758	Iudæi in Seder Olam.
3754	Rabbi Gerson & R. ben Leui.
3740	Rabbi Nabsson apud Genebrardum.

Opiniones ergo sunt 70.

CAPVT II.

De probabiliore numero Annorum Mundi, vsque ad CHRISTVM, iuxtà Hebraicam, & Vulgatam editionem, & de terminis, intra quos certò consistunt.

CONCLVSIO II.

Ex Historia Diuina secundùm Vulgatam, & Hebraicam editionem, & Humana probabilius est, ab initio Mundi ad initium Epochæ Christi fuisse Annos 4184. Certum verò est non fuisse in hac hypothesi plures quàm 4330. Nec pauciores quàm 3705.

1 PRima pars Conclusionis pendet ex probatis iam libro 6. vbi cap. 1. ostendimus ex Vulgata, & Hebraico Codice, colligi ab exordio Mundi ad Diluuium, absolutum annos 1656. & à fine Diluuij ad ortum Abrahæ annos 302. & cap. 3. ac 5. ab ortu Abrahæ ad Repromissionem à Deo factam Abrahæ, quando ipsum vidit promptissimum ad sacrificandum Isaacum annos 125. & cap. 6. à Repromissione facta Abrahæ, iuratq; à Deo, vsque ad Exodum annos 430. atq; adeo ab ortu Abrahæ ad Exodum fuisse annos 555. sed à Diluuij fine ad dictam Repromissionem annos 506. & cap. 8. ab Exodo ad fundamenta Templi Salomonici annos fuisse 580. & c. 9. à fundamentis Templi Salomonici, ad eius excidium per Nabuchonosorem annos 425. At libro 5. cap. 7. & lib. 6. cap. 11. ab hoc excidio ad solutam per Cyrum Captiuitatem fuisse annos 51. ideoq; à fundamentis Templi ad Captiuitatem solutam, fuisse annos 476. & eodem lib. 5. c. 7. à solutione captiuitatis ad communem Epocham CHRISTI fuisse annos 536. Iunctis igitur annis prædictis, vt vides in hoc laterculo, euadit summa ab initio Mundi ad Epocham Christi annorum 4184. supponendo minus periculum errandi esse si Anni numerati in Historia, vtraq; summantur pro integris, aut defectum in aliquibus compensari ferè ex æquo per aliorum excessum in aliquot mensibus, & diebus.

	Anni
Ab initio Mundi ad finem Diluuij.	1656
inde ad Repromissionem Abrahæ.	506
hinc ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundam. Templi.	580
à fundam. Templi à Captiuit. solutam.	476
à Captiuit. soluta ad Christum.	536
Summa	4184

2 *Secunda* pars de Summâ annorum 4330. maxima probatur, quia annis ab initio Mundi ad Abrahamum per generationes, seu Patriarchas 21. non possumus addere plures quam annos 21. etiam si fingamus enumeratos in Sacra Genesi annos integros, relictis diebus 264. in singulis generationibus. Ab ortu Abrahæ ad Exodum nemo hactenus inuenire potuit plures annos, quàm 505. & tamen nos deprehendimus fuisse 555. Ab Exodo porrò ad fundam. Templi Salomonici nemo plures annos colligere potuit, quàm 757. vt docui lib. 6. cap. 8. nu. 9. esto mihi certum sit non fuisse plures, quàm 580. Inde autem ad Captiuit. Babylonicam, nemo plures annos reperit, quàm 450. ac denique à Captiuitate soluta ad Christum, nemo plures interponere potuit, quam 559.

Fingantur igitur anni, vt in laterculo hic adiecto, in quibus insertus est secundus Cainan, & Abraham natus supponitur anno 130. Tharæ, & anni seruitutum seorsim ab annis Iudicum positi sunt. Nam summa non excedet annos 4330. in hac tamen hypothesi, quæ inhæret annis ex editione vulgata, & hebraica collectis.

Vt summum.	Anni
Ab initio Mundi ad Diluuij finem.	1656
hinc ad ortum Abrahæ.	382
adde pro residuis mensibus, ac diebus.	21
ab ortu Abrahæ ad Exodum.	505
ab Exodo ad fundam. Templi.	757
inde ad Captiuit. Babylonicam.	450
inde ad Christum.	559
Summa	4330

3 *Tertia* pars de minimo annorum 3705. numero, facile ostenditur, quia annis ab initio Mundi ad finem Diluuij, demere, vt summum quis posset annos 10. fingendo annos in Sacra Genesi numeratos esse incompletos, & per vnicum diem inchoatos, atq; adeo ab initio Mundi ad finem Diluuij esse annos tantum 1646. à fine autem Diluuij ad ortum Abrahæ, demi ad summum possunt in alijs decem generationibus anni 10. & præterea expuncto Cainano secundo, demi anni 30. & supponi Abrahamum natum anno 70. Tharæ, sic enim ex secundo interuallo demi possent in totum anni centum, et redigi illud ad annos 282. Ab ortu autem Abrahæ ad Exodum nemo potuit colligere annos pauciores, quàm 505. et à Repromissione ad Exodum 380. nec inde ad fundamenta Templi pauciores, quàm 440. nec inde ad Captiuitatem Babylonicam pauciores, quàm 390. nec inde ad Christum pauciores, quàm 442. vt ex dictis lib. 5. et 6. et hic ex Tab. 1. capitis 1. colligi potest. Itaque fictis hisce interuallis, vt in laterculo adiecto, prouenit summa non minor annis 3705. ne ipsi quidem Rabbi, qui vt suaderent nondum esse completum tempus aduentus Messiæ, contraxerunt tempus hoc quam maximè, pauciores annos numerarunt, quàm 3740.

Vt minimum.	Anni
A Mundi initio ad Diluuij finem.	1646
à Diluuij fine ad ortum Abrahæ.	282
inde ad Exodum.	505
inde ad fundam. Templi.	440
inde ad Captiuit. Babylonicam.	390
inde ad Christum.	442
Summa	3705

CAPVT III.

De probabiliore numero Annorum Mundi, vsque ad CHRISTVM, iuxtà editionem LXX. Interpretum, & de terminis, intra quos certò consistendum est in hac hypothesi.

CONCLVSIO III.

Ex Historia Diuina secundùm editionem LXX. Interpretum, simul cum Humana Historia veriore, Probabilius est ab initio Mundi ad initium Epochæ CHRISTI fuisse Annos 5634. Certùm verò est, non fuisse in hac hypothesi plures, quàm 5904. nec pauciores, quàm 5054.

1 PRima pars sic ostenditur. Libro 6. cap. 1. ostendimus ab Exordio Mundi ad finem Diluuij Noetici iuxta versionem Septuaginta Interpretum, quam in hac annorum numeratione secuta est Ecclesia, fuisse annos 2256. sumptis annis ibi enumeratis,

ratis, pro præcisè completis, vt minori periculo errandi nos exponamus, eo quòd probabile sit, habita ratione deficientium, & abundantium, & facta compensatione summam annorum præuisam fuisse futuram tantam, quanta, si annorum partiales Summulæ fuissent annorum exactè completorum. Deinde Capitib. 2. 3. & 5. simul ostendimus à fine Diluuij ad Repromissionem iuratam, qua Deus Abrahæ accincto ad immolandum Isaacum, repromisit Benedicendas gentes omnes in semine ipsius, qui est Christus, in-

	Anni
Ab Adamo ad finem Diluuij.	2256
à fine Diluuij ad Repromissionem.	1356
à Repromissione ad Exodum.	430
ab Exodo ad fundamenta Templi.	580
à fundam. Templi ad Captiuit. solutam.	476
à Captiuit. soluta ad Christum.	536
Summa	5634

tercessisse annos 1356. & cap. 6. à dicta Repromissione, ad Exodum fuisse annos 430. et cap. 8. ab Exodo ad fundamenta Templi Salomonici fuisse annos 580. At libro 5. cap. 7. vnà cum l. 6. c. 11. docuimus à fundamentis Templi ad Captiuitatem Babylonicam per Cyrum solutam, fuisse annos 476. et deinde ad Epocham Christi annos 536. Iunctis ergo prædictis summulis in vna summam, fiunt ab initio mundi ad initium Epochę communis Christi anni 5634.

2 *Secunda* pars ostenditur sic; Cùm generationes, ac summæ annorum, quas Sacra Genesis recensęt ab Adamo ad Abrahamum sint tantum 21. non possunt addi anni plures quàm 21. etiam si fingamus computatos ibi annos tantummodo completos, et in singulis generationibus neglectos dies 364. quia non implebant vnum annum. Deinde ab ortu Abrahæ ad Exodum nemo plures annos reperire potuit hactenus, quàm nos, qui reperimus fuisse 555. ideſt à Repromissione ad Exodum 505. Nec ab Exodo ad fundamenta Templi plures quàm 757. vt patet ex dictis lib. 6. cap. 8. num. 9. inde autem ad captiuitatem solutam, nemo plures annos posuit quàm 450. et à Captiuitate soluta ad Christum, nemo plures annos quàm 559. vt patet ex dictis lib. 5. cap. 7. et lib. 6. cap. 11. et ex priore Tabula capitis 1. huius libri. Adde nunc annos 10. primo interuallo et 11.

	Anni
Ab Adamo ad finem Diluuij.	2266
à finem Diluuij ad Repromissionem.	1367
à Repromissione ad Exodum.	505
ab Exodo ad fundam Templi.	757
à fundam. Templi ad Captiuit. solutam.	450
à Captiuit. soluta ad Christum.	559
Summa	5904

annos secundo, et dispone vt in laterculo adiecto annorum Summulas Maximas. Ex illis enim non consurget, maior annorum summa quàm 5904. ab initio Mundi ad Epocham Christi qui autem plures collegerunt nullo sufficienti fundamento id fecerunt.

3 *Tertia* pars de minimo annorum numero 5054. sic ostenditur: Annis ab initio Mundi ad finem Diluuij ex LXX. Interpretibus demi possunt anni vt summum 10. quot sunt generationes ibi enumeratæ, fingendo annos illos per vnicum diem inchoatos, et ob eandem fictionem demi possunt alij 10. anni decem generationibus à Diluuio ad Abrahamum, et præterea demi anni 130. Cainani secundi, eo expuncto, et supponi Abrahamum natum anno 70. Tharæ, et sic huic secundo interuallo demi anni 200. denique reliquorum interuallorum sumi possunt minimæ illæ Summulæ, quas recensuimus cap. 2. nu. 3. sic igitur ordinatis huiusmodi interuallis, vt videre est in præsenti later-

	Anni
Ab Adamo ad finem Diluuij.	2246
à fine Diluuij ad Repromissionem.	1156
à Repromissione ad Exodum.	380
ab Exodo ad fundam. Templi.	440
à fundam. Templi ad Captiuit.	390
à Captiuitate ad Christum.	442
Summa	5054

culo tota summa annorum ab initio Mundi ad Christum non erit minor quàm annorum 5054. in hac Hypothesi. Colligendo igitur in vnam Synopsim quæ dicta sunt cap. 2. et 3. ecce. iterum Conclusiones.

Anni Mundi ad Natiuitatem Christi.		
Summa Annorum	Iuxta LXX.	Hebr. & Vulgat.
Probabilior.	5634	4184
Maxima.	5904	4330
Minima.	5054	3705

CAPVT IV.

An verum Mundi initium Definiri possit certò per vllos Characteres Cæleſtes Astrologicos, aut Astronomicos.

CONCLVSIO IV.

Licet aliqui conati sint inuestigare initium verum Mundi ex quibusdam Cæli Characteribus, ac positu Siderum; frustra tamen id tentarunt; cum nulla sit certa ratio illud determinandi.

Characteres cœlestes, quibus videtur inuestigari posse primus conditi Mundi annus sunt Planetarum aspectus inter se, sed præsertim Coniunctiones maximæ, vel magnæ trium superiorum Planetarum, Nouilunium, ac Plenilunium; Apogeum Solis, & Eccentricitas maxima, vel minima; Obliquitas Eclipticæ maxima, vel minima, & his similia. His præindicatis prima Conclusionis pars probatur enumerando potiores conatus, & opiniones de Mundi exordio ex positu Stellarum inuestigato.

Prima pars Conclusionis.

1 *Petosiris, & Necepsus* apud Lucam Gauricum in Kalendario à pag. 9. putarunt Mundum conditum circa Solstitium æstiuum, horoscopante Luna in gr. 15. Leonis, Sole posito in gr. 15. Cancri, domoq; prima; Saturno in gr. 15. Capricorni. Ioue in gr. 15. Sagittarij; Marte in gr. 15. Scorpij; Venere in gr. 3. Libræ; Mercurio in gr. 15. Virginis; sed annus deest in meo Codice.

2 *Chaldæi*, et Arabes apud Albumasarem, et Gauricum supra, putarunt Mundum conditum in Autumno, anno ante Christum 5492. Sole posito in Libra, Luna in horoscopo et gradu 1. Cancri, cum aspectu Quadrato ad Solem reliquis autem planetis singulis in primo gradu suarum dignitatum.

3 *Valentinus* Astrologus Antiochenus apud Gauricum statuit, Mundum creatum verno tempore, culminante gradu 15. Arietis, Sole in gr. 19. Horoscopante cum Ioue gr. 15. Cancri, positoq; Saturno in gr. 21. Libræ, Marte in gr. 28. Capricorni; Venere in gr. 27. Piscium; Mercurio in gr. 10. Arietis; Luna in gr. 3. Arietis, anno vel 5515. vel 5509. ante Christum.

4 *Petrus Alliacensis* in Concordia Theologiæ cum Astrologia verbo 19. censuit Mundum creatum anno 5344. ante Christum, Horoscopante primo gradu Cancri, et culminante primo gradu Arietis, Sole in gr. 19. et Luna in gr. 3. Arietis positis, Mercurio in gr. 15. Geminorum; Venere in 27. Tauri; Marte in 28. Scorpij; Ioue in 28. Piscium; Saturno in 21. Aquarij, et in domo 8. Marte in domo 5. Ioue in 9. Sole, et Luna in 10. Venere in 11. et

Mer-

Mercurio in 12. Domo. Posteà tamen in Elucidario reprobauit hanc opinionem, et confesus est, non posse Mundi initium ex Astrologia certò constitui. Eandem figuram Alliacensis confutarunt prolixè Io. Picus Mirandulanus lib. 5. contra Astrologos à c. 7. ad 14. et Alphonsus Pandulphus conciuis, et amicus noster in Disputatione Astrologica de Mundi fine cap 9.

5 Iudæi in kalendario recenti, & post Talmudi obsignationem condito, finxerunt Mundum creatum anno 3761. ante Epocham Christi die 7. Octobris, de qua fictione calculi gratia inuenta vide quæ diximus lib. 1. cap. 3. in Appendice num. 5.

6 *Io. Keplerus* in Mysterio Cosmographico c. 23. posuit Mundi initium congruere anno 3962. ante Christi aeram hora 6. Vespertina diei 27. Octobris, positis Sole, Venere, Mercurio, et Nodo Lunæ Boreo in Libra, Saturno autem, Ioue, Marte, et Nodo Australi Lunæ in Ariete; Luna autem in Capricorno, et quadratura cum Sole, licet mallet Lunam in plenilunio, vt præesset toti nocti, à cuius initio dies incœpere. Sed postea in Rodulphinis Tabulis c. 18. et pag. 42. Tabularum, elegit pro Mundi exordio annum 3993. ante Epocham Christi die 24. Iulij positis planetis, vt in sequenti Tabella.

		Gr.	Min.	Scr.
Sol in	*Cancri*	0	0	0
Apogeum Solis	*Arietis*	0	0	0
Luna	*Gemini*	22	57	3
Apogeum Lunæ	*Libræ*	0	0	0
Nodus Bor. Lunæ	*Cancri*	0	0	1
1. Stella Arietis	*Aquarij*	8	23	25
Arg. obliq. Eclipt.	*Signæ*	0	0	0
Saturnus.	*Libræ*	5	29	56
Iupiter.	*Capricor.*	7	3	21
Mars.	*Cancri*	10	43	53
Venus.	*Cancri*	0	0	0
Mercurius.	*Arietis*	0	0	0

Apogeum.		Gr.	Min.	Scr.
Saturni.	*Leonis*	28	24	6
Iouis.	*Cancri*	23	34	18
Martis.	*Tauri*	15	0	0
Veneris.	*Libræ*	0	0	0
Mercurij.	*Cancri*	0	0	0
Nodus.		**Gr.**	**Min.**	**Scr.**
Saturni.	*Arietis*	0	0	0
Iouis.	*Cancri*	0	0	0
Martis.	*Piscium*	15	0	0
Veneris.	*Arietis*	0	0	0
Mercurij.	*Capricorni*	0	0	0
Lunæ.	*Cancri*	0	0	1

7 *Christianus Seuerinus Longomontanus* in Astronomia Danica lib. 1. Theoricorum cap. 3. elegit pro initio Mundi annum 3964. ante Christi Epocham, vtpote primo post Bissextilem, esto exactius anno 3966. Apogeum Solis fuerit in principio Arietis, & nulla tunc fuerit inæqualitas Æquinoctiorum, aut obliquitatis Eclipticæ.

8 *Dionysius Petauius* lib. 9. de Doctrina Temp cap. 6. & 7. censet Mundum conditum in Autumno anni 3983. ante Christi Epocham, ac periodi Iulianæ 730. Sole in principio Libræ constituto die 26. Octobis feria 1. Cyclo Solis 2. Lunæ 9. litera Dominicali A. cui successerit fictum Plenilunium feria 2. h. 8. post meridiem, Luna enim non fuit facta nisi die 4. Mundi, seu 29. Octobris.

9 *Iosephus Scaliger* lib. 5. de emend. temporum titulo de *Conditu Mundi* pag. 366. pro certo supponit à Mundi conditu ad Exodum ex Moyse annos 2453. completos, & Exodum fuisse anno periodi Iulianæ 3217. vnde colligit Mundi initium fuisse anno periodi Iulianæ 764. & die 26. Octobris fuisse primam Neomeniam: Tekupham autem die 25. feria 7. in qua requieuit Deus ab opere 7. dierum; ideoq; Mundum conditum die 19. Octobris anni ante Epocham Christi 3950. sed his non obstantibus stat nostræ Conclusionis pars secunda.

Secunda pars Conclusionis probatur.

10 PRimò incertum est an in annis ab Adamo ad Abrahamum sequendi sint cum multis Ecclesiæ Patribus LXX. Interpretes, an potius Hebraica, & Vulgata editio post S. Hieronymum introducta, & in vtraq; hypothesi incertum est an anni à Moyse recensiti sint completi præcisè an deficientes, & labentes, an ita completi, vt superabūdantes dies neglexerit.

Secundò incerta est anni tempestas, qua Mundus conditus fuit, cum plerique quidem, & probabilius existimarint conditum fuisse verno tempore; non pauci tamen in Autumno, & aliqui æstate.

Tertiò incertum est cuiusnam diei habenda ratio sit in constituendo systemate Cælesti, ac themate natalitio Mundi, videlicet an primæ diei quà creatum est Cælum, & terra, & facta Lux, an verò diei, & feriæ 4. qua factæ sunt cum luminaribus reliquæ stellæ, & positæ in firmamento; an tandem diei 6. in cuius nocte sequenti Adamus, & Eua facti incœperunt contemplari sidera, & eorum positus. Licet per scientiam infusam potuerint scire constitutionem Stellarum factam die 4. nec necesse fuerit Cæli spectaculum oculis Adami, & Euæ primò inspecturis, potiùs quàm intellectui, & rationi accommodare. Erunt enim quibus placebit primam illam lucem instar Solis inchoasse annum Æquinoctialem ab initio Arietis, aut Libræ, & Solem feria 4. collocatum in 4. gradu Arietis, aut Libræ; eandemq; primam diem Creationis rerum, fuisse primam diem Mensis Lunaris, adeoq; feria 4. Lunam collocatam in eo situ ad Solem, quem requirit dies 4. Lunæ iniens, adeo vt die 7. Mundi completa, fuerit in prima Quadratura. Contra verò alijs probabilius videbitur annum Æquinoctialem à Sole ipso, & Mensem à Luna eo tantum die incœpisse, quo facta sunt Luminaria, nempe 4. die. Quia de illis, & non de luce primigenia dictum fuit, ea facta *in signa, & tempora dies, & annos*; ideoque contendent Luminare vtrumq; die 4. collocatum in principio Arietis, aut Libræ. Nec deerit forte cui 4. die Luna in principio Arietis, aut Libræ posita placeat. Sol autem in 4. gradu horum signorum, eo quod lux primogenita Solis non Lunæ vicem gerens annum Æquinoctialem inchoauerit.

11 *Quartò* etiam si certum esset in Luminarium positu habendam esse rationem diei potius 4. quàm primæ; tamen adhuc controuersum est an Luna in Nouilunio, an in Plenilunio producta fuerit. *Pro Nouilunio* stare videtur tum S. Augustinus lib. 2. de Genesi ad Litt. cap. 15. nil tamen determinans, tum ratio, vt Mundus ab initio anni Æquinoctialis, & Mensis Lunaris inciperet, nec Luna statim minui lumine inciperet, sed potius crescere. *Pro Plenilunio* tamen stant Patres Synodi Palestinæ apud Bedam tomo 2. opusc. de verno Æquinoctio, & ipse Beda in Hexamerone, & lib. de ratione temporum Anastasius Synaita Comment. in Hexam. lib. 4. Procopius in cap. 1. Genes. S. Damascenus 2. Fid. cap. 7. Abulensis in cap. 1. Geneseos quæst. 25. Lyranus ibi in postilla, S. Thomas 1. p. q. 70. art. 2. ad 5. & Keplerus in mysterio Cosmographico cap. 23. Ratio autem est, tum quia Deus fecit Luminaria, vt diuiderent diem, ac noctem, & Lunam, vt præesset nocti, at non potuit statim fungi officio suo, & illuminatione sua diuidere ex æquo noctem à die, ac toti nocti præesse, nisi in Plenilunio, tū quia Luna facta est statim Luminare magnum, non ratione molis corporeæ, in qua superatur ab aliquot Planetis, & Fixis, sed ratione illuminationis, qua apparet æque magna, ac Sol in Plenilunio, tum denique, quia sicut in Plenilunio educti sunt Israelitæ ab Ægypto, & in Plenilunio Christus morte sua liberauit nos de potestate tenebrarum, & Patres Limbi visitauit, ita videtur Mundus de prioribus tenebris eductus ad sui esse, & ornatum cœli in Plenilunio Nutant itaq; vtrinq; rationes, ac testimonia.

12 *Quintò* quoad Aspectus reliquorum Planetarum inter se, vel cum Luminaribus, quales nam præferendi sint, nec conuenit inter Astrologos, nec certa, & euidenti ratione decerni potest; Alijs enim placent benigni aspectus, vel inter se, vel cum Luminaribus, nempe, Trigoni aut Sextiles; alijs oppositiones trium superiorum Planetarum, cum

Sole,

Sole, vt totis primis noctibus apparerent Adamo, & Euæ, alijs vel Coniunctiones cum Sole, vel inter se. Veneris autem ac Mercurij coniunctionesne interiores, an Superiores cum Sole, an potius digressiones à Sole maximæ, & hæ matutinæ ne, an Vespertinæ congruant Mundi initio planè incertum est. Coniunctionibus porrò vel maximis, vel magnis trium, vel duorum superiorum Planetarum, non esse tantam vim ad mutationes statuum, & exordia nouarum magnarum rerum, quantam quidam Astrologi iactant, docuit Valentinus Naiboda in elementis Astrologicis diff 4. & nos euicimus l. 7. Almagesti noui sect. 5. c. 10. à num. 8. Præterquam quòd vtendum esset coniunctionibus non medijs, quæ sunt figmenta imaginationis nostræ ad commoditatem calculi, sed veris, & ad has supputandas in tanto annorum interuallo, non habemus Tabulas Astronomicas, quæ certos nos reddant de anno nedum de die coniunctionis Maximæ, vel Magnæ ad annos 4000. nedum 5000. aut 6000. ante Christum.

13 *Sextò* Solaris Eccentricitatis, & Obliquitatis Ecliptica varietas, & Anomalia præcessionis Æquinoctiorum nec certa est, nec certa earum mensura, immò probabilius est nullas esse, vt constat ex vltimis capitibus libri 3. nostri Almagesti Noui. Apogei vero Solaris motus adeo incertus est, ac lubricæ inquisitionis delicatæque indaginis, vt nequaquam ex eo possit constitui annus determinatus Mundi conditi, etiam si daremus in Mundi Exordio illud fuisse in principio Arietis; quod tamen nequaquam exploratum est. Quia potius aliqui ex probabiliore anno ante Christum Mundi conditi, & ex loco Apogei nostris temporibus reperto conantur eruere Apogei motum, non quidem certa sed probabili methodo; tam incerta tamen, quàm hactenus incertus est annus primus Mundi.

14 *Septimò* vt calculus iniri posset pro aspectibus planetarum mutuis, & saltem pro die Nouilunij, aut Plenilunij, siue die 1. siue 4. Mundi conditi, prius determinandus esset dies Æquinoctij pro illis circiter annis, intra quos ex Sacra, & humana veriore historia probabilius consistit Mundi Exordium. Atqui hoc pro tot annis ante Christum vltra annos 4000. Tabulæ astronomicæ non exhibent tanta certitudine, vt eximant scrupulum erroris de vno, vel altero die, propter diuersas opiniones Astronomorum de quantitate anni cælestis, & præcessione Aequinoctiorum in forma anni Iuliani. Exempli gratia Aequinoctium Vernum ab Hipparcho obseruatum fuit Alexandriæ Vespere diei primæ Phamenoth anni 50. tertiæ periodi Calippi, vt refert Ptolemæus l. 3. c. 2. hoc est anno ante Christum 128. die 23. Martij. At nos Bononiæ obseruauimus æquinoctium anno Christi 1656. Die 9. Martij stylo Iuliano hora 9. & minut. 51. post merid. hoc est Alexandriæ hora 11. min. 23. ergo anticipauit in annis 1784. dies 13. & hor. 19. hoc est fere dies 14. ergo annis 137. circiter anticipant æquinoctia vnum diem, vel annis 900. circiter dies 7. Igitur anno ante Christum 5634. quo circiter Mundum conditum iuxta LXX. Interpretes diximus cap. 3. ideſt anno ante obseruationem nostram 7290. fuisset æquinoctium diebus 57. post 9. Martij, hoc est die 4. aut 5. Maij. At qui volunt annum breuiorem nempe, dierum 365. hor. 5. minut. 48. & consequenter annis 120. anticipationem diei vnius, vtiq; annis 7290. inuehunt anticipationem dierum 60. atque adeo anno 5634. ante Christum fuisset æquinoctium die 8. Maij. Inter has duas quasi extremas opiniones essent, quæ æquinoctium illius anni statuerent die 6. aut 7. Maij & eadem diuersitas reperietur ex Tabulis astronomicis supputando locum Solis.

15 *Octauò*. Etiam si haberemus, ex vna parte pulcherrimam ideam constitutionis Siderum certæ diei puta 1. aut 8. Mundi conditi applicandam tamquam omnium præstantissimâ iuxta regulas Astrologicas, vel prærogatiuas Astronomicas, & ex altera Tabulas exquisitissimas pro supputandis motibus cælestibus ad multa annorum millia ante Christum: adhuc tamen certi non sumus DEVM O. M. voluisse Mundum sub ea constitutione creare. Vna enim ex causis, ob quas lucem primò condidit independenter à Stellis, & secunda die firmamentum, & tertia die plantas, nec nisi die 4. Stellas visa est aliquibus Patribus, & Doctoribus, ne quis diuinitatem in Stellis agnosceret, aut putaret Deum indiguisse illis tanquam instrumentis ad omnium rerum visibilium productionem. Quid si ergo eadem de causa, noluit se conformare regulis Astrologicis, aut Ideis Astronomorum & in hac ipsa prouidentia sapientissimum se Artificem gessit?

16 *Nonò*. Congruentia Mundi Conditi iuxta ordinem annorum Sabbaticorum, aut Iubilæorum, quam aliqui tanti faciunt, est mera congruentia, eaque non magni momenti, si cætera desint, præsertim cum non sit certum ordinem Sabbaticorum, qui à Iudæis sæpius neglectus fuit, & interruptus; post Captiuitatem Babylonicam resumptum esse iuxta seriem illam, qua successissent Sabbatici anni, si nunquam neglecti, aut interrupti fuissent: Immò non est improbabile, Iudæos à biennio post solutam captiuitatem Babylonicam, quo reuersi in patriam domos reædificarunt, cœpisse agriculture operam dare, & inde numerare septimum quemque annum pro Sabbatico. Quare ex tribus annis Sabbaticis post Captiuitatem commemoratis in S. Scriptura, vel à Iosepho Hebræo, non infertur necessario, inde retrocedendo inueniendum esse primum Sabbaticorum. Tandem sicut Hebdomades 70. vel 69. ½. Danielis non in ortu, sed in morte Christi terminantur, ita Hebdomades annorum Mundi conditi potius ex eadem morte putandæ videntur.

17 *Decimò* deniq; qui intra annos probabiles Mundi conditi illum eligunt qui ita fuit primus post Bisextilem fictum, vt fuerit etiam initium Cycli tam Lunæ, quàm Solis, si coniunctum sit cum Æquinoctio, & aut Nouilunio, aut Plenilunio in 1. aut 4. feria; si hæc inquam omnia concurrant in vnum eundemq; annum magnam probabilitatis speciem habent: sed nunquam absolutam certitudinem, ob causas hactenus adductas.

CAPVT V.

De Probabiliore Anno Mundi Conditi ante Epocham Christi.

CONCLVSIO V.

Probabilius est Mundum à Deo creatum esse anno 5634. ante Epocham Christi die 2. Maij feria 1. ita tamen vt in die 5. Maij in forma Iuliana, seu feria 4. Sol in principio Arietis, Luna verò in principio Libræ, seu in Plenilunio constituta sint.

1 PRimò enim Mundum probabilius creatum fuisse Verè, quàm Autumno, aut Æstate ostendimus lib. 1. cap. 11. Deinde in computandis annis ab Adamo ad Abrahamum probabilius esse sequendam cum antiquis Patribus, & Ecclesia Hebraicam illam editionem, quam LXX. Interpretes transtulerunt vniformitate mirabili in Græcum idioma, atq; adeo sequendam Translationem ipsorum LXX. quæ Tempore SS. Augustini, & Hieronymi appellabatur Vulgata, & Communis, nec in hoc aliter præceptum esse in Sacro Concilio Tridentino, docuimus lib. 6. cap. 1. & 2. Ex his autem, & reliquis interuallis vsque ad CHRISTVM demonstratis partim lib. 5. c. 7. partim lib. 6. à cap. 5. ad 12. vt expositum est hoc libro c. 3. sequitur Mundum conditum anno 5634. ante communem Epocham Christi. Sumptis annis vt iacent numerati in scriptura; Postremò huic anno non repugnant Characteres cælestes communiter noti & spectabiles, videlicet Æquinoctium, & Plenilunium concurrentia in eandem feriam 4. qua Luminaria sunt condita; nec alij Characteres occultiores, & controuersi sunt his præferendi, ergo annus hic probabilior est pro Exordio Mundi.

2 Nam quod spectat ad Æquinoctij diem iam ex obser-

uatio-

uationibus cap. præcedenti num. 14. relatis, & ex noſtra Aſtronomia reformata lib. 1. cap. 2. probabilius eſt 900. quibuſque annis Æquinoctia in forma anni Iuliani præcedere diebus 7. atq; adeo vt numero eodem 14. diximus anno ante Chriſtum 5634. Æquinoctium fuiſſe die 4. aut 5. Maij in forma Iuliana, quæ dies, ex Canone 4. & 5. libri 1. & capitis 30. incidit in feriam 4. Cyclo Solis item 4. & littera Dominicali C. congruente huic anno. At ex Tabulis Epactarum Aſtronomicarum, illo anno Plenilunium medium fuit die 5. Maij hora 12. poſt meridiem in meridiano Edem, vbi Adamus factus eſt. *Plenilunium* autem præferendum eſſe Nouilunio in hoc Mundi exordio plurium auctoritate, & pluribus rationibus docuimus cap. 4. num. 11.

3 Cum ex noſtra Chronologia, & dictis lib. 6. cap. 7. primus annus Sabbaticus fuerit 1539. ante Epocham Chriſti retrocedendo vſque ad annum 5634. reperitur hic annus Sabbaticus, ſeu talis, vt inde numerando ſepteni quinque Sabbatici fuerint; ſubtractis enim 1539. ab annis 5634. reſtant 4095. qui diuiſi per 7. dant annorum hebdomadas 585. vſque ad primum Sabbaticum à Ioſue celebratum. Ab initio autem Mundi, vſque ad CHRISTI mortem ſunt hebdomades octingentæ, ac decem abbreuiatæ, ideſt 809 ½. ſicut Danieli hebdomades reuelatæ à S. Gabriele ſunt 70. abbreuiatæ, ideſt 69 ½. Ab initio autem Mundi ad initium Hebdomadum Danielis, ſunt Hebdomades 740. nempe hebdomades annorum.

4 Receptis quæ hactenus dixi, ſequitur in forma anni Iuliani, diem 6. Mundi, qua factus eſt Adamus, ſeu feriam 6. incidiſſe in diem 7. Maij, & primum Sabbatum, ac diem feſtum in 8. Maij, quæ poſtea dedicanda erat Apparitioni S. Michaelis Archangeli.

* * *

LIBER OCTAVVS
DE ANNO, ET DIE NATIVITATIS, ET MORTIS CHRISTI, AC DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ,

Ordine Gestorum, quæ ab Euangelistis narrantur, & Genealogia, & Consanguineis Saluatoris, & Matris eius.

CAPVT I.

Quisnam fuerit Auctor numerandi Annos à Natiuitate, vel ab Incarnatione Domini Nostri IESV CHRISTI.

CONCLVSIO I.

Licet apud Flauium Dextrum, aliosq; Chronographos perantiquus sit vsus annorum Christi; Immò illum introduxerit in Kalendarium Ecclesiasticorum Dionysius Exiguus, Cyclum suum exorsus biennio ante vulgarem Christi Epocham; Epocham verò Incarnationis anno immediatè præcedenti vulgarem Christi Epocham: Quidam tamen eius mentem non assecuti, Incarnationem, & Natiuitatem Domini, statuerunt factam anno ipso primo Epochæ vulgaris Christi, & inde à die 25. Martij annos numerarunt; plerique verò Computistæ annos Domini à Circumcisione. In actis autem publicis Epocha Christi vsurpari cœpta circa Annum 590. in Italia, & circa Annum 620. in Belgio, & circa Annum 780. in Francia, sed in Hispania multo serius.

1 PRima pars de L. Flauio Dextro, qui fuit præfectus Prætorij Theodosij Imperatoris, laudatusq; à S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccles. tum in Prologo, tum nomine *Dexter*, patet ex ipsius Chronico, in quo scribit S. Iacobum Apostolum anno Christi 37. in Hispania erexisse Cæsaraugustæ Ecclesiam, seu Oratorium Beatæ Virgini iussu eiusdem Virginis, & ad annum Christi 308. habet hæc verba. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ, & illibatæ Conceptionis B. MARIÆ.* Esto communiter etiam Christiani Scriptores annos distinguere solerent per Consules, aut Olympiadas, aut annos Vrbis Romæ, aut annos Imperatorum Romanorum, & Diocletianus sanxissent, vt ab initio Imperij ipsius deinceps anni computarentur, Christiani verò Coptitæ in Ægypto numerarent annos à SS. Martyribus sub Diocletiano passis. Eusebius quoq; & eius continuator S. Hieronymus, & S. Hieronymi continuator S. Prosper Aquitanus in Chronicis suis addidere annos Domini, sed in Kalendarijs, & actis publicis durabat mos numerandi annos à Diocletiano, etiam apud Alexandrinos, & in antiquis Concilijs plerumq; Consulum nota apponitur, & aliquando Æra Augusti Hispanica. Ecclesia verò Constantinopolitana, Mundi annos adhibebat.

2 Dionysius verò Schyta natione, & Abbas cognomento *Exiguus*, sed doctrina & pietate magnus, & multis encomijs laudatus à Cassiodoro, vt videre est apud Baronium ad annum Domini 527. & Marianum Scotum ad annum 532. floruit sub Iustiniano, & in Epistola ad Petronium Episcopum, quam recitat Beda de natura rerum cap. 57. de se inquit: *Sanctus Cyrillus Alexandrinæ vrbis Archiepiscopus, Cyclum suum nonaginta quinque annorum ab Anno Diocletiani 154. cœpit & vltimum, in 247. terminauit. Nos ab anno 248. eiusdem tyranni potius, quàm principis inchoantes, noluimus circulis nostris memoriam impij persecutoris innectere, sed magis elegimus ab Incarnatione Domini IESV Christi, annorum tempora prænotare, quatenus exor-*

dium

dium Spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, item Passio Redemptoris nostri euidentius eluceret. Ex quibus patet intentionem Dionysij fuisse non solùm circulos ordinare ad inueniendum Pascha, sed etiam ad euidentem notitiam annorum à Domini Incarnatione computandorum. Iam verò lib. 4. cap. 10. nu. 17. ostendimus Diocletiani Epocam incœpisse anno Epochæ Christi vsitatæ 284. à die 17. Septembris, sed apud Ægyptios, & in Ecclesia Alexandrina à die 29. Augusti, Ergo annus Diocletiani 247. qui fuit vltimus Cycli Cyrilli, completus fuit die 29. Augusti anni Epochæ Christi vulgaris 531. & inde incœpit annus 248. Diocletiani, complendus die 29. Augusti anni 532. Epochæ Christianæ. At Dionysius suum Cyclum inchoauit currente anno Diocletiani 248. sed ab Incarnatione, ergo currente anno 532. Epochæ Christianæ. Videamus nunc quotus fuerit hic annus ab Incarnatione Domini computatus iuxta mentem Dionysij. Refert Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Dionysium non solùm Cyclo annorum 95. ad continuandum Cyrilli Cyclum vsum esse, sed simul respexisse ad Cyclum Victoris, nempe annorum 532. qui consurgit ex ductu Cycli Lunaris, seu annorum 19. per Cyclum Solis, idest 28. annorum: nam post encomium Dionysij subdit: *Qui in primo suo circulo quingentesimum trigesimum secundum Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo, manifestè docuit secundum sui circuli annum ipsum esse, quo eiusdem Sacrosanctæ Incarnationis Mysterium cœpit. Quia enim Lunaris circulus decennoualis est, Solaris autem 28. conficitur annis; multiplicatis per se inuicem ambobus summa 532. annorum colligitur, qua tandem replicata, totus Solaris, Lunarisq; recursus ordo in se sua per vestigia reuoluitur.* Et paulo post clariùs loquens ait. *Quia ergo secundo anno circuli, quem primum Dionysius scripsit quingentesimus trigesimus tertius ab Incarnatione Domini completus est annus, ipse est nimirũ iuxta concursus Siderum ille, in quo incarnari dignatus est, quia hic secundus annus decennoualis.* Tandem Beda eodem c 45. concludit: *Denique Dionysius ipse nobis quodammodo tacitè quæ dicimus, in Paschalibus, quæ scripsit argumentis ostendit, vbi ad inueniendum quotus sit annus circuli decennoualis, sumere iubet annos Domini, & prius quam hos per 19. partiamur, vnum præcipit adijcere, significans illo incarnato, vnum circuli decennoualis annum iam fuisse completum.*

3 Ex tribus his locis Bedæ, & ex Dionysij ipsius verbis supra relatis colligitur, initium Cycli Dionysiani videlicet annorum 532. quorum primus habet pro Aureo numero vnitatem, præcedere anno vno Æram Dionysianam annorum Domini ab Incarnatione prefsè sumpta computandorum; & Aeram Dionysianam vno anno quoad denominationem, sed mensibus 9. ac diebus 6. præcedere Epocham vulgarem, & iamdiu vsitatam in Kalendario Romano, atq; à Kalendis Ianuarij solitam inchoari. Primus enim annus Domini Incarnati, est iuxta Dionysium annus 2. Cycli decennoualis; non secus, ac apud computistas kalendarij Romani, primus annus Epochæ Christianæ à Circumcisione initus, est secundus aurei numeri. Deinde absoluto Cyclo annorum 532. primus annus noui Cycli à Dionysio instaurati incœpit ab Incarnationis festo anni Epochæ vulgaris Christi 532. currentis, sed in eodem festo completus fuit annus 532. ab Incarnatione Domini numeratus; & quando cœpit annus secundus noui huius Cycli, completus fuit annus 533. ab Incarnatione Domini, vt disertè ait Beda, nempe completus in festo Incarnationis currente adhuc Epochæ vulgaris Christi anno 533. & Diocletiani 249. Scitè igitur Petauius lib. 12. de doctr. temporum cap. 2. & in Rationario parte 2. lib. 4. cap. 1. subscribente Langio lib. 1. de annis Christi cap. 1. aduertit distinguendum esse initium Cycli Dionysiani, ab initio Aeræ Dionysianæ, & huius initium ab initio Epochæ Christianæ, qua vtitur Kalendarium Romanum cum Beda, & Computistis communiter. Sed aduertendum præterea est, Dionysium aliter aureo numero vsum, ac nunc computistæ kalendarij Iuliani, & Romani; primus enim annus Cycli decennoualis incœpit à kalendis Ianuarij anni Iuliani 45. durauitque vsque ad initium anni 46. Iuliani; At Dionysius Cyclum suum Paschalem ab Incarnatione inchoans, assumpsit aureum numerum 2. perinde, ac si primus iam esset completus. Maneat igitur certum Cyclum Dionysianum annorum 532. à Dionysio inchoatum anno 44. Iuliano; Incarnationem autem anno 45. Iuliano. Esto non pauci secus senserint, de quibus infra numero 5.

4 Verùm quia auctor consignandi, ac distinguendi annos in kalendario Ecclesiastico à Christo potiùs, quam à Diocletiano, fuit Dionysius exiguus, & annus primus ab Incarnatione concurrit cum anno Epochæ Christi vulgaris per tres ferè sui Menses, sed posteriores; ideo Beda, & multi post ipsum Aeram Dionysianam, & Epocham Christi vulgarem pro eadem sumpserunt: hinc illud Bedæ de Ratione temporum cap. 45. *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in Cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populi reuocans, numerum triginta super & tribus annis minorem, quam ab eius Incarnatione ponat, annotat. Denique anno ab eius Incarnatione, iuxta Dionysium septingentesimo primo, Indictione quarta decima, fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in natali Domini in Cereis Sanctæ Mariæ vidisse, & inde descripsisse dicebant, A passione Domini Nostri IESV Christi anni sunt DCLXVIII.* Indictio enim 14. conuenit anno Epochæ Christianę 701. à præcedenti Natali, vt moris erat in curia Pontificum, inita; ergo eundem annum 701. Dionysianum, cum 701. Epochæ vulgaris Christi computat Beda.

5 Immò, quia Dionysius supposuit Dominum Incarnatum, & natum anno 2. Cycli decennoualis, hic autem annus iuxta computistas kalendarij Romani, & ipsum Bedam est annus Iulianus 46. & primus Epochæ communis Christianorum, nec Beda, nec Kalendarij Romani primi instauratores aduerterunt aurei numeri 2. initium à Dionysio positum in Incarnatione anno ante Epocham vulgarem, seu anno 45. Iuliano, vt diximus sub finem numeri 3. Idcirco putarunt esse de mente Dionysij Christum Incarnatum die 25. Martij, & natum die 25. Decembris anno 46. Iuliano, & primo Epochæ vulgaris, vt notarunt inter alios Io. Lucidus, Keplerus, Petauius lib. 12. de Doctrina Temporum cap. 1. & Io. Georgius Heruartus cap. 247. Nouæ Chronologiæ. Sic Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobardorum c. 7. & Landulphus Sagax in historia miscella referunt Longobardos ex Pannonia egressos *Anno Incarnationis Christi 568. Cal. April. die Paschatis Indictione prima*, quæ notæ conueniunt anno vulgari Christi 568. Qua ratione Cassiodoros in Computo Paschali *annum Incarnationis* 562. Indictioni 10. iungit, quæ anno Christi vulgari congruit. In Annalibus quoq; Francorum in vita Caroli Magni ab anno 714. Christi, Vulgares Christi anni non solum appellantur *Anni Incarnationis*, sed etiam ineunt à die 25. Martij, quod diu in Gallia, & Lutetiæ potissimum seruatum esse constat & hodieque seruatur à Florentinis, & Venetis. Marianus Scotus ad annum Mundi 4193. itemque Sigebertus ad annum Christi 532. & Paulus Forosempronienſis parte 2. Summæ l. 4. & Campanus in Computo c. 24. dum notant ex Dionysio, Christum Incarnatum, natumque anno 2. Cycli magni, aut decennoualis ad hanc Classem reduci possunt. Sed non sunt assecuti mentem Dionysij, nec aurei numeri initium ab eo vsurpatum. Existimo tamen multos accepisse Incarnationem amplè pro Natiuitate qua Christus in carne apparuit, & visibiliter Deus in forma humana cognosci cœpit.

6 Supereſt vt indagemus à quonam tempore anni Dominicæ siuè Incarnationis, siue Natiuitatis, siue simpliciter anni Christi vel Domini, vel Salutis, vel vt Aethiopes appellabant, anni Gratiæ, non solùm in kalendarijs, sed in actis publicis tã Ecclesiasticis, quàm ciuilibus vsurpari cœperint. Nam Historicos, & Chronologos annis Christi consignasse tempora iam diximus num. 1. qua ratione Paulus Diaconus refert Romam captam à Genserico anno Domini 475. & Longobardos egressos ex Pannonia anno Incarnationis 568. & Cassiodorus in computo Eccles. meminit anni 562. Incarnationis. In Nouella 47. quæ emanauit anno 538. Epochæ vulgaris Christi, recensentur annorum species, quibus instrumenta, & acta publica consignari debent, vt sint authentica, & nominantur anni *Consulum, Imperatorum, atq; Indictiones*, nec vlla fit mentio annorum Domini. Primam horum mentionem legimus in fine libri 12. Epistolarum S. Gregorij Papæ, vbi recitatur priuilegium cœnobij S. Medardi Sueſſionensis, & tempus notatum sic: *Datum VII. Calend. Iunij, anno ab Incarnatione Domini*

ni DXCIII. *Indictione vndecima.* Quæ Indictio congruit anno 593. Epochæ vulgaris Christi, ex quibus refellas Petauium lib. 12. c. 5. affirmantem Blondum Foroliuiensem Secretarium Pontificij Collegij primum persuasisse Eugenio IV. vt in literis Pontificum anni à Natiuit. vel Incarnatione notarentur, & antea id factum non esse; quod sumpsit ex Paulo Forosempronienſi lib. 13. summæ c. 6. In Francia verò à tempore Caroli Magni frequentari cœperunt in actis publicis anni Incarnationis. Sic diploma eiusdem Caroli pro fundatione Episc. Bremensis notatur. *Datum Idibus Iulij anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. anno regni Domini Caroli XXI.* Et in tabulis testamenti eiusdem Caroli apud Eginartum: *Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXI. anno regni Caroli in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. Imperij autem XI. Indictione IV.* & in Epitaphio Caroli Magni apud eundem Eginartum: *Decessit anno Domini DCCCXIV. Indict. VII. die 5. Cal. Februar.* Immò ante hoc tempus, Franciscus Rosieres in stemmate Ducum Latharingiæ ponit Diploma Imperatorium, in gratiam Treuerensis Archiepiscopi, *Datum* iv. *Cal. Augusti anno ab Incarnatione Domini DCXXIII* Et in appendice Gregorij Turonensis attributa Fredegario legitur: *A Passione Domini, vsque in annum præsentem istum, in Cyclo Victoris anni* 177. *kal. Ianuarij die Dominica anni* 735. Qua propter, quod Accursius qui floruit anno 1235. in Lege Generali verbo *Seruit C. de Tabularijs l.* 10. negat Epocham Christi suo tempore vsitatam extra Italiam, intelligendum est de vsu vniuersaliter recepto. Certè in Hispania serò recepta est, vbi Aera Augusti viguit, nec illi publico edicto substituta est Epocha Christi, nisi anno Domini 1358. in Aragonia, & 1383. in Castella, & 1415 in Lusitania, vt tradit Io. Vasseus in Chronico Hispaniæ, & Scaliger l. 5. de emend. temporum p. 448. ideoque antea ex annis aeræ Augusti detractis annis 38. eliciebatur annus ab ortu Christi, tanquam aliunde ignotus. Qua methodo, exempli gratia, Iulianus Episcopus Toletanus l. 3. contra Iudæos ait: *Aera enim inuenta est ante* 38. *Annos quam Christus nasceretur: nunc autem acclamatur Aera* 624. *detractis igitur annis* 38. *ex quo æra inuenta est, residui sunt vsque ad Natiuitatem anni Christi* 586. Mos autē non ab Incarnatione sed à kal. Ianuarij numerandi annos in Francia incœpit ab Edicto Caroli 9. vt affirmat Petauius l. 12. c. 6.

CAPVT II.

De Mense, ac die Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI.

CONCLVSIO II.

Sicut VERBVM CARO factum est die 25. *Martij, feria* 6. *& natum in vtero intemeratæ Virginis MARIAE, ita natum est ex ea, nocte præcedente diem* 25. *Decembris feria* 1. *seu Dominica die Anni Iuliani* 45. *si hoc anno supponatur natus CHRISTVS, vt communiter supponitur.*

1 DE die tam incarnati in vtero Virginis, quàm postea nati VERBI diuini ex eiusdem vtero, traditio est antiqua Ecclesiæ in Menologijs, ac Martyrologijs, tam Latinis, quàm Græcis, vt affirmat Baronius in notis ad Martyrologium die 25. Martij, & Decembris Annunciationem Virginis, & Incarnationem Verbi, factam fuisse die 25. Martij, & Natiuitatem d. 25. Decembris. Ait enim S. Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 5. *Sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octauo Calendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus. Natus autem traditus octauo Calendas Ianuarias, ab illo ergo die vsque ad istum computati* 276. *reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habet.* Et Sermone 22. de tempore. *Conceptus est enim æquinoctio vernо, & natus est Solstitio hyberno.* Et Sermone 21. de Sanctis. *Ipse Ioannes dixit; illum oportet crescere, me autem minui, vt humiliaretur homo, hoc die natus est Ioannes, quo incipiunt decrescere dies: vt exaltetur Deus, eo die natus Christus, quo incipiunt crescere dies.* Videlicet in Solstitio hyberno, quod tempore Iulij Cæsaris, & Augusti ciuiliter notatum erat in fastis ad diem 25. Decembris, vt testantur Columella, & Plinius; Clarius idem Augustinus in Psalmum 132. de S. Ioanne inquit. *Nam ille natus est, sicut tradit Ecclesia, octauo Calendas Iulias, cùm iam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octauo calendas Ianuarias, quando iam dies incipiunt crescere.* Sed audiamus S. Io. Chrysostomum homilia de Natiuitate Domini, quæ est 31. tomi de diuersis noui testamenti locis, ex editione Frontonis Ducei, vbi cum dixisset *Christum natum die* 25. *Decembris* subiungit: *Non sunt nostra quæ loquimur: maiorum sententia est: à Petro, & Paulo cæterisque discipulis Christi Ecclesiæ hoc didicerunt.* Et licet ibidem dicat: *Nondum decem elapsi sunt anni, ex quo nobis dies illa innotuit*; nempe Constantinopolitanis, in Occidente tamen & Romæ antiquissimam fuisse diei huius religionem docet dicens: *Verùm audi quæso, & crede quoniam ab ijs, qui probè ista norunt, illius vrbis habitatoribus diem illum accepimus. Nam qui in ea degunt vrbe, olim, & ex antiqua traditione solemnem diem illum habentes, nunc demum eius nobis notitiam impertierunt.* Qua igitur fronte Scaliger lib. 6. de emend. temporum, pag. 453. audet asserere huius diei celebritatem paulo ante tempora Chrysostomi institutam esse? Nec verò hæc est opinio, sed doctrina Ecclesiæ Catholicæ, vt affirmat Albinus Flaccus l. de diuinis Officijs cap. 1. Esto enim ante Clementem Alexandrinum 1. Strom. diuersæ fuerint opiniones apud paucos de die Natali Domini, & Aegyptij illum celebrarent die Epiphaniæ, eiusq; opinionis fuisse videatur Epiphanius hæresi 51. eam tamen refellit S. Hieronymus l. 1. c. 1. in Ezechielem, & Ecclesiæ Græcæ Latinam sequentes distinxerunt Epiphaniam à Theophania (sic enim Natalem Domini Græci nominabant) vt constat ex S. Gregorio Nazianz. Oratione in Christi natiuitate, vbi Nicætas Scholiastes addit. *Theophania est Diuinitatis, Natiuitas humanitatis.* Sed hos dies distinguendos decernit Clemens l. 5. Constit. c. 12. aliàs 13. dicens: *Dies festos agitate fratres, ac primum quidem diem Natalis, qui vigesimo quinto die mensis noni celebretur. Post hunc dies Epiphaniæ in maximo honore sit, in quo Dominus Diuinitatem suam nobis patefecit, is verò dies sit sextus mensis decimi.* Ab Aprili enim tanquam primo mense, non ciuili sed Ecclesiastico, vtpotè maiori sui parte solito concurrere, cum mense Paschali Nisan, numerabant menses, vt docet Beda, & ideo Anastasio Patriarchæ Antiocheno mensis October est septimus, & Gregorio Turonensi Nouember est octauus, vt aduertit Heruartus c. 247. Chronologiæ. Quod verò aliquæ Ecclesiæ Annunciationis festum non rarò incidens in Quadragesimam, imò & in Hebdomadam Passionis, vel Maiorem, celebrarint diebus aliquot Decembris ante Natalem Domini, Expectationem partus Virginei, vel Conceptionem Verbi illud nominantes, non obstat, quo minus agnouerint Annunciationem factam die 25. Martij, qua die celebrandum esse ab Armenis, quoq; decreuit Concilium Florentinum sub Eugenio IV.

2 Sufficiebat tam antiqua traditio Ecclesiæ, ad cohibendos Nouatores. Nihilominus Mattheus Beroaldus Caluinista in Chronol. lib. 4. cap. 2. Conceptionem Verbi in Solstitium Hybernum, & Natiuitatem in Aequinoctium autumnale contulit, cui adhæsit Andreas Osiander Lutheranus, Sethus Caluisius, & Iosephus Scaliger in calce operis de emend. temp. in notis ad fragmenta, & lib. 3. Isag. Can. annot. 101. & 102. Temporarius autem in Chron. natum esse verno tempore Christum, & conceptum præcedenti ætate putauit. Quare autem? quia inquiunt Lucæ 2. dicitur, *Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum &c.* quibus scilicet annunciata est Natiuitas Christi. Græcè ἀγραυλοῦντες, ideſt *in agris stabulantes*, quod hyberno tempore fieri posse incredibile putant, æstimantes hoc ex Borealibus plagis. At in Iudæa regione valde calida non est incredibile, cum primitiæ frugum demessæ in Paschate offerrentur, & Tullius lib. 1. de Diuinatione asserat Arabes, Phrygas, ac Cili-

ces

ces Pastores peragrare solitos montes, & campos non solùm æstate, sed etiam hyeme cum pecudibus. Quæ autem ex incertis de tempore, quo Zacharias adoleuit incensum in templo colligit Scaliger, abundè refutata sunt à Petauio lib. 12. de doct. temp cap. 7. & in hoc Scaligerum ridiculum appellat Langius lib. 2. de annis Christi cap. 2. asserens in Dania oues tota hyeme in agris degere, nisi terra penitus niue tecta sit, & Casaubonum, ac Vossium circa 25. Decembris vidisse in Anglia greges ouium in agris pascentes. At Heruartus cap. 247. suæ nouæ Chronologiæ, & *ridiculum*, & *absurdum* in hoc appellat Scaligerum. Ipsemet Buntingus quamuis Sectarius in sua Chronol. pronunciat: *Non satisfacit nobis Beroaldi demonstratio: Plus enim tribuendum est tot SS. Patrum traditionibus ab vniuersa Ecclesia Dei receptis, & approbatis, quàm vnius Beroaldi coniecturæ, quæ SS. literis non satis probari potest. Præsertim cum SS. Patrum traditiones cum SS. Biblijs, & Mathematicis obseruationibus conueniant, à quibus Beroaldus interdum satis procul aberrat.*

3 De Feria autem, in quam incidit Incarnatio, & Natiuitas Christi diuersæ sunt opiniones, pro diuersitate anni, quo quisq; hæc facta ponit, & diuersa suppositione de Bissextilium ordine vitioso, & ab Augusto correcto. Sanè in 6. Synodo Oecumenica cap. 8. dicitur. *In die Dominico Deus Lucem condidit, in eo manna in eremo pluit: in eo nasci dignatus est: in eo stella Magis refulsit, in eo de quinque panibus, & duobus piscibus quinquemillia hominum pauit, in eo baptismum à Ioanne suscepit, in eo ipse prius Redemptor humani generis sponte pro salute nostra, à mortuis resurrexit: in eo Spiritum Sanctum super Discipulos infudit.* At Surius tomo 3. Concilior. docet capita illa falso adscripta esse illi Concilio, nec repugnat Barradius. In eadem tamen sententia fuit S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 6. dicens: *Christus die Dominico natus creditur*, & Hippolytus Thebanus in Syntagmate Chronico natum asserit, ἡμέρᾳ πρώτῃ, *die prima*, seu Dominica, & Author ad Autolycum q. 17. & Rupertus Abbas lib. 3. de diuinis Offic. cap. 16. *Nocte Domini natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, vt quo die dixit fiat lux, & facta est Lux, eiusdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde, & visitaret nos oriens ex alto &c. vt ipso die ortus sui tempore, ad illuminandam noctem nostram se aduenire significaret.* Et c. 19. *Idem mirabilis plastes noster, qui vt dictum est Dominica nocte natus est, feria sexta conceptus est &c. qui diem qua veterem formauit Adam de limo terræ nouum sibi reformare cœpit hominem, de vera carne Virginis MARIAE, eadem nihilominus die redempturus mortis passione.* Eiusdem demum opinionis sunt S. Antoninus 4. p. Summæ tit. 15. c. 9. Elictouæus lib. de Annunc. cap. 3. Io. Lucidus lib. 7. de emend. temp. c. 2. Viguerius lib. 20. paragr. 9. Baradius tomo 1. lib. 7. cap. 6. Heruartus c. 247. Chronol. Neque obstat, quod die Sabbati non debuerint SS. Maria, & Ioseph iter facere, si autem peruenissent Bethleem ante Sabbatum facile prece, aut pretio inueniissent locum in diuersorio. Nam potius ego hinc confirmauerim, idcirco non inuenisse eos locum in diuersorio, quia multi alio perrecturi, substiterunt ibi, religione Sabbati. Supponitur tamen in hac opinione, vt dixi in Conclusione, natum esse Christum, anno 45. Iuliano, seu immediatè præcedenti annum primum Epochæ vulgaris Christi, quod communiter & verius supponitur. Licet autem annus ille Iulianus 45. reipsa non fuerit Bissextilis, sed intermissa fuerit intercalatio iussu Augusti, tamen de facto litera Dominicalis illo anno fuit B. vt ostendimus lib. 1. c. 22. num. 10. & in fine in canone vitiosæ intercalationis, & ideo dies 25. Martij in feriam 6. & 25. Decembris in diem Dominicam incidit.

4 At feria sexta natum Christum censuit Hesychius sermone de Natiuit; Anastasius Synaita in hexem. lib. 7. Anastasius Nicænus q. 94. Buntingus in Chronologia, Salianus tomo 6. anno Mundi 4052. num. 59. & Henricus Philippi, sed Salianus cum Buntingo supponunt Christum natum, anno 44. Iuliano, & literam Dominicalem fuisse D. quod tamen falsum est, etiam supposita interruptione Bissexti, de facto enim fuit litera C. vt videre est ex dictis lib. 1. c. 22. in fine in Triplici Canone Bissextilium. Iacobus autē Tirinus in Chronico Sacro cap. 47. concludit Incarnatum Christum die 25. Martij, quæ fuit inter diem Dominicam, ac feriam 2. natum autem die 25. Decembris nocte inter feriam 3. & 4. ad quod requireretur natum esse anno 41. Iuliano, illo enim anno ob vitiosam intercalationem, & interruptam ab Augusto, litera Dominicalis fuit F. Mirum vero non est Iacobum Grandamicum in quæstione de die supremo, & Natali Christi asserere, illum natum anno Iuliano 45. & tamen ponere natum feria septima, & conceptum 5. vt habet pagina 175. supponit enim tunc literas Dominicales fuisse D C. perinde ac si annus fuisset Bissextilis, quod quidem fuisset, si ad mentem Augusti, quando Bissextum resumpsit, annos præcedentes in Kalendario retronumeres; Sed reipsa anno illo nec intercalatum est, nec alia litera Dominicalis fuit quā B. vt ex nostro Canone l. 1. sub finem capitis 22. addisces, ex quo etiam aliorum opiniones examinare licebit, ideoque dies 25. Decembris fuit feria prima, seu Dominica. Maneat ergo in hac hypothesi anni 45. Iuliani, Christum conceptum feria 6. Natum, & Circumcisum feria 1. & Epiphaniam in fer. 6. incidisse.

CAPVT III.

In quo recensentur Opiniones de Anno vero Natiuitatis CHRISTI, atq; adeo de Anno Incarnationis.

CONCLVSIO III.

Opiniones hactenus editæ nobisq; notæ, ac tolerabiles de vero Anno Natiuitatis CHRISTI. Consistunt intra Annum Iulianum 40. & 48. seu intra Annum 5. ante vsitatam Epocham CHRISTI, & Annum 3. eiusdem Epochæ, neglectis alijs intolerabilibus, & absurdissimis.

1 DE hac inter omnes Chronologicas controuersias celeberrima, differunt plurimi Chronologi, & alij Auctores, sed potissimum Paulus de Middelburgo Episcopus Forosemproniensis in sua summa Paulina, Io. Lucidus, Petrus Pitatus, Iosephus Zarlinus in tractatibus de vero anno Natiuitatis Christi, Baronius in apparatu ad Annales, Iosephus Scaliger lib. 6. de emendatione temporum à pag. 541. Origanus tomo 1. Ephem. à pag. 6. Vbbo Emmius lib. 4. rerum Chronologicarum à pag. 96. Io. Keplerus in Sylua Chronologica, & lib. de anno Natali Christi, Laurentius Suslyga in Thesibus de hoc argumento, Io. Georgius Heruartus in noua Chronologia capitib. 238. & 264. Vossius de anno Natali Christi, Vuilhelmus Langius libris duobus de annis Christi præsertim lib. 2. par. 2. Marcus Antonius Capellus in dissertatione de Cœna Christi.

Ex nostra verò Societate Salmeron tom. 1. prolegomeno 38. Io. Dekerius in Thesibus de hac re, Henricus Philippi in Synopsi Chronologica cap. 18. Dionysius Petauius lib. 12. de doctr. tempor. vsque ad caput 22. Iacobus Salianus tomo 6. Annalium ad annum Mundi 4052. Iacobus Tirinus tomo 1. in S. Scripturam cap. 47. Chronici Sacri, Iacobus Pintus de Christo Crucifixo lib. 5. tit. 5. Iacobus Grandamicus doctissimè in quæstione Euangelica de die supremo, & Natali Christi, & Io. Mariana de anno mortis Christi.

2 Vt opiniones de anno Natalitio Christi diuersis notis Chronologicis ad vnam reducantur nempe ad annum Iulianum, dabimus in conspectum annos 8. Iulianos ab anno 40. ad 48. inclusiuè, additis annis Olympiadum initis à Neomenia Solstitij æstiui quorum nexus cum Iulianis, & cum annis ante Epocham Christi, communem demonstratus est à nobis lib. 3. cap. 2. & extensus in prima Tabula, libri 2. de annis autem Vrbis conditæ tam Varronianis, quam Capitolinis, patet ex dictis lib. 4. cap. 2. & ex Tabula 1. libri 2. De annis autem Augusti à Triumuiratu eius potiùs, quàm à primo Consulatu, nullo autem modo à Nece C. Iulij Cæsaris computandis, patet ex dictis lib. 4.

cap. 7.

cap.7. vbi de Actiacis annis, quos tamen aliqui numerant à morte M.Antonij,& Cleopatræ,quo completa fuit Victoria illa, & Augustus solus sine æmulo imperare cœpit, esto à die 27. Nouembris anni Iuliani 3. Triumuirale Imperium cœperit. De Consulum autem ordinariorum ordine, & nexu cum annis ante Epocham Christi vsitatam, satis constat ex libro 4. cap.3. 4. & 5. Licet autem anni Iuliani, & ante Epocham Christi, & Consulum incipiant à kalendis Ianuarij; anni tamen Vrbis conditæ incipiunt à subsequentibus Palilibus die 21. Aprilis, & anni Olympiadum à subsequentis Solstitij æstiui Noemenia; anni verò Augusti Triumuirales à die 27. Nouembris anni Iuliani 3. & Actiaci à die 2. Septembris anni Iuliani 15.& anni à morte Cleopatræ à die 29. Augusti anni Iuliani 30.

Anni Ineuntes, & Currentes, vsque ad finem anni Iuliani.

Ante Epoch. Christi.	Iuliani in kal. Ianuarij.	Vrbis Romæ à d. 21. April. Varroniani.	Vrbis Romæ à d. 21. April. Capitolini.	Olympiadū à sequenti Aestate. Olym.	Olympiadū à sequenti Aestate. An.	Augusti Imperatoris à Triū. Nou. d. 17.	Actiaca Victor. Sept. 2.	Cleopatręmor. Aug.29	Consules ordinarij.
6	40	748	747	193	3	38	26	25	*D. Lælius Balbus.* *C. Antistius Vetus.*
5	41	749	748	193	4	39	27	26	*C. Cæs. Octauianus XII.* *L. Cornelius Sulla.*
4	42	750	749	194	1	40	28	27	*C. Caluisius Sabinus.* *L. Passienus Rufus.*
3	43	751	750	194	2	41	29	28	*Cn. Cornelius Lentulus.* *M. Valerius Messalinus.*
2	44	752	751	194	3	42	30	29	*C. Cæsar Octauianus XIII.* *M. Plautius Siluanus.*
1	45	753	752	194	4	43	31	30	*Cossus Cornelius Lentulus.* *L. Calpurnius Piso.*
Epocha Christi.									
1	46	754	753	195	1	44	32	31	*C. Iulius Cæsar Augusti nepos.* *L. Aemilius Paullus.*
2	47	755	754	195	2	45	33	32	*P. Vinicius Nepos.* *P. Alfenius Varus.*
3	48	756	755	195	3	46	34	33	*L. Aemilius Lamia.* *L. Seruilius Geminus.*

Opiniones octo de Anno Natiuitatis CHRISTI, ordine Annorum relatæ.

3 PRima Opinio ponit natum Christum anno desinente Iuliano *quadragesimo*, Consulibus *Lelio Balbo*, & *Antistio Vetere*; Ita *Keplerus* in Sylua, & Eclogis Chronologicis à pag. 108. & libro de anno Natali Christi cap. 5. et in Tabella, quam Epistola 16. delineauit, sub dubio tamen reliquit natus ne sit die 25. Decembris anni 40. Iuliani an. 6. Ianuarij anni 41. absolutè tamen asserit Natalem Christi diem quinq; solidis annis anteuertere annum primum Aeræ communis Christianorum. Eiusdem opinionis fuit *M. Antonius Capellus* dissertatione de Cœna Christi suprema c. 5. & in Tabella pagina 129. vbi disertè ponit Christum natū 40.anno Iuliano Consulibus *Balbo*,& *Antistio*;Quos Consules à Capello assignatos fatetur Petauius lib. 12. de doctr. temp. cap. 6. & tamen ibidem, lapsu memoriæ, aut nescio quo sphalmate ait Capellum vno anno Keplerianâ, biennio autem Dekerianam thesim præcedere,& à vulgari Aera sex annis abhorrere. Rectè tamen docet Petauius Capellum, nec sibi, nec veritati consentire, & in anno Olympiadico à Keplero dissidere, & à veritate: ponit enim Capellus Olympiadis 194. initium anno 40. Iuliano.

4 *Secunda* opinio statuit natum esse Christum sub finem anni 41.Iuliani, *Octauiano XII.* & *L. Cornelio Sulla Consulibus.* Ita *Laurentius Suslyga* Polonus in Thesibus de anno ortus, & mortis Christi, eiusq; præceptor Io.Dekerius ibidē, qui pro se adducunt vetus Chronicon Monasterij Vveingartensis apud Henricum Canisium tomo 1. antiquit. lectione 19. cap.19. et vetustos annales apud Epiphanium, et aliud Chronicon apud Eusebium. Petauius autem, licet libro 12. de doctrina temp. cap. 6. concluserit pro Epocha communi, sepositа auctoritate Iosephi, et Dionis, de hac enim *amplius pronunciandum videri*; tamen cap. 7. suam opinionem manifestauit dicens. *Sumatur ex diuersis de vero Christi Natali sententijs ea, quam cæteris anteponendam iudicamus, vt anno Iuliano XLI. Periodi Iulianæ 4709. natus sit.*

5 *Tertia* opinio supponit natum Christum anno Iuliano 42. ita *Sulpicius Seuerus* lib.2. Sacræ Historiæ, vbi de Augusto Imp. loquens de Herode subiungit: *Sub hoc Herode anno Imperij eius tertio, & xxx. Christus natus est, Sabino, & Rufino Consulibus 8. Kalend. Ianuarias.* Pro hac Tirinus in Chronico Sacro cap. 47. nominat Iulianum Pomerium, & Irenæum, Tertullianum, Hieronymum, sed cum particula *ferè*.

6 Quarta opinio affirmat Christum natum esse anno 43. Iuliano, Consulib. *Cornelio Lentulo*, & *Valerio Messalino*. Primus huius opinionis author censetur *Clemens Alexandrinus* l.1. Strom. dicens: *natus est Dominus noster octauo, & vicesimo anno*; nempe, vt Alexandrini, & Ægyptij omnes computabant à morte Cleopatræ, ex qua die 29. Augusti mensis annos Augustanos computabant, vt tradit Censorinus de die Natali cap. 8. huic autem anno 28. congruit in nostra & verissima tabula annus 43. Iulianus. *Cassiodorus* quoq; in Chronico sub *C. Lentulo*, & M. *Messala* scribit: *His Coss. Dominus noster IESVS Christus filius Dei in Bethleem nascitur, anno Imperij Augusti XLI.* Idem tenet in c.2. Isaiæ S. *Hieronymus*, dum docet natum Christum anno Augusti 41. & Actiaco 28. sed à morte Cleopatræ putato, tunc enim cessarunt discordiæ ciuiles & pacatus est orbis, iuxtà illud Isaiæ 2. *Et comflabunt gladios suos in vomeres*, quod explicat S. Doctor sic. *Veteres re-*

nolua-

uoluamus historias, & inueniemus vsque ad vicesimum octauum annum Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam &c. Eidem anno videtur fauere *Irenæus* lib. 3. aduersus hæreses c. 25. dum dicit: *Natus est enim Dominus noster circa primum, & quadragesimum annum Augusti Imperij*. His accedit *Tertullianus* aduersùs Iudæos cap. 5. inquiens: *Nam omnes anni Imperij Augusti, fuerunt anni LVI. videamus autem quoniam quadragesimo & primo anno Imperij Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperauit, nascitur Christus; & superuixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus annis XV. & erunt reliqua tempora annorum in diem Natiuitatis Christi anni XLI.* sed subtrahendo annos 15. solidos, annis 56. solidis, quibus imperauit Augustus, restant 41. solidi, ergo quando Christus natus est completi iam erant anni 41. Augusti, die 29. mensis Aug. vel 27. Nouembr. & incœperat annus 42. Augusti, ideoq; Tertullianus non minus adduci potest pro quinta opinione infra proponenda. *Maximum* Monachum huc trahit Petauius l. 12. c. 4. eo quod Maximus dixerit Zachariæ nunciatum ortum Ioannis die 27. Septembris feria 5. ideoque Cyclo Solis 6. & litera G. currente, quod conuenit anno 4. ante Epocham Christi, ergo anno sequenti Christus natus. Sed litera G. anno illo conuenisset, si non fuisset vitiosa intercalatio, nec interrupta iussu Augusti: reipsa verò litera G. illi anno non seruiuit, sed anno 6. ante Epocham Christi, ideoq; potius anno 5. iuxtà secundam opinionem natus esset. Dimisso itaq; Maximo Henricus Glareanus in Chronologia, Haloander, & *Baronius* in Apparatu ad Annales expresè natum Christum statuit Consulib. *Lentulo, & Messalino*, atq; adeo anno Iuliano 43. esto postea, vt annos quosdam Imperatorios, & consulares tempore congruo assignet, relabatur in Epocham communem Christi, & duos annos à fastis Consularibus expunxerit, vt dixi l. 4. c. 3. sub finem ad Corollarium 2. *Scaliger* in 2. editione de emend. temp. pag. 546. natum ponit in autumno anni periodi Iulianæ 4711. *L. Cornelio Lentulo*, & M. *Valerio Messalino* Consulibus, adducitq; Cedrenum hanc Natiuitatem signantem anno mundi Græcorum 5506. Scaligero subscribit *Vbbo Emmius* l. 4. Rerum Chronologicarum pag. 104. *Sethus Caluisius* in Isagog. Chron. c. 44. Laurentius Codomanus in annalib. Sacræ Scripturæ ad annum 4141. Langius de annis Christi lib. 2. parte 2. c. 3. Vossius de Natali anno Christi, & *Lansbergius* in fine Epistolæ dedicatoriæ suarum Tabularum. Hanc opinionem inter duas præ cæteris sibi probabiles priore loco numerat *Henricus Philippi* in Synopsi Chronologica c. 18. nu. 32. & pro ea *Tirinus* in Chronico Sacro c. 47. adducit Zonaram, Genebrardum, Salmeronem, Toletum, Serarium. Sed Genebrardus ad sequentem opinionem spectat, & de Salmerone infra videbimus: Baronio subscribunt Torniellus, & Spondanus in Annalibus, Samerius, & Gordonus in Chronico, itemq; Franciscus Sansouinus lib. 1. Chronici quoad Consules, & Iacobus Philippus Bergomas in supplemento Chron. l. 8. numerant annum 42. Augusti in cuius fine natum Dominum ait, à nece Iulij Cæsaris computatum.

7 *Quintà* opinio statuit Christum natum 25. Decembris anni Iuliani 44. Consulibus *Octauiano Augusto* XIII. & M. *Plausio Siluano*. Ita *Epiphanius* lib. 2. contra hæreses hæresi 51. vbi de Christo nato in Bethleem inquit. *Hæc autem facta sunt in Consulatu Octauij Augusti decimo tertio, & Siluano Consule*, & iam supra vidimus Tertullianum posse pro hac opinione adduci. *Eusebius* in Chronico idem prorsus sentit dum Christum natum ponit Augusti anno 42. & Olympiadis 194. anno 3. & *Orosius* lib. 1. cap. 1. & lib. 7. cap. 2. vbi natum ait anno 42. Augusti & 752. Vrbis, nempe Varroniano, vt notat Scaliger supra, & *Genebrardus* l. 2. Chronographiæ, qui disertè natum ait 8. *Cal. Ianuarij media nocte anno Imperij Augusti 41. ferè completo, & 42. ineunte, Vrbis 752. Coss. C. Cæsare Octauio, & M. Plautio Syluano*, sed dum addit: *Indictione 4. (aiunt Beda, & Dionysius) anno 4. & vltimo Olympiadis 194.* descendit in opinionem sextam, de qua mox; *Onuphrius Panuinus* in Chronico eosdem Consules, & annum Vrbis 752. adscribens, quod confirmat in Fastis ad annum Vrbis 786. *Pontacus* in Eusebium, *Cuspinianus* in Fastos Cassiodori eum deferens, eiusdemq; opinionis fuerat *Scaliger* in priore editione; *Marianus Scotus* lib. 2. vbi ponit annum 3. Olympiadis 194. Quare dum infra in Chronico ait: *Anno ad veritatem Euangelij 1076. secundum verò Dionysij Cyclum 1074. Helliprandus &c.* agnoscit Cyclum Dionysij, idest æram incipere anno primo Epochæ vulgaris. *Hermannus Contractus* in Chronico ad annum Mundi 3952. natum Christum ponit *Anno Cæsaris Augusti XLII. Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ anno tertio, ab Vrbe autè condita DCCLII.* vbi sine dubio, sicut & in Adone ætate 6. emendanda est Olympias, vt sit 194. *Sigonius* in lib. 2. Sulpicij Seueri, *Io. Mariana* de die mortis Christi cap. 14. *Franciscus Haræus* lib. de Olympiadibus, *Pererius* l. 11. in Danielem quæst. 5. *Tycho* tomo 1. Progymn. p. 2. c. 3. pag. 297. *Paulus Petauius* lib. de Epocha Christi, *Salianus* tomo 6. ad annum Mundi 4052. vbi pro hac opinione recenset Buntingum, Mercatorem, Heluicum, Functium, Temporarium, aliosq; Sectarios; *Philippæus* in Oseam c. 4. versu 6. sed & *Henricus Philippi* cap. 18. Synopsis Chronol. hanc secundo loco inter duas præ cæteris probabiles opiniones numerat, & *Tirinus* valde probabilem putat cap. 47. Chronici Sacri, affertque pro illa *Alphonsum, Ciacconum, Maßæum Cameracesem, Copernicum, Tabulas Prutenicas, Io. Antonium Maginum, Maldonatum, Riberam, & ferè Suarez*, & ex antiquioribus *Nicephorum*, sed hic lib. 1. cap. 10. tres tantum notas ponit, nempe annum Mundi 5505. Augusti annum 42. & Macedonicæ solutionis annum 28. *Hieronymus Bardius* in Chronico Eusebium sequitur.

8 *Sexta* opinio statuit Christum natum esse die 25. Decembris anno Iuliano 45. Consulibus *Cornelio Lentulo*, & *Calpurnio Pisone*. Ita *Dionysius Exiguus*, vt iam ostendimus capite 1. num. 3. *Beda* de Ratione Temporum, *Io. Lucidus* de emend. temp. & in Chronico lib. 2. cap. 14. *Georgius Syncellus* in Coronide; quatenus ponit natum *Anno Augusti 43. Petrus Pitatus* in suo kalendario, & ante illum *Petrus Alliacensis, Stoflerinus, Nicolaus Cusanus, Rogerius Bacchon, Campanus, & Clauius* in computo Ecclesiastico, & kalendarij correctione; *Salmeron* tom. 1. Proleg. 38. Assertione 6. vbi concludit Christum natum anno 45. Iuliano, & Augusti 42. à Triumuiratu inito. Possentq; pro hac opinione afferri, qui natum ponunt anno 4. Olympiadis 194. vt Pererius Beroaldus, ac Phrigio, nisi alijs notis constaret eos fuisse in quinta opinione. *Chronicon Alexandrinum* Christi Natiuitatem adscribit anno 4. Olympiadis 194. & Consulibus *Lentulo, & Pisone*, pro hac acerrimè pugnat *Iacobus Grandamicus* in Quæstione Euangelica de die supremo, & Natali Christi lib. 3. cap. 4. eandemq; defendi posse pronunciauit *Petauius* lib. 12. de Doctrina Temporum cap. 6. concludens. *Ad summam, vt huic de anno Natali Christi disputationi modum aliquem statuamus, nobis ita sentiendum videtur: Se posita quidem Iosephi, Dionis, & id genus antiquorum authoritate Scriptorum, communem Aeram hac vnica ratione posse defendi Christum enim natum tueri possumus Anno Iuliano XLV. Lentulo, & Pisone Consulibus biennio post Barovianam Epocham.* Et paulo post de Iosepho, & Dione ait, *qua de re amplius cogitandum existimo.* Et in Chronico sub Consulibus Corn. Lentulo, & Calpurnio Pisone subiungit. *His Consulibus Vulgo natus esse Dominus creditur.* Sed non Vulgi tantum est hæc opinio, cum Ecclesia Romana, non quidem decreto aliquo, sed ipso vsu eam sequatur, & praxi in Martyrologio, in Breuiario, et Kalendario à mille, et amplius annis, et ipsemet S. Gregorius Magnus, vt docuimus cap. 1. nu. 6.

9 *Septima* opinio Incarnatum natumq; Christum ponit anno 46. Iuliano, vt quidam ex Dionysio Exiguo perperam intellecto deduxerunt, de quibus satis dictum cap. 1. à n. 3. ad 5. eiusdem opinionis est Io. *Georgius Heruartus* in sua noua Chronologia c. 247. et 264.

Octaua opinio est *Pauli de Middelburgo* Episcopi Forosempronienſis in summa lib. 13. cap. 5. et 6. vbi contendit Christum natum esse biennio integro tardius, quàm vulgò supponatur in Epocha Christianorum.

Reliquas Opiniones absurdissimas, non est operæ pretium referre in centum, videat qui volet Petauium de Doctrina temporum lib. 12. c. 4.

CA-

CAPVT IV.

De Veriore, seu Probabiliſsimo Anno Incarnationis, & Natiuitatis Domini Noſtri IESV CHRISTI.

CONCLVSIO IV.

Cum Deus prouidè noluerit nos certos eſse de vero Anno Natiuitatis Vnigeniti ſui ſecundùm carnem, nulla Cenſura notandi ſunt, qui numero Annorum CHRISTI in Eccleſia Dei, Romanoq; Imperio hactenus à multis ſeculis vſitato, deeſſe, aut abundare per paucos annos dixerint, nedum Eccleſia Romana Communi huic modo computandi Annos prædictos ſe accomodans. Præſertim, cum hæc opinio, quæ ſcilicet ſupponit Chriſtum Incarnatum, & Natum eſſe Anno Iuliano XLV. Conſulibus Cornelio Lentulo, & L. Calpurnio Piſone verior ſit, ſeu probabiliſsima, tantum abeſt vt vlla ſit neceſsitas ab ea recedendi, ſiue theoricè in interno Iudicio de veritate Anni Natalis CHRISTI, ſiue practicè in vſu conſignandi tempora, quem immutare non expedit.

Quatuor partes habet Concluſio, quæ ſeorſim probandæ ſunt nobis.

I. Pars de incertitudine Anni huius.

1 CVm hactenus nulla extiterit Diuina reuelatio de anno Natiuitatis Chriſti neque in Verbo Dei ſcripto, neque in Verbo Dei tradito, nec vlla definitio Eccleſiæ, ſeu Sedis Apoſtolicæ, nec ex vllis propoſitionibus Fide Theologica credendis per diſcurſum ueceſſario deduci queat, patet à poſteriori DEVM O. M. noluiſſe nos in hac vita certos eſſe de præciſo, & ſingulari hoc anno. Quis autem adeo inſipiens ſit, qui neget id prouidè à Deo factum? Ex vna enim parte ad conuincendos Iudæos de Aduentu Meſſiæ, & promiſſiones, ac prophetias de illo verificandas oportebat conſtare defeciſſe tum Regnum, tum Ducatum Iudæorum de ſtirpe Iudæ, vt inde aduertere poſſent, non multum temporis interfuturum, quin veniret Meſſias: Sic enim communiter intelligitur Iacobi oraculum illud Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Vſq; ad Herodem autem Idumæum perſeuerauit in Tribu, & ſtirpe Iudæ partim Regnum partim Ducatus, & ſæpe cum Pontificatu iunctus, donec Antigono vltimo de ſtirpe Aſſamonæorum per Soſium ſuaſu Herodis de medio ſublato Conſulibus M. Agrippa & Canidio Gallo, vt narrat Ioſephus l. 14. antiq. c. 28. ideſt anno 37. ante Epocham Chriſti, Regnum Iudæorum tranſijt ad Herodem Idumæum & alienigenam, quod regnum ei confirmatum eſt ab Auguſto, & Senatu Romano anno 30. ante Epocham Chriſti. Cum ergo hæc conſtarent Iudæis, poterant vtiq; certi eſſe de appropinquante aduentu Meſſiæ, etiam ſi Magi ſtellæ ductu eos non commouiſſent, tantumque abeſt, vt deberet conturbari omnis Hieroſolyma, vt potius lætari deberet, & cum Sancto Simone expectare conſolationem Iſrael. Id ipſum tempus prope eſſe, & in ianuis æſtimare poterant ex Daniele, cum iam 65. Hebdomades annorum à reædificata Hieroſolyma tranſiſſent. Sed ad hoc neceſse non erat ipſum annum præciſè ſiue antea, ſiue poſt ſcire. Immò permiſit DEVS vt de hoc diuerſæ opiniones apud Patres, & Doctores Catholicos eſsent iuſtis de cauſis, licet nobis occultis. Quantum tamen imbecillitas ingenij noſtri coniectura conſequi poteſt, *prima cauſa* fortaſse fuit vt Herodem qui quæſiturus erat puerum IESVM ad perdendum eum eluderet, & intra biennij terminos ancipitem teneret, eaque occaſione per SS. Innocentium cædem, & cauſam cædis tam multi iam martyres, & teſtes infantes Infantis Regis Iudæorum intra illud biennium nati, ſuis vagitibus, & matrum eiulatibus promulgarent. *Secunda* cauſa eſse potuit, vt eluderentur conatus Genethliacorum, nec poſſent ſtellarum prædominio, cæli ac ſiderum Dominum ſubijcere, ignorato anno nedum momento natiuitatis, eſto aliqui parùm prudenter id attentarint; *Tertia* cauſa eſse potuit exemplum humilitatis, & contemptus mundanæ gloriæ, ſicut enim de pauperum & contemptibilium hominum natiuitate, & tempore ortus, non curant cenſores aut Hiſtorici, ita in Hiſtoria Euangelica negligi aut Sileri voluit tempus præciſum Natiuitatis ſuæ, qui naſci dignatus eſt pro nobis, vt vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

II. Pars de Cenſura opinionum ſuſpendenda.

2 LIcet enim in Martyrologio Romano pronuncietur quotannis Chriſtum natum eſse anno Mundi 5199. Vrbis Romæ 752. Auguſti 42. Olympiade 194. & in Kalendario Romano, annus exempli gratia Gregorianæ Correctionis dicatur annus Chriſti 1582. non propterea tamen definire hos annos intendit, ita vt non liceat vno alteroue circiter anno aliter ſe habuiſse ſentire, & doceri, ideoque non reprobauit opiniones aliquorum Patrum, aut Doctorum, ex quibus alius annorum Domini numerus colligitur, manetq; cuique libertas eligendi vnam ex octo opinionibus ſupra relatis, abſq; vllo cenſuræ periculo, vt rectè docent Petauius lib. 12. cap. 4. Henricus Philippi in Synopſi Chronolog. c. 18. à num. 29. & Tirinus in Chronico Sacro, c. 47. multoq; magis inſulſi ſunt, ait Petauius, qui Catholicis in hoc inſultant, aut Eccleſiam erroris inſimulant, cum hæc non ſit quæſtio fidei, morum, aut iuris, ſed quæſtio facti in qua tamen hactenus nihil definiuit, ſicut in annis Mundi Euſebium ſequendo, & LXX. Interpretes, non ideo damnauit eos, qui ex vulgata & Hebraica editione, longè minorem numerum annorum Mundi adſtruunt.

III. Pars de Veriore, & Probabiliſsimo Anno Natiuitatis Chriſti.

3 PRimò Dionyſius Exiguus Epocham Incarnationis exorſus eſt ab anno immediatè præcedenti Vulgarem Epocham Chriſti, eamque diſtinxit ab initio Cycli annorum 532. vt oſtendimus cap. 1. num. 3. et eius intentio fuit non ſolùm inſtaurare Cyclum Cyrilli Alexandrini, ſed etiam ita introducere Cyclum Victoris, ſeu annorum 532. vt per illum non quomodocumq; ſed *notius, & euidentius* innoteſceret nobis annus Incarnationis Dominicæ, et exordium Spei noſtræ, vt patet ex ipſiuſmet verbis relatis eodem cap. nu. 2. ſubſtituendo annos ab Incarnatione annis Diocletiani, ergo nihil veriſimilius, quam eum adhibuiſſe omnem diligentiam vt ſciret, quoto anno ab Incarnatione Domini incœpiſſet Epocha Diocletiani, ne nouitatem huius computationis exponeret calumnijs Ethnicorum, aut repulſæ à Pontificibus, et curia Romana, in qua credibile eſt conſeruatam fuiſſe, ac per manus traditam ſeriem annorum, non ſolum à S. Petro, ſed etiam à Chriſto nato, eſto illam non vſurparent publicè; plus autem credendum eſt huic Dionyſio, qui ex profeſso negotium hoc ſuſcepit, et alioquin fuit vir doctiſſimus, et diligentiſſimus, vt ex Baronio patet, quam aliquibus, ſiue Patribus, ſiue Hiſtoricis Eccleſiaſticis, qui non examinarunt hoc data opera, nec verſati ſunt in Curia Romana, et contenti fuere deſignare annum Natiuitatis Chriſti ex opinione probabili à diuerſis accepta.

4 *Secundò* licet Caſſiodorus fuerit Senator Romanus, et floruerit eodem tempore, quo Dionyſius Exiguus natione Scytha, eius tamen opinionem de Chriſto nato ſub Conſulibus Lentulo, et Meſſalino, Curia Romanorum Pontificum

in re-

in reſcriptis, et Bullis Pontificijs poſthabuit opinioni Dionyſij Exigui, quamuis extraneo viro; nulla certè alia de cauſa, quàm quòd cenſuit Dionyſianam veriori fundamento niti, et conformiorem traditioni, aut numerationi Notariorum Palatij Apoſtolici, eſto non peruenerint ea monumenta ad noſtram notitiam. Habemus tamen S. Gregorij priuilegium ab ipſo ſubſcriptum in fine libri 12. Epiſtolarum ipſius, vbi dicitur: *Datum vij. Kal. Iunij, anno ab Incarnatione Domini* DXCIII. *Indictione vndecima*. Ideſt à Natiuitate Domini, inde enim Indictiones Pontificiæ iniri ſolitæ ſunt, Indictio autem XI. congruit anno 593. Epochæ vulgaris à kalendis Ianuarij, et paulo poſt Natiuitatem inito. In 3. autem volumine conciliorum poſt Decreta Gregorij Papæ primi narratur Sabinianus creatus Pontifex die Calendarum Septembris Imperatore Phoca ſine Collega Conſule, & additur, ſediſſe in Petri Cathedra annum vnũ, menſes quinque, dies 9. & mortuum eſſe 5. Idus Februarij *Anno Dominicæ Natiuitatis DCVI.* poſt Conſulatum Phochæ Anno II. Ex quo vides annos Incarnationis, & Natiuitatis pro eodem iam tum vſurpatos, ſicut & Annos Domini. Nam in eodem tomo refertur Sabiniano ſubſtitutum Bonifacium III. *mortuum die VI. nonas Maij anno Domini* DCVIII. Et ibidem de Bonifacio V. narratur *mortuum IV. Id. Octobr. anno Dominicæ Natiuitatis* DCXXXII. *& creatum viij. Cal. Ianuarij, ſediße annos tres, menſes nouem, & dies decem, & nouem*; igitur creatus fuit Anno Dominicæ Natiuitatis 628. ineunte à Natiuitate, inde enim ad 12. diem Octobris anni 632. ſunt anni 3. menſes 9. & dies 19. ſed in eodem tomo habetur Epiſtola Honorij Papæ ad Honorium Epiſcopum Dorouernenſem *Data die tertia Idus Iunias*, Imperantibus *Dominis noſtris Auguſtis Heraclio anno viceſimo quarto, proconſulatus eiuſdem anno viceſimo tertio, & conſulatus eius anno tertio; ſed & Heraclio feliciſſimo Cæſare, ideſt filio eius anno tertio, Indictione ſeptima, ideſt anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo trigeſimo tertio.* Annum porrò hunc eſſe 633. Epochæ vulgaris Chriſti patet ex Indictione, additis num. 4. iuxta methodum de Indictionibus traditam l. 4. c. 16. & fiunt anni 637. quibus diuiſis per 15. reſtat Indictio 7. in Epiſtola Honorij notata, ſed & libro 4. cap. 13. docuimus Heraclium Imperatorem incœpiſſe imperare die 27. Martij anni 610. ante communem Epocham Chriſti, ergo anno 633. die 27. Martij incœpit eius annus Imperij 24. & currebat 3. Idus Iunij. Rurſus eodem tomo Ioannes IV. dicitur creatus Pontifex *in Vigilia Natalis Domini* IX. *Kal. Ianuarij, & mortuus IV. Idus Octob. anno Dominicæ Natiuitatis* 640. Ex quibus ſatis conſtat in Curia Romana, & Palatio Apoſtolico à mille, & amplius annis vſurpatos annos Natiuitatis, & Incarnationis Domini, eodem ſenſu, & tot quot computantur in Epocha vſitata Chriſti, & falſum eſſe quod Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis 2. parte ſummæ lib. 13. c. 6. (& ex eo Petauius lib. 12. c. 5.) nimis intrepidè affirmat Romanam Eccleſiam hac computatione non conſueuiſſe vti, primumque fuiſſe Eugenium IV. qui adhortante Blondo Foroliuienſi Pontificij Collegij à ſecretis Notario, in bullis, atq; reſcriptis Pontificalibus annorum à Chriſti Incarnatione ſupputatione vti cœperit, & Notarios promiſcuè vſurpaſſe annos Natiuitatis, & Incarnationis, *Imò præpoſtere quaſi Chriſtus natus fuiſſet antequam eſſet Incarnatus*. Quæ dicta ſunt ab hoc Paulo, ex falſa ſuppoſitione initij Epochæ Dionyſianæ, hæc enim incipit ab Incarnatione præcedente annum primum Epochæ, quo nunc vtimur, initæ à kal. Ianuarij paulo poſt Natiuitatem Domini, ideoq; anni vulgares Chriſti dicuntur etiam anni à Natiuitate, ſed vtiq; ſubſecuta Incarnationi.

5 Ex Euangelio S. Lucæ ſuo loco oſtendemus, ex verisimillima minimèq; violenta interpretatione Chriſtum baptizatum eſſe à Ioanne anno Epochæ Chriſti 29. & inito paulo ante anno 30. ætatis ſuæ, mortuumq; eſſe anno 33. Epochæ vulgaris, cui ſoli anno conuenit, & mors eius feria 6. ex Euangelio ſecuta, & annus quartus Olympiadis 202. à Phlegonte notatus, completis annis tribus, & menſibus aliquot prædicationis Euangelicæ, hinc autem ſequitur Chriſtum Incarnatum, & natum anno immediatè præcedenti primum Epochæ vſitatæ, diebus 7.

6 Computiſtæ Kalendarij Romani iam inde à Dionyſio, & Beda nullam probabilem cauſam habuerunt, appellandi annos Chriſti eos, quibus ante annos mille vtitur Eccleſia, niſi quod à maioribus traditum putarunt, tot reuera eſſe annos à nato, ſeu incarnato viſibiliter Chriſto. Nam ſi initium annorum Chriſti, quibus vſi ſunt, coincideret cum initio alicuius Cycli vtilis ad computanda feſta mobilia, & præcipuè Plenilunium Paſchale, ſuſpicari poſſemus, eos commoditatis gratia elegiſſe pro anno primo Chriſti eum, qui erat initium Cycli alicuius integri. At ita factum non eſt nam Dionyſius ad inueniendum Cyclum decennoualem, ſeu Aureum numerum, iubet addi vnitatem annis Incarnationis preſsè ſumptæ, idemq; iubent Computiſtæ de annis à Natiuitate, ſeu Circumciſione initis, & ſummam diuidere per 19. quare nec primus annus Incarnationis Dionyſio, nec primus à Natiuitate, vel Circumciſione reliquis Computiſtis eſt initium Cycli decennoualis. Multo minus eſt initium Cycli Solaris, aut Indictionum; cum annus primus Chriſti apud Computiſtas Kalendarij Romani ſit decimus Cycli Solaris, & quartus Indictionum.

7 Cum non modò kalendarium Romanum, ſed longè maxima pars Chronologorum numeret annos Domini, ſeu Chriſti, ſeu Salutis ab anno Iuliano 46. incluſiuè, & ſecundum hos in Tabulis Aſtronomicis ad inueſtigandas Eclipſes ab hiſtoricis relatas procedat, ſtetq; pro ijs poſſeſſio, & præſcriptio tot ſeculorum, non poteſt hac ſpoliari, niſi validiſſimis argũmentis oſtendatur neceſſitas recedendi ab hac opinione. At nulla eſt talis neceſſitas, vt ex dicendis pro IV. Concluſionis parte conſtabit.

IV. Concluſionis pars de nulla neceſsitate recedendi ab hac opinione, & de minori probabilitate aliarum opinionum.

8 NEc ex Sacra Scriptura, nec ex certa traditione Apoſtolica, nec ex definitione Eccleſiæ, nec ex vnanimi conſenſu (quia hac in re diuerſæ fuere opiniones) nec ex vllo charactere cæleſti apud hiſtoricos reperto conſtat neceſsarium eſse vt ſentiamus Chriſtum natum eſse vno, vel pluribus annis ante, vel poſt quàm ſupponit Epocha vſitata Chriſtianorum, ergo generatim loquendo, nulla eſt talis neceſſitas, ſed neque ea eſt, ſi examinentur in particulari fundamenta aliarum opinionum, quod diſtinctè fiet capite ſequenti, vbi etiam oſtendetur eas minus probabiles eſse, quam noſtram, & communem.

V. Pars Concluſionis de retinendo in Praxi vſu computandi Annos Chriſti prout hactenus factum eſt.

9 ETiam ſi cuinci poſset Annum Epochæ vulgaris Chriſti vno, aut pluribus annis diſtare à vero anno primo Chriſti Nati, aut Circumciſi; non expedire tamen vt in praxi ab vſu tam inueterato recedatur, aſſeruerunt ipſi aliqui opinionis diuerſæ ſectatores. Nam *Keplerus* de anno Natali Chriſti cap. vlt. negat emendandam hanc Aeram, quæ infinitas huc vſque peperit vtilitates, nec ſine magna perturbatione negotiorum mutari poſset; idipſum grauioribus verbis inculcat *Voſsius* diſsert. de anno Natali Chriſti theſi 44. & ante hos *Scaliger* in Animaduerſionibus in Euſebium num. 2016. dixerat. *Hæc Epocha Dionyſiana nobis conſeruauit memoriam annorum plus minus nongentorũ, quo nomine in vſu retinenda eſt.* Hinc factum, vt Baronius, qui biennio, & Onuphrius, qui anno vno anticiparunt Chriſti ortum, tamen in proceſsu annalium, aut Chronicorum, ita faſtos Conſulares concinnarint, vt tandem, cum Epocha communi in gratiam redierint.

CAPVT V.

In quo soluuntur fundamenta opinionum aduersantium, & earum minor probabilitas ostenditur; & primum de prima, & secunda opinione Cap. 3. exposita, vbi de Annis Herodis, & Censu Cyrini.

1 PRimæ, & *secundæ* opinionis fundamentum præcipuum sunt Anni Herodis infanticidæ, quo adhuc viuo, certum est ex S. Matthæi Euangelistæ cap. 2. natum esse IESVM. Ex Iosepho autem Hebræo, & quoad aliqua ex Dione colligunt, Herodem cœpisse regnare anno 6. Iuliano, Consulibus *Domitio Caluino* iterum, & *Asinio Pollione*, regnasse autem 37. annos, adeoque mortuum Anno Iuliano 41. vel 42. ideoq; Christum natum esse anno 40. aut 41. Iuliano. Quod satagunt confirmare ex Lunæ Eclipsi visa paucis mensibus ante mortem Herodis defuncti paulo ante Pascha, vtrumq; referente Iosepho. Sed hoc fundamentum iam subruimus lib. 6. c. 14. quo necesse est se conferat Lector, ne hic actum agentes, frustra prolixiores simus: ibi enim ostendimus Iosephum sibi repugnare, ideoq; in hoc fidē non mereri, posseq; defendi Herodem mortuum esse anno 1. immo, & 7. Epochæ Christi, seu Iuliano 46. vel 52. & hallucinatum esse Dionem, aut qui eius lacunam suppleuit, in tempore quo Archelaus relegatus est, & Lunæ Eclipsim congruentiorem historiæ Iosephi assignauimus. Licet probabilius esse dixerimus Herodem mortuum anno Iuliano 46. cum constet ex historia Romana Eclipsibus confirmata, Tiberium imperare cœpisse anno Epochæ Christi 14. & Iuliano 59. Ex Euangelio autem S. Lucæ Christum prædicationem inchoasse postquam S. Ioan Baptista cœperat prædicare baptismum pœnitentiæ anno 15. Imperij Tiberij Cæsaris, ideſt anno 29. Epochæ Christi, & Iuliano 73. & ex Euangelistis Christum Euangelizasse per annos minimum 3. ac totidem ferè menses, hoc est saltem vsque ad annum Iulianum 80. Si natus esset Iuliano 40. aut 41. vixisset vtiq; annos 40. aut 39. quod est contra communem Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, & contra ipsum Euangelium, ex quo colligitur Christum initio prædicationis suæ iniuisse annum fere 30. ætatis, nec prædicasse pluribus quam tribus, vel summum quatuor annis. Nec potest hæc repugnantia vitari, nisi violentissimis interpretationibus. Sicut non potest ex hac opinione Natalis Domini cadere in 42. Augusti annum. Valeant ergo in hac parte Iosephus, & Dio, & præualeant authoritates antiquiorum Ecclesiæ Doctorum cum Euangelica Historia; cui tamen multa loca Iosephi adducti pro morte Herodis anno 46. Iuliano consentiunt. Sanc ipsimet Keplerus, & Dekerius confitentur in anno relegationis Archelai, ex Dione sumpto vehementer errari, & posterioribus annis eam accidisse, de alijs verò erroribus Iosephi circa hæc tempora, videndus Eminentiss. Baronius in apparatu ad Annales pag. 39. & 40.

2 Quod spectat ad Censum Cyrini Syriæ præsidis, & prima descriptione, cuius tempore S. Lucas c. 2. narrat natum esse Christum, tractant de hoc præter interpretes Euangelij S. Lucæ, Paulus Forosempronienſis Episcopus sec. parte Summæ l. 10. c. 2. Baronius in Apparatu à pag. 38. ad 46. Salmeron prolegom. 40. Petauius l. 12. de Doctrima temp. c. 8. Salianus tomo 6. ad annum Mundi 4052. num. 34. & 73. Heruartus c. 241. & 242. suæ Chronologiæ, Tirinus in Chronico Sacro c. 44. Langius de annis Christi l. 2. c. 9. & Grandamicus in quæst. Euangelica de supremo & Natali die Christi l. 3. à pag. 160. nostram verò opinionem sequentibus Paragraphis trademus.

Primò certissimum est Censum seu descriptionem Orbis ex edicto Augusti factam à præside Syriæ Cyrino tempore, quo natus est Christus verissimam fuisse non solum ob auctoritatem S. Lucæ, in cuius omnibus tam antiquis, & apud Patres recensitis, quàm recentibus editionibus reperta est, & notata, sed etiam quia ita nota fuit Augusto, & notarijs archiuij Romani, vt eam negare non sint ausi Iulianus apostata, Porphyrius; aut Celsus: nec ausus esset Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium ipsumq; Senatum Romanum dicere: *Vicus quidam est Bethlehem in regione Iudæorum triginta quinque stadijs Hierosolymis distans, vbi natus est Christus IESVS, quemadmodum & ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Iudæa Procuratore sunt confectæ, intelligere potestis.* Nec Tertullianus contra Marcionem l. 4. c. 7. dixisset: *De Censu Augusti, quem testem fidissimum Dominicæ Natiuitatis, Romana Archiuia custodiunt.* Nec S. Cyrillus aduersus Iulianum lib. 6. induxisset Iulianum ipsum asserentem sub Cyrino descriptum fuisse Christum; Nec Orosius ausus esset dicere de Christo: *Romano censui, statim vt natus esset, adscriptus est, dicendus vtique Ciuis Romanus, census Romani professione.* Nam vt aduertit Sigonius l. 1. de Iure antiquo Romanorum c. 14. *ex L. in Orbe ff. ne stat. hom.* omnes qui in Orbe tunc erant ciues Romani dici poterant, vt ait Iurisconsultus, quòd censu Romano descriptus esset vniuersus Orbis.

Secundò certùm quoque est hunc censum non fuisse illum, quem teste Suetonio in vita Augusti c. 27. & Lapide Ancyrano, Augustus instituit anno Iuliano 18. neq; illum, quem idem incœpit anno Iuliano 59. Consulib. duobus sextijs nimium enim distant à probabili anno Natiuitatis Christi, sed neque fuit ille, cuius meminit Iosephus l. 14. Antiq. cap. 1. post relegatum Archelaum, hic enim census factus est anno 10. ineunte regni Archelai, & à morte Herodis, ideſt anno 56. Iuliano; at Census de quo S. Lucas factus est viuente adhuc Herode, sub quo natus est Christus. Idcirco imprudenter hanc secundam descriptionem sub Cyrino cum prima sub eodem factam confundunt Eusebius lib. 1. hist. Eccl. c. 6. citans Iosephum Historicum ad firmandam Euangelicam veritatem, & Paulus Episc. Forosempron. 2. par. summæ lib. 2. cap. 10. adducens eundem Iosephum, & inde sugillans pleroſque Chronographos, tanquam in Natali anno Christi multis annis aberrantes. Dubitari autem potest, an hic fuerit ille Census, quem teste Suetonio, & Iapide Ancyrano instituit de nouo Augustus anno Iuliano 38. Consulibus Marcio & Asinio, qui tamen exequutioni non fuerit mandatus tunc, sed post aliquot annos in Palæstina, sed & hic nimis distare videtur ab anno probabiliore Natiuitatis Christi.

Tertiò itaq; existimo, cum Baronio, Saliano, Petauio, & alijs descriptionem hanc, quam S. Lucas primam appellat, ad discrimen *secundæ* factæ à Cyrino, & memoratæ à Iosepho, fuisse non Censum illum ordinarium, qui quinto quoque anno, seu quolibet lustro iniri consueuerat, sed extraordinariam descriptionem, ac censitionem totius Orbis, siue vt dominia, quæ ob bella ciuilia habebantur incerta, & confusa, distinctè agnoscerentur, & sciretur quantum quisque tributi nomine soluere deberet, vt refert Cassiodorus lib. 3. Variarum epist. 52. siue, vt non solùm fortunarum, sed etiam capitum, quæ in toto Imperio Romano essent summam cognosceret, vt indicat Suidas verbo ἀπογραφὴ. Non est tamen verum, quod aliqui ex Tacito deducunt, Cyrinum datum Caio Cæsari in Armeniam proficiscenti tanquam tutorem, aut moderatorem, eaque occasione Augustum vsum Cyrino, seu Quirino ad discriptionem illam, nam Caius Cæsar interfuerat iudicio de successione Regni, de qua contendebant Archelaus, & Antipas filij Herodis illo anno mortui, & paulo post profectus est in Armeniam: At descriptio prima facta sub Cyrino fuit viuo adhuc Herode; Præmissus ergo est Cyrinus in Syriam, & quando Caius Cæsar in Armeniam obtinuit, datus est ei rector Cyrinus anno precedenti præmissus illuc, verba enim Taciti 3. Annalium sunt de Quirino hoc: *Mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti.* Non est autem mirum descriptionis huius non reperiri peculiarem mentionem in Suetonio, qui alia multa omisit, aut in Tacito, qui annales suos à Tiberij Imperio exorsus est, aut in Dione, cui desunt anni decem, nempe à Consulatu *Balbi*, & *Antistij*, vsq; ad Consulatum *Cinnæ*, & *Messalæ*.

De

De secundæ Opinionis tertio fundamento, ex tempore quo Zacharias pater S. Io. Baptistæ adoleuit incensum in Templo.

3 IAcobus Tirinus in Chronico Sacro cap. 47. secundæ opinioni de Christo nato anno Iuliano 41. fatetur nocere, quod secundùm illam Christus anno 15. Tiberij habuisset annos 31. completos, et mortuus esset anno 35. ætatis suæ; sed tamen huic opinioni fauere dicit tempus quo Zacharias, qui erat de vice Abia, forte exeunte adoleuit incensum in Templo; sed in retexendo hoc ordine Hierarchico per singulas Ephemerias, multa à Scaligero supponi, quæ valde incerta, et obscura sunt, posseque illum ordiuem ita instituisse, vt stet opinio de communi Epocha Natalis Christi, docuit eruditè Petauius lib. 12. de Doctr. tempor. cap. 7. non fuisse autem Zachariam Summum Pontificem ostendit Baronius in Apparatu pag. 34. Quare his frigidis implicandum Lectorem minimè arbitror.

De quarta Opinione.

4 QVarta opinio, quæ statuit Christum natum anno Iuliano 43. habet quidem pro se aliquot testimonia veterum, nō tamen tot, nec talia, vt debeant preualere communi opinioni de Epocha Christi, et omnibus illis, qui natum Christum asserunt anno 42. Augusti; quod non potest hæc opinio sustinere, nisi annos Augusti statim à nece Cæsaris computet, vt facit Baronius, quem multi postea secuti sunt; sed nos iam libro 4. cap. 7. validissimis argumentis ostendimus Imperium Augusti non ante Triumuiratum inchoari posse. Præterea, vt annus 364. Epochæ communis esset item annus 364. Christi coactus fuit Baronius expungere à fastis, vel dissimulare duos annos Consulares, qui tamen retinendi erant, vt ostendimus l. 4. c. 3. et 4. Quia scilicet biennio anticiparat natalem annum Christi. At si retinuisset Fastos consulares, vt oportebat, non anticipasset illum Natalem Biennio, neque tanta in hoc erat Cassiodori auctoritas, vt ob eam deserere deberet Dionysianam Epocham à S. Gregorio Papa, et deinceps ab alijs Pontificibus, et in kalendario Romano receptam.

De quinta opinione, vbi de annis Augusti, & Vrbis.

5 QVinta opinio, quæ Christum ponit natum 25. Decembris anni 44. Iuliani inter alias omnes (excepta sexta opinione) est omnium probabilissima, eo vel maximè, quod absque vlla violentia in ea verificatur Christum Dominum natum esse currente adhuc Vrbis anno 752. et Augusti Imperij anno 42. à Triumuiratu inito, quas duas præ alijs notas Chronologicas ex Eusebio, et Orosio elegit Martyrologium Romanum. Immò quoad annum 42. Augusti affirmarunt Eusebius in Chronico, & lib. 1. hist. Eccl. cap. 5. & lib. 10. de Præparat. adducens Iulium Africanum, Epiphanius hæresi 51. Orosius lib. 1. cap. 1. & lib. 7. cap. 2. Isidorus in Chronico, Zonaras in Annalibus, Nicephorus lib. 1. hist. Eccl. cap. 10. Nicephorus Constantin. in Chron. cap. 9. Beda lib. de sex ætatibus, Ado initio sextæ ætatis, Iornandes lib. de temporum successione, Honorius Augustodunensis apud Cuspinianum in Chron. Cassiodori affirmans omnes Chronographos tam Græcos, quàm Latinos Natiuitatem Christi consignare anno 42. Imperij Augusti, quod ipsum affirmat Maldonatus in c. 2. Lucæ, vt ommittam innumerabiles recētiores, præcipue Abulensem in c. 2. Matth. q. 5. Salmeronem prolegom. 38. Toletum in c. 8. Ioannis annot. 26. Iansenium in Concordia cap. 8. Baradium, Pererium, Suarez, & alios.

6 Verùm licet Imperium Augusti non incœperit nisi à die 27. Nouembris Anni Iuliani 3. vt luculenter demonstraui lib. 4. cap. 7. ideoq; anno 45. Iuliano à die 27. Nouembris incœperit, rigorosè loquendo annus 43. Imperij Augusti; ciuiliter tamen, ob vicinam Kalendarum Ianuarij sequentium, à quibus annus Romanus vnà cum nouis Consulibus inibat, potest dici anno 45. Iuliano toto vsque ad finem, nedum 25. Decembris fuisse annum 42. Augusti, eumque die 25. Decembris propemodum completum, sic enim accepit Orosius supra, dum ait Christum natum, *emenso propemodum anno 42. Augusti*; Ideoq; Sextus Rufus vir Consularis, vt notat Heruartus cap. 141. & 191. suæ Chronologiæ annum Christi 364. ineuntem à Kal. Ianuarij ait esse annū ineuntem 407. Imperij Augusti, vnde fit vt anno 1. Epochę Christi inceperit Romano more annus 43. Augusti. Quoad annos verò Vrbis possumus dicere Orosium, ac Martyrologiū Romanū sequi Fastos Capitolinos; ideoq; neq; hinc, neq; ex annis Augusti habemus necessitatem recedendi à communi, & per mille annos inueterata computatione Annorum Christi, in qua etiam melius explicatur ætas Christi, & tempus Passionis eius iuxta Euangelistas, vt infra docebimus.

De septima, & octaua Opinione.

7 SEptima opinio statuit Christum natum esse Anno Iuliano 46. nempe illo, qui est primus Epochæ vulgaris Christi, quia existimat Dionysium exiguum annos ab Incarnatione facta hoc anno numerasse, & hunc modum computandi recepisse omnes, qui ab Incarnatione computant annos Christi, sed vtrumq; falsum est, vt de primo, & de mente Dionysij docuimus cap. 1. num. 3. & de secundo docuimus cap. 4. num. 4. esto aliqui annos ab Incarnatione presse sumpta, seu à die 25. Martij annos Christi iniuerint, olim tamen Pontifices, annos hos à Natiuitate, & Incarnatione latè sumpta numerabant vt & nunc, & pro eodem sumpserunt Incarnationem, & Natiuitatem, quia nascendo ex vtero Virginis Deus in carne apparuit, & inde cœpimus visibiliter Deum cognoscere, vt canitur ab Ecclesia in Præfatione de Natiuitate Domini. At si Christus natus est anno Iuliano 46. die 25. Decembris, natus esset anno Augusti 43. vel completo, vel quasi completo, quod est contra torrentem, vt ita dixerim, Doctorum.

8 Octaua opinio asserens Christum natum anno Iuliano 47. præterquamquod biennio minuit veriorem numerum annorum ætatis Christi, & repugnat communi sententiæ de Christo nato anno 42. Augusti, cum ex ea sequatur natum esse anno 44. supponit multa falsa in Chronologia, & in primis Alexandrum Magnum obijsse anno 425. ante natum Christum, & alia huiusmodi perperam computata à Paulo Epis. Forosempronienſi.

CAPVT VI.

De Anno, quo Christus Dominus baptizatus est à S. Ioanne Præcursore.

CONCLVSIO VI.

Licet ex Capite 3. Euangelij S. Lucæ non constet, quo præcisè Anno Tiberij, aut quoto anno ætatis suæ CHRISTVS baptizatus fuerit à S. Ioanne, probabilius tamen est, baptizatum esse Anno 16. Tiberij labente, & anno ætatis suæ trigesimo ante dies tredecim inito, videlicet die 6. Ianuarij feria 6. quaferia, sed alio die eiusdem anni interfuit Christus nuptijs Canæ Galilææ.

1 ANtequam procedamus ad probationem Conclusionis præmittemus aliquot annos Tiberij, quem imperare cœpisse statim à morte Augusti die 19. mensis Augusti anno Epochæ Christi decimoquarto, demonstrauimus lib. 4. cap. 3. nu. 16. & cap. 7. nu. 9. addemusq; annos Iulianos, Olympiadicos, & Vrbis Varronianos ineuntes intra illum annum Iulianum, necnon Consules, ex iam constitutis lib. 3. c. 2. 3. & 5. & annos Christi, iuxta 8. opiniones relatas cap. 3. quibus deme vnitatem, & habebis annos Christi coccurrentes cum initio Tiberij.

ANNI INEVNTES.				Anni Christi Ineuntes à die 25. Decembris,& diebus 128. post initium Annor. Tiberij.								
Iuliani à kal. Ianuarij.	Vrbis Varronian. à 21 Apr.	Olympiad. ab Æestate.	Tiberij à 19. Augusti.	*Supposita Natiuitate CHRISTI in anno Iuliano infrascripto.*								*Consules Ordinarij.*
				40	41	42	43	44	45	46	47	
59	763	198 an. 2	1	20	19	18	17	16	15	14	13	*Sext. Pompeius.* *Sext. Apuleius.*
68	772	200 an. 3	10	29	28	27	26	25	24	23	22	*C. Asinius Pollio.* *C. Antistius Vetus.*
73	777	201 an. 4	15	34	33	32	31	30	29	28	27	*Ap. Iunius Silanus.* *P. Silius Nerua.*
74	778	202 an. 1	16	35	34	33	32	31	30	29	28	*C. Rubellius Geminus.* *C. Fusius Geminus.*
75	779	202 an. 2	17	36	35	34	33	32	31	30	29	*L. Cassius Longinus.* *M. Vinicius Quartinus.*
76	780	202 an. 3	18	37	36	35	34	33	32	31	30	*Cl. Tib. Nero.* *L. Aelius Silanus.*
77	781	202 an. 4	19	38	37	36	35	34	33	32	31	*Cn. Domitius Aenobarbus.* *A. Vitellius Nepos.*
78	782	203 an. 1	20	39	38	37	36	35	34	33	32	*Ser. Sulpicius Galba.* *L. Cornel. Scylla.*
79	783	203 an. 2	21	40	39	38	37	36	35	34	33	*Paul. Fabius Persicus.* *L. Vitellius Nepos.*

2 Præmittenda sunt verba S. Lucæ Euangelistæ cap. 3. vbi celeberrimum annum prædicationis S. Ioannis Baptistæ his notis certum, & illustrem reddit. *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ &c.* post narratam verò compendiosè prædicationem eius, vsque ad mortem, subiungit baptismum Christi, & vocem de cœlo factam: *Tu es filius meus dilectus, in Te complacui mihi.* Statimq; addit: *Et ipse* IESVS *erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph.* Græcè autem sic. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. Quod ordine vocabulorum seruato verti posset. *Et ipse erat Iesus, quasi annorum triginta incipiens quidem.*

Prima pars de Anno præciso Tiberij, quo baptizatus est Christus non planè certo.

3 NOn pauci ad pauca respicientes, & videntes eodem capite, quo S. Lucas initium prædicationis S. Ioannis consignat anno 15. Imperij Tiberij, narrari baptismum Christi, concluserunt eodem Tiberij anno labente vtrumque factum esse. At hæc connexio minimè est necessaria, vt scitè aduerterunt Petauius lib. 12. de doctrina temporum cap. 5. sub finem, & Iacobus Grandamicus in Q. Euangelica de die supremo,& Natali Christi lib. 2. c. 2. vbi ait: *Sanè multos decepit annus ille 15. Tiberij designatus à S. Luca, non vt character Baptismi Christi, sed prædicationis Diui Ioannis.* Potuit autem fieri, vt Ioannes prædicare inciperet anno 15. Tiberij vergente in exitum, puta tempore Pentecostes, quo olim Lex promulgata fuerat, et tribus circiter mensibus ante finem anni 15. Tiberij, Christus autem anno sequente, ideſt 16. Tiberij labente, et Iuliano 74. die 6. Ianuarij baptizari. Potuit etiam Ioannes prædicationem exordiri circa festum Tabernaculorum, aut expiationis mense Septembri, vel ineunte Octobri, inito iam Tiberij 15. anno à præcedenti die 19. Augusti, et Christus baptizari die 6. Ianuarij sequentis anno 74. Iuliano, sed adhuc durante anno 15. Tiberij. Potuit denique prædicationem incipere à festo Expiationis, vel posteà, currente Tiberij anno 15. & tamen Christus expectare integrum, & amplius annum, antequam veniret ad baptismum, atque adeo baptizari anno 75. Iuliano, & Tiberij 16. labente, vt sic Præcursor Domini per annũ integrum præpararet viam domino, & plebem perfectam multosq; ad Christum recipiendum disponeret, quod non videtur opus paucorum mensium. Cùm ergo potuerit valde probabiliter Baptismus Christi cadere in annum Tiberij 16. duobus modis, vno tamen modo non improbabili in annum 15. patet non posse ex S. Luca certo constare de altero ex his determinatè, quid quid de 15. asseruerit Salmeron prolegom. 38. concl. 7.

Secunda pars de Anno ætatis Christi, quo baptizatus est non planè certo.

4 DVæ præ cæteris probabiliores sunt opiniones de Anno ætatis Christi, tunc quando baptizatus est à Ioanne, *Prima* est habuisse annos 30. completos, & præterea tot dies, quot sunt à die 25. Decembris ad 6. diem Ianuarij subsequentis; *Secunda* est, habuisse annos 29. completos, & inchoasse trigesimum per dies 13. neutra autem falsitatis conuinci potest ex modo loquendi S. Lucæ, cum in vtraq; verum esse possit, Christum fuisse *quasi annorum triginta*, seu *ferè*, vel *circiter*: his enim modis accipi potest particula ὡσεὶ, aliquando autem significat *planè*, seu prorsus vt Ioannis 1. *Gloriam quasi vnigeniti à Patre*: & Iobi 2. *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Ideo S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone hæsit dicens. *Triginta plus minus annis manens donec prodyt Ioannes præ eo.*

5 Prioris opinionis de anno 30. completo videtur fuisse S. Ignatius in Epistola ad Trallianos dicens. Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος, ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου, quorum verborum legitima versio est. *Et cum tres decades annorum vixisset, baptizatus est à Ioanne*, sed vt aduertit Petauius plus est dicere Lucæ 2. ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ: *impleti sunt dies*

dies octo, seu vt Vulgata vertit *consummati sunt dies octo*, & tamen ibi non significatur à Natiuitate ad Circumcisionem transisse dies integros octo, ergo nec ex eo, quod dicatur à S. Ignatio vixisse tres decadas annorum, infertur eum expleuisse annos 30. integros: eademque solutio applicari potest ad S. Chrysostomum homil. 10. super Matthæum dicentem: *Et cuius rei gratia post triginta annos Iesus venit ad baptisma?* quem sequitur Euthymius in cap. 3. Matth. item ad Nazianzenum oratione 39. in Baptismum: *Sed Christus cum trigesimum ageret annum, baptizatur*, & ad S. Augustinum 15. de Trinit. cap. 26. *Absurdissimum est vt credamus eum cum iam 30. esset annorum (eius enim ætatis à Ioanne baptizatus est) accepisse Spiritum Sanctum.* Et ad Eusebium lib. 1. Histor. Eccl. cap. 11. dicentem: *Dominus Saluator noster IESVS Christus erat triginta annorum quando ad Ioannem baptizandus aduenit.* Huic tamen opinioni fauet dum in Chronico baptismum ponit anno eius 31. & vt Cedrenus in compendio hist. inquiens: *Anno Tiberij Cæsaris decimo quinto indictione prima ab Ioanne baptizatus est in Iordane Christus die 14. anno ætatis suæ 31. die 6. Ianuarij.* Et S. Bernardus Serm. 1. de Epiphania, *cum iam Christus triginta annorum tempus exegisset &c. ad baptismum Ioannis aduenit*, & ante illum Beda lib. de natura rerum cap. 45. & lib. de temporibus cap. 47. Fauet etiam Concilium Neocesariense cap. 11. vbi dicitur. *Presbyter ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur; nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere*; quod de anno completo intelligendum declarat Fabianus Papa dist. 78. cap. *si quis*, vbi ait: *Si quis 30. ætatis suæ annum non impleuerit, nullo modo presbyter ordinetur.* Sicut in Concil. Lateranensi cap 3. & refertur D. de electo, & electi potestate cap. *cum in cunctis*, præcipitur: *Vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam tricesimum annum ætatis exegerit.* Sed ex praxi Ecclesiæ, & ex priuilegio iure concesso constat sufficere, vt annus præscriptus, seu requisitus attingatur, & Ordo Romanu, quem affert quoque Albinus Flaccus de offic. Eccl. cap. 6. dixit: *Expletis nanque Christus quasi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem, vt baptizaretur.* Huic tamen opinioni de annis 30. expletis subscribunt Albertus Magnus in c. 3. Lucæ, S. Thomas in cap. 2. Ioannis Lect. 1. Lyranus, Caietanus, & Iacob. Faber in cap. 3. Lucæ, Salmeron prolegom. 38. assert. 8. Baronius in Apparatu ad Annales pag. 49. Scaliger apud Petauium lib. 12. cap. 5. & Langium lib. 2. cap. 3. de annis Christi, & Spondanus cum Baronio.

6 Secundæ autem opinionis de Anno 30. non completo, sed inchoato tantùm fuere in primis Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. dum ait. *Erat Iesus veniens ad baptisma quasi 30. annorum, & quod anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoq; sic scriptum est. Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me, Hoc, & Propheta dixit, & Euangelium. Quinto decimo ergo Tiberij, & Quinto decimo Augusti sic implentur triginta anni, vsq; ad tempus, quo passus est.* Clarè Irenæus lib. 2. cap. 39. *Ad baptismum veniit, qui nondum triginta annos impleuerat, sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum.* Et Hesychius lib. 7. in Leuiticum: *propter quod Euangelista eum non plenorum triginta annorum venisse ait ad baptismum.* Item S. Epiphanius hæresi 51. inquit enim: *Si accuratam rationem temporis ineas, nonnisi annorum vigintinouem, & decem mensium, ita vt triginta annorum, non tamen plenorum, fuisse dicatur, ideoque scriptum, incipiens quasi annorum 30.* putat enim baptizatum Nouembri mense. Fauet, & Arabicus interpres in 3. Lucæ cum ita exponit. *Et Iesus cœperat ingredi in tricesimum annum.* Idem sentiunt Origenes homil. 1. in Ezechielem, Theophilactus, Dionysius Carthus. & Abulensis in cap. 3. Matth. q. 78. S. Thomas 3. p. q. 39. art. 3. Io. Lucidus de vero die passionis cap. 12. Sigonius comm. in Sulpicium Seuerum, Onuphrius in Fastis lib. 2. ad Vrbis annum 786. Genebrardus in Chron. lib. 2. Mariana de die mortis Christi, Pererius in Danielem lib. 2. q. 6. Baradius tomo 2. lib. 1. cap. 13. qui adducit Hugonem, & alios, Suarez in 3. p. disp. 26. Salianus tomo 6. ad annum Mundi 4082. Petauius l. 12. de Doctr. tempor. cap. 5. Langius lib. 2. de Annis Christi c. 3. Laurentius Codomanus lib. 2. Chronol. q. 48. & lib. 4. cap. 7. ac 21. Grandamicus Q. Euangelica de die supremo, et natali Christi l. 2. c. 2.

7 Controuertitur tamen an participium illud *incipiens* Græcè ἀρχόμενος, adiectum sit à S. Luca ad significandum initium prædicationis Christi, an verò ad initium anni, quem quasi trigesimum dixerat, exprimendum. De initio prædicationis intelligendum asserunt Baronius, Petauius, Langius, censentes esse quasi tautologiam, aut modum loquendi minus idoneum, si referatur ad initium anni trigesimi. Contra tamen de initio anni trigesimi intellexit Abulensis in 4. Matthæi q. 47. *Et erat Christus ipsa die baptismi annorum 29. completorum, & tredecim dierum insuper, vnde dicebatur incipiens quasi annorum 30.* & in cap. 14. Matthæi q. 63. inquit. *Erat incipiens annorum 30. ideſt incipiebat tricesimum annum*; Et Onuphrius lib. 2. in Fastos anno Vrbis 786. eodem sensu accipiendum illud participium expresè affirmat Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 26. sect. 2. Salianus, Grandamicus, & Baradius supra, & Paraphrastes Arabicus iam adductus: Et sanè illud incipiens si non referatur ad tempus ibi indicatum, cùm ad alia non referatur à S. Luca nimis manca, & suspensa esset locutio. Quod enim ab aduersarijs adducitur ex Actorum cap. 1. *In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis.* Et cap. 10. *Quod factum est verbum per vniuersam Iudæam; incipiens enim à Galilæa post baptismum*; non est paris rationis, in his enim locis, participium *incipiens* applicatur expresè ad *introitum, & verbum prædicationis*, & locutio, est completa. Et certè particula addita participio, seu clausula *incipiens, quidem*, plano, & obuio sensu limitatiua est, & denotat annum 30. incœpisse.

Tertia pars de probabiliore Anno Baptismi Christi.

8 QVoad annum 30. per dies 13. inchoatum, probat Toletus in cap. 3. Lucæ annot. 5. dicens: *Probabilior est sententia postrema, nempe initio trigesimi fuisse baptizatum, non autem prope finem: agebat enim annum vigesimum nonum impletum, & tredecim dies trigesimi. Moueor autem ad hoc, quia cum communissima sententia sit nondum expletum esse trigesimum, quando baptizatus est, consequitur potius fuisse in principio, quia Ecclesiæ ritus obtinet baptizatum fuisse paucis diebus post Natiuitatis tempus.* Et sanè omnes qui dicunt baptizatum anno 30. vel cum esset annorum 30. possunt commodè intelligi de inchoato trigesimo: at qui dicunt non habuisse annos completos plures quam 29. non possunt intelligi de 30. completo, & illi plures sunt, eisque fauet textus sensus magis obuius, & ad literam S. Lucæ.

9 Quoad annum autem 16. Tiberij probatur ex anno Natiuitatis Christi, quem fuisse Iulianum 45. probabilius docuimus cap. 4. à num. 3. Annum autem 15. Tiberij completum fuisse die 19. Augusti Anni Iuliani 74. & inde incœpisse annum eiusdem 16. patet ex Canone *initio* huius capitis præmisso, & ex eodem patet illo anno Iuliano 74. labente adhuc incœpisse à die 25. Decembris annum Christi 30. initis annis à die 25. Decemb. anni 45. Iuliani; in qua hypothesi, si baptizatus esset anno 15. Tiberij labente, inchoasset tantummodo annos 29. at eos expleuit, & inchoauit 30. ex dictis num. 8. ergo probabilius est baptizatum esse anno 16. Tyberij currente; ideoq; S. Ioannem prædicare cœpisse anno 74. Iuliano, sed ante 19. Augusti, durante adhuc anno 15. Tiberij. Porrò anno Christi 30. communis Epochæ, Cyclus Solis fuit XI. & litera Dominicalis A. ideoque 6. dies Ianuarij incidit in feriam 6 eadem autem feria fuerat Epiphania, nam vt ostendimus lib. 1. c. 22. in Canone Bisextilium, qui vitiosi quidem, sed reipsa tunc fuerunt, litera Dominicalis fuit A. primo Anno Christi, quoniam verò multo post baptismum suum nuptijs in Cana Galilææ interfuit feria item 6. ideo Ecclesia cum multis Patribus canit diem illum, ideſt feriam 6. tribus miraculis ornatam fuisse: Esto alij pro diuersitate annorum nati, & baptizati Christi, diuersas ferias assignent, immò non pauci putent die 6. Ianuarij tria illa miracula facta esse, & à baptismo Christi ad nuptias in Cana fuisse integrum annum: qua de re infra dicendum, pendet enim hoc ex numero Paschatum, quibus interfuit CHRISTVS, post sui Baptismum.

CA-

CAPVT VII.

De numero Paschatum, & Annorum Prædicationis CHRISTI à Baptismate ipsius ad eiusdem Resurrectionem.

CONCLVSIO VII.

Multò probabilius est inter Baptismum CHRISTI, & Resurrectionem eius, quatuor Paschata celebrata esse, quàm plura, vel pauciora; & ipsum Annos tantum tres solidos, & paucos præterea menses in prædicando Euanlio exegisse.

1 PRoposui simul duas quæstiones de numero Paschatum, & de numero Annorum prædicationis, quia licet potuerint esse plures Anni prædicationis, nec omnia quæ fecit dixitue Christus, relata sint ab Euangelistis; tamen ex numero Paschatum colligitur non potuisse annos prædicationis pauciores esse illis, quos tot Paschata includunt. Tres verò absurdas opiniones, non est cur pluribus refutemus, satis enim ex dicendis earum absurditas manifesta erit. Vna est eorum, qui dixerunt Christum vixisse annos 46. atq; adeo prædicasse annos fere 15. quos refellit S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 28. *Altera* est Irenæi lib. 2. aduersus Hæreses c. 39. vbi propter verba illa Iudæorum Ioannis 7. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti*, & ex auctoritate quorundam seniorum Asiæ docet Christum vixisse propemodum annos 50. *Tertia* est Clementis Alexandrini l. 1. & 6. Str. Tertulliani aduersus Iudæos c. 8. Africani apud S. Hieronymum in c. 9. Danielis, Lactantij lib 4. c. 9. Valentini hæresiarchæ apud Epiphanium hæresi 51. & Gaudentij sermone 3. de Paschate; qui dixerunt Christum anno 30. ætatis passum, & anno vno tantum prædicasse. Quod ipsum sensit S. Bernardus serm. 2. de verbis Apostoli, & Anonymus apud Henricum Canisium tom. 2. antiquar. lect. videturq; illis fauere S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. vlt. & Epist. 80. quatenus mortuum censuit duobus Geminis Consulibus. Fundamentũ Clementis, & multorum fuere verba illa Isaiæ 61. *prædicare annum placabilem Domini*, sed vt interpretatur S. Hieronymus, & Irenæus, nomine anni indefinitè, intelligitur totum tempus, et quilibet annus prædicationis Christi, quo pœnitentes, et credentes in eum placare poterant Dominum. Gaudentius autem in agno Paschali anniculo fundatus dixit. *Anniculus est, quia post baptismum vsque ad passionem vnius anni tempus impletur*. Sed hæc opinio repugnat tùm Euangelio S. Ioannis, in quò 4. vel vt minimum 3. Paschata expresè numerantur inter baptismum, et resurrectionem Christi; tum communi Ecclesiæ sensui de annis 33. vitæ Christi. His igitur dimissis, tres opiniones superstunt expendendæ.

2 I. Opinio est de Tribus Paschatibus, et duobus integris annis prædicationis, ita Apollinaris Laodicenus apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis, Cyrillus Alex. in Isaiam cap. 29. Philastrius de hæresibus cap. 107. Epiphanius hæresi 51. Origenes lib. 2. contra Celsum, Orosius lib. 7. c. 4. Cassiodorus in Chronicon, Dekerius in Thesibus à Laurentio Suslyga defensis, Keplerus de Anno Natali Christi, Io. de Muris, et Rogerius Baemon apud Salmeronem prolegom. 38. pag 449. et Petauius l. 12. de doctr. temp. c. 17. et 18. Aegid. Bucherius in comment. de doct. tempor. in Victorem Acquitanum. Opinati sunt hi Christum prædicasse duos tantum annos solidos, et paucos insuper menses, et à Baptismo eius ad Resurrectionem intercessisse solùm Paschata 3. quia non plura exprimuntur ab Euangelistis. Si quidem Matthæus, Marcus, et Lucas nullum Pasca nominant, præter σταυροσιμον, seu Paschа Passionis, et S. Ioannes tria tantummodo expresè recenset cap. 2. versu 13. cap. 6. versu 4. et cap. 12. Diem enim festum Iudæorum, de quo Ioannes cap. 5. gratis dici fuisse Pascha, cum Chrysostomus, Cyrillus, et Maldonatus Pentecostem fuisse putarint, alij festum Phturim, seu sortium: Sicut enim Ioannes alia tria Paschata expresè nominauit, ita et hoc suo nomine nominasset, si fuisset festum Paschatis. Quæ autem de sabbato secundoprimò, et transitu per segetes narrantur Matthæi 12. Marci, et Lucæ 6. referri potse ad primum Pascha, de quo Ioannes cap. 2.

3 Sed consideranti mihi Euangelistarum narrationem, videtur moraliter impossibile Pascha illud, quod Petauius, et alij fatentur indicari nomine *Sabbati secundoprimi* à S. Luca cap. 6. quo Iesus cum discipulis transiuit per Sata, vt confirmant S. Matthæus cap. 12. et S. Marcus cap. 2. fuisse illud primum Pascha, de quo Io. cap. 2. Narrato enim miraculo aquæ in vinum conuersæ subiungit: *Hoc fecit initium signorum IESVS in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius: Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus*. Quia scilicet oportuit mox ire Ierosolymam, subiungit enim immediatè. *Et prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Ierosolymam*. Iam verò à baptismate Christi, idest à die 6. Ianuarij ad nuptias in Cana effluxerant dies 40. moræ in deserto, de quibus Matthæi 4. Marci 1. et Lucæ 4. et pauci illi dies, quos Christus consumpsit in reditu ad Iordanem, et in admittendis, vel vocandis ad sequelam sui Andrea, Simone, Philippo, et Nathanaele, quos quinque, aut sex circiter fuisse indicat Ioannes cap. 1. et mox cap. 2. ait, *& die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. Quare cum nuptiæ illæ inciderint in feriam sextam, in quam inciderat Epiphania olim, & postea Baptismus Christi, iuxtà dicta ad finem præcedentis capitis, numerando à die 6. Ianuarij ad 24. Februarij dies 49. deuenitur in feriam 6. Vel, si cum Epiphanio hæresi 51. numeres à baptismate ad nuptias dies 56. incides in 3. Martij, et feriam item 6. Fuit autem anno 30. Christi (de quo satis cap. præcedenti) Plenilunium paschale circa diem 6. Aprilis, ergo à Nuptijs ad Pascha non plures dies, quam circiter 41. vel 34. Quorum aliquot debentur reditui Christi in Capharnaum, et moræ ibidem, et aliquot alij puta quinque circiter itineri de Galilæa Ierosolymam, ita vt perpauci dies reliqui fuerit intermedij. Contra verò ante illud Pascha, quod denotatur per Sabbatum secundoprimum, et post reditum Christi ex deserto narrantur ab Euangelistis alijs tot gesta Christi, vt plures menses requirantur ad illa, vt videre est in S. Matthæo à c. 4. ad 12. et in S. Marco c. 1. ac 2. et in S. Luca cap. 4. et 5. Notandumq; illud Matthæi 4. versu 23. *Et circuibat IESVS totam Galilæam &c.* Et Missio duodecim Apostolorum ad prædicandum, de qua idem cap. 10. et transitus Christi inde, ac prædicatio in alijs ciuitatibus, de quibus cap. 11. ergo moraliter est impossibile tot res gestas, quas præcipuè narrat S. Mattæus à cap. 4. ad 12. coarctari posse intra paucos illos dies; qui à mora in Capharnaum post nuptias interfuere ad proximum Pascha expressum à S. Ioanne, et hoc esse illud quod Matthæus c. 12. et Marcus 2. et Lucas 6. per Sabbbatum secundoprimum, et transitum per Sata Sabbato indicant.

4 Sed idem multo euidentius probatur, nam S. Ioannes post primum Pascha commemoratum cap. 2. et alia gesta Ierosolymæ eodem capite, et 3. refert versu 22. venisse Iesum in Iudæam terram, et versu 3. Ioannem ibidem tunc extitisse baptizantem, et versu 24. inquit: *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*. At reliqui Euangelistæ ante illud Sabbatum secundoprimum, quo Christus transiuit per Sata, narrauerant iam Ioannis capturam, et carcerem, nempe Matthæus cap. 11. et Marcus cap. 1. versu 14. Ergo Pascha hoc distinctum est, et posterius primo illo, de quo S. Ioannes cap. 2. siue deinde sit illud festum, de quo Ioannes cap. 5. siue non. Neque dicas Pascha illud per Sabbatum secundoprimum indicatum, reduci posse ad Pascha illud, cuius meminit Ioannes cap. 6. vt nonnulli putant; Nam Pascha de quo Ioannes cap. 6. versu 4. fuit post satiata ferè quinque millia hominum, multiplicatis panibus quinque; At hoc miraculum fuit post transitum Christi per Sata Sabbato secundoprimo, & narratur post hæc à S. Matthæo cap. 14. versu 14. & à S. Marco c. 6. versu 37. & à S. Luca cap. 9. versu 12. ergo non possunt sine violenta per-

peruersione ordinis historiæ Euangelicæ, confundi hæc duo Paschata in vnum; & omnino fatendum est Paschatillud Sabbati secundoprimi præcessisse Pascati, de quo Ioannes cap. 6. versu 4. atq; adeo addito vltimo Paschate in quo passus est Dominus, quatuor minimum, & non pauciora Paschata inter Baptismum, & Resurrectionem Christi necessario admittenda esse.

II. Opinio de Quinque Paschatibus, & Annis quatuor solidis Prædicationis Christi.

5 HVic opinioni fauent quicumque à Baptismate Christi, ad nuptias in Cana vnum integrum annum interponunt, atque adeo vnum Pascha, licet ab Euangelistis ne indicatum quidem, ita S. Thomas, & Caietanus in cap. 2. Ioannis Lect. 1. Hugo Cardinalis ibi, ac Durandus in Rationali. Sed opinionem de quintuplici Paschate, & de 4. solidis annis prædicationis Christi, ac tribus insuper Mensibus, expressius docuerunt Gerardus Mercator in Chronol. Genebrardus lib. 2. Chronici Barradius tomo 2. lib. 6. cap. 1. & lib. 9. c. 16. Pererius lib. 11. in Genesim cap. 7. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 30. sect. 3. & disp. 40. sect. 1. Mariana de die mortis Christi cap. 10. Scaliger lib. 6. de emend. temporum pag. 551. Salianus tomo 6. ad annum Mundi 4082. num. 33. Langius de annis Christi par. 2. lib. 2. cap. 4. & 11.

Fundamentum plurium est, quod canit Ecclesia in festo Epiphaniæ, *Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus: Hodie stella Magos duxit ad præsepium: Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: Hodie in Iordane Christus baptizari voluit.* Quod inquit S. Maximus homil. 6. *posteritati suæ fidelis mandauit antiquitas.* Et Rupertus l. 3. de diu. Offic. cap. 24. *Nunquid annum suæ ætatis trigesimum, cuius in initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit, & ita redeunte anno, eadem die illud admirabile signum primum coràm discipulis fecit? Ità sanè credendum est, quomodo tria hæc, quæ superius dicta sunt, vna die celebrata esse, secundum Sanctæ Ecclesiæ auctoritatem, negare non possumus.* Dicere enim celebrari hæc tria ab Ecclesia, non quod facta sint eodem die, sed quia per illa tria manifesta est Christi diuinitas, & ob analogiam ad Epiphaniam, perinde ac si eodem die facta essent, est eludere non soluere fundamentum huius opinionis, vt ait cum Toleto Salianus. At soluitur hoc fundamentum dicendo quædam eadem die anni Iuliani accidisse nempe Epiphaniam, & Baptismum die 6. Ianuarij, omnia verò illa tria, eadem feria 6. vt patet ex dictis ad finem capitis præcedentis. Atque ita Nuptiæ eodem anno Christi 30. labente inciderunt in feriam 6. diemq; 24. Februarij. Nec ob id necesse est expectare integrum annum, & Christum, qui prædicationem suam à ieiunio post Baptismum inchoauit otiosum per integrum annum facere.

6 Alterum fundamentum esse possent tria Paschata expressa à S. Ioanne, & quartum significatum antonomasticè nomine *Festi Iudæorum* à S. Ioanne cap. 5. Quintum verò significatum ab alijs Euangelistis per Sabbatum secundoprimum, vel transitum per Sata Sabbato, quandoquidem hoc non potest reduci ad primum Pascha nominatum à S. Ioanne cap. 2. vt ostendimus nu. 3. & 4. nec ad Pascha secundum expressum à S. Ioanne cap. 6. vt ostendimus nu. 4. Sed respondemus aut diem festum nominatum à S. Ioanne cap. 5. non fuisse Pascha, aut si fuit, fuisse illud idem, de quo alij Euangelistæ, occasione Sabbati secundoprimi, & transitus per Sata Sabbato, nam præcessit illi Paschati, quod post multiplicationem quinque panum narrat S. Ioannes cap. 6. Quare nulla est reuera necessitas introducendi quinque paschata ex Euangelio. Nam qui id faciunt, vt sustineant opinionem de Natiuitate Christi diuersam à nostra, aliunde partim ex dictis, partim ex dicendis refutandi sunt. Ipse Scaliger in animaduersionibus ad Eusebij Chron. pag. 171. fatetur, *in sua de quinque Paschatis assertione sudandum sibi, & rem aggredi, quæ insaniam sapiat, verumque esse in Euangelio Ioannis, quatuor tantum Paschatum vestigia extare.*

III. Opinio & verior de quatuor Paschatis, & tribus Annis solidis, ac tribus circiter mensibus Prædicationis Christi.

7 HÆc Opinio est multo communior, & omnium illorum, qui statuunt Christum baptizatum anno 30. ætatis nuper inito, & mortuum anno 33. ætatis labente; vel baptizatum anno 31. ætatis nuper inito, & mortuum anno 34. ætatis labente; vel expresse dicunt prædicasse annos 3. ac totidem ferè menses à baptismo initos: vt S. Ignatius epist. 5. ad Thrallianos dicens: *Triginta annos agens baptizatus est à Ioanne in veritate, & non in phantasmate, & tribus annis prædicauit Euangelium, & fecit signa, & prodigia.* S. Epiphanius hæresi 51. inter baptismum Christi, et passionem quatuor paria consulum nominat, et nisi posuisset Baptismum mense Nouembri longè post Pascha primi Consulatus, quatuor vtique Paschata, et tres annos integros numerasset. Eusebius lib. 1. hist. Eccl. cap. 12. negat prædicationem Christi quatuor annos totos inclusisse, et lib. 8. de demonstr. Euang. inquit: *Omne tempus doctrinæ, & editionis miraculorum Saluatoris nostri, fuit annorum trium cum dimidio.* Nec aliter habet in Chronico ex versione S. Hieronymi, & in Chronographia Syncelli, Eusebius enim initium prædicationis Ioannis ponit anno 15. Tiberij, sed baptismum Christi anno 16. & mortem 19. etto Scaliger, vt Eusebium ad suam opinionem traheret in Chronico Græco addiderit de suo Christum baptizatum anno 15. Tyberij. At Georgius Syncellus aliter interpretatus est Eusebium, & ex triennio prædicationis hanc opinionem firmat. Theodoretus in cap. 9. Danielis: *Cum annos tres cum dimidio ferè prædicasset Dominus, Sanctosq; suos discipulos doctrinæ, & miraculis confirmasset; tunc passus est; & post crucem, mortem, & resurrectionem, & ad cœlos ascensum, & Sanctissimi Spiritus aduentum reliquum hebdomadis tempus Sancti Apostoli Hierosolymis prædicantes &c.* Auctor quoq; operis imperfecti in Matthæum ait: *Christus tribus annis, & sex mensibus docuit*, nempe vsque ad Ascensionem. Philoponus lib. de Mundi creatione cap. 21. Prædicationem Christi, vsque ad Ascensionem trium annorum interuallo cum parte notabili anni quarti extendit. Chronicon Alexandrinum, & Abulensis in 2. parte Defensorij, Pascha Passionis, seu σταυροσιμον, appellant *quartum Pascha*, nec plura, nec pauciora agnoscit Tirinus in Chronico Sacro cap. 49. Salmeron prolegom. 38. & 39. & Grandamicus in Q. Euang. de supremo, & Natali die Christi lib. 2. cap. 1. Quid quod ipse Dekerius par. 2. disp. Theolog. thesi 3. ait sibi exploratum esse nõ plus quam triennium, & paucos insuper Menses deberi prædicationi Christi, cumq; admittat festum illud, de quo Ioannes c. 5. fuisse Pascha, vtiq; quatuor Paschata agnoscit. In ipso quoque Talmud libro *Midras Tehillim*, ideſt in expositione Psalmorum, vt tradit Rabbi Ionathan, dicitur. *Tribus annis cum dimidio stetit præsentia in monte Olineti dans vocem, & dicens: Quærite Dominum dum inueniri potest*, ex Olineti enim monte ascendit in cœlum.

8 His accendunt, qui vitam Christi ab Incarnatione definiunt annis 33. cum parte anni trigesimi quarti, & baptismum eius inito anno 30. agnoscunt, vt S. Hieronymus in cap. 42. Ezechielis: *Dominus triginta annorum venit ad Baptismum &c. & tricesimus numerus additis tribus, & parte tertia completur.* Et Beda de ratione temporum, cap. 45. *Habet ni fallor Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plusquam XXXIII. annos, vsque ad suæ tempora passionis vixisse, quia videlicet XXX. annorum fuerit baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptismum prædicauerit.* Id ipsum autem confirmat validissimo Ecclesiæ testimonio dicens. *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia, hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quę suis in cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicę Passionis in memoriam populis reuocans, numerum annorum triginta semper, & tribus annis minorem, quàm ab eius Incarnatione Dionysius ponat, annotat.* Et addit exemplum allatum à suis fratribus Roma in cereis, in quibus notatus erat Annus ab Incarnatione 701. & à Passione 668. vt habent correcta exemplaria. Idcircò

Vrba-

Vrbanus in sua Bulla Iubilæum ad 33. annos reduxit dicens: *Nos considerantes quòd numero huiusmodi 33. qui fuerunt tempus vitæ nostri Saluatoris, quibus conuersatus in Mundo, miro clausit ordine sui moras incolatus, plurima etiam alia, & grandia diuinarum scripturarum mysteria adaptari possunt, & vt iugis Saluatoris, & eorum, quę pro salute humani generis gessit, & verbis docuit, & exemplis sit memoria, de fratrum nostrorum consilio, & supradictis, & alijs iustis causis ad 33. reducimus Iubilęum.* Ipsamet B. Virgo reuelauit S. Brigittæ serm. 1. Angelico annos se triginta tres afflictam vitam traduxisse in benedicti filij sui compassione, quia totidem annos passus erat, & conuersatus in terris. Deniq; idem de annis 33. ab Incarnatione completis Nicetas in historia Græca, Nicephorus, Callistus lib. 1. cap. vlt. Albertus Magnus comm. in Epist. Dionysij ad Polycarpum, Gerlandus, Lotaringius, Campanus, & Lucas Gauricus in computo Eccl. Antonius Sabellicus lib. 1. Ennead. 7. Io. Baptista Platina in vita Christi sub finem.

9 Idipsum colligitur ex Euangelistis, nam præter tria Paschata, quæ expressè nominat S. Ioannes cap. 2. versu 13. & cap. 6. versu 4. & cap. 12. aliud quoque capite 5. satis significat dicens. *Post hęc erat dies festus Iudęorum, & ascendit Iesus Ierosolymam*: vbi in margine Biblia Sixti V. festum hoc indicant esse illud, quod præcipitur Leuitici 23. versu 5. & Deuteronomij 16. versu 1. videlicet festum Paschatis, & pro tali accipitur à plerisque Interpretibus, & ex Patribus Irenæus lib. 2. aduersus hæreses c. 29. ait: *Post hęc iterum ascendit secunda vice ad diem festum Paschę in Ierusalem, quando Paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat, curauit.* Et Rupertus in cap. 5. Ioannis: *Hic Euangelista Paschale festum non apertè exprimit, dum dicit indefinitè: erat dies festus Iudęorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, sed ex superioribus festum Paschę fuisse intelligitur.* Et idem sentiunt ibi, Iansenius, Toletus, Emanuel Sà, Franciscus Lucas, Cornelius à Lapide, & meritò, quia S. Ioannes alia festa minora solet exprimere, puta Scenopegiæ, & Encæniorum, quando ergo dixit diem Festum Iudæorum, intelligi voluit antonomasticè Festum festorum, quod erat Pascha. Dixerat enim capite 4. versu 35. quatuor menses supercsse vsque ad messem, messis autem in Palestina incipiebat à Paschali tempore, ergo festum quod proximo capite 5. nominat fuit Pascha. Cum autem hoc festum Paschatis secundo loco ponatur à S. Ioanne, & ante miraculum de quinque panibus multiplicatis, cui successisse tertium Pascha refert cap. 6. & similiter ante hoc miraculum referant alij Euangelistæ Matth. 12. Marcus 2. Lucas 6. transitum Christi per Sata Sabbatò secundoprimo, quod multi de Sabbato immediatè sequenti. Primum, & magnum Sabbatum, idest Paschale interpretantur, sequitur fuisse idem Pascha, quod Ioannes nomine *Festi Iudęorum* indicauit, præsertim cum non possit illud Pascha reduci ad primum, vel ad tertium expressum à Ioanne cap. 2. & 6. vt euicimus num. 3. & 4. Proinde ex Euangelistis probè intellectis quatuor tantummodo, sed non pauciora Paschata inter Baptismum, & Resurrectionem Christi agnoscenda sunt.

10 Confirmatur hoc vehementer ex parabola fici infructuosæ, de qua Lucæ 13. per eam enim significauit Synagogam nondum feciisse fructum desideratum credendi in Christum, quantumuis esset iam annus tertius prædicationis; Hæc autem dicta esse sub finem anni illius, aut ineunte anno illo, in cuius Paschate passus est Dominus, colligitur ex ordine ipso S. Lucæ, rebusq; gestis ab eo tempore ad Pascha Passionis.

CAPVT VIII.

De Paschate, in quo CHRISTVS passus est, & controuersijs circa illud hactenus excitatis.

CONCLVSIO VIII.

Neque CHRISTVS vno die anticipauit, nec Iudæi vno die postposuerunt legitimum tempus comedendi Agni Paschalis, sed vtrique illum comederunt ad vesperam diei decimæ quartæ à Neomenia ciuili computatæ, ac proinde Christus in Azymo pane Corpus suum consecrauit.

Prima pars negatiua Anticipationis.

1 PRima opinio fuit Græcorum, postquam Schismate ab Ecclesia Latina diuisi sunt, vt defenderent errorem suum, quo panem fermentatum consecrant, asseruerunt enim Christum vno die anticipasse legitimum Paschatis, seu Paschalis agni comedendi diem, & manducasse Pascha cum discipulis suis die 13. primi mensis, quo licebat vesci pane fermentato. Fundamentum eorum est, quia Ioannes cap. 13. ait: *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius &c. & cœna facta &c.* Ergo Cœna illa in qua consecrauit in pane corpus suum facta est ante legitimum festum Paschatis; & cap. 18. de die, quo Christus Crucifixus est, Iudæos prætorium ingredi noluisse, *ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, & de eodem die cap. 19. *Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta*, ergo facto vespere huius diei, & desinente feria 6. Iudęi communiter manducauerunt Pascha, idest Agnum Paschalem. Pro hac opinione Petauius lib. 12. de doctr. tempor. cap. 15. adducit opusculum cuiusdam Petri Alexandrini afferentis pro se Hippolytum Portuensem, Apollinarem Hierapolitanum, Clementem Alex. lib. de Paschate; affertur ab alijs Euthymius in cap. 26. Matth. Nicephorus lib. 1. hist. cap. 23. videnturq; fauere his S. Chrysostomus homil. 82. in Ioannem ad illa verba: *vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, dicens. *Pascha scilicet agnum, quem eo die comesturi erant, Christus enim pridie fecerat Pascha, vt reseruaret eadem suam in Parasceue, quando Pascha secundum antiquam institutionem celebrandum erat.* Quibus verbis vtitur Theophylactus in cap. 18. Ioannis: Sed & S. Cyrillus Alex. lib. 12. in cap. 2. Ioannis nomine Paschatis intelligit agnum Paschalem. Fauent denique Origenes tr. 35. in Matth. & Epiphanius hæresi 50. quatenus dicunt, Christum mortuum esse Luna 14. eo enim die videtur immolandus fuisse in Cruce, quo comedendus erat, & consumendus agnus Paschalis, tanquam figura mortis Christi.

2 Verùm quidquid sit de Iudæis alijs, & translatione Paschatis ab ipsis facta, siue ex superstitione, siue ex falso Cyclo, siue alia de causa, certum est CHRISTVM non violasse legem diuinam Pascha comedendo, & celebrando ante legitimum tempus, nec oppositum sine errore defendi posse, licet enim Dominus esset etiam Sabbati, & cuiuscunque festi, professus tamen erat se non venisse soluere legem, sed adimplere, idque præstiterat tum in Circumcisione, & in Purificatione, & in mittendis leprosis ad Sacerdotes, tum in alijs Paschatis celebrandis, immò cum exemptus esset à debito soluendi censum, illum tamen soluit, ne scandalizarentur alij. Deinde si Iudæi illum calumniati erant toties, quod Sabbatis curaret ægrotos, quod vtique fieri licebat, dicendo. *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit*, quanto magis id dixissent si in Festo Festorum omnium legem Paschatis violasset, & eo tempore, quo Satagebant, vt inuenirent testes, saltem falsos contra ipsum, hoc recentissimo, & quoad forum externum probabilissimo crimine vsi essent coram Caipha, & Pilato? nec

Iudas

Iudas id illos celasset. Igitur nemo non dicam pius, sed ne prudens quidem, ac sanæ mentis admiserit Christum scienter prævaricatorem legis adeo solennis fuisse, & à legitimo Paschatis agendi tempore recessisse. Cum Numeror 9. dictum sit. *Si quis mundus fuerit, & non occupatus itinere, & omiserit celebrare Pascha anima eius eradicabitur à populo suo, eo quòd non obtulit Sacrificium Domino tempore debito.* Quare si quid tria illa Ioannis loca, & paucorum Patrum probant, dicendum potius est Christum legitimo quidem tempore Pascha comedisse, Iudæos autem vitio aliquo postposuisse in manducando Paschate vnum diem, sed reuera illa loca neutrum euincunt, & ex dicendis contra secundam opinionem à fortiori destruentur fundamenta primæ huius.

Secunda pars negatiua postpositionis.

3 *Secunda* opinio est, Christum quidem legitimo die Pascha celebrasse ad vesperam diei 14. sed visum anticipare, quia Iudæi postposuerunt vno die, causam autem postpositionis alij aliam adducunt, omnes tamen vim magnam faciunt in verbis S. Ioannis pro prima opinione adductis. Quidam dicunt à tempore templi secundo instaurati, introductam fuisse consuetudinem transferendi ferias ad vitandum concursum duorum festorum immediatè sibi alioquin succedentium, illo autem anno decimamquartam Lunæ diem ex Cyclo, vel Phasi prima æstimatam, incidisse in feriam quintam, & futurum fuisse, vt festum Azymorum caderet in feriam 6. immediatè ante Sabbatum, qui erat semper festus dies, ideoque quod faciendum erat feria 5. translatum fuisse in feriam 6. in eiusq; vespera Paschalem agnum manducatum esse à Iudæis, & diem festum Azymorum in Sabbatum concurrisse, & propterea feriam 6. denominatam fuisse tanquam decimamquartam Lunam, quæ alioquin fuisset decimaquinta. Ita ferè ex nescioquo Gamaliele Paulus Burgensis in cap. 26. Matthæi, Io. Hennensius præfatione ad Euthymium, Paulus Forosempronien sis Episc. par. 2. summæ lib. 3. sub finem, Gagneius in cap. 18. Ioannis, Iansenius in Concordia cap. 41. & 128. Catharinus lib 2. contra Caietanum, Io. Lucidus de vero die Passionis Christi c. 9. Iosephus Scaliger lib. 2. de emend. temp. pag. 106. & lib. 6. à pag. 566. & in prolegom. p. 28. Emmius lib. 4. rerum Chron. Sigonius lib. 3. de Rep. Hebr. cap. 9. Georgius Heruartus cap. 177. suæ nouæ Chronol. vbi ex Seder Olam refert causam esse, ne dies solemnis Paschæ in feriam 2. 4. aut 6. celebraretur, Maldonatus in c. 26. Matth. & Mariana in notis, Onuphriusq; inclinat lib. 2. in Fastos ad annum Vrbis 786. sed præter argumenta infra adducenda pro identitate dici celebrati Paschatis à Christo, & à Iudæis; affirmat Petauius lib. 12. cap. 15. consulsferendi ferias serò, & multo post Christi tempus introductum, & alij quidem sexto Christi seculo, alij multo serius eam excogitatam aiebant. Langius quoq; lib. 2. de Annis Christi parte 2. cap. 6. docet ex ipsa Mischna, & Talmude, non fuisse hanc translationem feriarum antiquam, cum Thalmudici in Cod. Pesachim cap. 7. de agno præcipiant: *Ossa, & nerui, & reliqua comburuntur XVI. Nisan, & si ea sit Sabbathum XVII. si 16. Nisan est Sabbathum*, ergo 15. Nisan est feria sexta, & dies festus Azymorum. Alia multa in hanc rem profert Langius, & præcipuè illud Aben-Ezra in c. 23. Leuitici. *Quoniam ex Mischna, & Talmude manifestum est, Pascha in Bedù, seu feriam secundam, quartam, & sextam incidisse*, & librum qui nomine Gamalielis circumfertur, suppositicium esse.

4 Alij autem putant Iudæos procrastinasse Pascha ob extraordinarium occasionem, quam obtulit illis Iudas capiendi, & interficiendi Christum, in quo negotio occupati differendam agni Paschalis manducationem in crastinum decreuerunt. Sed hæc causa omnino improbabilis est. Nam biduo ante Pascha consilium fecerant, vt IESVM dolo tenerent, & occiderent, *sed non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*, vt narratur Matth. 16. & Marci 14. & Lucæ 22. dicitur eos *timuisse plebem*; Multo ergo magis timuissent tumultum, si in tanto concursu Iudæorum Ierosolymam, tantum odium in Christum manifestassent, vt ordinem dierum festorum, ac solemnium perturbarent; illi præsertim qui videri volebant non odio personæ Christum persequi, sed zelo boni publici, & legis seruandæ. Nec verò aut tempus sufficiens, aut vlla ratio probabilis suppetere potuit, vt tantæ multitudini persuaderent translationem diei festi, cum possent facilius detinere Christum in custodia per duos tresue dies. Ad hæc antequam Iudas exploraſſet locum vbi Christus manducauit Paschalem agnũ, & oppurtunitatem illius capiendi manifestasset ipsis, accepisset; ab eis Satellites, nescire poterant, quo determinato tempore captura illa esset successura, ipsisque ex insperato accidit illa nocte, qua iam ad vesperam agnus Paschalis manducandus fuerat; ergo iam illum manducauerant, nec antea potuerant facere decretum de translatione festi, cùm potius decreuissent ne caperetur in die festo: Cùm autem præter intentionem, ac spem oblata esset occasio, timerentq; ne die sequenti vulgata captura populus, & plebs tot miraculis, ac beneficijs Christo obstricta, & deuota illum liberare conaretur, præcipitanda omnia duxerunt, & manè inito consilio, illum adduxerunt ad Pilatum, & quia erat dies festus Azymorum, quo non licebat ipsis in foro iudiciali criminalem causam intendere, ac mortis reum peragere quenquam, ideo noluerunt introire in prætorium, ne irregulares fierent, & immunditia legali contracta, non possent reliqua Sacrificia paschalia celebrare. Ergo si erat ille dies festus Azymorum, non procrastinarunt illum, vel si procrastinarunt illum, iam non erat dies festus, & potuissent introire prætorium. Quod argumentum militat contra quamcunque causam excogitabilem translationis illius festi, vltra diem debitam. Audiamus tamen quid alij dicant.

5 Petauius lib. 12. de doctr. temp. c. 15. & 16. existimat Iudæos non omnes, sed plerosque (illum enim, cum quo Christus fecit Pascha in ipsius cœnaculo legitimo tempore celebrasse) Pascha postridie, quàm oportebat celebrasse, ex vitioso Cyclo, nititurque auctoritate Epiphanij explicata in animaduersionibus, vbi Petauius pag. 183. incertitudinem Neomeniarum Iudaicarum probare contendit ex eo, quod Synedrium toto die tricesimo considens, si nullus testis aduenisset affirmans visam sibi primam Lunæ phasim, surgeret, & mensem iuxta regulas kalendarij sui determinaret summo mane neomeniam indicendo die trigesima prima; at si post aliquot dies testes de longinquo aduenissent, & seuerissimè interrogati affirmassent, visam sibi nocte tricesima Lunam, tum Synedrium corrigendo initium mensis iubebant à nocte illa tricesima numerari dies mensis. Sed hinc potius oppositum eius, quod Petauius intendit, probaretur. Nam si Christus quartam decimam diem numerauerit à Neomenia correcta iam per Synedrium, ergo cum Iudæis Pascha celebrauit; at si numerauit à Neomenia non correcta, sed indicta à Synedrio prima vice, ipsi autem à Neomenia correcta, & retrotracta, ergo illis dies 14. præcessit diem 14. à Christo numeratam, & ita Iudæi non postposuerunt, sed anticiparunt, & pridie quàm Christus, manducarunt agnum Paschalem. Deinde Christus non se accommodando correctioni Synedrij peccasset, aut saltem dedisset magnam occasionem scandali, & accusationis sui, quod nefas est dicere; quam porrò implicati sint Cycli, quos Petauius ex Epiphanio deducere conatur, & ipse Epiphanius hæresi 51. docet Langius lib. 1. capite de Anno Iudaico. Interim satis est scire, si Iudæi biduo errarunt in anticipando Paschate, vt ex Epiphanio colligit Petauius, multo magis errasse Christum (quod impium dictu est) vno die Iudæos anticipando, sic enim errasset triduo.

6 Gerardus Vossius in tractatu de annis Christi vnà cũ Petito censet, Iudæos vno die post Christum Pascha celebrasse, quia ante Æquinoctium Pascha nolebant agere, anno autem illo, diem XIV. Nisan incidisse in diem 24. Martij vno die ante Æquinoctium ciuile; supponit autem Vossius Iudæos vsos Octaeteride Cleostrati, & huius Cyclum incœpisse ab Anno Iuliano 45. Quæ gratis dicta sunt, & contra veras regulas Kalendarij Hebraici, tam recentis, quàm antiqui, vt patet ex *Maiemonide in Kidus habodes* cap. 4. parag. 2. vbi præcipitur. *Si Tekupha Nisan* (ideſt vernum Æquinoctium) *incidat in XIV. Nisan aut post, intercalandum illo anno mensem, & ex Nisan faciendum secundum Adar.* Sed nunquam ratione Æquinoctij præcipitur, aut permittitur intercalatio vnius diei. Præterea si hoc receptum fuisset vsu communi, Christus quoque se illi

accommodaſset; cum ea conſuetudo vim legis haberet.

7 Ludouicus Capellus ait Iudæos Alexandrinos,& alios Conſultiores Tabularum Aſtronomicarum diem XV. Niſan ex Syzygia Lunari, vel ex medijs motibus computaſſe, & cum his Chriſtum Paſcha celebraſse, alios verò Iudæos, iuxta ritum proprium Iudæorum ex prima Phaſi Lunæ, dies menſis Niſan computaſse, ſed quid Chriſto cum Alexandrinis? nonne oportebat eum Iudæorum communes ritus potius ſeruare? & non dare occaſionem Ieroſolymitanis principibus Sacerdotum accuſandi ipſum tanquam peregrinæ, ac nouæ ſectæ addictum? Quanquam inueriſimile eſt in eadem Vrbe Ieroſolyma fuiſse toleratum hoc Schiſma, & totis illis diebus Azymorum diuerſis diebus ſacrificia, & reliquas cæremonias peractas à diuerſis Sectis. Denique ex Euangeliſtis ſimul collatis infra conſtabit eodem die Chriſtum, & Iudæos Ieroſolymis Paſcha egiſse.

8 Vuilhelmus Langius lib. 2. de annis Chriſti part. 2. cap. 6. docet, ſicut olim ex Ioſepho, Phariſæi, & Eſsæi traditiones ſequebantur, Saducæi verò ſolas Scripturas, ita, poſteà omnes Iudæos in duas Sectas diuiſos fuiſse, nempe *Talmudicorum*, & *Karræorum*. Talmudici, ſeu Traditionales traditionem ita venerantur, vt Scripturam illi poſtponant, vel ex traditione explicent; at Karræi, ſeu Scripturarij ſcripturas primo loco habent, ſecundo autem traditiones, & placita maiorum. Vtrique tamen in determinandis Neomenijs Phaſi prima Lunæ vtuntur, ſed diuerſo modo, quando Phaſis haberi non poteſt. Siquidem Talmudici, quando Luna die 30. non apparet, vel de hoc non ſunt teſtes idonei ſufficienter examinati, Menſem illum dierum 30. ſtatuunt, ita vt dies 31. ſit Neomenia menſis ſequentis. Karræi autem expectant diem 31. & ſi eo die Luna videatur paucis horis ante occaſum Solis, dies antecedens pro Neomenia eſt habendus, & dies, quo ſic viſa eſt Luna, eſt ſecunda dies menſis. Hinc fit, vt aliquando dies qui ſecundus eſt Karræis, ſit Talmudicis primus. Anno itaque 33. Chriſti, ait Langius die 19. Martij Nouilunium verum Ieroſolymis contigit poſt meridiem hor. 2 ½. nec illo veſpere Luna videri potuit, ideoq; Talmudici Neomeniam Niſan conſtituerunt die 20. Martij, & diem 15. Niſan, ideſt primam Azymorum celebrarunt die 3. Aprilis. Sed quia die 20. Martij Luna videri potuit duabus circiter horis ante occaſum Solis, ideo Karræi Neomeniam Niſan ſtatuerunt die 19. Martij, & diem 15. Niſan die 2. Aprilis, Chriſtus autem, cum Karræis celebrauit Paſcha, & neutri errarunt. Sed Langius tria probare debebat, quæ diſſimulauit. *Primò* ſcilicet duas has Sectas extitiſſe, aut tales regulas obſeruaſſe tempore Chriſti; *Secundò* viſam fuiſſe de facto Lunam die 20. Martij ad veſperam, non valet enim argumentum à poſſibili ad de facto; nam poſſent obſtare nubes toto illo die, quo caſu Karræi cum Talmudicis conueniebant in Neomenia ſecunda; *Tertiò* Chriſtum adhæſiſſe Karræis potius, quàm Talmudicis, præſertim cum Langius expreſſè dicat. *Membra præcipua Synedrij traditionum maximè ſtudioſos fuiſſe*. Ergo potius Traditionarijs, & Talmudicis debuit ſe conformare Chriſtus. Sed quandiu non oſtenditur oppoſitum, eſto poſt deſtructum Templum, & diſſipationem Iudæorum ſectæ diuerſæ ortæ ſint, & in diuerſis locis alij aliter Paſcha celebrarint, aut Neomeniam Niſan inſtituerint, tempore tamen Chriſti non poſſum credere Pontificem Iudæorum, & præcipuam partem Synedrij permiſiſse vt diuerſo die feſtum Azymorum celebraretur, & aliter, quam ipſi ſtatuiſsent.

Tertia pars affirmatiua ſolennitatis diei eiuſdem Paſcatis à CHRISTO omnibuſque Iudæis celebrati.

9 *Tertia* itaq; opinio eſt eadem prorſus die CHRISTVM Dominum Paſcha celebraſse, qua Iudæi reliqui; ita ſupponit S. Chryſoſtomus homil. 82. & 85. in Matthæum, & ex Chryſoſtomo Phocius num. 116. dicens. *Conſiderare oportet enim, quod Chryſoſtomus, & Eccleſia dicunt eum perfeciſſe myſticam cœnam legitimo tempore*, & S. Ambroſius Epiſtola 83. S. Auguſtinus Epiſ. 86. S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paſchate, Theophilus Alex. Epiſt. ad Theodoſium apud Bedam de ratione temp. c. 57. Anatolius Laodicenus apud Euſebium lib. 7. cap. 26. Victor Antiochenus in cap. 14. Marci, Theophilactus in Matth. 27. Theodoretus in Exodum q. 24. Origenes tract. 33. in Matth. S. Cyprianus Serm. de cœna Domini, S. Anſelmus lib. 2. de Imagine Mundi cap. 17. Beda ſupra, & Rupertus in Expoſit. Euangel. Abulenſis 2. parte defenſorij cap. 8. Baronius Anno Chriſti 34. num. 29. Emmanuel Sà in notis, Toletus in cap. 13. & 18. Ioannis annot. 3. & 5. Suarez tom. 2. in 3. par. diſp. 40. ſect. 4. Baradius tomo 4. lib. 1. cap. 6. & lib. 7. cap. 3. Salianus tomo 6. in præfat. & ad Mundi annum 4086. num. 29. Pintus in Chriſto Crucifixo titulo 5. loco 2. Grandamicus Q. Euang. de die ſupremo, & Natali Chriſti cap. 4. parag. 2. nu. 13.

10 *Primò* hæc ſententia colligitur ex Euangeliſtis, qui de die illa, in qua Chriſtus cœnam Paſchalem peregit, loquuntur tanquam de die vulgò nota, & deputata ex communi ſenſu ad ſolemnem agni Paſchalis eſum, & eodem modo CHRISTVS ipſe locutus eſt Matth. 26. dicens: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet*; non dixit *faciemus*, ſed *fiet*, nempe ab omnibus, & communiter; & vndenam ſciebant hoc diſcipuli eius, nunquid ex peculiari documento Chriſti? minimè: ſed ex notoria conſuetudine, & publica notitia; & verſu 17. *Prima autem die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad IESVM dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* prima dies Azymorum erat 14. dies Menſis, qua oportebat exterminare fermentum, iam ergo illa dies aduenerat, & hanc eſſe primam diem Azymorum ſciebant, ac ſupponebant, vt rem notiſſimam, ideoque non interrogarunt de tempore, de quo ne ſuſpicandum quidem erat, ſed de loco vbi, et apud quem vellet agere Paſcha. Et verſu 19. *Apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*, ideſt tecum, & eo die, quo, & Tu. Marci vero cap. 14. verſu 12. ſcriptum eſt: *Et primo die Azymorum quando Paſcha immolabant &c.* Græcè ὅτε τὸ Πασχα ἔθυον, ideſt omnes ſimpliciter, & ſine vlla reſtrictione, et Lucæ 22. verſu 7. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*; qua, quæſo neceſſitate? nonne legis, quæ omnes obligabat? vbi præclarè Hilarion ait S. Lucam oſtendere neceſſitatem legis, non libertatem voluntatis, additq; ex mente Theologorum ſapientium, definiendum eſse Chriſtum Crucifixum propria die Luna 15. quæ erat Paraſceue. Nec aliter loquitur, aut ſupponit S. Ioannes nam c. 11. ait verſu 55. *Proximum autem erat Paſcha Iudæorum*, et c. 12. *IESVS ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam*, et verſu 12. *In Craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum &c.* vbi celebritatem palmarum deſcribit; ſupponit ergo notum diem Paſchatis, alioquin non ſatis docuiſset quodnam eſset illud Paſcha, ante quod ſexta die venit Chriſtus Bethaniam, et die ſequenti, ideſt quinta exceptis eſt cum ramis palmarum ingreſſuſq; Ieroſolymam; ſed quia id notiſſimum erat, Eccleſia in S. Ioanne fundata celebrat palmarum feſtiuitatem die Dominica, nempe quinta ante Paſcha, ideſt ante feriam 5. in cuius veſpera comedendus erat agnus Paſchalis. Quando autem capite 13 ait Chriſtum cœnaſse. *Ante diem feſtum Paſchæ*: accuratiſſimè locutus eſt; non dixit enim *ante Paſcha*, ſed ante diem feſtum Paſchæ, quia dies 14. Niſan ad cuius veſperam pertinebat eſus agni Paſchalis non erat dies feſtus, et nomen ἑορτὴ, ſignificat celebritatem, quæ de die facienda erat die 15. Niſan.

11 *Secundò* aliter idem ex Euangeliſtis confirmatur: Nam Matth. 27. verſu 15. narratur: *Per diem autem ſolemnem conſueuerat præſes populo dimittere vnum vinctam quem voluiſſent: congregatis ergo illis &c.* & idem refert Marcus c. 15. num. 5. et S. Lucas cap. 23. num. 16. *Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum vnum*. Ergo et Pilatus, et Populus ſciebat communiter, illum diem eſſe diem feſtum ſolemnem, et ſolito ritu recurrentem, quo neceſse erat dimittere vnum vinctum, nec poterat differri in alterum diem. Alioquin Pilatus expectaſset ſequentē diem, ſi ſciret Iudæos nondum manducaſse agnum Paſchalem, ſed perendinaſse, et tranſtuliſse ſolemnitatem Azymorum in diem ſequentem. Sed et ipſi Principes Sacerdotum, et Seniores populi adeo certi erant diem illum, quo apud Pilatum ſatagebant, vt Chriſtus ab eo reus mortis iudicaretur, eſse diem feſtum, vt ad vitandam irregularitatem, et immunditiam legalem, quam contraxiſsent agendo partes accuſantium, et in foro contentioſo, et quæſtione criminali, vt noluerint ingredi prætorium, atteſtante Ioanne cap. 18. verſu

versu 28. *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Erat ergo illa dies solemnitas, & dies festus Azymorum, alioquin si fuisset dies 14. Nisan penes Iudæos, licuisset ipsis introire in prætorium. Sanè mirùm videbitur Pilatum non distulisse iudicium post festa Paschalia, vt possent introire prætorium, & causam iuxta leges iudiciales, & capitis ordinatim peragere, sicut Herodes custodiuit postea Petrum volens post Pascha producere eum populo, sed DEVS iam decreuerat solemnem hunc diē morti Christi, ideoq; permisit Pilatum, & Iudæos cæca quadam perturbatione ordinis iudicialis præcipitare sententiam. Hic porrò recolendum est quod Leuitici 23. versu 6. præcipitur. *Quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solemnitas Azymorum Domini est*, quod repetitur Numerorum 28. versu 16.

12 *Tertiò* nulla est necessitas, aut probabilior ratio asserendi CHRISTVM diuerso die Paschalem agnum manducasse, ab ea qua Iudæi reliqui communiter illum manducarunt; & è contrario ex Euangelistis, vt supra num. præc. ostensum est, ipsaque ratione conformitatis debitæ cum die decreta à principibus Sacerdotum, necesse est dicere oppositum; ergo &c. Nam si qua est necessitas maximè triplex dictum S. Ioannis Euangelistæ à Græcis, alijsue adduci solitum; sed inde nulla est talis necessitas. Primo enim non illud, quod cap. 13. dicitur. *Ante diem festum Paschæ*. Christum surrexisse à cœna facta: nam, vt supra exposui, vespere facto discubuit cum discipulis, & manducauit agnum Paschalem vespere inquam decimæ quartæ diei, quæ nondum erat festiua, sed dies sequens, nempe 15. Mensis Nisan, iuxta Leuitici locum nuperrimè adductum. Et quamuis dies apud Hebræos ab occasu Solis inciperet, ideoque & dies 15. Nisan ab occasu Solis incœperit, Phase tamen, idest Agni esus festinanter ad vesperam factus, pertinebat ad finem potius diei 14. quàm ad initium diei 15. & multo minus ad diurnam partem diei naturalis, in qua celebranda erant Sacrificia, scitè igitur cœnam Christi, & Phase ante festum Paschæ fuisse dixit Euangelista.

Secundo dictum illud capite 18. Ioannis versu 28. *Vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, non est restringendum ad solum agnum Paschalem 14. die ad vesperam comedendum, sed intelligendum de alijs ouibus, & bobus die 15. & sequentibus, quæ immolari debebant, iuxta illud Deuteronomij 16. versu 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus*; sic, & septuaginta: *Immolabis Pascha Domino Deo tuo oues, & boues*, vbi habetur Πάσχα. Summunt enim pro eodem Phase, & Pascha. Sic 2. Paralipom. c. 35. scribitur Iosias *fecisse Phase Domino, quod immolatum est quarta decima die mensis primi*, postea recensentur multa millia ouium, & bouum ab eo collata ad sacrificium, quod die toto sequenti celebratum est, & ipsum ibi Phase, seu in Hebræo *Pesach*, seu *Pesachim* non semel vocatur, vt vertunt Pagninus, & Vatablus.

Tertiò quando S. Ioannes cap. 19. versu 14. ait: *Erat autem Parasceue Paschæ hora quasi sexta*, non significat fuisse diem, qua præparanda essent omnia ad Paschalem legē implendam necessaria, aut præcedentem esui agni Paschalis tanquam peruigilium Paschæ, sed illam Parasceuem Sabbato præcedentem, quæ in Paschalem hebdomadam inciderat, seu feriam sextam illam, quæ ad dies Paschales pertinebat; sicut in Breuiario, & Missali Romano dicitur Dominica Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi &c. quæ incurrit intra octauas harum solemnitatum. Aliunde autem nusquam in Sacra Scriptura legitur alia Parasceue, nisi quæ ad Sabbatum pertinet, & de hac vna dictum est Exodi 16. *Die sexto parent quod inferant*, redditurq; ratio. *Requies Sabbati sanctificata est Domino cras, quodcunque operandum est facite, & quæ coquenda sunt coquite*; vtique hodie, Parasceue enim instituta fuit ad cibos præparandos, quos fas non erat die Sabbati præparare, at id erat solius Sabbati priuilegium, seu requies sanctificata, ergo vni Sabbato deseruiebat Parasceue, alijs enim diebus festis extra Sabbatum licebat coquere cibos etiam Paschalibus, iuxta illud Exodi 12. *A primo vsque ad septimum nihil operis facietis exceptis his, quæ ad vescendum partinent*. Licebat etiam sepelire mortuos, vt patet ex Tobiæ cap. 2. Sic Iosue Arimathenus, & Nicodemus die Azymorum licet festo, & solemni emerunt Sindonem, & aromata antequam Sabbatum incœperit. Dicitur verò magnus ille dies Sabbati, qui successit, quia in festa Paschalia incidit. Non esse verò necessarium hanc diuersitatem inducere, vt verificetur Christum fuisse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus constabit ex dicendis capite sequentis.

CAPVT IX.

De Feria, qua CHRISTVS Mortuus est, & Resurrexit, & qua ratione fuerit in corde Terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

CONCLVSIO IX.

Certum est apud Catholicos CHRISTVM resurrexisse à mortuis feria prima, seu die Dominica; mortuum verò esse feria sexta, seu die immediatè Sabbatum præcedente, & ea ratione fuisse in corde terræ, qua Ionas fuerat in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, seu qua satis fuit ad verificandum, eum resurrexisse tertia die, à die mortis inclusiuè computata; nec ideo minus immò magis stetisse promissis, quàm si vsque ad horam nonam feriæ secundæ resurrectionem suam distulisset.

Prima pars de Dominica Resurrectionis.

1 PRimò ex Euangelistis constat eo die Christum surrexisse à mortuis, qui immediatè Sabbato successit, hic autem non alius fuit, quam feria prima, quam Hebræi, & Syri *Primam Sabbati*, seu *vnam Sabbati* vocant dicitur enim Matthæi 28. *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulcrum*, & additur Angelum ipsis dixisse; *non est hic: surrexit enim sicut dixit*; Nomine autem vespere lucescentis in prima Sabbati intelligi posset, vel initium noctis, quo ob crepusculum vespertinum aer luceret, aut etiam in quo luceret stella Veneris dicta Hesperus, seu Vesperugo, à quo tempore incipiebat dies Hebræis; vel intelligi potest nox ipsa, iuxta illud Geneseos primo. *Factumque est vespere, & mane dies vnus*, idest ex nocte, ac die constans, ita tamen, vt peruenerint ad monumentum illa parte noctis, in qua siue ob stellam Luciferum dictam, siue potius propter ordinarium crepusculum matutinum lucesceret aer, quod magis consonum est alijs Euangelistis, nam Marci 16. dicitur; *Et cum transisset Sabbatum Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerēt IESVM. Et valde manè vna Sabbatorū veniunt ad monumentum orto iam Sole.* At Lucæ 23. in fine de mulieribus illis dicitur notato loco sepulchri reuertisse, ac emisse aromata, & vnguenta, & Sabbato quidem silu isse propter mandatum, siue quia parauerunt illa, non quidē Sabbato cuius initium imminebat, quando sepultus est Dominus, dicente Luca, *ibidem, & dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat*, sed transacto Sabbato; vel quia aliquæ ex illis statim, aut partem aromatum parauerunt aliæ verò, vel eædem, sed reliquam partem aromatum initio noctis Sabbato succedentis, parauerunt. Capite autem 24. Lucæ dicitur, *Vna autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum &c.*

Videtur tamen Maria Magdalenæ præ feruore præcurrisse alijs mulieribus, cum Ioannis 20. dicatur: *Vna autem Sabbati, Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum*. Quibus locis, non potest intelligi nomine Sabbati, nisi determinatus ille dies, qui Parasceuæ successit, cuius transitus expectandus fuit, quiescendumq; ab itinere.

2 Ex traditione Apostolica constat Pascha ideo celebrandum Dominica die seu feria prima à Christianis, quia eo die Christus resurrexit, vt iam ostendimus libro 1. cap. 25. Vide de prærogatiuis diei Dominicæ Bellarminum l. 3. de cultu Sanctorum c. 12. & Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 46. Neque opus est hic Canones Apostolicos, & Conciliorum super hoc afferre cum sint in promptu, nec de hac die sit iam controuersia.

Secunda pars de feria Sexta.

3 PArs hæc est contra Paulum Middelburgensem in Summa Paulina parte 2. lib. 1. cap. 2. & lib. 2. c. 2. ac Vilhelmum Langium lib. 2. de annis Christi parte 2. cap. 4. Contendit enim Paulus ille, aut Christum non surrexisse vna, seu prima Sabbati, sed vt loquitur Marcus vna Sabbatorum, quod potest intelligi de feria secunda, aut nō esse mortuum feria sexta, sed quinta, aut si mortuus est feria sexta, & resurrexit feria prima, Sabbatum intermedium duplicatum fuisse, ac reiteratum, eo modo quo anno bissextili bis pronunciamus diem 24. Februarij. Fingit enim ex quodam Rabbi Raua, Iudæos in captiuitate Babylonica spoliatos libris omnibus, nec valentes Lunæ cursum supputare, solo visu Lunam obseruasse, ne autem in solemnitate Paschali errarent, de Consilio Esdræ reiterare solitos diem decimam quintam Nisan, ac bis eam celebrare proinde anno, quo passus est Christus non solum feria 6. sed etiam 7. celebratum fuisse festum Azymorum, & feria octaua iterum Sabbatizatum esse, illamque hebdomadam constituisse diebus 8. non secus, ac illam, in qua Iosue iubente prolungata fuit dies: ita Paulus ille, quem ne nominare quidem in textu, nec refutare dignatus est Baronius tomo 1. Annal. pag. 194. sed solum dixit. *Sed apage eiusmodi fabulosum commentum, nec diutius aures Ecclesiæ Dei obtundat.* Occasio autē figmenti huius non alia fuit, quàm vt verificari posset Christum fuisse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, vt inculcat ibi Paulus, & ex eodem motiuo Langius contendit Christum vno die citius celebrasse Pascha, quàm Talmudici, seu Traditionales Iudæi fecerint, & feria quinta illa mortuum esse, quæ Iudæis illis erat 14. Nisan, mansisseque in sepulcro tota feria 6. & toto Sabbato, ac magna parte noctis sequentis.

4 Sed ex communi sensu Ecclesiæ, & vnanimi sensu Patrum in interpretando Euangelio constat Christum Dominum feria 6. mortuum, ac sepultum esse vnicoque Sabbato transacto resurrexisse, adeo vt Beda de ratione temporum cap. 45. dixerit: *Nam quod Dominus decima quinta Luna, feria sexta crucem ascenderit, & vna Sabbatorum, idest die Dominica resurrexit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi pariter et Euangelio videatur incredulus.* Sed ante hunc S. Dionysius Areopagita Epist. 11. ad Apollophanem describens Eclipsim à se visam eo die, quo Christus in Cruce passus est inquit: *Cum feria quadam sexta, & hora etiam pene sexta, sol horribilibus subito est obsitus tenebris &c.* Athenis enim nondum erat hora sexta exactè, quando erat Ierosolymis. Sanctus verò Ignatius Epist. 5. ad Trallianos affirmat Christum die Paraseues hora nona expirasse, ante Solis occasum sepultum esse, Sabbato mansisse in illo; Dominica autem die resurrexisse. Et S. Irenæus lib. 5. cap. 23. *Dominus venit ad Passionem pridie ante Sabbatum, quæ est sexta conditi mundi dies, in qua homo plasmatus est*, quod idem expresse affirmat S. Ambrosius lib. 10. epist. 83. Idcirco etiam Ecclesia illo die abstinet à carnibus, quia feria sexta Christum mortuum esse pro certo habet, vt constat ex Clemente lib. 5. Constit. cap. vlt. & lib. 7. cap. 22. S. Ignatio epist. 8. ad Philipp. Clemente Alex. lib. 7. Strom. Origene homil. 10. in Leuit. Epiphanio hæresi 25. S. Augustino Epist. 86. & 119. à c. 13. ac lib. 4. de Trinit. cap. 5. Itaq; Salmeron prolegom. 38. Concl. 10. id adeo certum censet, vt temerarium saltem sit oppositum docere, & Onuphrius in fastis pag. 308. ac Salianus anno Mundi 4086. num. 14. traditionem Ecclesiæ cum Beda reputent, & Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 40. sect. 5. dicat id apertè constare ex Euangelio.

5 Etenim S. Matthæus cap. 27. mortuum Christum, ac sepultum narrat in die Paraseues, et sequenti die custodes additos sepulcro, dum versu 62. ait, *altera autem die, quæ est post Paraseuem conuenerunt &c.* dies autem, quæ est post Paraseuem simpliciter sic dicta nulla alia est, quam Sabbatum, in quo quia non licebat coquere cibos, ideo dies præcedens quo præparandi erant, dicta est. *Paraseue* est enim Græcè παρασκευη, idem ac præparatio, seu dies præparationis; Et cap. 28. statim nominat *Vespere Sabbati*. At S. Marcus cap. 15. narrata morte Christi versu 42. ait: *Et cum iam serò esset factum, qui erat Paraseue, quod est ante Sabbatum, venit Ioseph ab Arimatthia &c.* Et cap. 16. ait: *Et cum transisset Sabbatum &c.* item S. Lucas cap. 23. sepulturam Christi describens eius tempus designat sic. *Et dies erat Paraseues, & Sabbatum illucescebat*, deinde cap. 24. iter mulierum ad monumentum describit factum *Vna Sabbati*. Ergo illo die Paraseues mortuus, & sepultus est Christus, cui immediatè Sabbatum successit, atque adeo feria sexta. Nec aliud significauit S. Ioannes cap. 18. quando versu 14. dixit: *Erat autem Paraseue Paschæ*, cum eodem capite versu 42. dicat Iosephum, & Nicodemum sepelisse Dominum in loco vicino Crucifixioni, nec alio illum asportasse defectu temporis, quia Sabbatum imminebat, & finiebatur Paraseue, id enim significant verba illa. *Ibi ergo propter Paraseuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt IESVM.* Quæ est ista Paraseue Iudæorum? vtique illa Iudæis vsitata, qua ante Sabbatum oportebat præparare cibaria. Non potest ergo nomine Sabbati intelligi quælibet dies, sed sicut vnica, & determinata fuit dies Paraseues, ita vnica, & determinata dies Sabbati.

6 Figmentum autem Pauli Middelburgensis, nec vllos ante se idoneos auctores habuit, nec postea imitatores, vsq; adeo absurdum est. Primò enim sibi ipse repugnat dum parte 2. lib. 3. cap. vlt. ait Iudæos transtulisse diem Azymorum ad diem sequentem ne duo festa continuarent nempe Azymorum cum festo hebdomadario Sabbati, at huic intentioni repugnat continuatio, seu reiteratio eiusdem festi, ac duplicatio Sabbati. Deinde nulla maior ratio erat ad vitandum errorem in Paschate, postponendi, & iterandi diei potius sequentis, quam anticipandi, fac enim die 25. Martij (exempli meri gratia) fuisse debitum diem, non minus errare poterant eo die celebrando; ergo ad vitandum vtrumq; errorem, debuissent tribus diebus celebrare, vt securiores essent, puta die 24. & 25. & 26. Martij. Nec certe Ierosolymis tempore Christi erat illa ambiguitas, cum Synedrium ex Phasi Lunæ, aut eius defectu ex certa regula decerneret Neomeniam Nisan, & inde Azymorum festum, quod in eandem semper feriam incidebat, in quā Neomenia Nisan, & suum decretum promulgaret, vt dictum est lib. 1. vbi de ritu Paschatis Hebraici. Quod autem in Concilio Cæsarienſi, vt refert Beda Opusc. de Æquinoctio dicatur Christum passum ab XI. kal. April. et resurrexisse VIII. Kal. April. nihil Paulo suffragatur, id enim dictum, quia eius passionem à captura post cœnam inchoat, iuxta Concilium enim illud captus est, & vexari cœpit nocte diei XI. kal. April. & die X. actus in Crucem, & die VIII. April. surrexit.

Tertia pars de tribus diebus, & tribus noctibus in cordæ terræ.

7 IN Prophetia Ionæ cap. 2. dicitur: *Et præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam: Et erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus*; quo alludens Christus Matthæi 12. vers. 40. dixit: *Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, loquens de tempore quod erat interfuturum à sui morte, vsque ad resurrectionem. At Iudæi teste Paulo Middelburgensi parte 2. summa in prologo, contra Euangelicam veritatem, argumentum hoc *solutu difficillimum* inquit ipse, solent obijcere: Esto enim de tribus diebus partem attigerit, nempe de feria 6. ab hora 9. ad occasum Solis, & totum diem Sabbati, & noctem ei succedentem, ac spectantem ad feriam primam; non tamen de tribus noctibus participauit illud tempus, sed de duabus tantùm, & tamen tres noctes distinctas à tribus diebus numerauit Christus; ideo-

que

que multæ responsiones afferri solitæ non videntur ad amussim satisfacere.

8 Primò enim S. Hieronymus in cap. 2. Ionæ ait: Nos συνεκδρομικῶς *totum intelligimus à parte, vt ex eo quod ἐν παρασκευῇ mortuus est, vnum diem supputemus, & noctem, & Sabbati alteram; tertiam verò noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius.* Nam cum dies Naturalis constet ex nocte & die artificiali, pars posterior feriæ sextæ numerari potest pro die vno, & vna nocte, idest pro vno die cõstante ex die artificiali, ac nocte, vi figuræ Synecdoches quo pars pro toto sumitur; prior autem pars diei Dominicæ, quæ fuit nox, sumi potest pro tertia nõ solum nocte, sed etiam die, idest pro toto illo qui ex die artif. & nocte componitur. Et eodem modo respondet S. Augustinus lib. 3. de Doctr. Christi, & lib. 3. de Consensu Euangelist. c. 24. & lib. 4. de Trinit. cap. 6. Beda de rat. temporum, et in cap. 12. Matthæi, S. Anselmus in cap. 12. Matth. Cassianus l. 6. de Incarn. cap. vlt. S. Thomas 3. p. q. 51. à 4. Suarez ibidem tomo 2. d. 46. sect. 3. Sanctius in c. 2. Ionæ, et plerique interpretes in c. 12. Matthæi.

9 *Secundò* Suarez, et Sanctius supra, et Heruartus cap. 174. suæ Chronologiæ insinuant more Romano accipi posse initium diei à media nocte; atque ita ab hora 9. feria 6. vsque ad mediam noctem sequentem computari primam diem, et primam noctem; à media autem nocte, quæ successit feriæ sextæ, vsque ad mediam noctem, quæ successit Sabbato, haberi diem secundam, et secundam noctem: demum à media nocte succedente Sabbato, ad ortum Solis, quæ spectant ad primam feriam computari posse tertiam noctem, et particulam tertiæ diei, et sic Synecdoches beneficio, sed distinctione trium dierum, ac trium noctium seruata, tres fuisse dies, ac tres noctes. Innuit, et hanc Baronius tomo 1. pag. 195.

10 *Tertiò* aliqui cum Alcuino lib. de diuinis officijs dixerunt Christum resurrexisse, non nocte præcedenti diem Dominicam, sed subsequenti; at hoc est contra Euangelium, et Ecclesiæ sensum, nam prima Sabbati illucescente, seu diluculo manè Christus iam resurrexerat. Multominus admitti potest Christum in sepulchro iacuisse horas 72. ideoque, vt ait Durantes in Rationali, Candelas 72. accendi, et extingui solere in triduanis Christi exequijs, id enim fit ex abundanti, vt comprehendatur tempus, quo Iudas vendidit Christum pacto inito cum Iudæis.

11 *Quartò* minimè satisfacit si dicas cum nescio quibus apud S. Augustinum lib. 3. de Consensu Euang. c. 4. nomine tertiæ noctis intelligi Eclipsim Solis illam, qua tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, et Phlegonte asserente, stellæ in cœlo visæ; nam tenebræ illæ defierunt hora 9. qua Christus expirauit, et nondum anima eius ad inferiores partes terræ, nedum corpus in sepulcrum ingressa, erant, neque item si dicas cum Eusebio Emiss. homil. feriæ 4. post 1. Dom. Quadrag. non improbante Caietano in cap. 12. Matth. nocte illa, qua comprehensus fuit Dominus traditum fuisse potestati tenebrarum, fuisse in corde terræ, idest in corde Iudæorum arido, et obcæcato. Neque item si dicas cum Nysseno Oratione 1. et 2. de Resurrectione, nocte qua manducandum se dedit discipulis fuisse in corpore eorum tanquam in sepulchro. Neque item si dicas, vt olim ego somniabam, cœpisse aliquid Christi esse in corde terræ, quando guttæ sanguinei sudoris decurrentes in terram penetrarunt; Hæc enim non de vera Christi Sepultura, nec de vero descensu ad infernas Limbi partes verè, & propriè accipi possunt. Item si dixeris in Limbo fuisse noctem, etiam eo tempore, quo dies erat supra terram, non tres noctes, sed vnam noctem continuam pro tribus repones. Si verò fingas Christum post resurrectionem reasumpto corpore, idest animæ reunito, iterum corporaliter descendisse ad Limbum, & Purgatorium, & secum adduxisse multa corpora Sanctorum nocte sequente Dominicam Resurrectionis, id gratis, & nouitate suspecta dixeris. Denique si cum Euthymio cap. 68. in Matth. dicas Christum futurum fuisse in sepulchro tres dies, & noctes, si Iudæi totidem diebus, & noctibus custodissent sepulchrum, sed quia non decreuerunt custodiri nisi in diem tertium opportuisse vt antequam custodes abirent resurgeret falsum suppones; Nam illorum intentio fuit, vt custodieretur sepulchrum toto illo tempore, quo possent discipuli furari corpus Magistri, et dicere ipsum surrexisse quod tempus tres integros dies naturales requirebat, sed ante horum complementum resurgente Christo custodes terræmotu, et fulgore Angelico exterriti fugerunt.

12 *Quintò* responderi posset cũ Isidoro Pelusiota epist. 114. Christũ nõ aseruisse de tribus diebus, & noctibus absolutè, sed relatiuè, seu comparatiuè ad tempus, quo sciebat ipse Ionam fuisse in ventre Ceti, sciebat enim non fuisse trium integrorum dierum, nec trium integrarum noctiũ, esto vulgo id putaretur; Qua igitur ratione Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus, et tribus noctibus, eadẽ et Christus futurum se in corde terræ dixit. Verum possent Iudæi retorquere argumentum, vel resumere, & vrgere dicendo. Atqui ex Sacra Scriptura Ionæ 2. Ionas fuit in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus distinctis, ergo, & Christus debuit iuxta suam promissionem æquali tempore, et tribus diebus, ac tribus noctibus distinctis, vt litera sonat, esse in corde terræ. Ideo Isidori responsionem sustinendo dicimus Christum locutum esse in illa comparatione in sensu non ampliatiuo, sed restrictiuo, ac si diceret: Sicut Ionas in ventre Ceti non mansit vltra tres dies, et tres noctes, immò antequam complerẽtur tres dies, et tres noctes egressus est de ore Ceti, ita filius hominis in corde terræ non manebit vltra dies tres, et tres noctes, immò antequam compleantur, resurget.

13 *Postremò* non excludendo primam, secundam, & quintam responsionem, sed illas generatim, et communi quadam ratione includendo, respondemus hanc Christi promissionem, et prophetiam, ex alijs loquendi formulis explicandam, et eo sensu verificari sufficienter, quo sensu dixit Christus Matth. 17. *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget*, & Lucæ 9. *Oportet filium hominis multa pati &c. & occidi, & tertia die resurgere*; Et Ioannis 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; Esto Marci cap. 8. dicatur: *Oportet filium hominis occidi, & post tres dies resurgere*. Et Iudæi Pilato dixerunt apud Matth. 27. *Seductor ille dixit adhuc viuens: post tres dies resurgam: iube ergo custodiri sepulchrum. vsque in diem tertium.* Certum est autem ad has propositiones verificandas, sufficere si resurrexit tertia die à die mortis inclusiuè computata. Nec aliter interpretatus est Angelus mulieribus Lucæ 24. dicens: *Recordamini qualiter locutus est nobis &c. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere*. Hæc enim dixit Angelus summo mane diei Dominicæ, et eodem die duo discipuli euntes Emmauntem dicebant. *Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt*: sicut illud Lucæ 2. *Et postquam consummati sunt dies octo*, intelligitur non de diebus 8. completis, sed inchoatis.

14 Proinde si Christus Dominus, reuera tertia die resurrexit, nec mansit in sepulchro plures dies, aut noctes, quam Ionas in ventre Ceti, sed sicut ille non manserat in ventre Ceti tres integras noctes, ac dies, ita et ipse ante illarum complementum resurrexit, non minus, immò magis impleuit conditionem, tum quia exæquauit tempus Ionæ, tum quia quando debitor præfixit in contractu tempus ad solutionem debiti, si anticipata solutio creditori non sit incommoda, censetur magis soluisse, quàm si nihil anticipasset; cum autem ad verificandam mortem ipsius, non essent necessarij tres integri dies naturales, sed sufficerent horæ circiter 40. quam primum post hoc tempus resurgere eum conueniebat, ad manifestandam diuinam suam potentiam, & implendam prophetiam illam Psal. 56. *Exurgam diluculo*.

CA-

CAPVT X.

De die in forma Anni Iuliani, qua Christus mortuus est, & an, & quibus regulis possit id certo determinari.

CONCLVSIO X.

Quamuis non sit certum CHRISTVM mortuum esse die 25. Martij potius, quàm alio die Martij, aut Aprilis; nec ad certo determinandum diem mortis eius suppetant nobis regulæ infallibiles, longè tamen probabilius est, & penè moraliter certum CHRISTVM Dominum mortuum esse 3. die Aprilis.

Quæstio, vt dixi in titulo capitis, est de die iuxta formam anni Iuliani, quod tempore Christi iam apud multos Romano Imperio subiectos inualuerat. Nam in forma anni Hebraici certum est mortuum esse feria illa sexta, quæ incidit in diem 15. Mensis Nisan, vt de feria 6. ostendimus præcedenti, & de die 15. Nisan destinata à Deo ad festum Azymorum, in quo mortuum Christum narrant Euangelistæ, constat ex 12. Exodi, & Leuitici 23. &c.

Prima pars de die 25. Martij &c.

1 NVlla extat de die aliquo Martij, aut Aprilis, quo mortuus sit Christus, reuelatio in Sacris literis, nulla traditio Apostolica, nullum decretum Ecclesiæ, nec vnanimis consensus Patrem, aut Doctorum, immò diuersæ, ac valdè discrepantes opiniones, quæ iam commemorandæ sunt incipiendo à die 20. Martij, vsque ad 16. Aprilis intra quos consistunt opiniones de die mortis Christi.

Prima Opinio Christum mortuum esse die 20. Martij, fuit S. Epiphanij hæresi 51. Alogorum num. 23. dicentis: *Succesſere Consules Vinicius, ac Longinus Cassius sub quibus Saluator passus est A. D. 13. Kalendas Aprilis*: ante diem dixit, quia mortuus est in meridie. Petauius tamen in Animaduersionibus vertit *13. Kal. April.* quibus consentiunt, quæ de Resurrectione addit dicens. *Demum Dominica dies illuxit, quæ Inferos, terram, cælumq; sua luce collustrauit, propter Lunam xv. Solisq; cursum, & quia Resurrectio, & Aequinoctium in xj. Kalend. Aprilis concurrunt.* Putauit ergo Epiphanius Æquinoctium, & Resurrectionem Domini coincidisse in 22. Martij, & Christum passum Luna XIII. biduo anticipando legitimum tempus cum Iudæis vitioso Cyclo vsis, & sic Luna XV. seu in plenilunio resurrexisse; sed hanc anticipationem iam supra reiecimus.

Secunda Opinio mortuum esse Christum die 23. Martij, & die 25. Resurrexisse, fuit Theophili Cæsariensis in Epistola Synodica, quam contra Quartadecimanos cum Patribus illius Synodi scripsit, cuius fragmentum extat, non in Conciliorum tomo, sed apud Bedam de rat. temp. cap. 45. vbi dicitur: *Passus est Dominus X. Kal. Aprilis quà nocte à Iudæis est traditus, & VIII. Kal. Aprilis Resurrexit*: additque Theophilus Gallicanam Ecclesiam, ideo Pascha celebrare consueuisse die 25. Martij, quacunque demum feria incidente, quia putabat eo die Christum resurrexisse; Quod ipsum obseruabant Tusci, & Montani, & Cappadoces, vt constat ex Historia Eccl. sed & S. Anselmus lib. 2. de Imagine Mundi cap. 17. ait. *Qui Euangelium diligenter legerit Dominum non VIII. sed decimo Kal. April. passum videbit.* Eiusdem opinionis fuit Græcanica Ecclesia cum Niceta; Georgius Pisida in sua Chronol. Cedrenus, Anastasius Antiochenus apud Eusebium, Lactantius lib. 4. de vera Sap. c. 10. Ado, & Hippolytus in Chronico, Gerlandus Lotharingus apud Paulum Forosempr. item maximus Monachus, & Iulius Pollux apud Heruartum cap. 156. et 176. ex recentioribus autem Io. Dekerius in Thesibus Laurentij Susligæ thesi 4. et annot. 22. vbi Cæsarienſis Synodi authoritatem tanquam decretum Apostolicum inculcat, eique dat manus in hoc Petauius l. 12. c. 12. et Keplerus in Sylua Chronol. Tirinus in Chronico Sacro c. 48. concl. 5. et inclinat Henricus Philippi in Synopsi Chronol. c. 18. nu. 22. et c. 20. nu. 12. Sed errorem de celebrando Paschate die 25. Martij quacunque feria redarguit miraculum fontium babtismalium, de quo S. Leo Epistola 63. et Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 12. Nec ab antiquis habita est ante Bedam magna fides Synodo illi Cæsarienſi, vt aduertit Petauius in Animadu. ad Epiph. pag. 175. & Grandamicus in Q. Euangelica de hac die pag. 54. Fundamentum enim Theophili, et eius Sectatorum fuit Christum resurrexisse eo die, quo mundus fuit conditus, conditum autem existimabat in Plenilunio, & Æquinoctio Verno die 25. Martij, quod nec est de fide, & quoad diem Aequinoctij falsissimum, ex Tabulis enim Astronomicis constat Aequinoctium in Mundi initio multo posterius accidisse, nec nisi circa finem Aprilis, aut initium Maij.

Tertia Opinio ponit mortuum Christum die 24. Martij: Ita Q. Hilarion, & Iacobus Mazzonus lib. 1. Defensionis Dantis cap. 17. sed ex suppositione, quòd Christus mortuus sit anno 34. Epochæ Christianæ, & iuxta regulas Kalendarij Stophlerini: In eadem diem propendet Baronius tomo 1 pag 186.

Quarta Opinio, quæ altas in vulgus radices egit, est mortuum esse die 25. Martij, seu 8. Kal. April. ita Tertullianus adu. Iudæos cap. 8. dicens: *Quæ Passio huius exterminij intra tempora LXX. hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubelio Gemino, & Fusſo Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ die VIII. Kalendarum Aprilium die prima Azymorum.* Et S. Io. Chrysostomus Serm. de Natiuit S. Io. Bapt. *Conceptus est ergo Dominus noster Octauo kalendas Aprilis, Mense Martio, qui est dies Paschæ Passionis Domini, & Conceptionis eius in qua enim die conceptus est in eadem, & passus est.* Et S. Augustinus 4. de Trinit. cap. 5. *Octauo enim Calendas Aprilis conceptus creditur, quo, & passus.* Et S. Cyrillus Alex. in Epist. ad Synodum Carthagin. *Eodem die Christus conceptus est in vtero, & mortuus in Cruce.* Idem sentit S. Hippolytus in canone Paschali, Cassiodorus in Chron. ad Consulatum V. Tiberij, Beda de ratione temporum cap. 45. dicens esse *vulgatam multorum Doctorum Latinorum Sententiam*, Albertus magnus in Epist. Dionysij ad Polycarpum Nicephorus in Chron. ad annum 33. Christi, S Thomas 1. in cap. 2. Ioannis, Martyrologium Romanum vetus ab Heriberto Rosuueydo editum, & Vsuardi, & Adonis; Campanus in computo Eccl. Salmeron proleg. 38. sub finem spectata 15. Luna ex Phasi prima computata; Salianus ad Mundi Annum 4088. num. 13. Bonacina de Incarnatione d. 3. q. 3. p. 13. paragr. 13. Heruartus cap. 158. Chronologiæ, Mariana de hac die 13. anno 34. In eandem opinionem propendunt, Baronius ad Annum 34. num. 153. et Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 40. sect. 5. adducens S. Antoninum, et Platinam, et quædam Acta Pilati, videturque confirmari ex die boni Latronis eodem die consignato in Martyrologio Romano, sed vt aduertit Petauius l. 12. c. 13. in nullo antiquo Martyrologio ex multis, et à se lustratis, reperitur ad diem 25. Martij memoria Passionis Christi, idipsum testatur Io. Lucidus, qui in Chron. l. 7. c. 2. obseruat opinionem hanc de mense Martio ortam ex eo, quod Plenilunium mensis primi Hebraici, idest Nisan plerumque cadat in Martium Iulianum. Ego verò obseruo anno 31. Christi plenilunium incidisse in diem 25. Martij, cui Æquinoctium affixerat Sosigenes, & Iulius Cæsar, quoniam verò Tertullianus, & S. Augustinus opinati sunt Christum mortuum anno 31. Consulibus duobus Geminis, non mirum si mortem Christi in diem 25. Martij contulerint. At quam falsum est mortuum esse Christum illis Consulibus, et anno suo 31. tam falsum est mortuum esse die 25. Martij, idemque dic de morte boni Latronis, ex priori enim errore, manauit hic posterior in quædam Martyrologia, & Alphonsus Tostatus, qui hos errores detexit, vetustam illam opinionem

nem de die 25. Martij adeo labefactauit, vt paucos ex inde Sectatores nacta sit. Baronius ipse Anno 34. pag. mihi 186. fatetur hanc quorundam antiquorum opinionem de die 25. Martij Astronomicis Tabulis aduersari, & ideo: *viros harum facultatum consultissimos desperatione penitus superatos, certum quid affirmare impossibile ratos, rem inabsolutam aliis reliquisse*; videturque ibi propendere in diem 24. Martij.

Quinta Opinio fuit Victorini Lemouicensis apud Bedam de rat. temp. cap. 6. nempe Christum obijsse die 26. Martij, quem sequitur Onuphrius Panuinus in lib. 2. Fastorum ad Vrbis annum 786. Gauricus in computo, Maurolycus in Opusculis pag. 47. Dionysius exiguus, vt colligit Scaliger lib. 6. de emend. temp. pag. 565. Bellarminus quoque lib. 3. de cultu Sanctor. cap. 12. negat anno Christi, siue 33. siue 34. feriam sextam incurrisse in diem 25. Martij, etenim anno 33. incidisse in diem 27. & anno 34. in diem 26. Martij.

Sexta Opinio de die 29. Martij, quo mortuus sit Christus reperitur in Græco Codice manuscripto, qui est Florentiæ in bibliotheca S. Marci à tempore Honorij primi Papæ, vt refert Heruartus cap. 176. Chronol. ibi enim scriptum est. *Christum ex Virgine natum in Bethlem 25. Decembris hora diei sexta; baptizatum anno ætatis 30. die 11. Ianuarij hora 10. nocte mansisse in hac vita annos 33. menses 3. affixum esse Cruci die 29. Martij hora diei sexta, resurrexisse prima die Aprilis hora noctis sexta sublatum in Cœlum 3. Maij hora diei 9.*

Septima Opinio de die 30. Martij, quo mortuus sit Christus defenditur à Paulo Middelburgensi 2. parte Summæ Paulinæ lib. 14. cap. 2. anno autem 34. ætatis suæ, sed Dionysianæ aeræ anno 36. mortuum sustinet quo posito colligit Plenilunium mensis incidisse in diem 30. Martij hora 11. minut. 44. Ierosolymæ secundùm motus medios ab Hebræis vsitatos.

Octaua Opinio Gerardi Mercatoris in Chronologia est Christum abijsse anno 34. vulgari, die 2. Aprilis, in quam supputat incidisse plenilunium, & feriam 6. idemque iuxta Karræos affirmat Langius lib. 2. de annis Christi part. 2. cap. 6.

Nona Opinio est Christum mortuum esse die 3. Aprilis: Ita Io. de Muris in libello de regulis kalendarij sub anno 32. Christi, Rogerius Bachon in Epistola ad Clementem Papam hac de re, sub anno 33. Christi; Io. Lucidus lib. de die mortis Christi cap. 9. & 12. annoq; Christi 33. & Abulensis, qui cum inter 23. articulos Senis propositos ad disputandum Theologicè, hunc pariter proposuisset de *Christo anno 33. die 3. Aprilis mortuo*, & instante Cardinali Io. de Turrecremata vocatus esset in iudicium, & damnatus, scripsit Defensorium sui, ac se purgauit, vt narrat Mariana lib. de die mortis Christi cap. 10. eandem opinionem secuti sunt Iosephus Zarlinus in Calendarij corr. Io. Stadius in præfatione ante suas Tabulas pag. 16. Origanus tomo 1. Ephemer. p. 6. adducens pro ea Eutropium, Scultetum, Caluisium, Scaliger lib. 6. de Emendat. temporum à pag. 565. Vbbo Emmius lib. 4. rerum Chronol. pag. 106. Paulus Crusius, & Henricus Buntingus apud Heruartum cap. 155. Paulus Burgensis in supplemento super Matthæum c. 26. Pererius lib. 11. in Danielem cap. 7. anno vulgari 33. Et nouissimè Iacobus Grandamicus in quæst. Euangelica de die supremo, & Natali Christi in proemio Conclus. 1. Langius verò l. 2. de Annis Christi parte 2. c. 6. contendit anno 33. Christum mortuum esse die 2. Aprilis, iuxta Karræos, sed 3. Aprilis iuxta Talmudicos, & plebem. In vetusto quoque Kalendario PP. Dominicanorum habetur Christum mortuum anno 33. die 3. Aprilis.

Decima Opinio fuit Christum mortuum esse die 6. Aprilis; ita Lucas Antonius Rodulphus apud Mazzonum l. 1. Defensionis Dantis c. 17. Explicans diem quo Petrarcha captus est amore Lauræ, de quo die Petrarcha ipse canit.

Era il giorno, ch' al Sol si scoloraro
Per la pietà del suo fattore i rai,
Quand' io fui preso, e non me ne guardai.

Nam idem hoc euenisse canit anno 1327. die 6. Aprilis.

Mille trecento ventisette à punto,
Sù l' hora prima il dì sesto d' Aprile,
Nel labirinto entrai, ne veggio ond' esca.

Neque enim anno 1327. dies 6. Aprilis incidit in feriam 6. sed in feriam 2. ergo ait Rodulphus, allusit ad diem quo olim Christum passum putabat anno vulgari 34. Mazzonus autem docet Petrarcham locutum esse de 15. die Lunæ iuxta Hebræos.

Vndecima Opinio fuit Io. de Monteregio apud Paulum Middelburg. parte 2. summæ lib. 5. quam scripsit. Ioannes ipse ad Iacobum Spirensem Astrologum, videlicet Christum anno 35. obijsse die 11. Aprilis tunc enim fuisse primum Plenilunium post Æquinoctium; sed hoc accidit feria 2.

Duodecima Opinio apud Marcellum Francolinum lib. de horis Canonicis cap. 74. tacito nomine Auctoris fuit, Christum mortuum esse 16. Aprilis, sed tale plenilunium non accidit circa annos Christo vicinos nisi anno 29. Epochæ Vulgaris.

Secunda pars de defectu Regularum infallibilium pro determinando die mortis CHRISTI.

2 PRimò enim, licet certum sit ex dictis cap. 9. Christum mortuum esse feria 6. in festo Azymorum: Et ex lege à Deo lata Hebræis de die celebrandi Paschatis, expositaque à nobis lib. 1. cap. 12. certum item sit diem festum Azymorum fuisse illam diem 15. Nisan, quæ prima occurrit post diem Tekuphæ vernæ, seu illud Plenilunium ciuile, quod primum incidit post Æquinoctium Vernum, incertum tamen est, quæ nam dies apud Iudæos tempore Christi deputata fuerit Æquinoctio Ciuili in kalendario festiue Iudaicis, & præterea incertum est qua methodo tunc Iudæi determinarent Neomeniam primi Mensis Nisan, à quà pendebat determinatio decimæ quartæ diei pro esu agni Paschalis, & decimæ quintæ pro festo Azymorum; Alij enim dicunt vsos fuisse prima Phasi Lunæ, eius autem defectu certis regulis independenter à calculo, & Tabulis Astronomicis; alij autem vsos Tabulis Astronomicis inuestigando, vel media, vel vera Nouilunia, & Plenilunia; alij autem vsos Cyclis Gamalielis, alij alijs Cyclis, & quidem vitiosis, adeo, vt Epiphanius dicat errasse anticipando biduo integro legitimum tempus Paschatis, alij autem id omnino negant. Regulæ autem kalendarij Hebraici traditæ à nobis, & alijs lib. 1. in Appendice ad caput 14. valent de recentiori kalendario post Constantini Magni tempora introducto ab Hebræis multo post dispersionem eorum, nec possunt infallibiliter applicari ad tempus Christi, vt ibi monuimus. Proinde Petauius lib. 12. cap. 11. reprehendit nimiam periergiam Abulensis, Pauli Forosempronienſis Episcop. Ioannis Lucidi, & aliorum in determinando Iudæorum antiquorum Paschate per calculos Mathematicos; Non propterea tamen audiendus est Salianus, qui si consultior fuisset Astronomiæ, non incidisset in aliquos errores, in quos vir alioquin doctissimus incidit, nec ad Annum Mundi 4086. num. 11. tum facile pronunciasset, *aliquos fallacibus obseruationibus nixos, cum viderent non posse Lunam decimam quintam cadere in feriam sextam anno Christi 34. vniuersa penè antiquitate repudiata, Christi passionem in Aprilem conieciſſe. Vanas autem, & fallaces fuisse eas obseruationes, quantumuis Astronomicas docere ipsam eorum dissensionem, qui se illas sequi profitentur.* Dissensio enim illa oritur ea anni diuersitate quo Christum mortuum supponunt, aut ex opinione de Cyclis Iudaicis, ac methodo determinandi Neomenias, aut de translatione feriarum non ab omnibus admissa; sed non oritur ab obseruationibus Astronomicis, quibus non modò Lunares Syzygiæ, sed ipsæ Eclipses annis septingentis, & amplius ante Christum, certò inuestigantur absq; errore horam integram excedente, & quibus innititur kalendarium Ecclesiasticum, cui Salianus indirectè detrahere se non aduertit.

Tertia pars de Probabilitate, & penè certitudine morali diei: Præmittuntur quædam de die Aequinoctij, & methodo inquirendi Plenilunia iuxta Iudæos tempore Christi.

3 PRimò quidem probabilissimum est, & peritis temporum anteactorum penè certum, tempore Christi Æquinoctium ciuile in Palæstina intra dies 23. & 25. Martij Iuliani constitisse: Nam Æquinoctium Astronomicum Hipparchus anno Nabonassari 602. ideſt 146. ante Christum obseruarat Alexandriæ die Mechir 27. ideſt Martij Iuliani die 24. manè quidem apparenter ob refractionem, vt ostendimus libro 3. Almag. cap. 14. num. 9. sed verè hora diei 5. Ptolemæus autem, vt ipsemet narrat lib. 2. Almag. cap. 3. Anno Nabonassari 887. ideſt 140. Christi obseruauit ibidem vernum æquinoctium die 7. Pachon, quæ fuit 22. Martij Iuliani; tempore igitur Christi, quod fuit medium inter has obseruationes circa 23. Martij consistebat. Aequinoctium autem Ciuile, & Ecclesiasticum Anatolius Alexandrinus, Laodiceæ in Syria Episcopus circa annum Domini 280. constituit ad diem 22. Martij, vt constat ex libro eius de Paschate, & testatur Bedas tomo 2. Opusc. de Æquinoctio, Patres autem Concilij Nicæni Anno Domini 325. vna cum Cyrillo Alexandrino statuerunt illud ad diem 21. Martij, vt ibidem docet Beda, & S. Ambrosius epist. 83. & Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, etiam si scirent Alexandrini illi Antistites æquinoctium Astronomicum accidere modò de nocte, modò interdiu, & diuersis horis, ac ratione Bissexti aliquando vno die citius. Igitur tempore Christi, non potuit ciuile æquinoctium citra diem 23. Martij à Kalendarij peritis constitui. Refert tamen Bedas post illud opusculum fragmentum Epistolæ Theophili Episcopi Cæsariensis in Syria, de ordinatione feriarum Paschalium, in qua Theophilus authoritate sibi transmissa à Victore Papa (qui tedit anno Domini 197.) suppossuit cum Patribus Synodi Cæsariensis Æquinoctium Vernum fieri die 25. Martij. Certè non aliunde, quàm ex Kalendario Iulij Cæsaris iam ibi recepto, in quo Sosigenes retinuerat æquinoctium, prout Eudoxus, & Aratus in Fastis retinuerat, etiam si sciret Sosigenes die 25. Martij suo tempore Solem esse in 2. aut 3. gradu Arietis, sed quia æquinoctium medium non toto biduo distabat à die 25. & ad Ciuilem captum melius est illud vno, alteroue die differre, donec ex æqualitate dierum, & noctium per horologia Sciatherica euidenter constet de diei æqualitate cum nocte, ideo non male illud die 25. Martij retinuit, in qua sede mansit tempore Germanici Cæsaris, immo & Columellæ sub Claudio, & Plinij sub Vespesiano. Si quidem ille lib. 9. de re rustica cap. 14. hic lib. 18. cap. 25. asserunt æquinoctium Vernum fieri *VIII. Kal. Aprilis*. Igitur in Syria, & Palæstina, quæ iam erant subiectæ Romano Imperio, verisimillimum est æquinoctium tempore Christi retentum esse ad diem 25. Martij per aliquammultos annos ante, & postea; Non enim facile cardines hi annui in Fastis mutantur, vt patet ex Annis penè 500. à Meton ad Plinium, & ex tempore Concilij Nicæni, vsque ad Gregorium XIII. per annos amplius 1200. quibus retentum est ad 21. Martij, reclamantibus licet Astronomiæ consultis. Postremò Iudæis commodius erat differre æquinoctium à die 23. ad 25. Martij, vt securiores essent de Verno tempore, in quod debebat cadere decima quarta primi Mensis, & de segetum maturitate quarum primitias offerre debebant. Certum itaque moraliter videtur tempore Christi æquinoctium ciuile in Palæstina vltra 23. diem Martij & potius die 25. notatum fuisse in publicis Fastis, & kalendarijs. Quanquam ex Tabula danda post nu. 6. patebit nullum Plenilunium ab anno 30. Christi ad 33. incidisse in feriam sextam, quod non inciderit in Aprilem, atq; adeo post diem 25. Martij nedum 23. Ideoq; quoad hos anno cessat omnis dubietas ex die Æquinoctij suscitabilis.

4 Sed & illud verisimillimum est, ac prope certum moraliter Hebræos in Neomenia primi mensis determinanda, non aberrasse à vero Nouilunio tres integros dies intra quos norant consistere primam nouæ Lunę phasim vespertinam, cum verisimile sit nationem iam inde ab Abrahamo, & Moyse edoctam, retinuisse siue in libris, siue memoriter apud eos, quibus demandata erat cura kalendarij, regulas certas determinandi Nouilunia Ciuilia, præsertim cum hac notitia indigerent ad festum omnium celeberrimum, cuiusmodi erat festum Paschale Azymorum. Et ipsa vicinia Alexandriæ Ægypti, & Methodus iam inde à Metone, & postea à Calippo, & Hipparcho peruulgata in Asiam minorem totam, si aliunde instructi non fuissent eos docuisset de quantitate mensis Lunaris, ac modo per Cyclos inueniendi Nouilunia, quando ex prima phasi ea determinare non poterant. Quo autem securiores essent de quartadecima die Lunæ, non ante æquinoctium vernum computanda, consultius erat à Phasi potius dies Lunæ æstimare, vel in Cyclo ita disponere Nouilunia, vt nunquam, aut rarissimè plenilunium in diem æquinoctij caderet, sed semper, aut ferè semper postea.

5 Quod enim Epiphanius hæresi 51. tradit Iudæos tempore Christi vitiosis, adeo Cyclis vsos esse, vt biduo anteuerterint legitimum tempus Paschatis, & tanti faciunt Keplerus in Ecloga Chronol. epist. 16. & Petauius lib. 12. de doctrina temp. cap. 11. vt dicant malè à Computistis per Tabulas Astronomicas indagari Neomenias, & Peniluniũ, quibus Iudæi tempore Christi vsi sunt in determinandis diebus Paschalibus, minimè probatur: Quia nititur authoritate vnius Epiphanij fundati in hypothesi falsa videlicet Christum resurrexisse in die Aequinoctij, & Plenilunij simul XI. kal. Aprilis. Erat enim Syrus, et in Syria iam inde à Synodo Cæsarienſi vulgatam hanc opinionem notat de Resurrectione Christi facta, et die quo Mundus conditus fuit, Mundum autem conditum aiebant die Aequinoctij, & Plenilunij, vt iam ex Beda retulimus sub finem numeri præcedentis, sed ab illis in die Aequinoctij dissidet, quia sciebat illud ab Anatolio circa idem tempus Synodi Cæsarienſis constitutum ad diem 22. Martij. Hinc igitur factum est, vt dixerit hæresi 51. num. 27. *Resurrectionem Christi fuisse vndecimo Cal. Aprilis, ipso Aequinoctij die Lunæ die decima quinta*; quod bis ibi repetit. Cum ergo Christus resurrexerit die tertia, consequens erat mortuum die 13. kalendas Aprilis Luna 13. in die Azymorum, & sic Hebræos biduo citius illud festum celebrasse, cum debuissent die 15. Mitto alia, quibus Epiphanius se ipsum implicat, & alios mira obscuritate, vt legenti patebit, & confessi sunt Petauius ipse in Animaduersionibus, & Keplerus epist. 23. ad Dekerium, et Bucherius de Paschali Cyclo Iud. c. 7. Opinionem quoque singularem Epiphanij de Christo nato die 6. Ianuarij, et baptismo mense 10. nemo probat, et errores eius in Consulibus recensendis manifesti sunt. Nobis hic satis est patefecisse originem erroris de biduana illa anticipatione Iudæorum, nempe ex studio conciliandi opinionem Syrorum Patrum de Christi Resurrectione in Aequinoctio, et Plenilunio, et Anatolij sententiam de die Aequinoctij in Syria constitutam die 22. Martij. Prætereà Petauius in Animaduersionibus pag. 173. fatetur Epiphanium multis modis hallucinari, et characteres feriarum conturbare. Esto autem post dispersionem Iudæi alicubi suum Pascha ante Aequinoctium celebrarint, aut visi sint celebrare, quia non expectabant diem Aequinoctij ciuilis in kalendario Romano assignatam, ideoque extet Canon 51. Apostolicus, vbi dicitur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, Sanctum Paschæ diem ante vernum Aequinoctium cum Iudæis celebrauerit, Anathema sit.* Id tamen non euincit Iudæos tempore Christi, stante Republica eorum, et Synedrio Ierosolymis, celebrasse Pascha ante Tekupham suam, seu ante illum diem, quem Aequinoctio deputatum habebant.

6 Contra verò Iudæos circa illa tempora vsos Cyclo, aut regulis conformibus Astronomicis Canonibus, colligitur ex Iosepho lib. 6. de bello Iud. cap. 4. et lib. 7. cap. 12. vbi asserit Anno, quo Ierosolyma capta, et euersa est à Tito, nempe Anno 70. Epochæ Christi, celebratum fuisse Pascha die 14. Mensis Xantici, et quinque annis ante celebratum esse die 8. eiusdem; et lib. 13. Antiqu. cap. 16. incunte proximè Olympiade 162. celebratum esse Pentecostes festum die 2. Iunij feria 1. Quæ satis consentiunt cum Cyclis legitimis, et Tabulis Astronomicis. Xanticum enim totum, cum toto Aprili Romano concurrere Iosephus supponit. Anno autem

autem 70. Christi, Cyclo Lunæ 14. currente, et Epacta 30. Nouilunium incidit in diem 31. Martij. Et ideo festum Paschatis in 14. Aprilis, & sic de cœteris. Possumus ergo verisimillimè per Cyclos Kalendarij nostri, aut per Tabulas Astronomicas indagare Plenilunium illud, quod in diem æquinoctij Verni, aut post accidit illis annis, quibus est tolerabilis opinio passum esse Christum, & omnia illa excludere, quæ ante diem 24. Martij acciderint, & è contrario illa recipere, quæ post diem 25. Martij acciderint, si in feriam sextam inciderint, dummodo non excedant duos dies veri, & Astronomici Plenilunij, & intra hos limites à prima Phasi computando illa. Addemus tamen Plenilunia ex Epactis kalendarij Romani reformati sumptis ex Clauio cap. 12. pag. 186. & respondentibus Aureo numero anni dati, Nouilunia autem ciuilia ex fine capitis 17. ciusdem kalendarij; si quis ex illis iudicare velit de probabili Iudæorum kalendario. Postremò aduertendum est Hebræos Lunæ diem 15. ab ipsa Neomenia inclusiuè numerasse non exclusiuè, quare addendo dies 14. diei Neomeniæ habetur dies Plenilunij, & festi Azymorum; atq; ita Plenilunij ciuilis dies idem fere semper fuit in Kalendario Hebraico, ac in kalendario Romano ad illa tempora retrotracto, vt videre est in sequenti Tabula, sed diei ciuilis Nouilunij ineunti adduntur 15. vt habeatur plenilunium ciuile.

Anni vulgares Christi	Aureus numerus.	Epacta.	Cycl. Solis.	Littera Dom.	Ciuilia ex kalendario Rom.	NOVILVNIVM Hierosolymæ post merid. Mens.	D.	H.	M.	Feria. F	PLENILVNIVM, & Azymor. Festum. Mens.	D.	H.	M.	Feria F
30	12	8	11	A	Verum	Mart.	22	9	45	4	April.	6	10	34	5
					medium		22	10	0	4		6	4	20	5
					Ciuile		23			5		7			6
					ex 1. phasi.		24			6		7			6
31	13	19	12	G	Verum	Mart.	11	11	55	1	Mart.	27	12	0	3
					medium		12	6	56	2		27	1	18	3
					Ciuile		12			2		27			3
					ex 1. phasi.		13			3		27			3
32	14	30	13	F E	Verum	Mart.	30	10	20	1	April.	14	11	44	2
					medium		29	16	28	1		13	10	50	1
					Ciuile		31			2		15			3
					ex 1. phasi.	April.	1			3		15			3
33	15	11	14	D	Verum	Mart.	19	0	50	5	April.	3	5	25	6
					medium		19	13	18	5		3	7	40	6
					Ciuile		20			6		4			6
					ex 1. phasi.		21			7		4			7
34	16	22	15	C	Verum	Mart.	8	21	43	2	Mart.	23	4	56	3
					medium		8	10	6	2		23	4	28	3
					Ciuile		9			3		24			4
					ex 1. phasi.		10			4		24			4
35	17	3	16	B	Verum	April.	6	23	5	4	April.	22	4	52	5
					medium		7	10	40	4		22	5	2	5
					Ciuile		7			4		22			5
					ex 1. phasi.		8			5		22			5
36	18	14	17	A G	Verum	Mart.	27	17	15	1	April.	11	10	59	2
					medium		27	7	38	1		11	2	0	2
					Ciuile		28			2		11			2
					ex 1. phasi.		29			3		12			3
					Verum	Mart.	16	5	35	6	Mart.	30	4	32	6
					medium		15	16	27	5		30	10	49	6
					Ciuile		17			7		31			6
					ex 1. phasi.		18			1	April.	31			7

7 Ex præcedenti Tabula patet ex annis 7. circa Annum Passionis Christi probabilibus, tres tantummodo habere Plenilunium in feria 6. nempe annum 30. si ciuiliter, aut à prima Phasi computetur, & Annum 33. si verum aut medium Plenilunium spectemus; et Annum 36. si plenilunium Verum, aut mediũ consideremus. Nam vt anno 34. Plenilunium cadet in 23. Aprilis, & feriã 6. oporteret totis tribus diebus post Nouilunium verum expectatam fuisse primã phasim vespere die 9. Aprilis, quod est minus probabile. Iã verò inter annos 30. 33. & 36. haud dubium, quin longè probabilior sit annus 33. vt ex capite sequenti constabit, hoc autem anno plenilunium, tam Verum, quam Medium incidit in feriam 6. nec obstat quod ciuile inciderit in feriam 7. Quia cum verum Nouilunium inciderit die 19. Martij in ipsum penè meridiem potuit die 20. sequenti ad vesperam apparere prima phasis, & sic additis 14. diebus, cadere Plenilunium ciuile Hebræorum in diem 3. Aprilis, & ab occasu Solis incipiente feria 7. plenilunium ciuile Kalendarij Romani, quod tardius vero, ac medio notatur, videri pertinere ad diei 4. initium. Auctores pro die 3. Aprilis vide supra nu. 1. *Nona* opinione.

COROLLARIA.

8 INterim notatu dignum est, nullo anno, ab anno 30. ad 36. Christi Plenilunium, & festum Azymorum potuisse incidere in feriam 6. & simul in diem vllum Martij, nedum in diem 25. Martij. Esto aliqui ex imperitia, vel impatientia calculi Astronomici, aut Computistici, incuria nimis secura pronunciarint Characterem certum Passionis Christi esse mensem Martium fundati in auctoritate illorum, qui existimarant Christum passum in Æquinoctio verno, in quo conceptus fuerat, nec aduerterant diem 25. Martij deputatam Aequinoctio Ciuili non potuisse cadere in feriam 6. nec annis 30. ad 36. Christi, immo nec anno illo 29. Epochæ Christi, quo Consules fuere duo Gemini, sub quibus Consulibus falsò quidam perpauci Patres passum Dominum posuerunt; illo enim anno 29. Plenilunium verum fuit Hierosolymis die 17. Aprilis hora 5 $\frac{1}{2}$. post meridiem; medium autem die 17. hor. 7 $\frac{2}{3}$. & ciuile die 18.

Petauius autem conſultiſſimus alioquin calculi Aſtronomici lib. 12. cap. 12. nimis adhærens opinioni Epiphanij, anno Iuliano 76. qui eſt 31. Epochæ Chriſti, Plenilunium computauit die 26. Martij feria 2. vt triduo popularem Neomeniam anteuerteret, & in diem 23. ac feriam 6. plenilunium retrahere poſſet; ſed præter dicta ſupra contra Epiphanium, integro die errat in calculo, cum plenilunium verum ex Tabulis Rodulphinis, & Noſtris fuerit die 27. circa mediam noctem ſequentem. Deinde ſi dies 23. Martij fuiſſet Plenilunium populare Iudæis, ergo dies 14. Lunæ incidiſſet in diem 22. Martij ante Aequinoctium ciuile, quod probabilius eſt fuiſſe potius die 23. aut poſt vt ſupra docuimus. Denique Annus 31. mortis Chriſti multo minus probabilis eſt quam 33.

9 Sed mulo magis hallucinati ſunt, qui Chriſtum mortuum eſſe ſtatuerunt anno 33. Epochæ Chriſtianæ, & quidem feria 6. & in Plenilunio, & tamen id factum contenderunt die 25. Martij, inter quos Salianus Anno Mundi 4086. num. 13. ſed ille num. 11. contempſerat calculos Aſtronomicos, & Computiſticos, qui forſitan poſthaberi poterant ſi diſſenſio eſſet de vno, vel altero die, At cum illo anno Plenilunium Martij fuerit etiam ciuili, & craſso modo die 20. Martij, ideoq; non Paſchale, vtpote ante Aequinoctium, vtique expectandum fuit plenilunium Aprilis, nec vlla probabili computatione Salianus, aut eiuſdem opinionis viri vnquam conſequentur, vt illud plenilunium cadat poſt Aequinoctium in diem 25. Martij.

CAPVT XI.

Opiniones de Anno Paſſionis, & Mortis CHRISTI.

CONCLVSIO XI.

Opiniones tolerabiles de Anno Mortis CHRISTI conſiſtunt inter Annum 29. & 36. Epochæ Chriſti.

TRactant de hoc Anno permulti, ſed in primis Io. Lucidus, & Io. Mariana opuſculis hac de re, Abulenſis in Defenſorio, Paulus Epiſc. Foroſempronienſis in ſua ſumma Paulina, Onuphrius Panuinus lib. 2. Comment. in Faſtos ad Annum Vrbis 786. Scaliger lib. 6. de emend. temp. à pag. 562. Iacobus Kriſtmannus poſt Comm. in Altraganum de connexione Annorum à pag. 396. ad 404. Vbbo Emmius l. 4. Rerum Chronologicarum pag. 105. Baronius ad Annum Chriſti 34. Salianus tomo 6. ad Annum Mundi 4086. Petauius lib. 12. de Doctrina temporum à c. 9. ad 23. Ioſephus Zarlinus opuſc. de tempore mortis Chriſti, Io. Georgius Heruartus à cap. 152. ad 190. Henricus Philippi in Synopſi Chronologica cap. 18. & 20. Iacobus Tirinus tomo 1. Comm. in Sacram Scripturam in Chronico Sacro cap. 48. Salmeron Prologomeno 38. ſub finem: Vuilhelmus Langius de Annis Chriſti lib. 2. parte 2. à cap. 4. ad 10. Iacobus Grandamicus in Quæſtione Euangelica de die ſupremo, & Natali Chriſti lib. 1. & 2. Dekerius in Diſputatione Theologica pluribus Theſibus expoſitis, ac defenſis à Laurentio Suslyga in Academia Græcenſi, Keplerus in Sylua Chronologica, Io. Gerardus Voſſius diſſertationes de Anno Dominicæ Paſſionis.

Recenſentur opiniones de Anno Paſſionis, & Mortis Chriſti.

IAm Capitis 6. Initio præmiſimus Tabellam Annorum illorum, intra quos conſiſtunt opiniones tolerabiles de Anno Mortis Chriſti, cum annis Iulianis, Vrbis, Olympiadum, & Tiberij, Conſulibusq; congruentibus: illam igitur adeat Lector, quando erit opus ex aliqua nota Chronologica intelligere, quo Anno Epochæ Chriſti mortem eius conſignarint.

I. Opinio de Anno XXIX. Epochæ vulgaris Chriſti.

PRima opinio fuit Chriſtum paſſum, ac mortuum eſſe Anno 15. Tiberij, Conſulib. duobus Geminis, qui ex demonſtratis lib. 4. cap. 3. & 5. de Conſulibus, & c. 8. de Tiberio, *fuit Annus 29. Epochæ vſitatæ Chriſti*. Ita Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum: *Erat autem IESVS, cum ad baptiſmum venit, quaſi annorum triginta. Quod autem vno dumtaxat anno prædicaturus eſſet, & hoc ita ſcriptum eſt: Annum acceptum Domino prædicare miſit me; Hoc & Propheta dixit, & Euangelium. Quintodecimo itaque anno Tiberij, & quintodecimo Auguſti, hoc modo triginta complentur anni, donec paſſus eſt*: infra tamen de aliorum ſententia ſubiungit. *Et de eius paſſione diſſerentes aliqui ſubtilius, ſextodecimo anno Tiberij Cæſaris, die 25. Phamenoth, alij verò 25. Pharmuti, alij autem Pharmuti 19. dicunt paſſum eſſe Dominum*. Tertullianus quoq; lib. aduerſus Iudæos c. 8. inquit: *Auguſtus ſuperuixit poſt Natiuitatem Chriſti annis XV. cui ſucceſſit Tiberius Cæſar, huius decimoquinto anno Imperij paſſus eſt Chriſtus annos habens quaſi XXX. cum pateretur*. Et paulo poſt: *Quæ paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Rubellio, Gemino, & Rufio Gemino Coſſ. menſe Martio temporibus Paſchæ, die 8. Kal. Aprilis*. Africanus autem apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis loquens de fine regni Macedonum ait: *Exinde vſque ad quintum decimum Annum Tiberij, quando Chriſtus paſſus eſt, numerantur anni ſexaginta*. Profitetur autem ibi S. Hieronymus, ſe relaturum ſententias aliorum, relinquendo in arbitrio Lectoris electionem: loquitur Africanus de fine Regni Macedonum in Aegypto per mortem Cleopatræ; Lactantius Firmianus lib. 4. diuinar. inſtitut. c. 10. *Sub Herode Iudæorum tetrarcha, anno quintodecimo Imperij Tyberij Cæſaris, duobus Geminis Coſſ. Iudæi Chriſtum Cruci affixerunt ante diem VIII. Kal. April.* & cap. 14. *Zacharias adoleuit Darij, & Alexandri ætate annis 500. ante annum decimumquintum Imperij Tiberij Cæſaris, quo Chriſtus Crucifixus eſt*. Sed à Darij morte, & initio Monarchiæ Alexandri M. vſque ad annum 15. Tiberij non ſunt plures quàm 360. quare falſus eſt aut Lactantius, aut textus libri. B. Sulpicius Seuerus l. 2. Sacræ hiſtoriæ, loquens de Herode tetrarcha: *Hoc regnante, anno regni octauo, & decimo DOMINVS Crucifixus eſt, Fuſio Gemino, & Rubellio Gemino Conſulibus. A quo tempore vſque in Stilichonem Conſulem, ſunt anni CCCLXXI*, fuit enim Stilicho prima vice Conſul Anno Epochæ Chriſti 400. vt dixi lib. 4. cap. 5. additis ergo 29. Chriſti quibus labentibus mortuus eſt, fiunt anni 400. S. Auguſtinus videtur eiuſdem opinionis fuiſſe lib. 4. de Trinit. c. 5. et lib. 18. de Ciuitate Dei c. vlt. vbi confutans Paganos, qui iactabant Religionem Chriſtianorum non duraturam vltra annos 365. inquit: *Mortuus eſt Chriſtus, duobus Geminis Coſſ. 8. Cal. Apriles: reſurrexit tertia die, poſt quadraginta dies aſcendit in cælum, poſt decem dies, ideſt quinquageſimo poſt ſuam reſurrectionem die, miſit Spiritum Sanctum. Tunc itaque nominis illius cultus exortus eſt, ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumpſit initium, ſcilicet quando miſſus eſt Spiritus Sanctus, ideſt per Idus Maias. Numeratis proinde Conſulibus trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti per Idus Maias, Conſulatu Honorij, & Eutychiani. Porrò ſequenti anno, cum ſocium accepiſſet Honorius Conſulem Manlium, iam ſecundum illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit religio Chriſtiana*. Atqui ex noſtro lib. 4. cap. 5. conſtat Honorium, & Eutychianum Conſules fuiſſe anno Epochæ Chriſti 398. ablatis ergo 365. annis, reſtat annus 33. quo Chriſtus mortuus eſt, non verò 29. quo Conſules fuere duo Gemini; quare non cohærent hæc ſibi, & S. Auguſtinus poteſt adduci etiam pro Anno 33. Paulus Oroſius l. 7. hiſt. expreſsè ait Dominum IESVM Anno *Tiberij quintodecimo à Iudæis patibulo ſuſpenſum eſſe*. At Proſper Aquitanus parte 1. libri de Prædicationibus c. 7. cenſet Chriſtū Crucifixum eſſe anno ætatis 30. & in Lugdonenſi exemplari Chronicorū Proſperi dici-

dicitur: *A decimoquinto Imperij Tiberij anno, & Passione Domini vsque in hos Consules &c.* vt refert Heruartus cap. 153. Marcellinus quoque in Chronico ab vrbe condita ad Christi aduentum numerat annos DCCLI. & ad eius Passionem DCCLXXXI. Ergo putat passum anno 29. Ex recentioribus, qui hanc opinionem amplexi sint duos tantum reperi, primus est M. Antonius Capellus, differt. de vltima Christi Cœna cap. 5. vbi ait Christum passum anno 15. Tiberij, Cõsulibus duobus Geminis, anno ætatis 34. die 25. Martij Olympiadis 202. anno 2. & ne de feria, ac die conuinci possint ex cõputo, recurrit ad vitiosum Cyclũ Iudæorum, suadetq; vt nemo trepidet ob Astronomorum calculos. At certè se ipse implicat dum annum 29. Epochæ Christi, quo Consules fuere duo Gemini, comparat cum 2. anno Olympiadis 202. exeunte; nam vt patet ex lib. 2. Tab. 1. Annus ille Olympiadis cœpit ab æstate anni Epochæ Christi 30. & expletus est anno 31. itaque duobus annis dissentit ab anno illorum Consulum, & 15. Tiberij. Alter est Vossius differt. 2. de tẽpore Dominicæ Passionis à thesi 16. ad 18. vbi Christum passum anno æræ communis 29. sub duodus Geminis affirmat, ficta Octaeteride quadam Iudaica, vt Lunam 15. in 25. Martij conferat: eum verò reijcit Langius lib. 2. p. 2. c. 7.

II. Opinio de Anno XXXI. Epochæ Christi.

2 QVi Christum passum anno 30. Epochæ vulgaris Christi expressè asserat, vel quod in idem recidit, Anno 16. Tiberij, & Consulibus Cassio, & Longino, neminem reperi: Hoc tamen concedere debent illi, qui eum baptizatum ponerent anno 15. Tiberij, & vnico anno integro post baptismum prædicasse.

Secunda itaque Opinio fuit Christum passum, ac mortuum esse Anno 31. Epochæ vsitatæ Christianorum, nempe Iuliano anno 76. & Tiberij 17. Consulibus ipso *Cl. Tiberio Nerone, & Silano*, seu *Seiano*. Pro hac opinione adducitur Africanus ab Eusebio lib. 8. de demonstratione Euang. demonstr. 2. Nam ex Africani libro 5. de Temporibus, vbi de tempore passionis Christi, hæc refert. *Ad illud tempus, qui fuit Olympiadis ducentesimæ secundæ annus secundus, Imperij autem Tiberij Cæsaris sextus decimus &c.* Sed hæc non cohærent cum relatis à S. Hieronymo in cap. 9. Danielis ex eodem Africano, neque sibi inuicem, nam annus 2. Olympiadis 202. quo exeunte ponitur passus Christus, ideſt Annus Epochæ Christi 31. concurrit cum anno 17. Imperij Tiberij, non cum 16. Eusebium, & Epiphanium in hanc opinionem trahere conatur Petauius lib. 12. cap. 12. sed frustra: ostendemus enim eos stetisse pro anno 33. Vulgari Christi num. 4. Adducit etiam Apollinarem Laodicenum, qui apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis dixerat Tiberium post Passionem Domini imperasse annos 6. At ex dictis lib. 4. cap. 8. Tiberius obijt anno Epochæ Christi 37. die 16. Martij. Ergo Christus obijt anno 31. & Tiberij 17. Cassiodorus certè in Chronico ad quintum Consulatum Tiberij cum Silano ait: *His Coss. Dominus noster IESVS Christus passus est VIII. Kal. April. & defectio Solis facta est, qualis ante, vel postmodum numquam fuit.* Sed hæc defectio fuit biennio post, vt infra docebimus. Pro eadem opinione Anni 31. Heruartus cap. 154. affert Georgium Pisidam, sed cum Georgius dicat Christum passum anno Tiberij 19. vt fatetur Heruartus, potiùs stat pro anno 33. Proinde ex antiquis nullus certus, & confessus Auctor reperitur, qui hoc anno mortem Christi consignarit, nisi Apollinaris, & Cassiodorus. Ex recentioribus tamen hanc opinionem tuentur in primis Io. Dekerius in disput. Theologicis hac de re, disp. 3. à Thesi 1. ad 6. vbi affirmat Christum passum anno Dionysiano 31. Iuliano 76. Consulibus Tiberio 5. & Seiano, & Tribunitiæ potestatis anno 18. Olympiadis 202. anno tertio instante. Dekerio dedit tandem manus Keplerus in Eclogis Chronol. Epistola 20. Et in Epistola ad Caluisium 6. & 14. & Petauius l. 12. de doctrina temp. c. 12. item P. Ægidius Bukerius in tractatu de antiquo Paschali Iudæorum Cyclo; & Iacobus Tirinus tomo 1. comment. in S. Scripturam cap. 48. Chronici Sacri concluſ. 46. anno enim Iuliano 76. passum Christum ponit; & tandem huc propendet P. Henricus Philippi in Synopsi Chronol. cap. 18. nu. 24. vbi de duabus opinionibus ait: *Posterior suarum rationum momentis me non parum ad Tiberij V. & Seiani Consulatum inclinat.*

III. Opinio de Anno XXXII. Epochæ Christi.

3 OPinionis huius visus est esse Eusebius in Chronico, dum ponit Christum passum anno Tiberij XVIII. At cum hoc confirmet ex Eclipsi Solis, eamque ex Phlegontis libro 14. dicat accidisse *Quarto anno Olympiadis* 202. potiùs stat pro anno 33. Epochæ Christi, quo ad finem properabat annus ille Olympiadicus, & emendandus textus, ac ponendus annus 19. Tiberij. Hermannus contractus in Chronico ait. *Anno XVIII. Imperij Tiberij Dominus passione sua mundum redemit*; quod repetit Regino in Chronicis. Kemnitius pariter mortuum ponit anno 77. Iuliano, qui est 32. Epochæ Vulgaris, sed eum refutat Langius lib. 2. p. 2. c. 10. de annis Christi. Baronium autem huc redigendum esse, esto videatur spectare ad annum 34. ostendemus sub finem Opinionis V. & omnes, qui cum Eutropio passum Dominum anno 18. Tiberij ponunt.

IV. Opinio de Anno XXXIII. Epochæ Christi.

4 PRo hac opinione afferri possunt omnes, qui statuunt Christum passum, & mortuum esse Olympiadis 202. anno 4. seu anno Iuliano 78. seu Tiberij 19. seu Consulibus *Serg. Sulcipio Galba, & L. Cornelio Scilla*. Inter quos Eusebius in Chronico, vbi passum Christum affirmat *Quarto anno Olympiadis* 202. ibidem autem emendatos Codices Eusebij habere annum XIX. Tiberij mox docebo. Nam Georgius Syncellus in Chronologia sua ad annum Christi 33. inquit: *In hoc anno, qui tertius, & tricesimus ætatis Saluatoris nostri extitit, & Tiberij Cæsaris 19. IESVS Christus Deus, & Dominus noster ad salutarem passionem volens processit*: Deinde post aliquot pagellas recitans fusè testimonium Eusebij ait: *Iesus Christus filius Dei Dominus noster, iuxta eas, quæ de ipso factæ sunt prophetias, ad Passionem venit, anno 19. Tiberij Imperatoris*, & subiungit ex Phlegonte, & Eusebio annum 4. Olympiadis 202. Scaliger quoque in versione Græca Chronici Eusebiani, reponit. nnum Tiberij 10. ideſt 19. Chronicon Alexandrinum expressè Domini passionem consignat *Anno Tiberij* 19. & ex Phlegonte anno 4. Olympiadis 202. Quem annum pariter adnotat Philoponus agens de tenebris in morte Saluatoris. S. Epiphanius in Panario hæresi 51. collocat passionem Christi anno 33. vulgari, quem putat esse annum 33. ætatis Christi, esto erret in Consulibus, sed & Georgius Pisida Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconis, & Chartophylax, qui floruit anno Domini 330. Christum ait passum *Anno Tiberij decimonono*, & Nicephorus Constantinopolitanus in Chronol. passum anno 33. ait: Dionysius quoq; Exiguus, cum passionem Domini consignet anno 34. ab Incarnatione præcedente annum primum Epochæ Christi, & Incarnatio facta sit die 25. Martij, vtique si passus est anno 34. inito iam à die 25. Martij, passus est anno labente 33. à Natiuitate, vel Circumcisione computato. Gnostici quoque apud Irenæum lib. 2. aduersus hæreses cap. 28. ex Euangelio Nicodemi, quamuis Apochrypho *Christum passum sub Pontio Pilato, Olympiadis ducentesimæ secundæ anno quarto* affirmabant. Expressè autem Christum passum anno Tiberij 19. Consulibus Sulla, & Galba, & Epochæ vulgaris anno 33. docuerunt Abulensis in Difensorio, Paulus Burgensis in cap. 26. Matth. Io. Lucidus tum in Chronico, tum in tractatu de vero die Passionis Christi, Rogerius Bachon in Epistola ad Clementem V. de hac re: Io. de Muris lib. de regulis Calendarij: Onuphrius Panuinus lib. 2. comm. in Fastos sub Consulibus Galba, & Sulla: Paulus Crusius apud Heruartum cap. 155. Iosephus Scaliger lib. 6. de emend. temp. pag. 561. eiusque Sectator Sethus Caluisius in Chron. Vbbo Emmius lib. 4. rerum Chronologicarum pag. 105. Nicolaus Mulerus in Isagoge in Calend. & in Tabulis: Laurentius Codomanus in Annalibus Sacræ Scripturæ, & lib. 2. Quæst. 47. & lib. 4. Chronologiæ c. 21. Origanus tomo 1. Ephemerid. cap. 1. & apud eum Eutropius, & Scultetus: Io. Stadius in Tabulis: Iacobus Kristmannus de connexione annorum pag. 401. vbi assignat an-

num Iulianum 78. licet erret antea nominando annum 18. Tiberij; item Buntingus in Chronico; Zarlinus Opusc. de hac re; Pererius lib. 11. in Danielem cap. 7. Salmeron prolegom. 38. in fine asserens in hac controuersia eligendum annum à Phlegonte notatum, nempe quartum Olympiadis 202. Langius lib. 2. de Annis Christi p. 2. c. 8. cum Theologis Daniæ, Philippus Labbe in Concordia Chronologiæ, & Synopsi Conciliorum, Iacobus Grandamicus in Quæst. Euangelica de supremo, & Natali die Christi lib. toto; Salianus tomo 6. Anno Mundi 4086. & Keplerus ipse olim fuerat opinionis huius, vt ipse fatetur in Epistola 18. ad Dekerium. Sed aduertendum est Onuphrium, Salianum, & alios qui putant Christum natum anno Iuliano 44. Consulibus Augusto XIII. & Plautio Syluano, hunc Annum 33. Aeræ vulgaris nnmerare pro anno 34. ætatis Christi iam inito. Ad hanc pariter Classem spectat Baradius tomo 4. lib. 1. cap. 7. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 40. sect. 1. Mariana de die mortis Christi cap. 12. Temporarius in sua Chronologia quatenus Christi mortem consignant anno 19. Tiberij. Gerardus Mercator mortuum ponit anno 34. ætatis sed currente littera D. die 2. Aprilis, ergo anno 33. æræ communis. Pro nostra tandem opinione afferri posse S. Augustinum docuimus num. 1. vbi de illo.

V. Opinio de Anno XXXIV. Epochæ Christi.

5 ADuertendum est ante omnia, multos afferri solere pro hac opinione ex eo præcisè, quod putent Christum mortuum esse Anno ætatis suæ 34. per aliquot menses inchoato, sed hoc non sufficit, quia Annus 33. Epochæ Christi vulgaris est annus 34. Christi ætatis tum apud eos, qui natum putant Christum vno anno citius, seu anno Iuliano 44. Consulibus Augusto, & Syluano, cuiusmodi sunt Onuphrius, Salianus, & non pauci adducti cap. 3. pro *Quinta* opinione; tum illi qui cum Dionysio Exiguo, & Beda olim annos Christi numerant ab Incarnatione: quo sensu Beda de ratione temporum cap. 45. dixit: *Habet enim, nisi fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulo plus quàm XXXIII. annis, vsque ad suæ tempora passionis vixisse &c.* vixit enim in carne statim ab Incarnatione, quare anno Epochæ vulgaris 33. die 25. Martij compleuit annos ἐναρχόσεως 33. & incœpit 34. quo labente mortuus est. Pro hac tamen opinione Heruartus capite 180. suæ Chronologiæ adducit Hippolytum Thebanum in Syntagmate Chronologico, vbi à Christi Assumptione ad Constantinopolim à Constantino ædificatam computat annos 298. labentes, illum autem annum fuisse 330. Epochæ vulgaris, qui consurgit ex annis 297. & 33. completis. Addit in Cyclo Victor. Aquitani ad annum 34. Christi in margine notatum esse PASSIO CHRISTI, & cap. 186. conatur in hanc classem pertrahere Gregorium Turonensem; Ipse vero Heruartus à cap. 158. pro hoc anno 34. satagit, & tamen vult Christum passum sub Geminis Cōsulibus anno 15. Tiberij, sed triennio ante mortem Augusti inito eius Imperio in Prouincijs, quod ingeniosa, sed nouitia, & absurda indagine suadere conatur, sed minimè persuadet: Idem cap. 57. pro Anno 34. nominat Io. Paduanum, & Alexandrum Canobium Veronensem; & deinde Gerardum Mercatorem, qui tamen illo anno mortuum Christum putat, quo currebat litera D. feria 6. die 2. Aprilis, qui est potius Annus 33. communis. Pro eadem adducitur Io. Philippæus in Oseam à Grandamico pag. 79. & Io. Mariana, sed de hoc iam diximus supra. Nunc veniendum ad Eminentissimum Cardinalem Cæsarem Baronium, qui ad annum Christi 34. hoc ipso anno mortuum Christum affirmat folio mihi 184. Eius fundamentum est Christum baptizatum esse anno 31. ætatis inchoato, & à baptismo ad resurrectionem eius intercessisse quatuor Paschata, atque adeo tres annos solidos, & aliquot menses; Adducit verò pro se Bedam, Cedrenum, Marianum Scotum, Nicetam: imò omnes qui Christum natum ponunt anno 42. Augusti, & passum 18. Tiberij pro anno 34. stare. Quia verò videbat obstare sibi Phlegontem apud Eusebium ponētem Eclipsim illam celebrem anno quarto Olympiadis 202. adeoque anno 19. Tiberij, censet Baronius corrigendum textum Eusebij, aut Olympiadis annum more Romano vsurpandum, tanquam à Kalendis Ianuarij antecedentibus initum, aut reponendum anno 3. pro anno 4. Sed cum Baronius asserat Christum natum anno Iuliano 43. Consulibus Lentulo, & Messalino, mortuum autem Consulibus Vitelio, & Aenobarbo, idest Iuliano anno 77. Tiberij 18. hic annus est quidem 34. ætatis Christi, quam incœpisse anno Iuliano 46. ostendimus lib. 4. cap. 3. sub finem, natum verò Christum anno 45. Iuliano docuimus capite 4. Quare Annus Tiberij 18. & Consulatus Vitellij, ac Aenobarbi spectant ad Annum 32. Epochæ vulgaris Christi, cui vt se postea adiungat Baronius coactus est duos annos Consulares ex Fastis eximere.

VI. Opinio de Anno XXXV. vel XXXVI. Epochæ Christi.

6 DE Anno 35. nullum authorem reperi, & sanè cum anno 35. Epochæ vulgaris Christi Plenilunium Paschale inciderit in feriam 2. vel vt summum in feriam 3. vt patet ex dictis cap. 10. post num. 6. nulla fictione translationis feriarum, nullaq; probabilitate Cycli tam vitiosi, vt tribus, quatuorue diebus aberrarit defendi potest illo anno mortuum esse Christum, quem constat mortuum esse feria 6. in Plenilunio.

7 Pro anno autem 36. certauit Paulus Middelburgensis, Episcopus Foro sempronienſis in Summa Paulina parte 2. qui libro 10. cap. 1. fingit reuelationem sibi factam à Paulo Apostolo per somnium, deinde lib. 11. 12. & 13. contendit Christum biennio tardius natum, & passum esse, quàm supponatur in vulgari Epocha Christi, idest passum anno 36. huius Epochæ, sed 34. ætatis inito; At eum egregiè refutauit Io. Lucidus lib. de vero Passionis die cap. 11. & Langius lib. 2. de Annis Christi p. 2. cap. 7. vbi ostendit hoc Anno 36. Pilatum non fuisse præsidem in Iudæa, sub quo tamen certum est Christum passum, ac sepultum esse. Tacitus enim 15. annalium ait de Christianis: *Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Et eodem libro narrat Vitellium à Tiberio missum in Syriam; ex Iosepho autem lib. 18. antiq. cap. 5. & 6. constat Pilatum coràm Vitellio accusatum, missum esse Romam ad defendendam causam suam, & Marcellum substituisse Pilato, ac deinde venisse Hierosolymam ad festum Paschatis anno Iuliano 81. qui est annus 36. Epochæ Christi: ergo in Paschate huius anni, iam Pilatus Romam abierat. Post hoc enim Pascha Vitellius accepit litteras de pace cum Artabano facienda, qua peracta Vitellius, & Herodes Tetrarcha perscripserunt omnia, & Tiberius rescripsit Vitellio, vt ex Iosepho liquet. Obijt autem Tiberius Anno Epochæ Christi 37. seu Iuliano 82. die 16. Martij, atq; adeo ante Pascha, ergo Pascha illud, cui Vitellius interfuit, & post quod Tiberio scripsit, incidit in annum Iulianum 81. & tempore huius Paschatis non Pilatus, sed Marcellus erat procurator Iudeæ. Confirmatur idem ex Iosepho supra: nam Tiberius anno 59. Iuliano, quo incœpit imperare, statim misit in Iudæam Valerium Gratum, qui annis 11. prouinciam eam administrauit, & post hunc Pilatum, qui annis 10. Adde annos 21. anno 59. fit annus Iulianus 80. quo exeunte Pilatus abiuit à prouincia. Sed Pauli opinioni obstat etiam Eclipsis Phlegontis, quæ Christum passum ostendit anno 33. Epochæ Christi, & annus 42. Augusti, quo natus est Christus, qui non potuit esse alius, quam Iulianus 45. aut 44. iuxta dicta, & demonstrata à nobis lib. 4. cap. 7. Ergo non potuit nasci anno Iuliano 47. vt vellet Paulus.

CA-

CAPVT XII.

De vero Anno Passionis, & Mortis Christi.

CONCLVSIO XII.

Christus Dominus Passus est ac mortuus Anno vulgari Christianæ Epochæ, & Kalendarij Romani Trigesimo tertio; Olympiadis CCII. anno Quarto exeunte Iulianoq; LXXVIII, Tiberij 19. Consulibus Serg. Sulpicio Galba, & L. Cornelio Scilla, anno ætatis suæ XXXIII. labente, quod est probabilius, vel XXXIV. labente, quod non est improbabile.

Olympiadum connexionem, & comparationem cum annis vulgaribus Epochæ Christi traditi lib. 2. in prima tabula, & demonstraui lib. 3. c. 2. eiusdem autem nexum cum annis Iulianis lib. 4. c. 3. sub finem, & cum annis Consulum ibidem à cap. 3. ad 5. & cum annis Tiberij eodem libro 4. c. 8. Quare ex vno horum Characterum probato, alij probati manebunt.

Prima Pars Conclusionis de Anno XXXIII. Epochæ vulgaris probatur ex Eclipsi Solis Miraculosa in Morte Christi.

1 ARgumentum in formam redactum est huiusmodi. Christus illo anno mortuus est, quo facta est Eclipsis Solis totalis, & omnium, de quibus memoria extet, maxima, & vt talis notata à Scriptoribus Sacris, & prophanis; At talis Eclipsis notata est anno 4. Olympiadis 202. ab ipsis, & hic est annus 33. Epochæ vulgaris Christi. Assumptum, seu maior propositio de *Solis Eclipsi facta* partim ex Euangelio, partim ex Patribus præcipuè ex S. Dionysio Areopagita ostenditur: Sublato enim in Crucem Christo hora sexta, idest Meridie, obscuratum esse Solem vsque in horam nonam, qua Christus emisit spiritum, disertissimè scribit S. Lucas cap. 23. dicens: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol*: id ipsum significant SS. Matthæus c. 23. & Marcus c. 15. dicentes: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Marcus. *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam.* Etsi verò de causa harum tenebrarum diuersæ fuerunt opiniones, quas fusè cum plurimis alijs ad eruditionem lectoris retuli libro 5. Almagesti Noui cap. 18. vera tamen causa fuit interpositio corporis Lunaris inter Solem, & terram, non quidem naturalis, cum esset pleniluniũ, sed supernaturalis, quo ad modum; scribit enim S. Dionysius Epist. 7. ad Polycarpum loquens de Apollophane sic. *Ab eo autem quære quid sentiat de defectione Solis, quæ cum Seruator in crucem actus est, extitit. Eramus enim vna ambo, & flabamus ad Heliopolim, ac cernebamus, quando Luna ex improuiso incidit; neque enim coniunctionis tempus erat, rursusq; quando eadem Luna, hora nona ad vesperam, se mediæ Solis lineæ, præter naturæ ordinem opponebat.* Quoniam vero naturaliter Luna coniungitur Soli motu suo ab Occidente versùs Orientem illi incidens, tunc autem secùs omnino ad euidentiam miraculi factum est, pergit S. Dionysius dicens. *Scit enim etiam incidentiam ipsam à nobis visam esse incipere ab Ortu Solis, & ad Solis extremum peruenire, deinde euanescere, rursusq; non ab eadem parte Solis, & incidentiam, & recessum euenire, sed ab ea, quæ penè ex diametro erat contraria.* Idem Epistola 11. ad ipsum Apollophanem hæc inter alia. *Videlicet Heliopoli tu quidem mihi penè coæuus, & ego quinque, & viginti annorum ferè tempus euoluens, vnà morantes constiteramus: cùm feria quadam sexta, & hora etiam penè sexta, Sol horribilibus subitò est obsitus tenebris, Luna ipsum intercurrente, quia non Deus, sed creatura Dei in ipsius veræ lucis occubitu lucere non potuit.* Et paulo post. *Et postquam repurgatio restitutioq; facta est, Luna ad Solis diametrum conuersa aufugit. Et tunc quoque canonem Philippi Ariadæi assumpsimus, cumq; reperissemus, quod & erat notissimum, eo tempore Solem Eclipsim pati minimè potuisse; & nihilominus Lunam ab Oriente Solis iubar pullis, ac nigricantibus velis obduxisse, cùm solita sit ex occidente parte Solem subingredi*: reliqua miracula, quæ omnino fuere decem, illo capite 18. recensui. Igitur ex S. Dionysio refellitur Keplerus, Kriftmannus, & alij qui negarunt Eclipsim illam factam interpositione Lunæ.

2 Pro altera verò propositione sit testimonium S. Luciani Martyris in eius actis apud Ruffinum in historia Eccl. *Solem nobis ipsum horum produco testem, qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in Cælo. Perquirite in annalibus vestris, & inuenietis, temporibus Pilati fugato Sole, interruptum tenebris diem.* Et Tertullianus in Apollogetico, loquens de Iesu suffixo in cruce inquit: *Eodem momento dies medium orbem signante Sole subducta est. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt: & tamen eum mundi casum relatum in archiuijs vestris habetis.* Orosius verò l. 7. c. 4. addit Stellas tunc in Cœlo visas, totumque Solem obscuratum: *Quod non solum Sanctorum Euangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur.* Et S. Augustinus Epist. 80. ad Hesychium: *Solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, non talis vt reliqui Solis defectus fuit, sed verè mirabilis, & prodigiosus: sed Ethnicorum Romanorum inuidia, ne cælum doluisse Christi, velut diuini viri mortem putaretur, id quidem scriptum habuere in annalibus, sed euulgari vetuerunt.* Sed non obstante hoc conatu ad publicam posterorum memoriam emanauit fama huius prodigij; Nam Phlegon Hadriani libertus eam consignauit, teste Origene tr. 35. in Matthæum dicente: *Et Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit, in principatu Tiberij Cæsaris deliquium Solis factum.* Et lib. 2. contra Celsum. *De Sole autem Tiberij Cæsaris tempore obscurato, quo imperante Iesus creditur Cruci fuisse affixus, & de magnis terræ motibus tunc factis, scripsit Phlegon in 13. vel 14. vt arbitror de temporibus libro.* Audiamus iam Eusebium in Chronico ad annum Domini 33. loquentem de tempore Passionis Christi: *Quo tempore, & in alijs Ethnicorum commentarijs hæc ad verbum scripta reperimus. Solis facta defectio, & tenebræ super vniuersam terram; Bithynia terræmotu concussa, & in vrbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt; quæ omnia his congruunt quæ in passione Saluatoris acciderunt. Scripsit verò super his & Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, in 14. libro ita dicens. Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est; dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in Cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit. Hæc supradictus vir.* Subiungit verò Eusebius confirmationem talem: *Argumentum autem huius rei quod Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis, in quo scribitur post quintumdecimum annum Tiberij Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse.* Si post annum 15. ergo additis annis tribus & totidem ferè mensibus prædicationis, passio cadit in annum 19. Tiberij, vt Scaliger in Græco codice emendato legit, conformiter ad Olympiadis 202. annum 4. Esto in Chronico Eusebiano Latino sit annus 18. Fuit autem Phlegon Trallianus Libertus Hadriani, scripsitq; res vbiq; gestas libris 16. vsque ad Olympiadem 229. quæ desinit in anno 140. Christi.

3 Io. Philoponus Alexandrinus, qui floruit anno 570. agens de tenebris in Christi Passione, per totum mundum offusis ait: *Harum tenebrarum, vel potius noctis, etiam Phlegon in Olympiadibus meminit, ait enim: Quarto anno Olympiadis ducentesimæ secundæ factam Solis defectionem omnium, quæ ante innotuerint, maximam, & noctem hora diei sexta talem, vt stellæ in cœlo apparuerint.* Pergit Philoponus ostendendo hanc esse illam Eclipsim, quæ facta

est

est in Passione Domini, tum quod fuerit omnium maxima inter consignatas ab historicis, & in plenilunio acciderit contra ordinem naturalem, & durauerit totalis per tres horas. Sed quod valde notandum est, Philoponus addit id accidisse anno 19. Tiberij ex authoritate Phlegontis dicens: *Atque id ex ipsa Tiberij Cæsaris historia ostendit. Ait enim Phlegon ipsum regnare cœpisse anno secundo Olympiadis 198 eamq; Eclipsim factam in 4. anno Olympiadis 202. ita vt collectis ab initio regni Tiberij annis vsq; ad 4. Olympiadis 202. fiant prope δέκα καὶ ἔννεα, decem & nouem.* Deniq; idem Philoponus infra concludit. *Erat autem annus ille Imperij Tiberij Cæsaris decimus nonus ἔννεα καὶ δεκάτον, in quo facta est salutaris mundo Christi Crucifixio, & in ipsa mirabilis, & inusitata Solis defectio eo modo contigit, quam Dionysius Areopagita in Epistola ad Polycarpum Pontificem descripsit.* Huc accedat Georgius Syncellus antiquus Chronographus, & Eusebij continuator, is enim ad annum Domini 33. & textu Eusebij bis expressè ait Christum venisse ad passionem anno 19. Tiberij & 4. Olympiadis 202. meminitq; Eclipsis hoc anno à Phlegonte notatæ; Quæ dicta sunt contra quosdam, qui vt suam opinionem tueantur, annum 18. Tiberij & 3. Olympiadis 202. ex vitioso textu retinere, aut intrudere conantur, contra quos militat etiam Alexandrinum Chronicon, expressè consignans tum passionem Domini, tum Phlegontis Eclipsim anno 19. Tiberij, & Olympiadis 202. Anno 4. & ipsemet keplerus in Eclog. Chronol. Epist. 14. agnouit in Græco textu Eusebij annum Tiberij ιθ ideſt 19. quo igitur ausu in Rodulphinis cap. 17. ait in textum Græcum Phlegontis pro γ irrepsisse δ: ideſt annum 4. pro 3. Olympiadis 202. nempe quia vult retrahere hanc Eclipsim ad annum 31. & quia id non sufficiebat, ait Olympiadicos annos non ab Æstate sed à bruma ibi computatos, quod est absurdum. Eclipsis verò quam anno Iuliano 74. ideſt Christi 29. totalem fuisse in Syria affirmat Epistola 16. in Eclogis non est ad rem tum ratione anni, tum quia non incœpit ibi hora sexta, nec totalis durauit horas 3; nec fuit feria 6. vt affirmat S. Dionysius, contemptus quidem à Keplero alibi, sed ipse contemnendus in hoc, & multis nominibus impar Authoritati S. Dionysij.

4 Cum ergo anno 19. Tiberij seu 4. Olympiadis 202. nullæ Tabulæ Astronomicæ exhibeant Eclipsim Solis totalem in Palestina, & talem, vt stellæ in cœlo videri potuerint; non potuit ea esse alia, quam ea quæ miraculosè accidit in passione Christi, ideoque meritò illam esse, quæ in Annalibus, & Archiuijs Ethnicorum notata erat, & à Phlegonte in primis Auctores hactenus adducti censuerunt. Nam etsi fingas, sed gratis illo anno de quo Phlegon, factam fuisse Solis obscurationem totalem à globo nebuloso alioue corpore meteorologico; alio autem anno huic vicino, factam eam, de qua Euangelistæ, & S. Dionysius; hanc ipsam tamen non tacuisset Phlegon, vtpote adeo insignem, & præterea circumstantia terræmotus ab ipso, & ab Euangelistis adiecta omnem dubitationem eximunt ab æstimatione prudentum. Annum porro 4. Olympiadis 204. exeuntem, nempe verno tempore, coincidere in Epochæ vulgaris 33. patet ex dictis lib. 2. tab. 1. & lib. 3. cap. 2.

Prima item pars Conclusionis probatur alijs Argumentis.

5 MVlto probabilius est Christum natum esse Anno Iuliano 45. exeunte, quàm alijs antecedentibus, aut posterioribus, vt probatum est capite 4. à num. 3. & 5. & baptizatum anno 30. ætatis paulo ante inito, die 16. Ianuarij anni Iuliani 74. ex dictis cap. 6. à nu. 8. & à baptismo ad resurrectionem eius interfluisse quatuor Paschata, atq; adeo eum prædicasse annos tres, & menses circiter tres, ex dictis cap. 7. At ex his sequitur eum mortuum esse in Paschate anni 78. Iuliani, ideſt Epochæ vulgaris Christi 33. Annis enim 45. Iulianis completis in Circumcisione Christi adde 33. annos inchoatos & fit annus 78. Iulianus labens.

6 Illo anno mortuus est Christus, quo ita plenilunium paschale incidit in feriam sextam, vt tamen ab anno Tiberij 15. vsque ad mortem Christi intercesserint paschata saltem 4. & Pilatus fuerit Iudeæ præses. Sed inter omnes annos de morte Christi tolerabili opinione Auctorum assignabiles, nullus est, qui habeat hos tres Characteres Chronologicos, seu tres has conditiones simul concurrentes, præter annum 33. Epochæ vulgaris Christi, ergo hoc, & non alio anno mortuus est Christus.

Prima conditio de Plenilunio in feria 6. requisito, patet ex dictis cap. 8. toto, & fundatur in Euangelistis ac Patribus. *Secunda* in Euangelio S. Lucæ, vbi baptismus, & prædicationis Christi initium ponitur inito iam, & labente anno 15. Imperij Tiberij, vna cum Euangelio S. Ioannis, & aliorum ex quibus colliguntur 4. paschata prædicta, vt constat ex dictis cap. 7. *Tertia* conditio de Pilato præside certa est de fide ex omnibus Euangelistis. Iam verò licet prima conditio de plenilunio paschali in feria 6. reperiatur in anno Epochæ vulgaris 30. & 36. vt constat ex Tabula capitis X. sub num. 6. Annus tamen 30. cum Tiberij 15. concurrit maiori sui parte, & si mortuus esset Christus in Paschate huius anni, nec quatuor paschata interfluissent ab eius baptismo ad resurrectionem, & ne vnum quidem annum integrum prædicasset, quod est manifestè contra Euangelium. Anno verò 36. Pilatus multo ante Pascha illius anni missus fuerat Romam ad dicendam causam à Vitellio, qui Iudææ Marcellum loco Pilati præfecerat Iudææ, vt ex Tacito, et Iosepho historico cum Langio demonstrauimus cap. XI. num. 7. Deinde non esset natus Christus anno 42. Augusti. vt est communis antiquorum sententia, si natus esset tardius, quàm anno Iuliano 45. exeunte; at si natus est anno 45. Iuliano et primus Christi cœpit à Natiuitate die 25. Decembris moraliter autem, aut ciuiliter more Romano à kalendis Ianuarij anni Iuliani 46. et mortuus esset anno Epochæ vulgaris 36. ideſt Iuliano 81. vixisset annos 35. solidos, et aliquot menses, quod est contra communissimum Ecclesiæ, et patrum Doctorumq; sententiam.

Cum igitur reliqui anni Epochæ Christi in Tabella capitis X. sub numero 6. ideſt Annus 31. 32. 34. & 35. non habeant plenilunium Paschale in feria 6. Annus autem 33. illud habeat, & sit annus 19. Tiberij, atq; adeo ab anno 15. ad annum 19. Tiberij fuerint 4. Paschata, & tres anni prædicationis Christi integri, vt requirit Euangelium, & hoc anno Pilatus fuerit præses Iudææ, vt ostensum est cap. XI. num. 7. sequitur hoc anno passum, & mortuum esse Saluatorem nostrum, & ita sequitur, vt hoc argumentum demonstrationis vim habeat in historia partim Sacra, partim prophana.

Secunda pars de Christi Aetate probatur.

7 SI Christus natus est Anno Iuliano 45. exeunte, ideſt 25. Decembris, & Circumcisus anno 46. kalendis Ianuarij, & incipiunt pariter Anni Epochæ Christi vsitati in kalendario, & Imperio Romano, vt multo probabilius esse ostendimus capite IV. & V. mortuus est autem anno huius Epochæ 33. die 3. Aprilis, vt ostendimus cap. X. nu. 7. quo ad diem, & hoc capite, quoad Annum; profectò non vixit mortalis, & passibilis inter homines post natiuitatem suam, nisi annos 32. Iulianos, ac solidos, & præterea dies 68. & horas 15. numerando tempus à media nocte antecedente diem 25. Decembris anni Iuliani 45. vsq; ad horam nonam diei 3. Aprilis anni Iuliani 78.

8 At si natus est Christus anno Iuliano 44. quod in secundo gradu probabilitatis esse concessimus cap. V. num. 5. & mortuus anno Iuliano 78. Aprilis 3. vtique vixit annos 33. solidos, & dies 68. horasq; 15. facta, vt supra computatione, sed in hac hypothesi oportet admittere quinq; Paschata inter baptismum, & resurrectionem Christi, & annos quatuor solidos prædicationis.

CA-

CAPVT XIII.

In quo diſſoluuntur obiecta maioris momenti contra Annum 33. Epochæ Chriſti aſſertum pro Anno Mortis eius.

1 HIeroſolymam captã eſse à Tito Anno Epochæ vulgaris Chriſti 70. docuimus libro 4. cap. 3. num. 21. & cap. 8. num. 9. quod nunc operæ pretium eſt confirmare ex Ioſepho lib. 6. de bello Iudaico cap. 4. dicente. *Azymorumque inſtante die, qui eſt Xanthici menſis quartus decimus, hoc enim ſe primum tempore opinantur Iudæi ab Aegyptijs eſse liberatos*, vbi agit de inteſtina pugna Iudæorum, quo die Titus caſtra vrbi admouit, & cap. 16. *Ex die quo caſtra prope Ciuitatem poſita ſunt ex die* 14. *Menſis Xanthici*; deinde lib. 7. cap. 9. ait Templum à Romanis incenſum die 10. *Menſis Ab*, & cap. 16. Hieroſolyma Titum potitum die 8. *Gorpiæi*. Ruffinus, & eum ſecuti Scaliger, & Gelenius interpretati ſunt Menſem *Xanthicum* pro *Aprili*, & *Ab* pro *Auguſto*, & *Gorpiæum* pro *Septembri*; addit autem Xiphilinus in Epitome Dionis, vbi de Nerone, captam fuiſse à Tito Hieroſolymam die Sabbati. At Anno Epochæ Chriſti 70. cyclus Lunæ fuit 14. Epacta 30. cyclus Solis 23. littera Dominicalis G. Nouilunium ciuile Iudæorum die 31. Martij, ſed ex Phaſi die 1. Aprilis, & ſic 14. Aprilis dies Azymorum, & Sabbatum incidit in diem 8. Septembris, itemque in 1. At Petauius lib. 11. de doctr. temporum cap. 17. aliter interpretatus illos menſes, nihilominus ex Ioſepho cum Dione concludit Annum illum fuiſse Dionyſianæ æræ LXX. & vrbem captam 31. Auguſti feria 7. vbi debuit dicere 1. Septembris, nam 31. Auguſti, eo anno incidit in feriam ſextam.

2 His poſitis ſi Chriſtus mortuus eſt Anno Epochæ vulgaris 33. die 3. Aprilis, inde ad Anni 70. diem 1. vel 8. Septẽbris ſunt anni tantummodo ſolidi 37. et Menſes quinque, quare Vrbs illa capta fuiſset anno 38. à Paſſione Domini, & à Prædicatione 41. At hoc non cohæret cum opinione veterum. Nam Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ait: *A Paſsione Chriſti ad euerſionem Hieroſolymorum anni ſunt* 42. *Menſes* 3. Et Sulpicius Seuerus lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ à Templi excidio ad Stiliconem conſulem numerat annos 331. fuit autem Silico Conſul anno 400. Chriſti, ergo Templum dirutum anno 70. Chriſti, ſed à Geminis Conſulibus ad Stiliconem numerat annos 372. ergo inde ad Templi excidium annos 41. labentes. Et S. Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ verſu 17. Poſt annos 42. *Dominicæ Paſſionis circumdata eſt ab exercitu Hieruſalem, & conſummatio illius facta eſt cum feſtinatione*, quod repetit Epiſtola 150. ad Helbiam q. 8. ſed Euſebius in Chronico ex translatione Hieronymi ad Annum Domini 72. numerat ſic. *Colligitur omne tempus in ſecundo anno Veſpaſiani ad nouiſſimã euerſionem Hieroſolymorũ à XV. Tiberij Cæſaris anno, & ab Exordio prædicationis annorum* 43. Ergo ab anno 18. Tiberij fuere anni 40. & ab anno 19. anni 39. eundem annum 40. à paſſione numerant Beda præfat. in Acta Apoſt. & in cap. 13. Lucæ, S. Antoninus 1. p. hiſt. tit. 7. cap. 1. Ribera in cap. 11. Zachariæ, & alij quos nominant Henricus Philippi in Chronologica Synopſi cap. 18. nu. 17. & Tirinus in Chronico Sacro cap. 50.

3 Reſpondeo nihil hæc nobis obſtare, quia numerant hos annos alij ab anno 29. vel 30. Epochæ communis, alij ab Anno 31. quo paſſum Chriſtum putant, iuxta dicta cap. XI. num. 1. & 2. vnde non mirum ſi inter ſe, & à nobis diſſentiant, & eadem reſponſio valet de anno à Paſſione Domini, vſque ad Martyrium SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod aliqui fuiſse dicunt anno 13. aliqui 14. Neronis, ſed à Paſſione Domini 37. alij 36. alij 35. prout diuerſo anno paſſum Dominum ſupponunt.

4 Scianum anno illo, quo Conſul fuit cũ Tiberio quintum Conſule, hoc eſt anno Iuliano 76. & Chriſtianæ Epochæ 31. occiſum eſse iuſſu Tiberij, narrant Tacitus lib. 5. & Dio lib. 58. At Oroſius lib. 7. cap. 4. ait Tiberium, cui Pilatus ſignificarat Chriſtum poſt mortem multis miraculis claruiſse, rogaſse Senatum vt Chriſtus in Deorum numerum referretur, ſed Scianum pertinaciter contradixiſſe. Ergo Scianus viuebat adhuc poſt mortem Chriſti, quæ idcirco non potuit eſse poſt annum 76. Iulianum, ſeu 31. Epochæ vulgaris. *Quod argumentum*, inquit Dekerius parte 3. diſput. Theſi 6. annot. 24. *Si vel ſolum eſſet, voce, ac digito annum nobis illum deſignaret, in quem vota omnium ſuſpirant Chronologorum nempe Mortis Chriſti.*

Reſpondeo cum Baronio ad Annum Domini 33. Baronianum, erraſſe Oroſium, & anſam erroris fuiſſe, quia Scianus, teſte Philone in legatione ad Caium, infenſiſſimus Iudæis, exhortatus eſt Tiberium, vt Iudæos deleret; Euſebiumq; item errare, qui Sciani hanc hortationem refert ad annum Domini 36. quaſi verò vixerit triennio poſt. Idem verò Euſebius ad annum Domini 38. narrat relationem Pilati de Miraculis Chriſti ad Tiberium, & Tiberij rogationem, vt Chriſtus inter Sacra reciperetur, ſed hoc non potuit eſse anno 38. Epochæ Chriſti, cum Tiberius obierit anno 37. Epochæ Chriſti Martij 16. ex dictis lib. 4. c. 8. Ex falſa igitur Chronologia nihil contra nos concludi poteſt.

5 Hebdomades Danielis 70. abbreuiatæ, ideſt 79. cum dimidia efficiunt annos 486. & aliquot menſes, qui computati ab Anno 453. ante Epocham Chriſti cadunt in annum 33. Epochæ Chriſti completum iam, & in anni 34. menſem 4. vt diximus lib. 6. cap. 12. num. 3. Reſpondeo illud dictum eſse ex hypotheſi, quod Chriſtus mortuus ſit anno 34. labente Epochæ vulgaris; nunc autem dicendum eſt ſufficere ad moralem dimidiationem Hebdomadæ vltimæ, ſi mortuus ſit anno 485. & Menſibus 3. vel ſi volumus retinere annos 486. computandas eſse Hebdomadas illas ab anno 454. ante Epocham Chriſti.

CAPVT XIV.

De Anno, Menſe, ac Die Conceptionis, Natiuitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificacionis, & Aſsumptionis in Cœlum Deiparæ Virginis MARIAE.

I. CONCLVSIO.

Concepta eſt Deipara Virgo MARIA Anno Iuliano 28. *ſeu ante Chriſti Epocham* 17. *Olympiadis* 190. *anno* 4. *& Vrbis conditæ, ſecundùm Varronem* 732. *Conſulibus C. Furnio, & Iulio Silano, Anno Auguſti Imperatoris* 27. *Feria VII. Die* 8. *Decembris, qua valde probabile eſt creatam, & corpori ſuo infuſam fuiſſe Sanctiſsimam, & Immaculatiſsimam ipſius Animam.*

1 PRior pars de Anno probatur ex dicendis de Natiuitatis ipſius anno pro Concluſione ſequenti, qua oſtendemus natam eſse Deiparam Virginem die 8. Septembris Anni Iuliani 29. & 16. ante Epocham Chriſti. Reliquæ annorum connexiones cum Annis ante Epocham Chriſti demonſtratæ ſunt lib. 2. in prima Tabula, & lib. 3. cap. 2. ac lib. 4. cap. 2. vbi de Olympiadibus, & Vrbis annis, libro autem 4. cap. 3. & 5. de Annis Iulianis, & de Conſulibus, cap. 7. de annis Auguſti. De Feria autem VII. ſuppoſito Anno, & die dicto, patet ex Kalendario, quia cyclus Solis erat 21. & litera G. in kalendario Romano nondum correcto ab Auguſto.

2 *Poſterior* pars probatur, quia Eccleſia Catholica Latina celebrat Conceptionem paſſiuam B. Virginis MARIÆ die 8. Decembris; intentio autem Chriſtifidelium ex vetuſto cultu nunquam immutato fuit, & eſt celebrandi

præ-

præseruationem eiusdem Virginis à peccato Originali, in primo illo instanti, in quo creata fuit sanctissima ipsius anima, & corpori infusa, & huic intentioni in celebrando hoc festo cum peculiari Officio, & Missa fauit hactenus S. Romana Ecclesia, Sedesq; Apostolica, vt declarauit S. D. N. Alexander PP. VII. in Constitutione Anni 1661. sub die 8. Decembris. Præterea Sanctus ille Præsul (quem multi putant fuisse S. Nicolaum) qui apparuit Abbati Helsino oranti, vt liberaretur à naufragio, dixit: *Promitte mihi, & Deo, quòd diem Conceptionis, & Creationis MARIAE Matris Christi solenniter celebrabis, & celebrandum prædicabis*: & interroganti Helsino, quæ nam esset hæc dies? respondit esse *Sextum Idus Decembris*, vt narrat S. Anselmus in Epistola ad Coepiscopos Angliæ, ideoque idem in Sermone de Conceptione exclamat: *O quanta est illa dies, qua nostræ Reparatricis anima digna creatur, & Sacratur, & Sanctissimo corpori vnitur? non est verus amator Virginis, qui respuit colere diem Conceptionis, & Creationis eius.* Esto autem ante declarationem Alexandri VII. vel non attendendo ad reuelationem prædictam, aliqui Doctores existimarint celebrari hoc festum die 8. Decembris, eo quod secundùm communem opinionem vulgarem à Conceptione carnali ad Natiuitatem hominis 9. menses intersint, quot sunt ab 8. Decembris ad 8. sequentis Septembris, quo die natam B. Virginem censet Ecclesia; quia ignoratur dies Animationis, cum intentione tamen celebrandi Animationis diem, quæ reuera fuit Sancta, ob Sanctitatem, & gratiam diuinam Animæ illi infusam. Post dictam tamen reuelationem, & Declarationem, probabilius est illum ipsum diem 8. Decembris, fuisse diem animationis Corporis Virginei, & ideo illum diem deputatum huic festiuitati, quia peruulgata fuit illa reuelatio, qua ille dies non solum Conceptionis, sed Creationis MARIÆ fuit nominatus, si enim fuisset diuersus dies æquè facile fuit Deo illum reuelare, nec opus erat in hoc attendere ad medicorum, aut potius vulgi opinionem, præsertim cum maior pars hominum non nascatur in ipso præciso termino nouem Mensium Iulianorum à die Conceptionis carnalis computato.

3 Deinde etiam si daretur die 8. Decembris factam fuisse Conceptionem carnalem corpusculi Virginei, nulla tamen est necessitas dicendi dilatam fuisse animationem eius vltra integrum diem horarum 24. vt fusius docui in Informatione mea de Veritate Præteruationis Deiparæ Virginis ab Originali cap. 3. à num. 18. Nam valde conueniens fuit, vt hoc miraculo perficiendi intra vnum diem Virginei corpusculi, & animandi, sterneretur via ad maius miraculum, quo in eodem vnico instanti conceptus est Christus quoad corpus, & animam in vtero Virginis. Sed & B. Amadeus Confessarius Sixti IV. in suis reuelationibus raptu 4. affirmat reuelatum sibi à S. Gabriele, peractis 6. horis à commixtione seminum, organizatum fuisse corpusculum MARIÆ, illudq; anima rationali informatum.

II. CONCLVSIO.

Nata est Deipara Virgo MARIA Anno XVI. ante vsitatam CHRISTI Epocham, seu Iuliano XXIX Consulibus L. Domitio Aenobarbo, & P. Cornelio Scipione die VIII. Septembris Feria I. desinente, & incunte II.

4 SCribit enim Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. ex Euodij Apostolorum successoris Epistola hæc de Dei Genitrice verba. *Siquidem trimula cum esset in Templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorũ traduxit annos vndecim. Deinde verò Sacerdotum manibus Ioseph o ad custodiam est tradita: apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuntium. Peperit autem Mundi ipsius lucem, annũ agens quindecimum XXV. die mensis Decembris*: Hæc Euodius, quem Catholici scriptores hoc de Argumento tractantes recipiunt, quia nullum antiquiorem testem habent, & quia nemo antiquorum ei contradixit; in primis Baronius in apparatu, Canisius lib. 1. de MARIA Deipara cap. 11. Salianus tomo 6 Anno Mundi 4038. Salmeron verò tom. 2. tract. 4. addit auctoritatem S. Epiphanij, quando Annunciatio facta est, fuisse annorum XIV. & mensium 6. ac dierum 18. nempe die 25. Martij sequentis, ergo die 8. Septembris subsequentis compleuit annum 15. ac demum die 25. Decembris peperit vnigenitum suum filium CHRISTVM Dominum, cum esset annorum 15. completorum, & mensium 3. ac dierum 17. & confirmatur ex Euodio supra, nam quando educta est de templo peregerat annos 14. & post 4. menses nuncium accepit à Gabriele: adde menses 9. vsque ad partum fiunt anni 15. & mensis vnus; at non est nata die 25. Nouembris, sed 8. Septembris, ergo quando peperit Christum habebat annos 15. &c. male igitur Salianus ex verbo ὑπαρχθσα ie infert inchoasse 15. cum significet *existens*, & *obtinens* iam annos 15. Atqui peperit illum anno Iuliano 45. seu primo ante Epocham Christi, ex dictis cap. 4. et 5. ergo retrocedendo per annos 15. completos, & menses 3. ac dies 18. sequitur eam natam esse anno Iuliano 29. & anno 16. ante Epocham Christi. At qui annos 14. in Annunciatione labentes vsurparunt etiam pro tempore, quo MARIA peperit IESVM; non mirum si anno vno tardius natam posuerunt. Erat porrò tunc apud Romanos, ob vitiosam intercalationem, annus ille bissextilis, & Cyclus Solis 22. & litera E. iuxta dicta libro 1. cap. 22. sub finem, ideoque feria 1. exeunte, ineunteq; 2. sed respectu Kalendarij Romani retroacti, iuxta formam anni Iuliani ab Augusto instaurati fuisset litera A. et dies 8. Septembris incidit in feriam 6. At Heruartus cap. 245. suæ nouæ Chronologiæ supponens natam hanc stellam matutinam anno 15. ante Epocham Christi, consequenter eam natam in Sabbato affirmat. Sed cætera, quæ ad hunc annum illustrandum eruditus vir colligit, nempe Ianum quinta vice clausum ab Augusto, et Pythici oraculi finem, et Aram primogenito Dei ab Augusto dicatam, et instaurationem templi Hierosolymitani factam ob Herode, piè magis, quam ex vera Chronologia conquisita videntur: vt et illud de festo Tabernaculorum, quod post Aequinoctium autumnale celebrabatur atq; adeo post 25. Septembris; quare in illud non potuit cadere natiuitas Tabernaculi huius Diuini, nempe Deiparæ.

III. CONCLVSIO.

Præsentata est in Templum Deipara Virgo MARIA Anno XIII. ante Epocham CHRISTI, seu Iuliano XXXII. die XXI. Nouembris feria 3. cum expleßet annos 3. ætatis & dies 74.

5 NAm ex Euodio adducto pro Conclusione II. trimula erat, quando præsentata fuit in templum; hoc autem festum Ecclesia Catholica celebrat die 21. Nouembris, à quo ad præcedentis Septembris diem 8. quo complerat annos 3. sunt dies 74. Nata verò est anno XVI. ante Epocham Christi ex dictis pro Concl. II. Ergo præsentata est Anno XIII. Illo autem anno Cyclus Solis erat 25. & litera in kalendario Romano vitioso erat A. ergo dies 21. Nouembris incidit in feriam 3.

IV. CONCLVSIO.

Annuntiatio facta ab Angelo Gabriele Deiparæ Virgini MARIAE, & Incarnatio VERBI Diuini facta est Anno I. ante Epocham CHRISTI, seu Iuliano XLV. Aetatis verò eiusdem Virginis Anno XIV. completo, & mensibus 6. ac diebus 22. completis die 25. Martij feria VI.

6 DE Anno patet ex dictis cap. 4. & 5. cùm eodem anno facta sit Incarnatio, & Natiuitas Saluatoris: de die autem 25. Martij satis probatum fuit cap. 2. De Virginis autem ætate patet ex SS. Euodio, & Epiphanio relatis supra num. 4. De feria autem patet ex Kalendario Romano. de quo lib. 1. ad finem capitis 22. in quo ob interruptam iussu Augusti intercalationem, currebat vnica litera B. & ideo dies 25. Martij incidit in Feriam sextam.

V. CON-

V. CONCLVSIO.

Visitatio, qua Deipara Virgo MARIA visitauit S. Elisabetham, fuit Anno Iuliano XLV. exeunte Martio, vel incunte Aprili, Esto Festum Visitationis huius Ecclesia celebret immediatè post octauam Natiuitatis S. Io. Baptistæ, quando completa Visitatione Deipara, nempe die 2. Iulij, quæ anno illo incidit in feriam VII. die sequenti reuerti cœpit in domum suam.

7 CVm à maioribus non sit traditum, quo die Deipara Virgo discesserit à Nazareth, aut peruenerit in Domum Zachariæ, nec Euangelista Lucas significet diem determinatum, sed dicat salutatam ab Angelo in mense sexto à Conceptione S. Ioannis, verba illa Angeli, *Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*, accipiuntur tamen ab Ecclesia, perinde ac si dixerit tunc fuisse completum mensem sextum, & confirmatur ex traditione de Natiuitate S. Ioannis die 24. Iunij celebrata, nempe mense 9. à Conceptione proximè complendo; cum item dicat: *Exurgens autem MARIA in diebus illis abiit in Montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda &c.* & versu 56. Mansit autem MARIA cum illa *quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam*, Et Ecclesia celebret finem, seu complementum Visitationis huius die 2. Iulij, qui immediatè sequitur post octauum diem Natiuitatis Præcursoris, qua circumcisus est, & nomen Ioannis accepit, nihil verisimilius est, quàm Deiparam mansisse in Domo Zachariæ vsque ad diem illum octauum, & diem sequentem, quia erat Sabbatum, deinde feria prima valedicto Elizabethæ, ac Zachariæ, & benedictione iterum atq; osculo S. Præcursori impertitis, discessisse inde. Numeratis ergo ex hoc die mensibus illis circiter tribus, & computato itinere dierum quatuor circiter, aut quinque consumptorum in itinere priori à Nazareth ad domum Zachariæ (quam Adrichonius dotionem primam incidisse in finem Martij, aut potius initio iam Aprili, cum probabile sit ab Annunciatione ad discessum ex Nazareth aliquot dies intercessisse, præparandis necessarijs ad iter, & ptæcipuè conquirenda vna, vel pluribus mulieribus comitaturis Virginem. Iosephum enim cum ea non iuisse inde concludit Salianus, quòd alioquin audisset à S. Elisabetha MARIAM esse matrem Domini, Et benedictum fructum ventris eius, nec postea quando intumuisse vterum eius apparuit, dubitasset de hac re, tentassetq; illam dimittere. Iuxta kalendarium porrò Romanum retrofictum sed intercalari iussu Augusti intermisso fuit dies 2. Iulij feria 7. Et Natiuitas ac Circumcisio S. Ioannis feria 6. Fortasse autem discessit feria prima, & peruenit ad domum Zachariæ feria 4. sub vesperam; Quod si fuisset, sanctificasset Deipara omnes dies Hebdomadis suis 7. Festis, vt ex dictis dicendisque obseruari potest.

VI. CONCLVSIO.

Purificatio Deiparæ Virginis MARIAE facta est Anno XLVI. Iuliano die 2. Februarij Feria V.

8 HOc enim die, nempe quadragesimo à partu Virgineo, iuxta legem Moysi, celebrat Ecclesia Purificationis huius festum, anno primo Epochæ Christi, quem cap. 4. & 5. docuimus esse Iulianum 46. Eo autem anno dies 2. Februarij incidit in Feriam V. in kalendario Romano, ob interruptam interkalationem.

VII. CONCLVSIO.

Assumptio Deiparæ Virginis MARIAE in Cœlum probabilius euenit Anno Epochæ CHRISTI vsitatæ LVI. & ideo probabilius est eam vixisse Annos Solidos LXX. Menses XI, ac dies III. & Assumptionem incidisse in Feriam Primam die XV. Augusti, Mortem autem in Feriam VI. die XIII. Augusti.

9 ANtequàm Conclusionem astruamus, enumerandæ sunt opiniones de ætate, qua Deipara Virgo MARIA obijsse, ac resurrexisse, ac in Cœlum assumpta esse putatur. *Prima* opinio fuit Petri de Natalibus in Catalogo SS. & Massæi l. 8. Chron. & Volaterrani in Commentarij lib. 31. Deiparam obijsse anno 2. post Ascensionem Domini, hoc est 34. Epochæ Christi, die 13. Augusti, atque adeo vixisse annos propemodum 49. quos expleuisset si ad diem 8. Septembris peruenisset. Id verò reuelatum fuisse ait Massæus, S. Elisabethæ de Schonaugia, quæ floruit circa annum 1176. & B. Bertramo Cistercienſi. At has reuelationes non fuisse, sed opiniones piè meditantium, & quod hi ex sua opinione dixerint ab alijs acceptum tanquam reuelatum, eo quod aliquas reuelationes aliquando cœlitus acceperint, censent Alphonsus Villegas in Vita SS. Virg. Mariæ cap. 21. & Suarez tom. 2. in 3. p. q. 37. & à disp. 21. sect. 1.

Secunda opinio est vixisse Deiparam annos 58. plenos, et obijsse anno 59. labente: ita Euodius apud Nicephorum l. 2. Eccles. Hist. c. 3. cui subscribit ipse Nicephorus cap. 21. scripserat enim Euodius de illa. *Peperit autem Mundi ipsius Lucem annum agens decimum quintum die Decembris 25. deinde annos peregit 33. quos filius eius in terra exegit. Post Crucis autem supplicium illud, in domo Ioannis impleuit annos vndecim, vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta, & nouem.* Huc reduci possunt, qui apud Cedrenum in Compendio historiarum eam vixisse annos 58. ideſt completos putant; *Quidam* inquit *tradunt quinquaginta octo*; Nec multũ deficit ab hoc numero Hippolytus Thebanus, apud Epiphanium presbyterũ Constantinopolitanum in sermone Græco de Deipara dicens eam *Post Ascensionem Christi ad Cœlos, nouem annis superuixisse*: adde enim simul annos 15. Virginis parientis expletos et 33. Christi, et 9. alios, fiunt anni 57. Euodio tamen et Nicephoro de anno 59. planè adhæret Io. Georgius Heruartus cap. 246. suæ Chronol. at rotundè annos 60. posuit S. Antoninus 1. part. tit. 6. c. 3.

Tertia opinio est Deiparam vixisse annos 63. et obijsse anno 48. à Natiuitate vera Christi computato, addendo enim huic annos 15. quos habuit Virgo cum Christum peperit, fiunt 63. Ita Eusebius in Chronico ad Annum Domini 48. scribit. *MARIA VIRGO IESV Christi mater ad filium assumitur, vt quidam sibi reuelatum esse scribunt.* Et Onuphrius Panuinus ad annum Domini 48. in Chronico Ecclesiastico, notat: *B. Virgine in Cælum assumpta, Ioannes Euangelista Ephesum profectus est.* Licet vno anno tardius, quàm Baronius natum Christum ponat. Baronius quoque ad annum Christi 48. eandem Assumptionem notat, sed pag. 357. protestatur his verbis: *Hactenus de Assumptione Dei genetricis MARIAE; quam non sic recensuimus hoc anno, quasi affirmare velimus hoc ipso anno esse defunctam, & in Cœlo assumptam, sed quod hoc anno ponatur ab Eusebio, nobisque quonam anno certo decesserit esset inexploratum.* Sed miror eum Eusebio potius hæsisse, cum pag. 352. vidisset hoc repugnare ijs, quæ de Dionysij Areopagitæ interuentu ad Sacrum funus Deiparæ, et de anno conuersi eiusdem Dionysij à Paulo ipse statuit. Cæterùm quoad annum 63. ætatis Virginis subscribunt Carthusian. de laudib. Virg. art. 6. Salmeron tom. 2. tract. 4. sub finem, Alphonsus de Villegas in Vita B. MARIÆ Virginis cap. 21. et Pelbartus in Stellario lib. 2. p. 2. nu. 3. vbi in memoriam horum annorum 63. ait in Corona B. Virginis recitari solere 63. *Aue Maria*: et refert B. Virginem apparuisse cuidam Religioso, et suasisse, vt si vellet sibi rem gratiorem facere serto illo de floribus, quo alias suam

imaginem decorare solitus erat, ante ingressum in Religionem, offerret sibi coronam spiritualem, in memoriam gaudij suæ Assumptionis dicendo septem *Pater noster*, & 63. *Aue Maria*. Sed B. Virgo non dixit se vixisse annos 63. et ex 63. *Aue Maria*, ac 7. *Pater noster* potius colligerentur 70. anni. Fortasse ipsa Virgo nouit motiua distincta 63. gaudendi de sua Assumptione, et pro 7. doloribus totidem Orationes Dominicas recitari voluit. Fauet tamen huic opinioni S. Birgittæ lib. 7. c. 26, reuelatio illa: *Ego postquam Filius meus ascendit ad Cælos, vixi in mundo per quindecim annos, & tanto tempore plus quantum est de festo Ascensionis Filij mei, vsque ad mortem meam*. At l. 6. c. 61. dixerat solùm, *se vixisse longo tempore post Ascensionem Filij*, vbi Consaluus Durantus, cum Turriano in hanc vulgi opinionem propendet.

Quarta Opinio est Deiparam vixisse Annos ferè 72. ita Epiphanius presbyter Constantipolitanus in Vita Virginis dicens: *Aetas Virginis ad septuaginta duos annos processit*, & Georgius Cedrenus in Compendio historiarum agens de Tiberio, sub quo Christus est passus, de excessu Deiparæ ait: *Tradidit suam sanctam animam Domino, & Deo Filio suo annos nata septuaginta duos (quidam tradunt quinquaginta octo): Vixit ergo viginti quatuor annos post Christi in Cælum ascensionem.* Auctor Opusculi de forma, & moribus eius apud S. Anselmum dicit fuisse *annorum* 72. quando assumpta fuit in cælum, & ipse Anselmus in fine operum suorum, ita cum eo computat: *In quindecimo anno peperit Christum, & cum eo fuit 33. annis in præsenti vita, post Ascensionem Domini fuit ipsa in domo Euangelistæ 24. annos, qui simul computati sunt* 72. Esto in corrupto Codice ex errore Librarij, aut Typographi sint 82. pro 72. idemq; censendum de Michaele Glyca, & Andrea Cretensi si annos 82. ei adscripsissent, vt refert Alphonsus Villegas supra, & Laurentius Maxellus in Vita B. Virg. lib. 6. c. 19. sed Glycas p. 3. annalium, vt aduertit etiam Canisius lib. 5. de Deipara cap. 1. solùm indicat, eam attigisse, aut parum excessisse annos 70. idque confirmat auctoritate Andreæ Cretensis, & fauet Metaphrastes dicens objisse: *Cum ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset.* Huic autem opinioni de annis 72. expresse subscribunt Canisius lib. 6. de Deipara c. 1. Laurentius Marcellus in Vita Virginis l. 6. cap. 19. Petrus Haloix in Vita S. Dionysij Areopagitæ c. 6. Paulus à S. Catherina Augustinianus Discalceatus in Epinicijs Victricis MARIÆ Deiparæ lib. 5. cap. 7. sect. 2. Et ipse Baronius supra fatetur hanc opinionem melius cohærere cum tempore, quo S. Dionysius Areopagita potuit interesse memorando Funeri Sanctissimæ Virginis; quæ est causa, ob quam nos quoque opinionem hanc eligimus, sed de annis 71. penè completis potiusquam 72. ob congruentiam Feriarum de quibus infra.

Probatur iam Conclusio.

10 SVpponendum enim est S. Dionysium Areopagitam interfuisse tum funeri, & sepulturæ Deiparæ Virginis, tum quando tertia die post obitum aperto sepulchro non est repertum in eo corpus Virginis; Ipsemet enim lib. de diuinis nominibus cap. 3. loquens de Hierotheo ait. *Nam etiam apud ipsos diuino spiritu plenos nostros Hierarchas: Cum et nos, vt nostri, & ipse plurimiq; Sanctorum fratrum nostrorum, ad corpus illud, quod auctorem vitæ Deumq; susceperat, contuendum venissemus: aderat autem & frater Domini Iacobus, & Petrus suprema illa, atque antiquissima Theologorum summitas, placuisset que post contuitum Hierarchis, pro virili cuique sua collaudare infinita potentia præditam bonitatem, diuinæ imbecillitatis*; ideſt quæ nostram, susceperit imbecillitatẽ; *ipse*, ideſt Hierotheus; *post Theologos vt nostri, cæteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat.* Quæ verba Georgius Pachymores Dionysij paraphrastes interpretatur sic. *Cum Patribus illis diuino spiritu afflatis, & nos ipsi adessemus tempore obdormitionis Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiperæ &c.* Sed ante hũc verba illa S. Dionysiij: *ad corpus illud &c.* de Corpore Deiparæ Virginis intellexere Iuuenalis, & Andreas Cretensis Ierosolymorum Patriarcha, S. Maximus Martyr in Scholijs ad Dionysium, S. Io. Damascenus Oratione de Deiparæ dormitione, & apud eum Euthymius, Michael Syngellus præsbyter Ierosolymitanus, Glycas in annalibus, Epiphanius præsbyter Constantinopolitanus, Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, & Græci omnes in suis Meneis; inter Latinos autem S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum, S. Hidelphonsus sermone 4. de Assumptione B. Mariæ, Albertus Magnus in illum locum S. Dionysiij, S. Thomas in expositione eiusdem loci, Baronius ad Annum Domini 48. Petrus Haloix in vita S. Dionysij, Petrus Canisius lib. 5. de Deipara cap. 3. Balthasar Corterius in notationibus ad Vitam S. Dionysij ab Haloix descriptam. Quomodo autem B. Virgo se ad mortem composuerit, & illuc congregati sint Apostoli, & alij, & ipsa sepulta sit in Getsemani portantibus pheretrum Apostolis, & post triduum superueniente Thoma, apertum sit sepulchrum, nec inuentum sit corpus Virginis, & inde concluserint illud resurrexisse, ac translatum esse in Cœlum, narrat ex traditione antiqua præsertim Iuuenalis Ierosolymorum Antistitis, Nicephorus, Callistus lib. 2. Hist. Ecclesiast. à cap. 21. ad 23. inclusiuè, & Metaphrastes ad diem 15. Augusti, sed idem Nicephorus lib. 15. cap. 24. fusius narrat quomodo Pulcheriæ Imperatrici, ipsique Martiano Imperatoribus interrogantibus de Corpore B. V. MARIÆ, Iuuenalis Ierosolymorum Patriarcha, & cæteri Palæstinæ Episcopi, qui ad Chalcedonensem Synodum conuenerant, responderint. *Antiquissima, & verissima omnino traditione receptum esse, instante Dei genetricis MARIAE obitu Apostolos ex ipsis orbis terrarum finibus &c. sublimes in aere Hierosolymam venisse, visione auspicatiore hymnos diuinarum potestatum exauditos esse, & absque strepitu aliquo mirifico planè modo, Verbum, & Filium eius aduenisse, atque in manus suas diuinum illius spiritum suscepisse. Sacrosanctum autem corpus illius Angelica simul, & Apostolica hymnodia elatum, in tumulo quodam in regione Getsemani repositum esse, & in tertium vsque diem eo loco, carmina Angelos perpetua in honorem, & laudem Deiparæ cecinisse. Et cum eodem die tertio, is qui in obitu Virginis Matris Choro Apostolorum non adfuerat, aduenisset, & sacrum illum cœtum, vt tumulum recluderet, quo & ipse Verbi Matri debitum supremumq; persolueret honorem, precibus summopere sollicitasset; atque sigillo ablato, sepulchrum apertum esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse: sed sepulchrales illius fascias tantùm suo loco intactas, atque inuiolatas, perinde atque corpus paulo ante illas reliquisset, repertas, & quidem inenarrabili odoris suauitate redolentes, eaq; illos abundè afflatos, signaculo rursum tumulo imposito abijsse, ad miraculum tantum obstupefactos: atq; illud solum, prout par erat, animo secum meditatos, ipsum Dei Verbum, & Dominum gloriæ, quæ sua hypostasi, pro beneplacito suo modo ineffabili, & inintelligibili carnem ex ea sumere, & post ineffabilem vteri gestationem, ac partum virginitatem eius illæsam conseruare dignatus erat: etiam post obitum, & migrationem ex hac vita, mirificè immaculatum, impollutum, & modis omnibus sanctum corpus eius, etiam ante destinatam, & communem omnium Resurrectionem immortalitate cohonestasse: eoq; per Angelorum ministerium in loca quædam cælestium regionum lucidissima, & à corruptione alienissima translato, honore præcipuo prosequutum esse &c.* Porrò *cum discipulis ibi tum adfuisse addidit Sanctissimum illum Timotheum, Dionysium Areopagitam, & diuinum, ac sapientem Hierotheum, quemadmodum hac de re Dionysius ipse in suis ad Timotheum scriptis testatus est. Hæc vbi Iuuenalis dixit &c.* Non possunt ergo nec debent intelligi verba Dionysij de corpore Christi, vt intellexit Anastasius in præfatione ad Carol. nec de sepulchro Christi, vt Hildeuinus Abbas in Vita S. Dionysij, ac Biuarius in Cõm. ad Chronicon Flauij Dextri Anno Christi 48. quos egregiè confutant Baronius, & Corderius locis supra indicatis; sed debent intelligi de corpore Virginis Deiparæ: Quod si eo anno 48. Christi non potuit interesse Dionysius eius dormitioni, debebant ab hac Chronologia recedere, & annum congruum eligere.

11 Supponendum secundò est S. Paulum Conuersum esse Anno secundo post Ascensionem Domini: in Martyrologio enim Romano ad diem 25. Ianuarij dicitur: *Conuersio S. Pauli Apostoli, quæ fuit secundò ab Ascensione Domini anno*, & idẽ habeant antiquiora exemplaria huius Martyrologij, sicut & Vsuardi, & Oecumenius in Acta Apost. cap. vlt. Baronius in notis ad Martyrolog. die 25. Ianu. & in Annalibus ad annum 36. Christi, Petauius in Chronico, Tiri-

Tirinus in Chronico Sacro cap. 50. Narrat autem ipsemet S. Paulus ad Galatas 1. conuersionem suam sic: *Abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum, deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.* Et cap. 2. deinde post annos quatuordecim *iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba*, vbi narrat fuisse Petrum, Iacobum, & Ioannem; Ex Actis autem Apostolorum cap. 15. constat Paulum interfuisse tunc illi Concilio, quod celebratum est Ierosolymis; Occasio porrò, qua Petrus reuersus erat Roma Ierosolymam, fuit edictum Claudij, qui altercantes Iudæos cum Christianis, vtrosq; Vrbe expulerat, quod edictum Orosius lib. 7. c. 6. ex Iosepho, & Suetonio colligit fuisse anno 9. Claudij, eiq; consentiunt Beda de sex ætatibus, Ado in Chronico, & Marianus Scotus lib. 2. Baronius anno Christi 51. Petauius in Chronico, Tirinus in Chronico Sacro cap. 50. alijq; multi. Sequenti verò anno post Concilium illud venisse Athenas Paulum, & conuertisse ad fidem Christi Dionysium Areopagitam, colligitur ex Actis Apostolor. c. 18. & 19. peracta enim ea conuersione narratur venisse Paulus Corinthum, & inuenisse *quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, eo quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.* Colligitur præterea annos illos 14. de quibus supra Paulus, non esse numerandos post annos 3. à Conuersione, sed post ipsam Conuersionem, sic enim cadit annus Concilij illius in annum 16. ab Ascensione Domini, & in 9. Claudij, Annus enim Conuersionis Pauli fuit Epochæ Christi, iuxta nos, 35. cui adiectis 14. fit annus Christi 49. Claudius autem incœpit imperare anno 41. Epochæ Christi à die 24. Ianuarij ex dictis lib. 4. c. 8. Ergo anno 49. ab eadem die cœpit annus eius 9. Non potuit igitur S. Dionysius interesse dormitioni, & sepulturæ Deiparæ, nisi post 50. annum, immò non nisi post exactum ab hinc triennium, si vt affirmat Hilduinus Abbas in vita S. Dionysij apud Surium die 9. Octobris, per triennium mansit cum Paulo, & ab eo probè instructus, factus est Episcopus, ideſt post 53. annum Christi, quibus addendo annos 15. quos habebat Virgo, quando peperit Christum, fiunt anni ætatis 68. At quia post annos 63. nulla opinio est, eam vixisse minus quàm 72. & probabilius est S. Dionysium post aliquot annos à suo Episcopatu primo venisse Ierosolymam, ideo inter omnes opiniones supra numeratas probabilior est illa, quæ ponit obijsse annorum 72. nempe anno Christi 57. vel anno ætatis 71. & instante 72. adeoquè anno Christi 56. Forte in reuel. S. Birgittæ pro annis 15. scriptum erat 25. & alius extensiuè posuit *quindecim* post Ascensionem Christi.

12 His de Anno positis, facile per Canones lib. 1. c. 30. traditos inuenientur Feriæ anno enim 56 Christi Cyclus Solis fuit 9. literaq; Dominicalis posterior C. ideoque dies mortis Deiparæ incidit in feriã 6. & tertia ab hinc dies, qua resurrexit, in diem Dominicam, seu feriam primam prorsus vt Christo in hoc similis fuerit, qui mortuus est feria sexta, & resurrexit feria prima: Alioquin si quis eligat annum sequentem, Cyclo Solis 10. & litera B. Mors Virginis incidisset in feriam septimam, & resurrectio in feriam secundam. Si quidem ex relatione Iuliani Patriarchæ Herosolymitani, tertio die post mortem, & sepulturam inuenta est resurrexisse. Esto nunc Fragmentum Chronici pro stabilitis in hoc libro annis, vnà cum Ferijs, quæ reipsa in kalendario Romano Augusti respondent diebus Iulianis; sed addemus etiam Ferias ijsdem respondentes in Kalendario Romano Ecclesiastico retroficto, ideſt fingendo nunquam interruptam fuisse quarto quoque anno intercalationem vnius. Quia verò Feriarum ordo ab initio mundi non est mutatus, eadem Feria diuersum numerum dierum in anno Iuliano sortita esset.

CHRONICON Breue à Conceptione Deiparæ Virginis MARIAE, vsq; ad eiusdem Assumptionem cum Feria tam reali in Kalendario Augusti Imperatoris tunc vsurpato, quam ficta in Kalendario Ecclesiastico retrousurpato.

Anni Iuliani.	labente ante Ep. Christi.	Menses. & dies.	Feria in Kalen. Augusti realis.	Eccles. ficta.	
29	17	Decemb. 8	VII.	V.	Conceptio Immaculata Deiparæ Virginis MARIÆ, creatio Animæ ipsius Sanctissimæ, & infusio in corpusculum eius sac atissimum.
30	16	Sept. 8	II.	VI.	Nascitur Maria inita iam feria 2. in Domo Nazareth.
43	13	Nou. 21	III.	VII.	Præsentatio Mariæ trimulæ in Templum.
41	5				Moriuntur SS. Ioachim, & Anna anno XV. B. Virg. ex Cedreno.
44	2	Sept. 24	VI.	VI.	Conceptio S. Ioannis Baptistæ.
45	1	Mart. 25	VI.	V.	Annunciatio MARIÆ, & Verbi Incarnatio, cum illa esset annorum 14. mensium 6. & dierum 18.
45	1	Init. April.			Visitatio prima, qua MARIA salutauit Elisabetham paucis diebus post Annunciationem forte Feria IV.
45	1	Iun. 24	VI.	V.	Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
45	1	Iulij 2	VII.	VI.	Visitatio vltima, & cõpleta, die post impositũ Præcurs. nomen Ioannis.
45	1	Iulij 3	I.	VII.	Reditus Mariæ, seu discessus à Domo Zachariæ.
45	1	Decemb. 25	I.	VII.	Natiuitas IESV CHRISTI D. N. cum MARIA haberet annos 15. & menses 3. ac dies 17.
Iuliani.	Anni Christi				
46	1	Ian. 1	I.	VII.	Circumcisio Domini Nostri IESV Christi.
46	1	Ian. 6	VI.	V.	Epiphania Domini.
46	1	Februar. 2	V.	VI.	Purificatio MARIÆ, purissimæ tamen.
75	30	Ian. 6	VI.	VI.	Baptismus CHRISTI habentis annos completos 29. & dies 13.
75	30	Febr. 24	VI.	VI.	Nuptiæ in Cana Galilææ eadẽ Feria, qua fuerat Baptismus, & Epiphania, qua feria iam ab Occasu inita conuertit vinũ in sanguinem suũ.
		vel Mart. 3	VI.	VI.	
78	33	April. 3	VI.	VI.	Passio D. N. IESV Christi, & mors hora 9. cum expleisset annos 32. & menses 3. ac dies 9.
78	33	April. 5	I.	I.	Resurrectio D. N. IESV Christi.
78	33	Maij 14	V.	V.	Ascensio D. N. IESV Christi.
78	33	Maij 24	I.	I.	Pentecoste, & Aduentus SPIRITVS Sancti.
78	33	Decemb. 26	VII.	VII.	Lapidatio S. Stephani, sed quia hac die fuit Sabbatum, credibile est lapidatum esse die anteced. fer. 6. & translatum festũ post Natiuit. Dom.
30	35	Ian. 25	III.	III.	Conuersio S. Pauli Apostoli.
44	49				Primum Concilium Apostolorum eiectis edicto Claudij Iudæis, & Christianis ab Vrbe Roma.
95	50				Conuersio S. Dionysij Areopagitæ.
101	56	Aug. 13	VI.	VI.	Dormitio Deiparæ Virginis Mariæ annor. 70. mens. 11. d. 6.
101	56	Aug. 15	I.	I.	Assumptio Deiparæ Virg. Mariæ in Cœlum. Itaq; prorsus, vt Christus, obijt feria VI. & resurrexit tertia die, ipso die Dominico.

CAPVT XV.

De Chronotaxi Gestorum à CHRISTO Prædicationis tempore.

1 PRæter S. Augustinum lib. de Concordia Euangelistarum, & Cornelium Iansenium in Concordia Euangelica conati sunt in ordinem redigere historiam Euangelicam, & serie temporis seruata, indicare quid prius, quidue posterius à Christo gestum dictumue fuerit, Barradius in Harmonia Euangelica, Bartholomæus Riccius in Monotessaro Euangelico, Baronius, & Salianus in Annalibus ab anno 30. Christi ad 34. Cornelius à Lapide tom. 1. in Euangelistas initio in Chronotaxi, Petauius lib. 12. de Doctrina Tempor. cap. 18. Iacobus Tirinus tomo 1. comment. in S. Scripturam cap. 49. Chronici Sacri, & Simon à Corroy Cælestinus in Pandectis Legis Euangelicæ. Sed neque illis assentiri possumus, qui cum Petauio tria tantum Paschata, neque illis, qui cum Scaligero, & Saliano quinq; Paschata agnoscunt inter Baptismum, & Resurrectionem Christi. In alijs autem, qui quatuor Paschata solùm agnoscunt, multa sunt quæ veriori ordine dirigenda nobis videntur. Sanè in hoc negotio per aliquas hebdomadas iam inde ad anno 1632. desudauimus, & post annos 14. idem repetiuimus, & nouissimè hoc anno 1664. ad limam reuocauimus, nec tamen ita nobis satisfecimus, vt non identidem de ordine rerum gestarum ambigeremus; nedum vt alijs satisfactum iri arbitremur. Interim Syntaxim Euangelicam, quæ nobis probabilior visa est Lectoribus communicandam censuimus.

CHRONOLOGICA SYNTAXIS Historiæ Euangelicæ.

VErbi Diuini Generatio æterna, & eius Incarnatio in tempore, procmij loco præmissa à S. *Ioanne* cap. 1. vsque ad num. 15.

Genealogia CHRISTI Regis per descendentem lineam ex Patriarchis, & Regibus *Matthæi* cap. 1. vsq; ad nu. 8.

Genealogia Christi Sacerdotis, ac per lineam ascendentium vsque ad Leui, & inde vsque ad Adamum, *Lucæ* 3. Regis à nu. 3. ad finem.

S. Gabriel prænunciat Zachariæ Præcursoris prærogatiuas, & post sex menses Mariæ Virgini annunciat Iesum Filium Altissimi ab ea concipiendum, & pariendum. Mox Maria visitatum it Elizabetham, & manet in domo Zachariæ, vsque ad Io. Baptistæ nomen Præcursori impositum, *Lucę* 1. toto.

Reuersa MARIA Virgo in Domum suam ad Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto; sed diuinitùs admonitus Ioseph, retinet eam loco coniugis sed nunquam cognoscit eam Lucæ 1. nu. 56. Matth. 1. num. 18. ad 25. Augusti edictum: Natiuitas Domini Nostri IESV Christi *Lucæ II.* nu. 1. ad 22.

Magorum aduentus: Herodis turbatio &c. vsque ad reditum eorum in regionem suam: *Matth. II.* nu. 1. ad 13.

Purificatio B. MARIÆ Virginis Purissimæ, Simeonis canticum, & Vaticinium. *Lucæ II.* nu. 22. ad 39.

Fuga IESV, MARIÆ, & Ioseph in Aegyptum; Infantum cædes; reditus ex Aegypto. *Matth. II.* n. 13. ad finem.

Pueritia, & adolescentia IESV. *Lucę II.* n. 39. ad finem.

Initium prædicationis, & Baptismi Ioannis anno 29. Christi, labente verno, aut æstiuo tempore. *Matth. III.* nu. 1. ad 13. *Marci I.* nu. 1. ad 9. *Lucę III.* nu. 1. ad 19.

Baptismus CHRISTI annum 30. ingressi, & testimonium Patris cælestis, ac Spiritus Sancti de illo *Matth. III.* n. 13. ad fin. *Marci I.* nu. 9. ad 12. *Lucę III.* nu. 21. ad 23.

Ieiunium Christi; tentatio superata, & reditus ad Iordanem *Matth.* IV. nu. 1. ad 12. *Marci* I. nu. 12. & 13. *Lucæ* IV. nu. 1. ad 14.

Ioannis testimonium alterum de Christo iam præsente, Andreæ, Simonis Philippi, & Nathanaelis accessus ad Christum & colloquium: *Ioannis* I. nu. 25. ad finem.

Nuptiæ in Cana Galilææ, & primum Christi miraculum ad Matris instantiam, descensus Capharnaum, & mansio ibi paucis diebus, vtpotè instante Paschate. *Ioannis* II. nu. 1. ad 13.

Primum Pascha Anno Christi 30. Aprilis 6. Feria 5.

ASCendit Christus Ierosolymam ad celebrandum Pascha, & ex templo eijcit nundinatores, deinde disceptat cum Nicodemo. *Ioannis* II. nu. 13. ad finem, & cap. III. nu. 1. ad 22.

Christus venit in Iudæam terram, ibi baptizare incipit, Ioanne interim baptizante in Aenon, iuxta Salim, & testificante de Christo tanquam sponso, & filio Dei. *Ioannes* III. num. 22. ad finem, qui dum ait nondum missum fuisse Ioannem in carcerem, satis innuit paulo post id futurum.

Ioannes iam functus officio Præcursoris, reprehendensque Herodem de adulterio, conijcitur in carcerem, quod factum Nouembri sequenti. *Matth.* XIV. num. 3. ad 6. *Marci* VI. num. 17. ad 21. Qui occasione decollationis narrant Carcerationem, & *Lucæ* III. nu. 19. & 20.

Ioanne in carcerem coniecto, & indignantibus Pharisæis de multitudine discipulorum Christi, relinquit Iudæam iturus in Galilæam per Samariam, vbi Samaritanos conuertit *Matth.* IV. nn. 12. *Marci* I. nu. 14. *Ioannis* IV. nu. 1. ad 43. Quod factum est 4. mensibus ante messem, hoc est sub finem Nouembris, ineunte enim Aprili, & Paschalibus ferijs offerebâtur primitię messis *Leuitici* 23.

In Galilæam veniens Christus, patriam declinat, vbi se acceptum non fore sciebat, et ab alijs Galilæis exceptus in Cana, sanat filium Reguli *Matth.* IV. num. 13. ad 17. *Lucæ* IV. nu. 14. et 15. *Ioann.* IV. nu. 43. ad finem.

Capharnaum ingressus prædicat pœnitentiam, et vocat deinde Petrum, Andream, et filios Zebedæi. *Matth.* IV. nu. 12. ad 23. *Marci* I. nu. 14. ad 20.

Nazareth venit, et in Synagoga legens Isaiam, ac suorum ciuium inuidiam tacitè perstringens, ducitur ad Montis crepidinem, vt præcipitetur, sed frustra *Lucæ* IV. num. 16. ad 30.

Capharnaum reuersus sanat oppressum ab immundo spiritu, deinde circuit Galilæam prædicans, et miracula faciens, quorum fama peruagante totam Syriam innumerabiles turbæ ad eum concurrunt. *Lucę* IV. num. 30. ad 37. *Marci* I. nu. 21. *Matth.* 4. nu. 23. ad finem.

Videns IESVS turbas ascendit in montem cum discipulis suis, et longo sermone illos instruit de præcipuis capitibus Doctrinæ Euangelicæ, vt et ipsi possent turbas instruere. *Matth.* capite V. VI. VII. integris.

Descendens de monte reperit turbas eum præstolantes, et Leprosum sanat. *Matth.* VIII. nu. 1. ad 4. *Marci* I. nu. 40. ad 45. videtur esse idem de quo *Lucas* V. à num. 12. ad 15. potuit enim id contigisse in ciuitate propè descensum Montis; aut certè duo fuere leprosi similiter curati.

Capharnaum ingressus, Centurionis seruum sanat, et deinde Socrum Simonis, et alios vespere, seceditque in desertum *Matth.* 8. nu. 5. ad 18. *Lucę* VII. n. 1. ad 11. et c. 4. nu. 38. ad 42. *Marci* I. nu. 29. ad 35.

Quæsitus à Simone ac turbis, ait oportere et alijs ciuitatibus prædicare, quod factum in omni Galilæa per anticipationem Marcus, et Lucas memorant, nam visàs turbas iubet ire transfretum, et in via duos sequi ipsum volentes corripit *Matth.* VIII. nu. 18. ad 22. *Marci* I. nu. 36. ad 39. *Lucę* IV. nu. 41. ad 44.

Irruentibus turbis, Nauiculam conscendit, et inde docet illas, sequitur deinde piscatio miraculosa. *Lucę* V. nu. 1. ad 11.

Conscensa iterum naui transfretaturus, vt edixerat; sedat Maris procellam. *Matth.* VIII. n. 23. ad 28. *Marci* IV. nu. 35. ad 40. *Lucæ* 8. nu. 22. ad 26.

Cum

Cum transfretaſset ad regionem Gerarenorum, quæ eſt contra Galilæam, duos dæmoniacos ſanat, ſed ex his vnum inſignem, et permiſsa legione dæmonum, vt irent in porcos, rogatus abſcedit à Geraſenis, et transfretare iubet diſcipulos. *Matth.* VIII. nu. 28. ad finem. *Lucę* VIII. nu. 26. ad 39. *Marci* V. nu. 1. ad 21.

Transfretans à Geraſenis ad Galilæam, reperit turbas expectantes, et venit Capharnaum ciuitatem ſuam, vbi ſcilicet frequentius habitabat, ibique ſanat paralyticum demiſsum per tectum. *Matth.* IX. nu. 1. ad 9. *Marci* II. nu. 1. ad 13. et V. nu. 21. *Lucę* V. nu. 17. ad 27. et cap. 8. num. 40. ſæpe enim data occaſione, vel prout memoriæ occurrebat, narrant Euangeliſtæ aliqua, non ſeruato ordine temporis, vt cum S. Auguſtino communiter aduertunt Interpretes.

Egreſsus ad mare Matthæum vocat intereſtque conuiuio cum Publicanis, et ſuos diſcipulos excuſat, accuſantibus eos Phariſæis, et Ioannis diſcipulis, quod non ieiunarent. *Matth.* IX. nu. 9. ad 18. *Marci* II. num. 13. ad 23. *Lucę* V. num. 27. ad 39. Occaſione calumniæ prædictæ aliam ſimilem de ſpicis confricatis ad eſuriem ſedandam narrant Marcus, et Lucas, hic quod tamen poſtea factum ex Matthæo colligitur.

Adhuc loquente Chriſto cum Phariſæis, et diſcipulis Ioannis, Iairus archiſynagogus illum rogat pro filia moribunda, quam (curata prius in itinere hemorrhoiſsa) ſuſcitat à mortuis. *Matth.* IX. nu. 18. ad 27. *Marci* V. nu. 21. ad 43. *Lucę* VIII. nu. 39. ad finem.

Reuerſus domum Chriſtus duos cæcos ſanat, et egreſsus liberat dæmoniacum mutum. *Matth.* IX. num. 27. ad 35. circuit deinde ciuitates, docens, ac ſanans, et miſeratus turbas non habentes paſtorem, ob paucitatem operariorum eligit, et conuocat duodecim Apoſtolos, quos mittit ad prædicandum inſtructos prius præceptis ſaluberrimis. *Matth.* IX. nu. 35. ad finem, et toto cap. 10. *Marci* III. nu 13. ad 20. *Lucę* VI. nu. 12. ad 17.

Deſcendens cum Apoſtolis de Monte in loco campeſtri repetit turbis ſummam eorum, quæ aliàs in monte docuerat ſolos diſcipulos, *Lucę* 6. nu. 17. ad finem.

Præceptis illis abſolutis, tranſit inde prædicaturus alijs, & in itinere verſus Naim ſuſcitat filium viduæ, ac ſuperuenientibus à Ioanne de carcere deſtinatis, reſpondet, ac digreditur in laudes Ioannis, *Matth.* 11. nu. 1. *Lucae* 7. num. 11. ad 36. & iterum *Matth.* 11. nu. 2. ad 20.

Diſceſſurus à Galilæa occaſione Paſchatis exprobrat Ciuitatibus Galilææ, & gratias agit Patri, quod reuelauerit veritatem humilibus, & oppreſſos inuitat ad iugum ſuũ, *Matth.* 11. nu. 20. ad finem.

Secundum Paſcha, cui Ieroſolymis interfuit Chriſtus Anno 31. Martij die 28. feria 3. in quam incidit Plenilunium Paſchale.

Aſcendens Chriſtus Ieroſolymam ad diem feſtum Iudæorum, quod antonomaſticè *feſtum* dicitur, vtpote feſtum feſtorum, ideſt Paſcha, paralyticum Probaticæ piſcinæ ſanat in Sabbato, et cum Iudæis diſſerit de Deo Patre ſuo, *Ioannis* cap. 5. toto.

Sabbato altero, quod poſt primarium paſchale Sabbatum ſucceſſit nempe 8. Aprilis tranſit per Sata, & diſcipulos præ eſurie ſpicas confricantes defendit à Phariſæorum calumnia de violato Sabbato, ac in Synagoga Sabbato item curat manum aridam, *Matth.* 12. nu. 1. ad 13. *Marci* 11. nu. 23. ad 28. *Lucę* 6. nu. 1. ad 11.

Phariſæorum, et Herodianorum inſidias, et contentiones cũ eis declinans, ſecedit iturus ad mare Galilææ. *Matth.* 12. nu. 14. ad 21. *Marci* 3. nu. 6. et 7.

In itinere verſus Galilæam per Magdalum tranſiens, inuitatur à Simone Phariſæo, et Magdalenam peccatricem abſoluit, quæ deinceps illum cum alijs mulieribus per alias ciuitates, et caſtella ſequitur, *Lucę* 7. nu. 36. ad finem, et cap. 8. nu. 1. ad 4.

Dæmoniacum cæcum, et mutum ſanat, diluit calumniam de conſortio cum Beelzebub; beatificanti ventrem, qui eum portauerat, quærentibuſq; eum videre Matri, ac fratribus reſpondet, *Matth.* 12. nu. 32. ad finem, *Marci* 3. nu. 20. ad 35. *Lucae* 11. nu. 14. ad 29.

Cum exiens de domo ſeceſſiſſet ad mare Galilææ, et plurimos vndique confluentes, et irruentes ſanaſſet, recipit ſe in nauiculam, ne ab ipſis comprimeretur, et inde docet illos, parabolis ſeminantis zizaniam etc. *Marci* 3. num. 7. ad 12. et cap. 4. nu. 1. ad 34. *Matth.* 13. num. 1. ad 53. *Lucae* 8. nu. 4. ad 19.

Conſummatis his parabolis venit in patriam ſuam, vbi ſcãdalizantur ciues eius de illo, vtpote filio Fabri, ideoque paucis ibi ſanatis, egreſſus inde circuit caſtella alia, mittitque Apoſtolos binos, et binos ad prædicandum cum poteſtate miraculorum, *Matth.* 13. nu. 53. ad 58. *Marci* 6. nu. 1. ad 14. *Lucae* 11. nu. 1. ad 7.

Herodes ſub feſta Paſchalia S. Ioannem decollari iubet, nec multo poſt auditis miraculis Chriſti, et Apoſtolorum, ſuſpicatur de reſurrectione Ioannis recens decollati, *Matth.* 14. nu. 6. ad 12. et nu. 1. ad 6. *Marci* 6. nu. 12. ad 30. et nu. 1. ad 13. *Lucae* 9. nu. 7. ad 9.

Reuerſis à prędicatione Apoſtolis, et nuncio ſub idem tempus de nece S. Ioannis accepto, conſcenſa nauicula ſecedit in deſertum Bethſaidæ, vbi de quinque panibus paſcit quinque millia hominum, *Matth.* 14. nu. 12. *Marci* 6. nu. 30. ad 44. *Lucae* 9. nu. 10. ad 17. *Ioannis* 6. nu. 1. ad 14.

Iuſſis diſcipulis transfretare, turbiſq; dimiſſis, in montem ſecedit, et nauigantibus verſus Capharnaum diſcipulis apparet noctu ambulans ſupra mare, et Petro ſupra mare ad ipſum tendenti ſuccurrit, venitq; cum illis in terram Geneſar prope Bethſaidam, et inde Capharnaum, *Matth.* 14. nu. 22. ad 36. *Marci* 6. nu. 45. ad 56. *Ioan.* 6. num. 14. ad 22.

Altera die, qui erant trans mare, nec viderant IESVM tranſfretaſſe, tranſmearunt Capharnaum, vbi repertus ab ipſis differit de panibus, et de SS. Euchariſtiæ Sacramento, quòd anno ab hinc ſequenti erat inſtituturus. *Ioannis* 6. num. 22. ad 71.

Tertium Paſcha Anno 32. Aprilis 14. feria 2. cui tamen Chriſtus Ieroſolymis non interfuit, nolens tunc in Iudæa ambulare, immò paulò poſt ſeceſsit in partes Tyri, & Sidonis.

Paſchate tranſacto, venientibus quibuſdam de Ieroſolymis reſpondet ſuper omiſsa lotione manuum ante manducandum. *Matth.* 15. n. 1. ad 20. *Marci* 7. n. 1. ad 23.

Secedit in partes Tyri, et Sidonis, et Chananeæ filia ſanata, per Sidonis fines reuertitur ſecùs mare, inter medios fines Decapoleos, vbi mutum, ac ſurdum ſanat. *Matt.* 15. nu. 21. ad 32. *Marci* 7. nu. 24. ad 37.

Quatuor millia hominum panibus 7. multiplicatis paſcit, et dimiſsa turba, conſcendit nauiculam, venitq; in fines Maggeddon, et Dalmanutha, vbi à Phariſæis tentatur de ſigno cælitus dando. *Matth.* 15. nu. 32. ad 39. et c. 16. nu. 1. ad 4. *Marci* 8. nu. 1. ad 12.

Transfretantes, et oblitos panis IESVS de modica fide redarguit, cæcumq; Bethſaidæ illuminat. *Matth.* 16. nu. 5. ad 13. *Marci* 8. nu. 13. ad 27.

Itur in partes Cæſareæ Philippi, interrogatiſq; diſcipulis de opinione circa Filium hominis, Petrus confitetur eius diuinitatem; Chriſtus paſſionem ſuam prædicit, et Petrum increpat, crucemq; vnicuique portandam, et contemnendam mortem denunciat *Matt.* 16. nu. 13. ad 28. *Marci* 8. nu. 27. ad 38. *Lucę* 9. n. 18. ad 26.

Triſtem denunciationem de morte ſui, et de cruce cuique vſque ad mortem toleranda ſciens, non guſtaturos mortem niſi viſo regno Dei, ſpecimen gloriæ regni ſui dat illis Transfiguratione ſui in monte Thabor *Matth.* 16. nu. 28. et cap. 17. n. 1. ad 13. *Marci* 9. nu. 1. ad 14. *Lucę* 9. nu. 27. ad 36.

Die ſequenti deſcendit, et turbam multam nactus, dæmoniacum curat, quem diſcipuli nequiuerant liberare.

Matth. 17. nu. 14. ad 21. *Marci* 9. nu. 14. ad 29. *Lucę* 9. nu. 37. ad 43.

Conuersans, & prætergrediens occultè Galilæam, prædicit iterum passionem suam aduentansq; Capharnaum solui iubet didrachma pro se, & Petro, quod fuit occasio discipulis disputandi de primatu, & Christo dum alij tacent, alij interrogant de hoc, insinuandi humilitatem, & exemplo paruuli ambitionem eorum compescendi, *Matth.* 17. nu. 22. ad 27. & cap. 18. nu. 1. ad 5. *Marci* 9. nu. 30. ad 37. *Lucę* 9. nu. 43. ad 48.

Interpellatus à Ioanne de quodam eijciente dęmones in nomine Iesu, Ioannem corrigit, & prosequitur sermonem de paruulis non scandalizandis, de Angelis custodibus, & de cura salutis etiam pusillorum. *Marci* 9. num. 38. ad 50. *Lucæ* 9. nu. 49. & 50. & cap. 17. nu. 1. & 2. *Matth.* 18. nu. 5. ad 14.

Scandali occasione vitandi, Correctionem fraternam insinuat, & benignitatem in dimittendis peccatis etiam septuagies septies, vbi de conserui duritia ad ignoscendum, *Matth.* 18. nu. 15. ad 35. *Lucę* 17. nu. 3. & 4.

Scenopegia, ideſt festo Tabernaculorum imminente, recusat ire cum fratribus suis, ideſt cognatis ad diem festum palàm, illisq; abeuntibus in Iudæam, manet in Galilæa, sed iturus occultè illuc, tentat ire per vrbem Samariam, non recipitur à Samaritanis; duo interim sequi eum volentes corrigit. *Ioann.* 7. num. 1. ad 9. *Lucæ* 9. num. 51. ad 62.

Transiens Christus per viam mediam, inter Galilæam, & Samariam, decem leprosos mundat, *Lucæ* 17. num. 11. ad 19.

Scenopegiæ festo circa initium Octobris interest, quod septem diebus celebrabatur, in quorum medio docet in templo, & disputat cum Iudæis. *Ioannis* 7. num. 9. ad finem.

Ex Monte Oliueti reuersus in templum, adulteram absoluit, & die sequenti differens de Deo Patre suo, lapidaturos declinat fugiens de templo. *Ioannis* 8. toto, & Prætereins sanat cæcum à natiuitate. *Ioannis* 9. toto. Deinde differt de se bono Pastore, & de ouibus suis. *Ioan.* 10. nu. 1. ad 22. Designatosq; 72. Discipulos præmittit prædicatum, instructos prius documentis eximijs. *Ioannis* 10. nu. 39. ad 42. *Lucæ* 10. nu. 1. ad 16.

Legisperitum tentantem se docet, qu s sit proximus noster, exemplo Samaritani, & ingressus castellum recipitur hospitio à Martha, *Lucæ* 10. nu. 25. ad 42.

Orationis, & perseuerantiæ in petendo exempla, & documenta dat, inuitatusq; à Pharisæo reliquos Pharisæos de multis reprehendit, *Lucas* 11 nu. 1 ad 14.

Dum turbas doc t de signis non quærendis, de recta, & simplici intentione, de cauenda hypocrisi, de non timendis persecutoribus, & morte, rogatus de diuidenda hæreditate sollicitudinē de rebus temporalibus damnat, quin potiùs eroganda bona in pauperes docet, & expectandam mortem quacunque hora, exemplo serui fidelis, & de diuidendis filijs à patribus vi amoris Diuini, *Lucæ* 11. à nu. 29. ad finem, & cap. 12. toto.

Occasione Galilæorum occisorum à Pilato, & obrutorum à turri Siloes pœnitentiam omnibus necessariam inculcat, parabola fici infructuosæ, ac Sabbato contractam mulierem erigit, *Lucæ* 13. nu. 1. ad 22.

Reuersos discipulos, ab inani gloria compescit, *Lucæ* 10. num. 17. ad 24. esto eorum reditum occasione missionis Lucas anticipatò narrarit, deinde, per vicos, & castella iter faciens in Ierusalem (ad encænia, de quibus intra) differt de paucitate saluandorum, & multitudine reprobandorum, *Lucæ* 13. nu. 22. ad 30.

Monitus de insidijs Herodis, affirmat sibi moriendum Ierosolymæ, sed hanc postea vastandam, à Tito scilicet, *Lucæ* 13. nu. 31. ad 35.

In domo Pharisæi Sabbato hydropicum sanat, & vitandos primos accubitus inuitandosq; pauperes quoque docet exemplo eius, qui ad cœnam magnam omnes indifferenter inuitauit, *Lucæ* 14. nu. 1. ad 25.

Sequentes se duos docet de odio sui, & suorum, & de perfecta mortificatione, ac totali abrenunciatione, *Lucæ* 14. nu. 25. ad 35.

Murmurantibus Pharisæis, quòd peccatores reciperet, parabolam ouis centesimæ, drahmæq; repertæ, & filij prodigi recuperati proponit, *Lucæ* cap. 15. toto.

Parabola Villici hinc, & inde diuitis Epulonis prudentiam, & misericordiam insinuat, ne pauperes contemnendo destituatur homo amicis recipientibus in æterna tabernacula, *Lucæ* 16. toto.

Interrogatus de aduentu Regni Dei, multa de futuro Iudicio prænunciat, *Lucæ* 17. nu. 20. ad 37.

De perseuerantia in oratione, deque humilitate exemplo viduæ, & publicani differit, *Lucæ* 18. nu. 1. ad 14. Quo loci possunt inseri de augmento fidei, & inutili seruo alibi tradita, *Lucæ* 17. nu. 5. ad 10.

Encænia facta sunt Ierosolymis, ideſt festum luminarium die 25. mensis Casleu, qui incidit hoc Anno Christi 32. in diem 16. Decembris, anno enim sequenti 33. Nisan, cœpit die 20. Martij. Huius igitur festi occasione Christus Ierosolymis in porticu Salomonis differit de ouibus suis, & inde discedens abit trans Iordanem, venientibus multis ad illum, *Ioannis* 10. nu. 12 ad 42. *Matth.* 19. nu. 1. & 2.

Cùm esset IESVS trans Iordanem cum turbis ad eum congregatis, data occasione differit de diuortio, & de prærogatiua virginitatis, paruulos oblatos suscipit, & adolescente diuite ægrè ferente exhortationem ad erogandas opes in pauperes, differit de difficultate, qua saluantur diuites, & de centuplo quod lucrantur, qui omnia pro Christo relinquunt, *Matth.* 19. nu. 1. ad 30. *Marci* 10. nu. 1. ad 31. *Lucæ* 18. nu. 15. ad 30.

Ne autem qui serò vocati sunt ad sequelam Christi putarent se deterioris conditionis futuros in remuneratione, parabola operariorum, et denarij diurni omnium spem erigit, *Matth.* 20. nu. 1. ad 26.

Lazari suscitandi causa redit in Iudæam, eoque suscitato à mortuis, concilium contra eum congregatur, coràm Caipha, ideoque ipse recedit in ciuitatem Ephrem, *Ioannis* 11. toto.

Sub initium Martij ascendens Ierosolymam renouat discipulis memoriam, et prædictionem de sua futura nece, et resurrectione, ac filior. Zebedei ambitionem de primis sedibus retundit, *Matth.* 20. nu. 17. ad 28. *Marci* 10. nu. 32. ad 45. *Lucæ* 18. nu. 31. ad 35.

Appropinquans Iericho sanat vnum cæcum, et ingressus Iericho Zachæum iustificat, qui dies factus fuerat negotiando; eaque occasione docet negotiandum, bene vtendo talentis à Deo datis, parabola mnarum proposita. *Lucæ* 18. num. 35. ad finem, et cap. 19. nu. 1. ad 28.

Egressus Iericho, alij duo cæci eodem modo clamantes illuminantur, præcipuè vnus Bartimæus nomine. *Matth.* 21. nu. 29. ad 34. *Marci* 10. nu. 46. ad 52.

Quartum, & vltimum Paschа Anni 33. quod fuit die 3. Aprilis feria 6.

Ante sex dies Paschæ, nempe die 28. Martij feria 7. desinente venit IESVS Bethaniam, vbi cœnat cum Lazaro, Martha ministrante, & Mariam Magdalenam, quæ hic pedes eius iterū vnxerat, defendit à calumnia Iudæ Iscariotæ, *Ioannis* 12. nu. 12. ad 19.

In Crastinum nempe 29. Martij feria 1. manè mittit duos discipulos ad soluendum pullum asinæ, qui adduxerunt pullum, et asinam, qui vtriq; vestimenta sua imposuerunt, sed Dominus super pullum Asinæ sedens tendit versùs Ierosolymam, exceptus more triumphantis hinc à turbis sequentibus, inde ab alijs obuiam occurrentibus, propiorq; ciuitati factus cum lacrymis eius excidium prædicit: Eo ingresso, tota Ciuitas commouetur: ipse ingressus templum eijcit nundinatores, sanat cæcos, & claudos, et inuidentibus inimicis, laudat pueros Hosana clamantes, factoq; vespere egreditur in Bethaniam, *Matthæi* 11. nu. 1. ad 12. *Lucæ* 19. nu. 29. ad 48. *Ioannis* 12. nu. 12 ad 19.

Die 30. Martij feria 2. manè egressus Bethania, et esuriens ficulneæ infructuosæ maledicit, templumq; Ierosolymæ ingressus, denuo eijcit nundinatores, et compescit vasa transportantes, duas enim eiectiones manifestè referunt, priorem *Matthæus*, et *Lucas* factam ipso die triumphi

ante

ante maledictionem ficulneæ posteriorem, *Marcus* post ficulneæ maledictionem. Scribæ quærunt perdere Christum, sed timent turbam, et ipse eodem die sub vesperam egreditur de ciuitate *Matth.* 21. nu. 17. ad 19. *Marci* 11. nu. 12. ad 19. *Lucæ* 19. nu. 47. et 48.

Die 31. Martij feria 3. Dominus redit in ciuitatem, mirantibusq; discipulis ficulneam arefactam, commendat vim orationis cum fide, et remissione iniuriarum factam. Docens in templo, & interrogatus de potestate faciendi, quæ faciebat, proponit problema de Baptismo Ioannis, cui non credentibus principibus Iudæorum, credidere meretrices, & publicani, præmissaq; parabola duorum filiorum, subiungit parabolam vineæ, & nuptiarũ Regis. *Matthæi* 21. nu. 20. ad finem, *Marci* 11. nu. 20. ad finem, & cap. 12. nu. 1. ad 12. *Lucæ* 20. nu. 1. ad 19.

Interea ad eum capiendum in Sermone accedunt successiuè Herodiani, Sadducæi, & Legisperiti, quorum captiosas quæstiones dissoluit, proponens vicissim dubium quomodo Dauid Messiam filium suum agnouit, & appellauit Dominum suum: Mox coràm populo redarguit hypocrisim, & alia vitia Scribarum, & Pharisæorum, & præfert viduam duo minuta inferentem gazophilacio. *Matthæi* 22. nu. 15. ad finem, & cap. 23. toto, *Marci* 12. nu. 13. ad finem, *Lucæ* 20. nu. 20. ad finem, & c. 21. nu. 1. ad 4.

Egrediens de templo, eius excidium prædicit, *Matth.* 24. nu. 1. & 2. *Marci* 23. nu. 1. & 2. *Lucæ* 21. nu. 5. & 6.

Gentilibus Ierosolymæ ad diem festum versantibus, & cupientibus videre IESVM differit de sui exaltatione à terra in crucem, & clarificatione, deque Iudæorum cæcitate, (id enim factum post triumphum Christi, & eo die quo se abscondit à Iudæis, non amplius comparuit, nisi vespere pridie Azymorum) ex *Ioannis* 12. nu. 20. ad finem.

Sedens in Monte Oliueti contra templum prædicit signa excidij Ierosolymitani, & finis mundi, vt ex verificatione excidij eo seculo futuri confirmaret ea, quæ ventura erant in fine seculorum, eaq; occasione differit de vigilantia ob diem incertam, additq; parabolam decem Virginum, & Talentorum, & de Iuditio potissimum faciendo super operibus misericordiæ. *Matthæi* cap. 24. & 25. toto, *Marci* 13. nu. 3. ad finem, *Lucæ* 21. nu. 7. ad finem.

Die 1. Aprilis feria 4. biduo ante Pascha Iudæi cogunt conciliabulum contra Christum; IESVS in domo Simonis Leprosi cœnat, & Magdalenam non iam pedes, sed caput ipsius vngentem iterum laudat, & defendit à Iudæ iterata calumnia, esto quidam ob similitudinem nardi, & trecentorum denariorum confundant hanc cum cœna facta in domo Marthæ. Iudas tandem indignatus pacisci-tur cum Iudæis de prodendo Magistro. *Matth.* 26. nu. 1. ad 16. *Marci* 14. nu. 1. ad 11. *Lucæ* 22. nu. 1. ad 6.

Die 2. Aprilis feria 5. quę erat prima dies Azymorũ, quando vetus fermentũ exterminabatur mittuntur, Petrus, & Ioannes ad præparandum cœnaculum, & facto vespere, venit illuc IESVS cum duodecim Apostolis, & comedit Agnũ Paschalem, & prædicit se tradendum ab vno ex illis, qui secum intingebat manum in catino, væ illi interminans, *Matth.* 26. nu. 17. ad 25. *Marci* 14. nu. 10. ad 21. *Lucæ* 22. nu. 3. ad 14.

Cœna Paschali facta, & iam ab occasu Solis, inita more Hebræorum feria 6. dieq; 3. Aprilis, IESVS surgit à cœna, & lauat pedes Discipulorum, deinde iterum discumbens instituit Sanctiss. Eucharistiam, consecrans panem in corpus suum, & vinũ in sanguinem, & vtrumq; communicans Apostolis: deinde turbans semetipsum, iterum sui proditionem prædicit, & proditorem Ioanni clam indicat, porrigens Iudæ Icariotæ panem intinctum, quo hausto Iudas inuasus à Satana exit à cœnaculo, sub finem crepusculi vespertini, seu nocte iam facta; *Ioannis* 13. nu. 1. ad 32. *Matth.* 26. nu. 26. ad 29. *Marci* 14. n. 22. ad 25. *Lucæ* 22. nu. 15. ad 23.

Contentionem obortam de primatu compescit, maiora illis promittens in regno suo, & mutuam concordiam commendans, & Petro tentationes futuras, ac trinam negationem prædicit, & reliquum sermonis prosequitur, vsque ad surrectionem à mensa: *Lucæ* 22. nu. 24. ad 38. *Ioannis* 13. nu. 33. ad finem, & cap. 14. nu. 1. ad 30.

Surgit à mensa, & hymno dicto egressus de cœnaculo prosequitur sermonem, vsq; ad torrentem Cedron, *Matth.* 26. nu. 30. *Marci* 14. nu. 6. *Lucæ* 22. nu. 39. *Ioannis* 14. nu. 31. ad finem, & capitibus totis 15. 16. & 17.

Egressus trans torrentem Cedron prædicit discipulorum scandalum, & fugam, & iterum Petro trinam negationem ante secundum galli cantum, & in horto villæ Getsemani ter orat, deinde comprehenditur, & reliqua fiunt, quæ referunt *Matthæus* cap. 26. à nu. 31. ad 57. *Marcus* 14. à nu. 27. ad 52. *Lucas* 22. à nu. 40. ad 53. *Ioannes* 18. à nu. 1. ad 11.

Ducitur IESVS ad Annam Caiphæ socerum; Petrus introductus in atrium ab alio discipulo, & interrogatus ab ancilla ostiaria, num esset ex discipulis Christi, nec obligatus respondere illi, negat se esse cum restrictione mentali, & securus stat cum ministris calefaciens se: de hac autem negatione, vtpote forte non peccaminosa, nec ad gallicinij tempus pertinente, nec ex timiditate orta, quia ancilla non asseruit, sed solum dubitauit, non est locutus Christus: IESVS autem interroganti Annæ respondens alapa percutitur, *Lucæ* 22. nu. 50. *Ioannis* 18. nu. 12. ad 23.

Ductus IESVS ad Caipham, et productis testibus falsis, et non conuenientibus interrogatus nil respondet, sed adiurationem per Deum reueritus affirmat se Filium Dei esse, et ob id tanquam blasphemus iudicatur reus mortis, traditurq; ministris ad illudendum, *Matth.* 26. num. 58. ad 68. *Marci* 14. nu. 53. ad 66. *Lucæ* 22. nu. 63. ad 65. *Ioan.* 18. nu. 24.

Petrus in atrio Caiphæ, affirmante ancilla ipsum fuisse, cum IESV Nazareno, et alijs occasione de hoc inquirentibus pernegat, exitq; ab atrio in conclaue atrio proximum, galluſq; cantat prima vice; alia verò ancilla, et alio quodam affirmantibus ipsum eum esse de illis, qui fuerant cum IESV Nazareno, negauit iterum cum iuramento se de illis esse, et post parum temporis, seu interuallo quasi horæ vnius in conclaui vbi Christus erat, adstantibus affirmantibus ipsum Galilæum esse, et fuisse in horto cum IESV, tertiò cum iuramento, et anathematismo negauit, statimq; gallus iterum cantauit, et conuersis Christi oculis in illum recordatus prædictionis, egressus foras fleuit amare, ergo quando post primam negationem exiuit foras non exiuit ex domo Caiphæ in viam, sed ex atrio in conclaue, vbi poterat naturaliter videri à Domino, et de his tribus negationibus in eadem domo, et ad gallicinium eiusdem galli spectantibus locutus est Dominus, *Matthæi* 26. nu. 69. ad 75. *Marci* 14. num. 67. ad 72. *Lucæ* 22. nu. 55. ad 65. *Ioannis* 18. nu. 25. ad 27.

Facto die 3. Aprilis rursus ductus est IESVS in conciliabulum Iudæorum iterumq; confessus se filium Dei, tanquam conuictus de blasphemia ducitur ad Pilatum brachio sæculari tradendus ad mortem, quo audito Iudas fruſtra conatus extinguere incendium, desperatione adactus laqueo se suspendit, & principes Sacerdotum triginta argenteos impendunt in agrum figuli &c. *Matth.* 27. nu. 1. ad 10. *Marci* 15. nu. 1. *Lucæ* 23. nu. 1.

Pilatus egressus à Prætorio, & inter alia audiens IESVM dixisse se Regem esse regressus in Prætorium interrogat illum de regno, & qnid sit veritas, egressusq; iterum negat inuentam à se in eo causam mortis, & IESVS accusatus de multis nil respondet, ne Pilato quidem vrgente, & silentium mirante, iterumque negante inueniri in eo causam sufficientem ad damnationem capitalem; audiens autem Pilatus commotam à Iesu Galilæam remittit eum ad Herodem, à quo spretus est indutusq; veste alba, & remissus ad Pilatum, qui confirmat non inueniri in eo causam mortis. *Matth.* 26. nu. 11. ad 14. *Marci* 15. nu. 2. ad 5. *Lucæ* 23. nu. 2. ad 16. *Ioannis* 18. num. 29. adl 38.

Optione data Iudæis de dimittendo Iesu, aut Barabba Latrone seditioso, & homicida, dum seniores persuadent plebi, vt postulet dimissionem Barabbæ, vxor Pilati ob nescio quas visiones mittit ad eum suadens, vt non se immisceat causæ criminali aduersus Iesum, & Pilatus ter conatus absoluere illum, ter sollicitatur à Iudæis clamantibus, vt dimisso Barabba Iesus crucifigeretur; proinde ad vitandum tumultum, lotis prius manibus decreuit dimittendum Barabbam, & IESVM prius flagellandum, quam crucifigeretur, forte sperans flagellatione satiandam Iudæorum rabiem *Matth.* 27. nu. 15. ad 26. *Marci* 15. nu. 5.

15. nu.5. ad 15. *Lucæ* 23. nu.17. ad 25. *Ioann.* 18. num. 39. & 40.

IESVS flagellatur, chlamyde induitur, coronatur Spinis, alapis, & arundine percutitur, ſputis,& illuſorijs adorationibus ludificatur, producitur coram populo à Pilato dicente: *Ecce Homo*, vt vel ſic ad miſericordiam moueantur, ſed fruſtra, omnibus clamantibus, vt crucifigatur, negat denuo habere ſe cauſam id faciendi, inſtant illi mori debere ſecundùm legem, quia Filium Dei ſe fecit; quo audito temidior factus Pilatus, regreſſuſque in prætorium interrogat Ieſum vnde ſit,& tacentem monet de poteſtate abſoluendi, & damnandi eum,audienſq; ſe minus peccatum habere, quam Iudæos, qui ipſum tradiderant, quærit adhuc illum dimittere, ſed illis aſſerentibus fore contra Cæſarem, ſi qui ſe Regem fecerat, dimitteretur, ſedit pro tribunali nondum ſigno dato horæ ſextæ, dicens ironicè: *Ecce rex veſter*; vrgent illi vt crucifigatur, Pilatus ait *Regem veſtrum crucifigam*? dicunt Pontifices, *non habemus Regem niſi Cæſarem*, & tunc demum tradidit illum, vt crucifigeretur; quare illuſus, & ſuis veſtibus indutus educitur. *Matth.* 17. nu. 27. ad 31. *Marci* 15. nu. 16. ad 20. *Ioannis* 19. nu. 1. ad 6.

IESVS Baiulans ſibi crucem exit in Caluariæ locum, cum duobus latronibus, & ſuccumbit oneri Crucis, vel præ timore, ne ſuccumberet, eius crux imponitur portanda Simoni Cyrenæo: mulieribus flentibus,cladem Ieroſolymitanam potiùs flendam monet, guſtatoque vino mirrhato ac felleo, recuſat eius hauſtum, mox ſub finem horæ tertiæ Crucifigitur inter duos latrones, Pilatus negat velle mutari titulum cauſæ ſemel ſcriptum, militeſq; interim veſtimenta eius diuidunt, & veſtem inconſutilem ſortiuntur: Ieſus autem orans Patrem, vt ignoſceret crucifixoribus, inſultibus illuditur tum à Gentilibus, tum à Iudæis. *Matth.* 27. nu. 32. ad 43. *Marci* 15. nu. 20. ad 32. *Lucæ* 23. num. 26. ad 37. *Ioannis* 19. num. 17. ad 25.

Latronibus IESVM conuitiantibus, ſiue vni eorum conuerſo, & alterum corripienti,ac ſe Chriſto commendanti, paradiſum pollicetur, deinde Matri pro filio ſubſtituit Ioannem, & facta hora ſexta Sol obſcuratur, duraturis tenebris ſuper vniuerſam terram vſq;ad horam nonam, & hora nona imminente, IESVS exclamat ſe derelictum à Patre; poſt hæc dicenti: *Sitio*, porrigitur acetum, quo accepto ait: *conſummatum eſt*, & voce magna commendans in manus Patris Spiritum ſuum, inclinato capite emiſit illum: tunc velum templi Sciſsum eſt, & terra mota, & Centurio atq; alij percutientes pectora, confitentes IESVM vere fuiſse iuſtum, ac Filium Dei, reuerſi ſunt, remanentibus in Caluario mulieribus, & notis eius à longe. *Lucæ* 23. num. 39. ad 56. *Matth.* 27. num. 44. ad 51. *Marci* 15. num. 32. ad 41. *Ioannis* 19. nu. 25. ad 30.

Latronibus nondum mortuis crura franguntur, IESV autem latus lancea aperitur; Ioſeph ab Arimathæa impetrato corpore Domini, illud cum Nicodemo deponit de Cruce, & aromatibus conditum inuoluit in Sindone munda, ſepelitque in ſuo monumento nouo ſub finem feriæ ſextæ, ſeu Paraſceues Sabbati; obſeruantibus mulieribus vbi poneretur: Sabbatho autem apponuntur cuſtodes, & ſigilla ſepulchro *Ioannis* 19. num. 31. ad 42. *Matth.* 27. nu. 57. ad 66. *Marci* 15. nu. 42. ad 47. *Lucæ* 23. nu. 50. ad 56.

Completo Sabbato, & die 4. Aprilis in occaſu Solis, & luceſcente prima Sabbati ideſt feria prima in veſpertino crepuſculo Maria Magdalenæ, & Iacobi,& Salome emerunt aromata,ſed Maria Magdalenæ,& Iacobi,forte dum Salome nomine ipſarum emptum iuit aromata, venit ad explorandum, num aliqua mutatio facta eſset circa Sepulchrum Domini,& videntes illud clauſum, & obſignatum, decreuerunt illuc diluculo ſe conferre, et tentare an poſsent vngere corpus Domini, & valde mane profectæ ſunt ad Sepulchrum, eoque peruenerunt orto iam Sole, ſed Magdalene cæteris præcurrens, cum adhuc tenebræ eſsent venit illuc, & viſo lapide ſublato à monumento, (reſurrexerat enim Dominus, et Angelus exterretactis cuſtodibus reuoluerat lapidem) nec inuento corpore Domini cucurrit ad Petrum, et Ioannem dicens ſublatum fuiſse Corpus Domini, et neſcire quo translatum fuerit, quod non dixiſset,ſi audiuiſset Angelos,qui paullo poſt dixere reliquis mulieribus IESVM reſurrexiſse, et vt id nunciarent diſcipulis; cum autem receſſiſsent illæ cucurrerunt Petrus, et Ioannes ad monumentum, et Magdalena cum ipſis, illiſque abeuntibus, manſit ibi foris plorans, et inclinans ſe vidit duos Angelos, iterumq; conqueſta eſt ſublatum eſse Corpus Domini, et neſcire quo translatnm fuerit, mox IESVS illi apparuit ſub ſpecie hortulani, ſed agnito magiſtro, dum vult ipſi pedes oſculari prohibetur, fore enim id faciendi tempus opportunius, cum nondum aſcenderit ad Patrem, iubeturq; nunciari fratribus ſuis: Quando autem Marcus dicit Ieſum apparuiſse primo Mariæ Madgalenæ, intelligendus eſt comparatiuè non ad Matrem Domini, ſed ad alias mulieres, quas prænominarat, et ad Apoſtolos; Deinde apparuit reliquis mulieribus in via, et interim cuſtodes narrauerunt principibus Sacerdotum, quæ facta fuerant circa Sepulchrum, et acceperunt pecuniam cum pacto, vt dictitarent dormientibus ipſis diſcipulos furatos eſse corpus Magiſtri; Tandem mulieres, et ipſa Magdalene ſuperueniens, nunciarunt Apoſtolis, ac diſcipulis, quæ viderant, et audierant. *Matth.* 28. num. 1. ad 15. *Marci* 16. num. 1. ad 11. *Lucæ* 24. num. 1. ad 11. *Ioannis* 20. nu. 1. ad 18.

Eadem feria prima, ſeu die Dominica, quæ fuit 5. Aprilis ſub veſperam apparuit Dominus duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, qui prius audierant mulierum relationes, & illis reuerſis in Ieruſalem, alijſq; congregatis diſcipulis, excepto Thoma abſente, cum ſerò eſſet apparuit ianuis clauſis, Pacem illis annuncians, et oſtenſione Cicatricum palpatione carnis, et eſu piſcis, ac faui confirmauit ſe non eſse Spiritum, qui aſsumpſerit Corpus aereum, ſed verum hominem, et ſuam reſurrectionem, Spiritus Sancti inſuflatione dedit eis poteſtatem abſoluendi à peccatis, et peccata reſeruandi, *Marci* 16.n.12. *Lucæ* 24. nu.13. ad 47. *Ioannis* 20. nu.19. ad 23.

Poſt dies octo videlicet 12. Aprilis Dominica die octaua reſurrectionis apparuit iterum clauſis ianuis Dominus diſcipulis, et Thomam ab infidelitate ad fidem ſuæ reſurrectionis reduxit. Poſtea profectis diſcipulis in Galilæam manifeſtauit ſe ad mare Tiberiadis Petro, filijs Zebedæi, Thomæ, Nathanaeli, et duobus alijs diſcipulis piſcatione miraculoſa, et comeſtione cum ipſis: deinde Petrum trina interrogatione de ſui dilectione, conſtituit Paſtorem agnorum, et ouium ſuarum, et prædixit illi mortis genus, increpuitq; eius curioſitatem de Ioannis ſucceſsu ac mortis genere. *Ioannis* 20. nu. 24. ad 45.

Præterea vndecim diſcipulis in Monte Galilææ(forte Thabore, vbi ſe transfiguraverat) apparuit IESVS, docens eos formam Baptiſmi etc. et nouiſſimè ipſis reuerſis Ieroſolymam, ſimulq; recumbentibus apparuit, iubens eos prædicare toto orbe Euangelium, et Baptizare omnes, et promittens miracula in teſtimonium fidei, necnon miſſionem Spiritus Sancti: poſtea eduxit eos in Bethaniam, et ipſis benedicens aſcendit in Cœlum, illi verò reuerſi ſunt in Ieruſalem etc. *Matth.* 28. nu. 16. ad 20. *Marci* 16. nu. 14. ad 20. *Lucæ* 24. num. 49. ad 53. *& in Actis* cap. 1. nu. 1. ad 14.

CAPVT XVI.

De concursu Epocharum Insigniorum, cum Anno Natiuitatis, & Mortis IESV CHRISTI Domini Nostri.

	IESVS CHRISTVS. Natus Anno.	Mortuus Anno.
A Creatione Mundi, iuxta LXX. Interpretes etc.	5634	5667
à Diluuij Noetici fine, quo instauratum genus humanum.	3378	3411
à Diuisione linguarum, et dispersione Generis humani.	2847	2880
ab Ortu Patriarchæ Abrahami.	2146	2179
à Circumcisionis institutione.	2047	2080
à Repromissione Dei iurata Abrahamo accincto ad immolandum primogenitum suum Isaacum.		
à Iacobi prophetia de Messia nascituro ex stirpe Iuda.	2022	2055
ab Exitu Israel de Ægypto, et Lege scripta.	1842	1875
à Troiæ incendio, et excidio.	1592	1625
ab Ortu Dauidis.	1184	1217
à fundamentis Templi Salomonici iactis.	1086	1119
ab initio Olympiadum ab Iphito instauratarum, seu Olympiadis 194. anno 4. mortuus autem Olympiadis 202. anno 4.	1012	1045
à Romæ Vrbis conditu, iuxta Varronem.	776	809
à Nabonassari initio anno Ægyptio.	753	785
à Captiuitate Babylonica per Cyrum soluta.	748	780
à primis Consulibus Romæ institutis.	536	569
Natus enim est *Consulibus Cosso Cor. Lentulo, & L. Calpurnio Pisone.*	508	541
Mortuus autem *Coss. Serg. Sulpicio Galba, & L. Cornelio Sulla.*		
ab initio Hebdomadum Danielis.	453	486
ab Alexandri Magni morte, seu Anno Philippico.	324	357
Anno Græcorum in Syria, seu Seleucidarum.	312	345
à Translatione Scripturæ Sacræ per LXX. Interpretes.	285	318
Anno Iuliano, seu per Iulium Cæsarem institutio.	45	78
ab Imperio Augusti inito per Triumuiratum, anno paulo ante completo. Mortuus verò currente adhuc Tiberij.	42	19
à Morte Antigoni vltimi Regis de stirpe Iuda.	37	70
Deiparæ Virginis MARIÆ, ætatis anno inito.	16	49

CAPVT XVII.

De Genealogia CHRISTI, MARIAE, & IOSEPH in Communi.

LIcet Apostolus ad Timoth cap. 1. illum monuerit: *vt denunciaret quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis, quae quaestiones praestant magis, quàm ædificationem Dei quae est in fide*, et ad Titum 3. *Stultas autem quaestiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles, & vanae*. Siue agat de genealogijs eorum, qui genus aliquorum ad Deos referebant, siue de Hebræis contendentibus etiam post Messiæ aduentum vigere legem Moysi de Connubijs, et hæreditatibus non miscendis de tribu in tribum, aut de cognatione in cognationem; certè non damnat genealogias ordinatas ad veritatem historiæ, aut ad iura gentilitia familiarum inuestiganda; et multo minus Genealogias in Sacra Scriptura à Deo reuelatas, studiumq; Interpretum super his, præsertim si opus sit iude confutare calumnias infidelium, aut hæreticorum, puta Iuliani Apostatæ, Iudæorum, Porphyrij, Celsi, Fausti Manichæi, Seleucij, et Gnosticorum, qui Genealogiæ Christi, aut oblatrarunt, aut falsa, et indigna affinxerunt.

Itaque de CHRISTI Domini Genealogia, vel tota, vel partibus eius scripsere Iulius Africanus in Epistola ad Aristidem apud Eusebium lib. 1. Historiæ cap. 7. et Nicephorum lib. 1. c. 11. ac S. Damascenum oratione 2. de Natiuitate B. MARIÆ. S. Gregorius Nazianzenus in carmine de Genealogia Christi, SS. Hilarius, et Hieronymus in cap. 1. Matth. S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 3. et 4. S. Ambrosius lib. 3. in cap 3. Lucæ, Iulianus Toletanus lib. 3. contra Iudæos, Nicephorus supra, et lib. 2. c. 3. Historia de B. Virginis ortu, à S. Hieronymo versa de Hebr. in Latinum, S. Epiphanius lib. 3. hæresi 78. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis in caput 36. numerorum, et in caput 1. Matthæi quæstionibus 28. Alphonsus Salmeron tomo 2. à tractatu 25. ad 29. Vasquez tomo 2. in 3. p disp. 127. Petrus Canisius lib. 1. de Deipara c. 3. & 4. Alphonsus Villegas in vita B. Virginis, Baronius in apparatu ad Annales, Maldonatus in cap. 1. Matthæi, Toletus in cap. 1. et 3. Lucæ, Torniellus ad annum 4037. Sebastianus Barradius tomo 1. in Euangelia lib. 5. Cornelius à Lapide in caput 36. Numerorum, in cap. 1. Matthæi, et in cap. 3. Lucæ, et apud eum Franciscus Lucas, et Christophorus à Castro in Historia B. Virginis cap. 1. Petrus Redanus in Apparatu ad Machabæor. libros sect. 9. Menochius in Historia Sacra de Vita Christi, Iacobus Tirinus tomo 1. in Sacram Scripturam cap. 46. Chronici Sacri, præsertim Tabula 4. Petrus Possinus post Symbolas Matthæi in Dialiatico de Genealogia Christi, Ioannes de Sylueira Carmelita Discalceatus in Euangelia lib. 1. cap. 2. ex quibus, & aliunde nos quoque conati sumus hoc qualecunque obsequium præstaro IESV CHRISTO REGI REGVM, eiusq; Sacratissimis Parentibus, & Cognatis, non solum, vt eluceścat Christi Regale Sacerdotium, & in vna Saluatoris nostri persona diuina, & humana ex Regibus, & Sacerdotibus nobilitas, & quàm verè canat Ecclesia, *Regali ex progenie MARIA exorta refulget*, eandemq; prædicet: *Ex semine Abrahæ ortam de tribu Iuda, claram ex stirpe Dauid*. Diuusq; Bernardus: *Quid ergo sidereum micat in Maria? planè quod ex Regibus orta, quod generosa ex stirpe Dauid*. Sed etiam vt appareat per quot, & quæ generationum capita in linea filiorum promissionis, Deus conseruauerit prosapiam illam, de qua nasciturus erat Messias, & fideliss imè tempore ab ipso præsignificato, pollicitationes suas Abrahæ, ac Dauidi iuratas adimpleuerit; nec denique vlla inter SS. Matthæum,

& Lucam sit vera repugnantia, immò per diuersam viam confirmata veritas, & mira conspiratio in eundem finem. Præmissis itaque generalibus quibusdam quæstionibus reliquas particulares absoluemus.

Quæstio I. De Tabulis Genealogicis, ac Genealogijs apud Hebræos.

1 TEstatur Iosephus l. 1. contra Appionem. *Vni generi Sacerdotum, vni templo Ierosolymis addictorum, ministrantibus Aaronis posteris, immò ipsi summo eorum Pontifici curam singularem diuino instituto commissam custodiendæ in arcanis litteris tum memoriæ rerum publicè gestarum, tum priuatas quidem familias ac personas attinentium, sed quarum successiones nosse interesset publicè.* De huiusmodi scripturis intelligitur illud Esdræ l. 1. c. 2. n. 59. *Et hi qui ascenderunt de Thelmala &c. non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum vtrum ex Israel esset*; et nu. 62. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de Sacerdotio.* Finis autem harum scripturarum erat, tum ne in Sacerdotes, aut ministros templi, qui de oblationibus, et decimis viuebant, admitterentur qui non erant de tribu Leui; tum ne connubia miscerentur in casu, quo periculum esset, ne hæreditates tranirent di vna in aliam tribum, aut ne alienigenæ confunderentur cum Israelitis: Hinc ex Africano Eusebius lib. 1. Hist. Eccl. ait: *Cùm familiæ non Hebræorum solùm, verùm etiam eorum, qui vsque ad Proselytos genus suum referebant, vt ad Achior Amanitem, & Ruth Moabitidem, qui ex Ægypto elapsi commiscebantur cùm Israelitis, ad illud tempus scriptis proditæ in tabularijs seruarentur. Herodes quoniam illorum stirpem, nihil ad se pertinere, nihilq; ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, suæ ignobilitatis, & obscuri generis conscientia exagitatus, annales illos, de genere, & familiarum antiquitate incendit, arbitratus se nobilem visum iri, cum nemo suum genus, ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad Proselytos vel ad eos qui γειῶραι, ideſt terræ incolæ, qui cùm Israelitis permiscebantur, vocati sunt, omnino posset reducere.* Quo magis iniuriam, et imprudentiam Herodianorum obstupescas, qui videntes in Antigono per Herodem sublato defecisse Regnum, et Ducatum de tribu Iuda, translatumq; Romanorum authoritate ad Herodem, non dubitarunt Herodem pro Messia recipere, quem facile scire possent esse Idumæum alienigenam, et valde ignobilis stirpis; tantum aberat, vt esset de regia Dauidis stirpe. Non profecit tamen Herodes, quantum volebat, quia genealogiæ illæ clam ipso asseruatæ sunt apud multos, adeò, vt Iosephus lib. 1. contra Appionem, asserat, *inuiolatas duum millium annorum genealogias Sacerdotum remansisse apud Iudæos, & easdem ex antiquis libris denuo descriptas*: Addit Eusebius supra, aliquos antiquitatis studiosos, auitæ stirpis nomina ex scriptis annalibus in priuatos indices transtulisse, gloriantes quòd nobilitas ipsorum posteritati conseruata esset. Inter quos ait fuisse *Deopossynos*, ita dictos, quod ex Domini tribu et familia, et cognatione Christi se esse dictitarent, et *Nazaros* alioſque qui genealogiam ab Euangelistis conscriptam partim ex libro annalium, siue dierum, partim ex memoriter retentis explicabant, vnde agnoscere licet non potuisse Euangelistas, etiam si eos consideraremus, vt historicos merè humanos, et non directos à Spiritu Sancto, fictam genealogiam exponere ludibrio, et redargutionibus Iudæorum. Incenso autem templo sub Vespasiano, tamen in Synagogis Iudæorum multæ huiusmodi tabulæ conseruatæ sunt, quarum aliquas à se visas testatur Abulensis in 1. Paralipom. q. 30. Ex his ergo tabulis hausere Euangelistæ, vt diserte testatur S. Iustinus in solutione quæstionis 132.

Quæst. II. De vsu Genealogiarum apud Hebræos respectu virorum, ac mulierum, & an verum sit Genealogias mulierum, vel per mulieres non consueuisse texi.

2 LIcet non consueuerit texi genealogia mulierum, aut virorum per mulieres, nempe per matres, auias, proauias etc. cum discrimen tribuum ex patre desumeretur iuxta illud in Codice Thalmudico: *Familia, siue Genealogia materna nequaquā vera genealogia censetur*: necessario tamen ad obseruandas leges cōnubiales, et hæreditarias, oportebat scire mulierum prosapiam ex patre, et ideo earum genealogia per paternum genus prænoscebatur, vt colligitur etiam ex Iosepho l. 1. cōtra Appionē ibi: *Mittunt enim Hierosolymam conscribentes à patre nomen nuptæ, & antiquorū progenitorum.* Ideoq; in tabulis illis asseruabantur non masculorum solùm, sed etiam fœminarum Hebræarum nomina, & parentum ipsorum, vt sciretur de qua tribu, & cognatione essent. Sic Numerorum 27. dicitur. *Accesserunt autē filiæ Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manasse, qui fuit filius Ioseph*, vbi additur mortuum fuisse Salphaad. Quemadmodum mortuo iam marito Iudithæ, in lib. Iudith c. 8. scribitur. *Cum audisset verba hæc Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filij Idox, filij Ioseph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salatiel, filij Simeon, filij Ruben, & vir eius fuit* Manasses. Vides in vtroq; casu Mulierum Genealogiam descriptam vsque ad caput tribus cuiusq; suæ; sed in casu in quo erat describenda genealogia Patris, aut mariti iam defuncti, & ne tunc quidem per mulieres, sed per masculos contextam. Quando autem requirebatur viri alicuius genealogia non erat consuetum eam per vxorem, aut matrem retexere, præsertim cùm ex Genealogia Viri constare posset, de quâ tribu, & cognatione esset vxor ipsius, si erat hæreditaria. Cùm ergo ab Euangelistis ordinata sit Genealogia Christi: noluerunt offendere Iudæos, sed se illorum consuetudini attemperarunt, & illam texuerunt per Ioseph quamtumuis patrem putatiuum, aut non physicum, fuit enim pater Christi peculiari quodam iure de quo infra. Et quamuis MARIA Virgo longè plus quàm Iuditha esset, & præter, ac supra consuetudinem conceperit, ac pepererit vnigenitum suum, vnde non videbatur in ea standum consuetudini, noluerunt tamen Euangelistæ ab ea recedere, tum quia non erat necesse, cùm ipsa, vtpote vnica parentum suorum filia, hæreditatem secum traheret, ideoq; teneretur nubere vni de tribu, & cognatione sua, quod ab ipsa, & eius sponso viro iusto, & à Sacerdotibus templi seruatum esse pro comperto habebatur. Tum quia scribebant eorum Genealogiam, quos norant seruasse legem etiam in casibus, in quibus ab ipsa excipiebantur; ergo ne in hoc quidem voluerunt à consuetudine vim legis obtinente recedere.

Ex quibus iam liquet veritas doctrinæ Patrum in hoc puncto: puta S. Hieronymi in c. 1. Matthæi dicentis. *Cum Ioseph non sit pater Domini Saluatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus vsque ad Ioseph? cui respondebimus primùm non esse consuetudinis Scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur.* Et S. Ambrosij lib. 3. in Lucam aientis: *Cur autem Ioseph magis quàm MARIAE generatio describatur, cum MARIA de Spiritu Sancto generarit CHRISTVM, & Ioseph à generatione Domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret Scripturarum, quæ semper viri originem quærit.* Item Chrysostomi in 1. Matth. *Non erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fœminas texere.* His similia habent Euthymius, & Theophylactus in c. 1. Matth. & Damascenus 4. fid. c. 15. & Oratione 2. de Natiuit. Virginis; immò oratione 3. ait aliter non fuisse permissum, intellige, ita vt cum de genere patris, aut mariti constaret, non permitteretur requiri iuridicè, & quasi aliquid debitum genus mulieris, aut per mulieres: ideoque inquit. *Si quis ipsius quoque Sanctissimæ Virginis genus propriè, & peculiariter recensere postulet, mihi quidem non rectè facere videtur, cùm lex nusquam hoc facere permittat, aut imperet &c.* Breuiter itaque siue mulieris cuius iam non extet vir,

aut

aut pater, siue viri genus quæratur, illud non per mulieres, sed per patrem maioresque masculos recensendum est.

Quæstio III. Quinam comprehenderentur in Lege Connubiali lata Numerorum 36. de nubendo intra eandem Tribum, & Cognationem.

3 CVm defuncto Salphaad in deserto sine masculis liberis, fratres eius aspirarent ad totam hæreditatem, & quinque filiæ eius confugientes ad Moysen, & Eleazarum, vt narratur Numerorum 27. postulassent. *Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri*, & consultus à Moyse Deus respondisset: *Iustam rem postulant filiæ Salphaad, da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditate succedant*: adiecit vniuersalem illam Legem de hæredibus: *Homo cum mortuus fuerit absque filio; ad filiam eius transibit hæreditas; si filiam non habuerit habebit successores fratres suos; quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius, sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui proximi ei sunt*: Sed alterum dubium mouerunt fratres Salphaad, qui erant de tribu Ioseph, dicentes Moysi, vt narratur Numerorum 36. *Tibi Domino nostro præcepit Dominus, vt terram sorte diuideres filijs Israel, & vt filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: quas si alterius tribus homines acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur: atque ita fiet, vt cum Iubilæus, ideſt quinquagesimus annus remissionis aduenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alias transeat.* Cui dubio Moyses præcipiente Domino respondit: *Rectè tribus filiorum Ioseph locuta est: & hæc lex super filiabus Salphaad: Nubant quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus: ne commisceatur possessio de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt.* His positis.

4 *Prima* opinio fuit legem illam, quantumuis latam occasione filiarum Salphaad, & periculi transferendæ hæreditatis ad aliam tribum, tamen vniuersaliter omnes comprehendisse, ita vt nemo alteri ex diuersa tribu posset nubere: quod si secùs factum reperitur, id vel à transgressoribus factum vel ex dispensatione Pontificum Hebræorum; Ita inhærendo literæ vulgatæ editionis, quæ dicit: *Omnes enim viri &c. & cunctæ fœminæ &c.* Dionys. Carthus. in 36. Numeror. vers. 55. & probabilem putat Toletus in c. 3. Lucæ annot. 59.

5 *Secunda* opinio est exceptam fuisse tribum Leui tàm passiuè, quàm actiuè; ita Abulensis in c. 36. Numeror. qui addit licuisse Sacerdotibus sumere vxores potissimum de regia stirpe, vt Reges facilius continerentur in cultu Dei. Idipsum videtur supponere S. Lucas dum cap. 1. per os Gabrielis Archangeli agnoscit Dauidem patrem Christi, & idem confirmat in genealogia eius c. 3. & tamen c. 1. Matrem Domini agnoscit cognatam Elizabethæ de filiabus Aaron, quod esse non potuit nisi per aliquos maiores earum tribus Dauidis, ideſt Iuda, permixta fuerit cum tribu Leui, & idem supponunt Sancti Nazianzenus, Augustinus, & alij Patres, dum Fausto Manichæo contendenti Christum fuisse de tribu non Iuda, sed Leui, respondent concedendo fuisse aliquo modo de tribu Leui, absolutè tamen de tribu Iuda. Philo quoq; lib. 2. de Monarchia inquit. *De genere futurarum vxorum diligenter præscribitur, vt Pontifici desponsetur non solum virgo, sed Sacerdotalis generis, vt sponsus, sponsaq; gentiles sint, & quodammodo consanguinei, quo magis per totam vitam moribus conueniant. Cæteris conceditur, vt quamuis ipsi Sacerdotes sint, possint tamen ducere non sacerdotum filias, siue quod leue sit hoc periculum, siue quod non expediat plebem in totum submoueri à Sacerdotum affinitatibus: ideo licitum est Sacerdotibus huiusmodi connubium, vt cognationi proximum, nam generi loco filiorum sunt Soceris, & hi loco parentum sunt generis.* Sed tamen Aaron ante legem in Ægypto duxit Elizabetham filiam Aminadabi, & Sororem Naasson, qui erant de tribu Iuda, vt constat ex cap. 6. Exodi nu. 23. & Numeror. 1. 2. & 7. & 1. Paralip. 2. Post legem autem de Ioiada dicitur 2. Paralip. cap. 22. nu. 11. *Iezabeth autem, quæ absonderat eum, ideſt Ioas, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis, soror Ochoziæ.* At Ioram erat de stirpe Dauid, & tribu Iuda, vt constat ex libro 4. Regum. Ratio autem huius opinionis, præter exempla adducta est, quia Lex prædicta lata fuit, ne hæreditates transirent de tribu in tribum, finis autem legis limitat legem; sed hoc periculum non erat in Leuitica Tribu, quia exceptis domibus Leuiticæ tribui assignatis iuxta cap. 25. Leuitici nu. 33. Leuitæ non possidebant bona immobilia, sed viuebant de oblationibus, & decimis, erantque incapaces hæreditatis, iuxta illud Numerorum 18. nu. 20. *Dixitq; Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Et Iosue 13. nu. 14. *Tribui autem Leui non dedit possessionem, sed Sacrificia, & victimae Domini, ipsa est eius hæreditas.* Ergo etiam si Leuitę nuberent fœminis hæreditarijs de quacunq; tribu, non poterat hæreditas transire ad tribum Leui.

6 *Tertia*, & verior opinio est prædictam Legem comprehendisse solum fœminas κληρϕόρους, seu hæreditarias, & carentes fratribus, has enim non potuisse nubere maritis de alia tribu, dempta Leuitica; ita sentiunt S. Ambrosius lib. 3. in Lucam, sic limitatam illam legem producens: *Et omnis filia, quæ habet hæreditatem tribuum filiorum Israel, vni ex populo, & ex tribu patris sui erit vxor.* Et S. Augustinus lib. 7. quæstionum in Iud. cap. 47. dicens fœminas potuisse nubere viris de quacunque tribu, & dat exempla de Thola, & de Dauide, de quibus nos infra: idemq; sentiunt Glossa ordinaria in addit. Vgo, Burgensis, Caietanus, Oleaster, Vatablus, & Cornelius à Lapide in cap. 36. Numeror. item Canisius lib. 1. de Deipara cap. 3. Villiegas in vita B. Virginis, Maldonatus in cap. 1. Matth. num. 16. Barradius tomo 1. in Euangelia lib. 5. cap. 30. parag. *non leue*. Menochius in Historia Sacra vitæ Christi cap. 3. Petrus Possinus in Diallactico Genealogiæ Christi cap. 59. eamque probabiliorem censuit Toletus in cap. 3. Lucæ annot. 59. Ratio est quia legem illam Hebraica lectio sic exhibet. *Omnis filia, quae haereditatem haereditabit vni de cognatione patris sui erit vxor*: & pro verbis illis *ne sibi misceantur tribus* habet: *nec reuertatur haereditas vnius tribus ad aliam tribum*: Et Caldæa habet: *Omnis filia haeres possessionis &c.* Græca autem LXX. Interpretum: *Omnis filia vindicans haereditatem ex tribubus filiorum Israel, vni eorum, qui est de populo patris sui erunt vxores, vt vindicent filij Israel vnusquisque haereditatem paternam suam; & nõ circumuertetur sors à tribu in tribum aliam, sed vnusquisque in haereditate sua coniungetur filijs Israel.* Quæ versiones non repugnant Vulgatæ editioni, sed exponunt, quod in illa succinctè continetur.

Exempla verò libertatis nubendi, extra dictum casum, cuiuis tribui non pauca suppetunt. Nam Iudicum 10. scriptum est: *Thola filius Phua patrui Abimelech vir de Issachar*; at Abimelech erat filius Gedeonis de tribu Manasse filij Ioseph, vt constat ex Iudicum 6. et 9. ergo per Tholam tribus Isachar permixta fuit connubialiter cum tribu Ioseph; Deinde Saul 1. Regum cap. 17. num. 25. dixit: *Virum qui percusserit eum*, ideſt Goliathum, *ditabit rex diuitijs magnis, filiam suam dabit ei &c.* Ergo de quacunq; tribu fuisset percussor Goliathi, poterat nubere filiæ Saulis, qui erat de tribu Beniamin, vt patet ex 1. Reg. cap. 9. & reipsa Dauid, qui erat de tribu Iuda, percusso Goliatho obtinuit Michol filiam Saulis, ex 1. Reg. c. 18. Antea quoq; Iudicum 21. reliquæ tribus Israel iurarant non daturas se filias suas *Beniamitis*; sed postea videntes Tribũ Beniamin ad nihilum redigi, coegerunt viros de Iabes Galaad, qui nõ iurauerant, vt filias suas Beniamitis traderent. Rursus ex 2. Regum cap. 3. Dauid duxit Maacham filiam Tholmai regis Gesur alienigenæ; et ex cap. 1. Ruth *Mahalon, & Chelion filij Elimelec, de Bethleem Iuda, acceperunt vxores Moabitidas.* Et ex 4. Ruth Booz de tribu Iuda duxit Rutham Moabitidem, Deuteronomij autem 21. nu. 11. permissum fuerat Iudæis ducere virgines bello captas.

Neque obstat Abulensis in cap. 36. Numeror. q. 6. argumentum, quo arguit, si lex illa restringitur ad filias hæreditarias futurum fuisse, vt nunquam possent nubere, nisi iam veteres, debuisseque expectare mortem patris, et fratrum: Nam si volebant nubere iuuenes; aut volebant esse ca-

capaces hæreditatis, & sic debebant nubere vni de tribu, & cognatione sua, si verò volebant nubere alicui, de aliena tribu, hoc ipso renunciabant iuri hæreditatis, vel certè illis mortuis redibat hæreditas ad tribum patris earum.

Quæstio IV. An filiæ hæreditariæ tenerentur nubere viris de cognatione, & familia sua, & quidem propinquioribus.

7 PRima Opinio est sufficisse, vt filiæ hæreditantes nuberent vni de tribu sua, ita Abulensis in cap.36. Numerorum q. 6. Toletus in cap. 3. Lucæ annot. 59. & olim Cornelius à Lapide in cap. 36. Numerorum: Lex enim erat: *Nubant quibus volunt; tantum, vt suæ tribus hominibus*; exceptio autem firmat regulam in contrarium: & licet postea dicatur *de tribu, & cognatione sua*; sumi hæc omnia pro eodem nec restringi ad specialem congregationem, & familiam, si quidem eodem cap.36.versu 10. refertur. *Fecerunt q; filiæ Salphaad, vt fuerat imperatum, & nupserunt filijs patrui sui de familia Manasse*, vbi Abulensis inquit: *Manifestum est quod Manasse, non est familia, sed tribus*, quandoquidem in diuisione terræ loco tribus Leui, successit dimidia tribus Ioſephi, quæ appellata est tribus Manasse, altera verà dimidia nempe Ephraim retinuit nomen tribus Ioſeph, vt colligitur ex cap. 14. Iosue, quia Iacob eos adoptarat in filios ex Geneſis cap.48.

8 *Secunda* Opinio est debuisse filias hæreditantes nubere vni non solùm de tribu, sed & de cognatione, & familia sua. Ita Maldonatus in cap.1. Matth. nu. 16. Barradius tomo 1. in Euangel. lib.5. cap. 30. Cornelius à Lapide postea in cap.3. Lucæ nu.4. Possinus in Diallactico cap.59. Io. de Sylueira in cap.2. Matth. q.44. nu.133. Quia Numerorum 36. Hebraica lectio habet. *Nubant quibus volunt: verumtamen intra familiam tribus patris eorum*, & infra: *Omnis filia hæreditatem haereditans &c. vni de familia tribus patris sui erit in vxorem*: & vulgata: *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua*. Et reipsa filiæ Salphaad nupserunt omnes filijs patrui sui, idest filijs fratrum Salphaadi, ac se intra eandem familiam continuerunt, licet essent quinque filiæ. Deinde hoc modo Patres interpretati sunt Legem illam. Nam S. Hieronymus in cap. 1. Matthæi ait; *Ex vna tribu fuit Ioseph, & Maria, vnde ex lege eam accipere cogebatur, vt propinquam*, & S. Epiphanius lib.3. contra hæreses hæresi 78. *Primum enim quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire &c.* & Theophilactus in cap. 1. Matth. *Nam ex eadem planè tribu, & familia erat Mater Dei*. Et in eandem sententiam adducit Maldonatus Eucherium, & Euthymium. Denique Patres, qui ex Genealogia Ioſephi aiunt colligi ob vim legis seruatæ MARIAM fuisse non solùm de tribu Iuda, sed etiam de familia Dauid, id ipsum supponunt, alioquin colligeretur solùm Deiparam, vtpotè vnicam hæreditariam, fuisse de tribu Iuda, sed non sequeretur vi legis eam fuisse de domo Dauid.

9 Debuisse præterea filias hæreditarias nubere cognatis proximis docet Possinus cap. 60. Diallactici ex dicto Saræ cap.3. Tobiæ: *Vnigenita sum patri meo, qui filium præter me non habet, qui ei succedere in haereditatem possit, neque fratrem, aut ex fratre natum nepotem, cui me vxorem seruem:* iuxta Græcam versionem. Ergo si habuisset patruum, aut patruelem debebat seruare se illi in vxorem: sic Mardochæus ex Esther c. 2. Edisam filiam fratris sui mortui adoptauit sibi in filiam, vbi Rabbi Ierchi inquit: *Nostri interpretantur, quod dictum est Estherem à Mardochæo sumptam in filiam, vt ducta domum ab eo, & desponsata sibi in vxorem sit*. Immo LXX. Interpretes habent: *Defunctis autem eius*, nempe Estheris, *parentibus erudiuit eam sibi, Mardochæus in vxorem*; sed quia nondum contracta erant sponsalia per verba de præsenti, potuit nubere Asſuero. Possent denique adduci filiæ Salphaad, quæ omnes nupserunt filijs fratris patris sui, idest patruelibus.

Quæstio V. Quot modis nomina Patris, & Filij in Sacra Scriptura vsurpentur, vbi de lege suscitandi semen fratri mortuo sine liberis.

10 PRæter latissimam illam significationem qua maiores omnes in recta linea consanguinitatis appellantur Patres, vt auus, proauus, abauus, &c. & descendentes ab ipsis appellantur filij, licet sint nepotes, pronepotes, abnepotes &c. alijs modis denominantur Patres, & Filij, primus est per realem naturalem, ac immediatam generationem, quo modo Adamus fuit pater Abelis, & hic dicitur *pater naturalis*. Secundus est per delineationem hæreditatis, seu deuolutionem tanquam ad proximiorem, ita vt hæres quilibet alterius siue institutus ab eo, siue iure communi succedens ei, dicatur eius filius quodammodo, & alter vicissim pater, quomodo aliqui putant Salathielem fuisse dictum filium Iechoniæ. Tertius est per meram adoptionem, & hic dicitur *Pater adoptiuus* sicut, et talis filius *Filius adoptiuus*. Sic vt notat S. Augustinus l. 2. de Consens. Euang. c. 3. filia Pharaonis Moysen adoptauit Exodi 2. et Iacob nepotes suos ex Ioſepho natos ex Geneſis 48. dicens: *Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Quartus erat quando mortuo aliquo sine liberis, frater eius aut proximior sumebat in vxorem viduam defuncti, & ex ea suscipiebat filium, quem ita appellabat filium suum naturalem, vt eundem appellaret filium fratris defuncti, ita iubente lege Moysis, & propterea dicebatur ille *Pater legalis*, & talis Filius, *Filius legalis*. Quinto modo quilibet Socer, seu pater vxoris, dicebatur pater generi sui, vt affirmat Philo l. 2. de Monarchia dicens. *Nam generi loco filiorum sunt soceris, & hi loco parentum sunt generis*. Sexto modo dicitur *Pater putatiuus*, quando eius vxor parit filium, quem maritus putat à se genitum, sed reuera non est ab eo genitus sed ab alio, vel aliunde, aut quando filius ita est suppositititius, vt nec pater, nec mater vllo iudicio possint discernere fraudem, qua pro filio ab ipsis genito alius clam substitutus est.

11 Cœterùm vi legis Mosaicæ valdè vsitatus fuit quartus modus: etenim Deuteronomij 25. nu. 5. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel &c.* Hinc stulta illa Sadducæorum interrogatio de septem fratribus, quorum vnus post alium duxit eandem viduam primi, & secundi & reliquorum fratrum, de qua Matthæi 22. nu.23. & Lucæ 20. num. 27. Neque huic legi repugnat lex data Leuitici 18. num. 16. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis*. Hic enim vetatur connubium cum vxore fratris, vel defuncti relictis liberis, vel viuentis sed ab eo repudiata, vt docet S. Augustinus q. 58. Licet autem cognati non tenerentur, habebant tamen, in defectu fratris, ius ad ducendam vxorem cognati defuncti ac eius hæreditatem, & illa non poterat alteri nubere sine eius consensu. Quod si proximior cederet iuri suo, alter post ipsum propinquior habebat ius ad viduam illam, & ad eius hæreditatem, vt patebit legenti Caput 4. Ruth. Si autem defunctus reliquisset filiam, sunt qui negent fratrem debuisse ducere viduam defuncti, sunt qui affirment cum Abulensi, & Cornelio à Lapide in dictum Cap. Deuteronom. Quoad nomen verò defuncti imponendum primogenito ex vidua defuncti nato, dixerat S. Augustinus lib.2. Quæstionum Euangelicar. q. 5. *Cum quisquam apud Iudæos, defuncto fratre, vel propinquo, prolem de vxore eius exsuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere.* Sed libro 2. Retractationum c. 12. correxit se dicens. *In secundo libro qq. Euang. volens exponere quomodo duos patres potuerit habere Ioseph, cuius coniux dicta est Maria Virgo, illud quod perhibetur fratrem duxisse defuncti fratris vxorem, vt ei semen secundùm legem suscitaret, ideo dixi esse infirmum, quoniam qui nasceretur nomen defuncti lex eum iubebat accipere: non est verum: Nomen enim de-*

functi

functi quod dictum est, ad hoc lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, non vt hoc quod ille vocaretur. Itaque natus ille debebat vocari filius prioris mariti, non tamen nominari debebat eodem nomine. Et ita *Boez* ducta *Ruth* vidua *Mahalonis* defuncti, & propinqui sui suscepto ex ea filio imposuit nomen non *Mahalon*, sed *Obed*, vt patet ex 4. Ruth.

Quæstio VI. Vnde censeretur quis esse de tali tribu à Matre ne, an à Patre, & à quo Patre.

12 CErtum est apud interpretes Pentatheuchi, & Rabbinos ex patre, non ex matre desumi solitum discrimen tribuum, ita vt si quis natus esset ex patre de tribu Leui, Exempli gratia, & ex matre de tribu Iuda, eorum filius, vel filia pertineret ad tribum Leui. Hinc factum vt Genealogia alicuius siue masculi, siue fœminæ semper in tabulis publicis priuatisq; & in Sacra Scriptura semper per patrem, & lineam masculinam inquireretur iuxta dicta pro q. 2. & iuxta patres ibi adductos; & axioma Hebræorum in codice Thalmudico *Familia siue Genealogia materna, nequaquam vera genealogia censetur.* Intelligitur autem id de patre tam *naturali*, quam *legali*, quia qui ex vidua fratris aut propinqui defuncti sine liberis prolem suscitabat defuncto, debebat esse non solum de eadem tribu, sed etiam aut frater aut proximior de eadem familia, vt liquet ex dictis nu. 10. Proinde, cum S. Ioseph dicatur Matth. 1. filius *Iacobi*, & Lucæ 3. filius *Heli*; & vnus eorum fuit pater naturalis alter legalis, vterque tamen fuit de tribu, & familia eadem. Sed ex patre merè adoptiuo, aut qui esset merè Socer non sumebatur discrimen tribus. Ex putatiuo tamen sumebatur, quâd ù putabatur esse naturalis. Hactenus dicta valẽt secundùm legem Moysis, et consuetudinem generandi filios sibi aut fratri propinquoq; defuncto. Quid autem dicendũ sit de generatione tẽporali Christi, quæ fuit supernaturalis, et supra consuetudinem, non disputant Patres, ac Doctores catholici in terminis, quia certum fuit apud illos, à Iosepho viro iusto, et Sacerdotibus templi seruatam esse legem, de qua diximus q. 3. et 4. et sic Sanctissimos illos coniuges Iosephum, et MARIAM fuisse non solum de eadem tribu, sed etiam de eadem domo, et familia, implicitè tamen, et indirectè suppeditant solutionem sequentis quæstionis.

Quæstio VII. An discrimen Tribus & Familiæ, de qua fuit Christus, vnicè, aut præcipuè ex S. Iosepho, an ex Maria Virgine sumendum sit?

13 REspondeo *primò* de illa tribu, & familia dicendum est CHRISTVM fuisse, de qua fuit S. Ioseph, licet enim Lucæ 3. declaretur CHRISTVM fuisse filium Iosephi putatiuè tantum, & cap. 1. Matth. ac Lucæ exprimatur conceptum esse de Spiritu Sancto absque opera viri, atque adeo S. Iosephum, nec naturalem, nec legalem patrem fuisse Christi; Nihilominus Euangelistæ ad ostendendum genus, seu generationem Christi secundum carnem, texunt eius genealogiam per Ioseph iuxta consuetudinem, de qua q. 2. ergo existimabant in hoc quoque singulari casu seruandam consuetudinem, vt Hebræis, quibus S. Matthæus, et Gentilibus quibus S. Lucas potissimum scripserunt, generatio Christi ex Marito Virginis, et patre Christi repetenda esset, seu per genus paternum: et idipsum Patres supponunt, dum inter alias rationes, ob quas Euangelistæ texunt genealogiam Christi per Ioseph, et non directè per MARIAM, hanc quoque adducunt, quod scilicet cuiusque genus per viros, et patres requiri consueuit. Præterea S. Ioseph non fuit pater Christi merè *putatiuus*, quasi verò alius vir fuerit verus eius pater in terris, absit, nec merè *adoptiuus*, sed etiam *matrimonialis*, & longè verius, quam patres putatiui, & adoptiui, immò non quidem *naturalis pater* formaliter, sed *naturaliter*, æquiualenter, & eminenter, quia Deipara fuit verè, & propriè Iosephi coniux, vt infra ostendetur cap. 19. num. 4. atque adeo Ioseph habuit ius, ac Dominum paternum in ventrem, & in fructum Ventris MARIÆ, non aliunde ab ea conceptum, seu non ex altero viro, & in illam quoque partem sanguinis, quam ipsa loco virilis seminis suppeditauit, & quo cooperante concepit Christum, quare fructus talis ventris fuit fructus ventris Iosephi iure coniugali acquisitus, licet diuinitùs; Neque ad hoc, vt posset dici eius pater, opus fuit copula carnali; *Quia nasci eis filius potuit sine vllo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est*; vt obseruauit S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum. Qnare S. Lucas 2. quantumuis sciret Christum conceptum de Spiritu Sancto, idq; cap. 1. declarasset, tamen ait: *Et erant Pater eius, & Mater mirantes super his*, & ibidem ipsa Mater conscia Virginei sui conceptus, & partus tamen ait. *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Sic S. Iustinus quæst. 133. *Deo visum est ex coniuge Ioseph filium dare eidem Ioseph naturaliter ex eo nõ genitum. Nam quod ex muliere absque stupro, & fornicatione gignitur, necessario viri, & vxoris filius est.*

14 Respondeo *secundò* de illa tribu, et familia potiùs, et principaliùs CHRISTVM fuisse dicendum est, de qua fuit MARIA Virgo; Nam communis est sententia Patrum, et Doctorum Catholicorum, ideo ab Euangelistis scriptam esse Genealogiam Christi per Ioseph, quia ex ea deducitur de qua tribu, et familia fuerit Deipara, et consequenter, de qua tribu, et familia fuerit Christus, ergo in hac descriptione notitia generis Iosephi, ordinatur ad notitiam generis Deiparæ, vt medium ad finem, sicut notitia generis Deiparæ ordinatur ad sciendam tribum, & familiam Christi, vt medium propius, et immediatius ad finem. Hinc factum est vt Matthæus in tertia tessaradecade MARIAM immediatè ante Christum nominarit dicens, *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS*; simul significans genealogiam à se ordinatam ad manifestandum, de qua natus sit Saluator, ac proinde de qua tribu, et familia natus sit verè, et realiter.

Præterea Deus repromissione iurata pollicitus est Abrahamo, et Dauidi de semine eorum nasciturum Christum, et in semine illorum benedicendas omnes gentes, et semen Dauid in æternum mansurum Psal. 88. in quo signanter dicitur, *Iurauit Dominus veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, vbi Tertullianus legit, *de Lumbis tuis*, vel *de fructu Lumborum tuorum*. Et Apost. ad Rom. 1. *de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*. Et Apocalipsis 22. nu. 16. ipse Dominus ait: *Ego IESVS &c. ego radix, & genus Dauid*, quæ et similia significant naturalem, seu physicam propagationem ex semine Abrahæ, et Dauidis; Ergo ad veritatem promissionum implendam non sufficisset esse parentem Christi merè putatiuè, aut adoptiuè, aut legaliter, sed oportuit parentem eius physicè, ac realiter generare illum de semine suo, et sic generantem esse naturali propagatione de semine Dauid, et Abrahæ, et ab illa persona principaliter desumi genus Christi, quæ ad generandum eum physicè principaliter concurrit, et multo magis si vnicè, et totaliter quomodo concurrit MARIA, quæ de solo purissimo sanguine concepit vnigenitum suum. Et in hoc casu verificatum est Iurisconsultorum axioma, *Partus ventrem sequitur.*

Ad hæc sic argumentor à fortiori; nam si ex S. Iosepho sufficienter sumitur genus Christi, quia fuit eius verus pater matrimonialis mediante coniuge sua, iuxta dicta pro prima responsione, quanto magis sumendum est ex illa, quæ sola impleuit partes patris, et matris, et contulit viro suo, vt posset dici pater Christi, quamuis non alio titulo, quàm quod esset maritus ipsius, et acquisijsset ius paternum in fructum ventris Virginis, quæ ex nullo alio viro conceperat illum?

Verum quidem est ad verificandas aliquas Scripturas, in quibus Christus dicitur filius Dauid potuisse sufficere, vt S. Ioseph esset eius pater adoptiuus, sed ad verificandas illas, in quibus promittitur, et asseritur de semine Abrahæ, et Dauid secundum carnem, non sufficisset, vt notauit etiam Barradius tomo 1. lib. 5. ad finem capitis 30. Sic enim se ipsum explicat S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 2. dicendo. *Quandoquidem rectè pater esset etiam eius, quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset. Ac per hoc si demonstrare aliquis posset*

Ma-

Mariam ex Dauid nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filiũ Dauid, qua ratione etiam Ioseph pater eius rectè appellatus est. Quanto magis cùm euidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine Dauid secundùm carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid aliquam consanguinitatem duxisse dubitare vtique non debemus. Sed paulo ante dixerat Iosephum à S. Luca patrem Christi appellari iure coniugali, *& ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quàm si ei esset aliundè adoptatus.* Minus autem cautè locutus est Origenes in 1. ad Romanos dicendo: *Interim sufficit nobis respondere, quod sicut IESVS Iosephi filius esse dicitur, ex quo non est generatus, ita ex semine Dauid secundùm carnem Christus &c.* Nisi benignè illum interpretere vtrumque intellexisse mediantè Deipara Virgine ipsius coniuge.

Ex dictis colligo, si alteruter parentum Christi fuisset ex diuersa tribu, aut familia, tunc ex sola matre Christi genus determinandum fuisse, et ad diuinam prouidentiam pertinuisse, vt ad verificandas suas promissiones, vterque quidem parentum esset de semine Abrahæ, et Dauidis per naturalem propagationem, sed magis Mater Domini, quam pater ille, qui non erat Christum generaturus.

Quæstio VIII. Quare ab Euangelistis Genealogia S. Iosephi texta sit, non MARIAE, siquidem hæc principalius intenta fuit?

15 *PRima*, et communis responsio Patrum Doctorumq; Catholicorum est in Genealogia viri, cuiusmodi erat CHRISTVS, non solere Scripturam Sacram ex matre, sed ex patre illam desumere, vt iam q. 2. docuimus paragrapho *ex quibus*. Addunt verò ex Iosephi Genealogia necessario deduci Genealogiam MARIÆ, quia nemo dubitare potuit quin Iusti essent ipse, & Sponsa eius, & ab ipsis, nedum à templi Sacerdotibus seruata sit lex de qua q. 3. & 4. de nubendo intra eandem tribum, immò & familiam, & quidem vni ex propinquioribus, quando filia nuptui tradenda, erat hæreditaria, & superstes patri sine prole mascula defuncti, cuiusmodi fuisse MARIAM facile constare poterat Hebræis, cum Ioachim, & Anna illam vnicam intenectute peperissent miraculosè non obstante sterilitate Annæ. Idipsum suppossuere Patres, nempe Hilarius, Chrysostomus, & Hieronymus in Cap. 1. Matth. Ambrosius in c. 3. Lucæ, Nyssenus orat. de Christi Natiuit Iustinus q. 66. Orat. Irenæus lib. 3. cap. 18. Athanasius in Epistola ad Epictetum, Tertullianus lib. contra Iudæos, Damascenus oratione 2. & 3. de Natiuitate MARIÆ, & 4. fid. cap. 15. Beda lib. 1. in Lucam c. 10. Theophylactus in cap. 3. Lucæ quibus adde Africanum in Epist. ad Aristidem, Eusebium l. 1. hist. c. 7. & Nicephorum l. 1. hist. c. 11. Hoc ipso enim quod sciebant licuisse extra casum filiæ hæreditariæ misceri tribus in connubijs, quando in hoc casu de Iosepho, & Maria dixerunt coactos fuisse nubere intra eandem tribum, & familiam, vtique locuti sunt de filia hæreditaria. Frustra igitur Erasmus MARIÆ genealogiam tanquam incertam in dubium reuocauit, imprudenter verò Hosiander contendit veteres sine iudicio finxisse, ex mariti genealogia deduci vxoris genealogiam, nec ad rem faciunt exempla à casu nostro diuersa, in quibus licebat nubere de quacunque tribu, iuxta dicta q. 3. nu. 5. & 6. Sed Hosiandrum luculenter confutauit Melchior Cano l. 11. de locis c. 5.

16 Præterea duo præstanda erant ab Euangelistis in Genealogia Christi, & reipsa præstiterunt. *Primò* enim monstrandum erat Christum non habuisse patrem naturalem in terris, sed vtpote Dei filium etiam quoad generationẽ temporalem habere patrem in Cœlis; Id verò monstrauit Matthæus c. 1. sic scribens. *Christi autem generatio sic erat, cum esset desponsata Mater eius MARIA Ioseph antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Et paulo post ex ore Angeli: *Quod enim in ea natum est de spiritu sancto est*; & sic impletam Isaiæ Prophetiam illam: *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.* Lucas verò item Angelum induxerat c. 1, dicentem: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei,* Nec esse impossibile apud Deum qui sterili Elizabethæ dederat concipere filium, dare Virgini, vt salua virginitate, & voto non cognoscendi virum, posset diuinitus concipere, et parere filium. Quibus insinuarunt Hebræis, ac Gentilibus frustra expectari aut requiri Genealogiam Christi descriptam per patrem naturalem in terris, sicut in alijs consueuerat.

Secundò tamen ad describendam de more genealogiam Christi per genus paternũ, oportebat inuenire aliquem, qui omni meliori modo, et maiori iure Pater Christi dici posset. Hoc autem præstiterunt, dum Iosephum verum Sponsum, ad maritum MARIAE declararunt: Matthæus quidem c. 1. illi verbis. *Ioseph virum MARIAE, de qua natus est IESVS.* Et illis. *Cum esset desponsata mater eius MARIA Ioseph.* Lucas autem c. 1. *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de Domo Dauid, & Nomen Virginis MARIA.* Sic enim demonstrarunt eum esse patrem Christi non mere putatiuum, aut adoptiuum, sed etiam matrimonialem; et naturali æquiualentem eminentiori modo, iuxta dicta q. 7. nu. 12. Ideoq; ex suppositione, quod per aliquem tandem patrem terrenum describenda esset Genealogia Christi, neminem esse alium præter S. Iosephum. Ergo licet Christum ex suo semine non generasset, per eum tamen Genealogia Messiæ describenda fuit.

17 *Tertiò* duo inter alia impedimenta prætendebant Iudæi, ne filium Iosephi, et MARIÆ agnoscerent pro vero Messia, vnum quòd videntes ipsum eiusque parentes habitare in Nazareth Galilææ, argumento, sed fallaci, et in tanto negotio ex crassa ignorantia deriuato, concludebant non esse natum in Bethleem Iudæ, atque adeo nec de tribu Iuda, nec de stirpe Dauidis eum originem traxisse. Propterea Ioannis 1. nu. 45. Philippo asserenti: *Quem scripsit Moyses in lege, & prophetis, inuenimus IESVM filium Ioseph à Nazareth*: Respondit Nathanael: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Et Ioannis 7. nu. 41. *Quidam autem dicebant: numquid à Galilæa venit Christus? non ne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlem Castello, vbi erat Dauid, venit Christus!* Et num. 51. suadenti Nicodemo, vt non temerè iudicarent de Christo, incognita causa, responderunt Pharisæi: *Numquid & tu Galilæus es? scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa propheta non surgit.* Sed huic ignorantiæ remedium adhibuerunt Lucas cap. 1. appellans Iosephum *de Domo Dauid*, et cap. 2. narrando Iosephum *ascendisse de Nazareth in Bethlem eo quod esset de domo, et familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante*. Et paulo post inducendo Angelum affirmantem: *Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid*. Matthæus verò C. 1. narrando Angelum affirmasse *Ioseph fili David noli timere etc.* et c. 2. *Cum natus esset Iesus in Bethlem Iudæ*, & stare simul quod natus esset in Bethlem Iuda iuxta prophetiam ab ipsis scribis Herodi productam, et tamen habitasse postea in Nazareth, quo Ioseph Archelaum timens, se cum puero, et mater eius receperat, et sic impletum esse quod dictum erat per prophetas: *Quoniam Nazarenus vocabitur*.

Alterum impedimentum erat prætensa ignobilitas parentum Christi ob fabrile exercitium, cum plerique expectarent Messiam regio apparatu venturum, et temporali regno sessurum super solium Dauid, ac Iudæos ditaturum bonis temporalibus, et subiugaturum omnes gentes regno Iudeæ, atque in hoc sensu interpretarentur promissionem illam Abrahæ factam, *et Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, et illud vaticinium Dauidis: *Et dominabitur à mari vsque ad mare etc.* Proinde de Christo, quasi de filio terræ, et ignotissimo dicebant Ioannis 9. *Hunc autem nescimus vnde sit*. Alij verò præcipuè Pharisæi, et conciues eius Matth. 13. num. 54. *Vnde huic sapientia hæc, et virtutes? Nonne hic est fabri filius, nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista? et scandalizabantur in eo*. tanto magis quòd viderant Christum ipsum fabrilem artem professum esse; id enim sonant verba illa Marci 6. *Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudæ, et Simonis, nonne, et sorores eius nobiscum sunt? et scandalizabantur in eo*. Multo

minus

minus capiebant quonam pacto homo tam abiectæ conditionis in conſpectu hominum, profiteretur ſe habere patrem in Cœlis, quaſi per iactantiam ſummam nobilitatem venditaret: & ideo Ioannis 6. nu. 40. aiebant. *Nonne hic eſt IESVS filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, et matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de Cœlo deſcendi?* Ad hanc igitur ignorantiam amouendam expedientiſſimum fuit Genealogia accurata, & longè repetita oſtendere Iudæis, non obſtante fabrili exercitio, & conditione præſentis ſtatus, Ioſephum, quem habebant pro patre Chriſti, & qui erat aliquo modo peculiari verus eius pater, fuiſſe de illa ſtirpe Regum, & Patriarcharum, de qua oriundus erat Meſſias, atque adeo de eadem MARIAM, & IESVM.

Quæſtio IX. An Chriſtus fuerit de Tribu Iuda, an de tribu Leui, an de vtraque? vbi confutantur Hæretici, & explicantur Patrum dicta in hac controuerſia.

18 PRimò de fide eſt CHRISTVM Dominum fuiſſe de tribu Iuda æquè ac fuiſſe de ſemine Dauid, Dauidem enim fuiſſe de tribu Iuda conſtat ex Genealogia, de qua Matthæi 1. & Lucæ 3. ex lib. 1. Paralipom. cap. 2. Chriſtum autem fuiſſe de ſemine, & ſtirpe Dauid, conſtat item ex ijſdem Genealogijs, Matthæi 1. vbi expreſsè habentur *liber generationis IESV Chriſti filij Dauid*; & Lucæ 1. Angelo affirmante. *Dabit illi Deus ſedem Dauid patris eius.* Et cap. 3. vbi de IESV dicitur poſt intermedios auos, proauoſq; *qui fuit Dauid*, & in progreſſu aſcenſiuo, *qui fuit Iuda*. Et Apoſtolus ad Romanos 1. nu. 3. *De filio ſuo, qui factus eſt ei de ſemine Dauid ſecundùm carnem*. Et ipſe Ieſus Apocalipſis 22. nu. 16. *Ego radix, & genus Dauid.* Neq; de hoc vllus vnquam Catholicus dubitauit. Præterea cum de fide ſit Deum nec falli, nec fallere poſſe, & promiſiſſe Meſſiam futurum de ſtirpe Iuda, & de radice Ieſſe, aç ſemine Dauid, & IESVM Chriſtum filium MARIÆ Virginis eſſe verum Meſſiam diuinitus promiſſum, ſequitur impletas eſſe huiuſmodi promiſſiones, atque adeo Chriſtum Dominum noſtrum fuiſſe de ſtirpe Dauid, qui fuit de tribu Iuda. Denique ad Hebræos 7. aſſerit Paulus. *Manifeſtum eſt quod ex Iuda ortus eſt Dominus.*

19 *Secundò* certum quoq; eſt non ſolùm S. Ioſephum, ſed etiã immò magis MARIAM eius coniugem fuiſſe de ſtirpe Dauid, adeoq; de tribu Iuda: de Ioſepho quidem, quia Matthæi 1. eius genus in Genealogia deducitur ex Iuda, & Dauide, & ibidem Angelus ait: *Ioſeph fili Dauid noli timere etc.* & Lucæ 1. nu. 27. *cui nomen erat Ioſeph de Domo Dauid*, & cap. 2. aſſeritur: *Aſcendit autem et Ioſeph de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quòd eſſet de domo, et familia Dauid, vt profiteretur cum MARIA deſponſata ſibi vxore prægnante*. Et cap. 3. Ioſephi genus aſcendendo reducitur in Dauid, & inde in Iudam. De Maria item certum eſt ex loco Lucæ 3. nuper producto, ſi enim in Bethleem profeſſus eſt non ſolùm Ioſeph, ſed etiam vxor eius, ergo, & ipſa erat de ſtirpe Iuda, & de domo Dauidis; quo argumento vtitur Tertullianus libro aduerſus Iudæos addens: *Apud Romanos in cenſu deſcriptam fuiſſe MARIAM in Bethleem*. Et S. Hieronymus in cap. 1. Matth. illis verbis: *Et quod ſimul cenſentur in Bethleem.* Præterea ex dictis nu. 14. à Genealogia Ioſephi rectè infertur tribus, et familia vxoris eius, vtpote hæreditariæ, ideoque ex vi legis, quam ambo, vtpote iuſti ſeruarunt, immò vt dixi, magis hoc certum eſt de MARIA, quia licet genus hominis ex patre ſolo deſumatur, quando pater cum phyſicè de ſuo ſemine illum generauit, iuxta dicta quæſt. 7. Quia tamen ad verificandum fuiſſe Chriſtum de ſemine Dauid ſecũdùm carnem ſola MARIA electa fuit, vt adæquatum, & totale principium generationis Chriſti, ac de ſolis ſuis puriſſimis ſanguinibus ipſum genuit, ex ipſa, ſi non ſola, ſaltem præcipuè deſumendum eſt de qua tribu, et familia fuerit Chriſtus, vt oſtendimus num. 13. Quare ſi Chriſtus fuit de tribu Iuda, immò, et de ſemine Dauid, vtiq; et MARIA mater eius. Vtrumque hoc argumentum tetigit D. Bernardus homil. 2. de B. Virgine, inquiens: *Alioquin non eſſet deſponſata viro de domo Dauid, ſi non eſſet et ipſa de domo Dauid: ambo igitur erant de domo Dauid, ſed in altera completa eſt veritas, quam iurauit Dominus, altero dumtaxat conſcio, et teſte adimplete promiſſionis.* Quoniam verò de illa tribu, et familia ſimpliciter erat quiſque, de qua erat eius naturalis pater, ex dictis num. 11. idcirco ſi Maria fuit de tribu Iuda, et ſemine Dauid, ipſius pater quoque S. Ioachim de eadem tribu, et ſtirpe debuit eſse; quidquid ex apocrypho quodam ſcripto conatus ſit Fauſtus Manichæus in contrarium adſtruere, colligens inde patrem Mariæ Virginis fuiſſe de ſtirpe Aaron, et tribu Leui, vt negaret Chriſtum fuiſſe de tribu Iuda. Hinc S. Auguſtinus lib. 23. contra Fauſtum Manichæum cap. 9. dixit. *Quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex tribu Leui Sacerdotem quendam nomine Ioachim, quia canonicum non eſt, non me conſtringit.* Vbi non negat patrem Mariæ fuiſſe *Ioachim*, de hoc enim non controuertebatur, ſed negat fuiſſe Sacerdotem de tribu Leui: ſubiungit enim. *Mariam fuiſſe de cognatione Dauid oſtendo clariſſimo planè, ac firmiſſimo argumento, quod ſcriptura fundatiſsimæ authoritatis, et Chriſtum dicit ex ſemine Dauid, et illius matrem ſine vllius concubitu Virginem Mariam.* Valeant ergo figmenta, ſeu Gnoſticorum, ſiue Seleuci Manichæi, vnde Fauſtus hauſit patrem Deiparæ fuiſſe Sacerdotem, quod in nulla canonica, aut recepta hiſtoria legitur, ac ne in Protoeuangelio quidem Iacobi ait Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 4. immò contrarium inſinuatur in hiſtoria de ortu Virginis de Hebraico in Latinum verſa à S. Hieronymo, videlicet S. Ioachimum, dum oblationes offerret pro impetrandis liberis, repulſum fuiſſe à Sacerdotibus.

20 *Tertiò* certum eſt MARIAM, ita fuiſſe ſimpliciter, et abſolutè de tribu Iuda, vt aliquo modo, et ſecundũ quid tam ipſa, quam Chriſtus deſcenderint ex tribu Leui. Cum Lucæ 1. num. 5. *Elizabeth* affirmetur fuiſſe de *filiabus Aaron*, et num. 36. dicatur: *Et ecce Elizabeth cognata tua*; Ergo aliquæ perſonæ de Majoribus MARIÆ, ſiue illa fuit S. Anna Mater, ſiue auia, aut proauia, fuere de aliquo patre ex tribu Leui. Hinc illud Auguſtini lib. 2. de conſenſu Euangel. cap. 1. de Maria. *Cuius foeminę, quoniam nec Sacerdotale genus tacetur, inſinuante Luca, quòd cognata eius eßet Elizabeth, quam dicit de filiabus Aaron, firmiſsimè tenendum eſt, carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, et Regum ſcilicet, et Sacerdotum.* Et libro 83. Quæſtionum q. 61. *Sicut Elizabeth erat de tribu Sacerdotali, ita Maria de vtraque tribu, ideſt de Regia, et Sacerdotali cognationem duxit*; Vbi non dicit Mariam fuiſſe de tribu Sacerdotali, ſed cognationem duxiſſe de illa.

Alij quoque Patres cenſent Chriſtum in eadem perſona vnctum vtraq; vnctione dignitatis Regiæ, et Sacerdotalis, et aliquo modo de ſtirpe quoque Sacerdotali originem traxiſſe, vt Ambroſius de benedictionibus Patriarcharum c. 3. et in cap. 3. Lucæ, Hilarius can. 1. in Matth. Nazianzenus in carmine de genealogia Chriſti, Andreas Cretenſis in Encomio Deiparæ, Beda in cap. 1. Lucæ, Iulianus Pomerius lib. 3. contra Iudæos, Eucherius in quæſtionibus noui teſtamenti, D. Thomas 3. p. q. 31. art. 2. ad 2.

21 *Quartò* certum tamen eſt abſolutè, & ſimpliciter loquendo Chriſtum non fuiſſe de tribu Leui, aut Sacerdotali, tum quia ita fuit abſolutè de tribu Iuda, vt mater quoque, & pater ipſius fuerint de tribu Iuda, iuxta ſtabilita num. 17. & 18. tum quia ita Apoſtolus ad Hebræos 7. à num. 11. dicens. *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, et non ſecundùm Aaron dici? Translato enim Sacerdotio neceße eſt, vt et legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur de alia tribu eſt, de qua nullus alteri præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod de Iuda ortus eſt Dominus, in qua tribu nihil de Sacerdotibus locutus eſt Moyſes.* Ergo ita fuit Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt non fuerit ſecundùm Aaron, nec de tribu Leui, ſed de tribu Iuda. Ob quam authoritatem Apoſtoli confirmant Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem de ſtirpe Aaron, nec abſolutè de tribu Leui, Maldonatus in cap. 1. Matthæi, Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 3. Abul. in c. 1. Matth. q. 2. Barradius tomo 1. in Euangel. lib. 5. c. 2. Suarez tomo 2. in 3. p. q. 22. art. 1. in Commentario, & diſput. 46. ſect. 3. & ipſe S. Thomas articulo illo dixit *ad ſecundum*

cuadum: *Noluit Christus nasci de stirpe figuralium Sacerdotum*.

22 Ex dictis constat *primò* explodendum esse libellum de Sacerdotio Christi, annexum commentarijs Euthymij in Euangelia, & à Suida nimis credulo adductum verbo: IESVS CHRISTVS: in quo asseritur à quodam Rabino Christum fuisse Sacerdotem antiquæ legis, & coóptatum in numerum Sacerdotum. Constat *secundò* falsam fuisse illationem Fausti Manichæi, qua ex cognatione MARIÆ, & Elizabethæ deducebat Christum fuisse absolutè de tribu Leui, non autem de tribu Iuda: aliud enim est esse cognatum, seu de cognatione, aliud absolutè de aliqua tribu. Præter quam quòd non sine crassa oscitantia, aut maligna iniquitate Faustus recipiebat illam partem Euangelij S. Lucæ, in qua MARIA dicitur *Cognata Elizabethæ de filiabus Aaron*, & alteram partem aut non aduertebat, aut dissimulabat, in qua idem Angelus Gabriel dixit de Christo. *Dabit illi sedem Dauid patris eius*: atque adeo futurum de tribu eadem, ex qua Dauid, nempe ex tribu Iuda. Contraria prorsus ratione Patres indicati num. 19. docuerunt aliquo modo Christum descendisse de tribu Leui, seu cum ea cognationem habuisse, vt tamen absolutè fuerit de tribu Iuda. Denique hinc conuincitur stultitia Phariseorum, qui cum scirent Ioannem filium esse Zachariæ Sacerdotis, & Elizabethæ de filiabus Aaron, atque adeo non de tribu Iuda, tamen miserunt ad eum interrogandum an ipse esset Christus, seu Messias; Vt nihil dicam de impietate Iuliani Apostatæ apud Cyrillum negantis Christum fuisse de tribu Iuda.

Quæstio X. Quomodo MARIA Virgo cognata fuerit Elizabethæ de filiabus Aaron.

23 PRima Opinio fuit Bedæ, ac Theophylacti in cap. 3. Lucæ, ideo Mariam cognatam fuisse Elisabethæ, quia Maria descendit per Dauid ex *Nuasson*, cuius soror *Elisabeth* nupsit *Aaroni*, vt constat ex cap. 6 Exodi nu. 23. sed hæc cognatio nimis remota est. *Secunda* Opinio fuit S. Augustini lib. 7. qq. in libros Iud. q. 47. Epiphanij hæresi 78. Nazianzeni apud Abulensem in c. 1. Matth. q 28. Theodoreti q. vltima in Numeros; ideo cognatas fuisse, quia consueuerant miscerì inuicem tribus Iudæ, & Leui, sed per hoc non declaratur modus particularis in hoc casu adhibitus. *Tertia* Opinio fuit S. Ambrosij in cap. 3. Lucæ lib. 3. dicentis: *Simul cognatæ, quia ambæ ex tribu Iuda. Didicisti ex tribu Iuda Mariam, disce et Elizabeth: nam exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ, et intrauit in domum Zachariæ. Cùm enim iuxta tribus suas Moyses habitare vnumquemque præscripserit; vtique cùm in ciuitate Iudæ manserit, erat et in tribu Iuda, maximè cùm ex genere Elisabeth fuerint Sacerdotes, quorum Deus portio est.* Verùm Leuitæ, quia non habebant partem separatam in terra promissionis, potuerunt habitare vbicúque, & Elizabeth absolutè fuit de tribu Leui, licet ex patre Matris, aut Auiæ potuerit descendere de tribu Iudæ. *Quarta* Opinio fuit S. Hippolyti Episcopi Portuensis apud Nicephorum lib. 2. hist. c. 3. quam probabilem putat Abulensis quæst. 28. in cap. 36. Numerorum, Canisius lib. 1. de Deipara cap. 3. Baronius in Apparatu. Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 108. & Cornelius à Lapide in cap. 36. Numerorum, & in c. 3. Lucæ versu 23. & Tirinus in Chronico Sacro cap. 47. videlicet Elisabetham ex patre de tribu Leui fuisse; Mariam viceuersa ex patre de Tribu Iuda ex matre de tribu Leui fuisse. Porrò S. Hippolytus particularia explicàs dixit. *Tres fuere sorores Bethlemiticæ, filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius: Prima nominata est Maria; secunda Soba; tertia Anna. Prima Maria nupsit in Bethleem, & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoque secunda, idest Soba in Bethleem, & genuit Elizabetham. Nupsit postremò et tertia idest Anna in terra Galilæa, et protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis exortus est Christus ipsa veritas. Ita vt Salome obstetrix, et Elizabeth, et Dei mater trium sororum filiæ deprehendantur. Proinde Ioannes Baptista, et Iesus verus Deus noster consobrini esse dicantur.* Sed & S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus S. Annam fuisse affirmat *ex genere Sacerdotali tribu Aaronica, radice prophetica, et regia Dauid, ac Salomonis*. De radice dixit Dauid, non de tribu, quia ex matre tantum fuit de stirpe Iuda. Aliunde tamen Canisius refert Emerentianam Salomo de tribu Iuda nupsisse, & ex his natam Annam vxorem Ioachimi, & Ismeriam, quæ ex Sacerdote quodam genuit Elizabeth. Sed hoc pacto Anna fuisset ex tribu Iuda quod est contra SS. Hippolytum, & Germanum, supponit autem Cornelius à Lapide in c. 3. Lucæ versu 24. & Tirinus Mathanum illum, quem S. Hippolytus dicit Sacerdotem, & patrem Sobæ atque Annæ, fuisse illum Mathanum, quem S. Matthæus facit auum S. Iosephi, & patrem Iacobi, sed hoc modo aut Ioseph non fuisset de tribu Iuda, aut Mathan ille non fuisset Sacerdos, quorum primum est contra S. Matthæum, secundum contra S. Hippolytum. Diuersi ergo fuerunt, nec Iacobus pater S. Iosephi fuit filius Mathanis Sacerdotis sed de his plura infra.

Quæstio XI. An alio quoq; modo præter cognationem Mariæ cum Elisabeth, Christus fuerit de stirpe Sacerdotali?

24 DVos alios modos indicant aliqui Patres, qui tamen introrsus inspecti difficultate non carent. Primus est S. Augustini lib. 23. contra Faustum c. 9. vbi dicit *Si mater illius Ioachim, quem patrem Mariæ Faustus commemorat de tribu Iudæ, et genere Dauid, nupsit in tribu Leui, non immeritò et Ioachim, et Maria, et filius Mariæ etiam sic ex semine Dauid veraciter perhibentur: hoc ergo potius, vel tale aliquid crediderim, quam mentiri Euangelium etc.* Sed hoc pacto absolutè Ioachim natus de patre Leuiticę tribus, & MARIA, & CHRISTVS fuissent de tribu Leui, cùm tamen absolutè fuerit de tribu Iuda, etiam per Augustinum eodem capite. Loquitur itaque non absolutè sed ad hominem, & contra Faustum, qui omnino negabat Christum fuisse de semine Dauid, & Euangelium mendacij, aut falsitatis insimulabat.

25 *Secundum* modum insinuat idem S. Augustinus lib. 83. qq. qu. 61. vbi cùm dixisset. *Maria de vtraque tribu, ideſt Regia, et sacerdotali cognationem duxit* (non dicit fuisse de vtraq; tribu, sed de vtraque cognitionem duxisse) subiungit; *Lucas, qui tanquam ascendentem per abolitionem peccatorum Sacerdotem Christum insinuat, per Nathan ascendit ad Dauid, quia Nathan propheta missus fuerat, cuius correptione Dauid ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetrauit.* Et aliquanto post: *A Dauid enim in duas familias, Regiam, et Sacerdotalem origo illa distributa est, quarum duarum familiarum Regiam descendens Matthæus; Sacerdotalem ascendens Lucas secutus est*, & l. 2. de consensu Euangelistarum C. 4. *Proinde Matthæus ab ipso Dauid per Salomonem descendit in cuius matre ille peccauit: Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiauit.* Sanctus quoque Hilarius Can. 1. in Matthæum vbi dixisset. *Sacerdotalis, et Regiæ tribus societatem per Dauid ex coniugio initam*, adiecit: *Dum Matthæus paternam originem, quæ ex Iuda proficiscebatur recenset, Lucas verò acceptum per Nathan ex Leui genus edocet, suis vterque partibus Domino nostro IESV Christo, qui est æternus, et Rex, et Sacerdos, etiam in carnali ortu, vtriusque generis gloriam probauerunt.* Huc quoque respexit S. Ambrosius l. 3. in c. 3. Lucæ illis verbis: *Quod verò per Salomonem Matthæus generationum deriuandam putauit, Lucas vero per Nathan, alteram Regalem, alteram Sacerdotalem familiam videtur ostendere.* Et paulò post: *Fuit enim vere, et secundum carnem Regalis, et Sacerdotalis familiæ: Rex ex Regibus, Sacerdos ex Sacerdotibus.* Concinit his S. Gregorius Nazianzenus in carmine de Christi Genealogia.

Ex Dauide Nathan fluxit; Salomonq; parente
Quorum alter veluti magno de flumine riuum,
Sic traxit regale genus, sceptrumq; superbum.
A patre Sacrificum duxit genus alter eodem
At Christus simul, et princeps erat atque Sacerdos.

Itaque quatuor hi patres existimant Nathan filium Dauidis fuisse de stirpe Sacerdotali, & tribu Leui, immò S. Augustinus fuisse illum eundem Nathan prophetam, qui Dauidem corripuit de adulterio, quod ipsum videtur sentire

tire S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ cap. 3. dum ait; *Per Nathan quoque expressam aduertimus prophetiæ dignitatem, vt quia vnus omnia Christus Iesus, in singulis quoque maioribus genera virtutum diuersa præcederent.*

26 Verùm enimuerò triplex in horum Patrum opinione difficultas occurrit. *Primò* enim Prophetam illum, qui corripuit Dauidem Scriptura Sacra nusquam Sacerdotem appellat, sed prophetam, immo à Sadoc Sacerdote sæpè contradistinguit lib. 3. Regum cap. 1. nu. 8. 32. 34. 38. 39. et 44. et lib. 1. Paralip. cap. 17. *Secundò* Nathan propheta correptor Dauidis natus iam erat et grandæuus, antequam nasceretur Salomon, et post Salomonem Nathan filius Dauidis. Nam, vt narratur lib. 2. Reg. cap. 12. postquam Dauid à Nathan propheta correptus pœnitentiam egit, et infans ex Bethsabee susceptus, septimo die mortuus est. *Dauid consolatus est Bethsabee vxorem suam, & ingressus ad eam dormiuit cum ea; quę genuit filium, et vocauit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum. Misitq; in manu Nathan prophetę, et vocauit nomen eius, Amabilis Domino,* vt habetur à num. 24. libro autem 1. Paralipom. cap. 3. scriptum est num. 5. de Dauide: *Porrò in Ierusalem, nati sunt ei filij Simma, et Sobab, et Nathan, et Salomon quatuor de Bethsabee filia Ammiel.* Ex quibus habemus Nathanum natum fuisse Dauidi ex Bethsabea, sed post Salomonem. Quia tamen Salomon ipse de se testatur. Prouerb. 4. *Nam ego filius fui patris mei tenellus, et vnigenitus coram matre mea, et docebat me, atque dicebat.* Lyranus in c. 3. Lucæ cum nonnullis alijs, censet Dauidem, dempto infante adulterino statim mortuo, non suscepisse ex Bethsabea nisi vnicum legitimum filium Salomonem; Nathanum verò adoptatum à Dauide ob eximiam sanctitatem, & eatenus dictum filium Bethsabeæ, reliquos autem *Simma*, & *Sobab* fuisse filios Vriæ, & Bethsabeæ naturales, sed adoptatos à Dauide. Alij verò tum propter locum illum prouerbiorum, tum quia vltimo loco numeratur Salomon, quem tamen constat primogenitum fuisse inter legitimos Dauidis ex Bethsabea, putant *Simma*, *Sobab*, & *Nathanum* filios fuisse Vriæ naturales, & à Dauide adoptatos, ita Abulensis, et Vatablus in 1. Paralip. cap. 3. q. 4. Hugo Cardinal. in 2. Regum c. 5. Salianus, cum Torniello anno Mundi 2989. num. 3. et probabile censuit Salmeron tomo 3. tract. 28. Sed probabilius est quatuor illos fuisse naturales filios Dauidis, cùm 2. Regum cap. 5. nu. 14. dicatur: *Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem. Simma, et Sobab, et Nathan, et Salomon &c.* huic enim, et loco libri Paralipomenon fit nimia violentia, si qui dicuntur *nati ei*, dicuntur *adoptati ab eo.* Ita sentiunt Theodoretus, et Procopius in 1. Paralip. cap. 3. Didacus Stella in c. 3. Lucæ. Salmeron t. 3. tract. 28. Barradius t. 1. lib. 5. c. 9. et 29. Pineda de rebus. Salmeron l. 1. cap. 9. nu. 3. & lib. 7. cap. 26. Salazar in prouerbia cap. 4. num. 20. et apud eum Caietanus, Arboreus, Bainus, et Iansenius, item Clictouæus in Damascenum l. 4. cap. 15. Cornelius à Lapide in Prouerb. cap. 4. vnigenitum enim appellat se Salomon, non absolutè, sed coram matre sua, idest vt vertunt LXX. *Dilectus in facie matris suę.* Quare autem 4. loco nominetur Salomon multis docet Pineda, et Salazar supra. Verum dato etiam quod Dauid adoptasset Nathanum naturaliter genitum ab Vria, non propterea fuisset de tribu Leui, oportuisset enim eum natum esse ab aliquo de tribu Leui.

27 Vt igitur soluatur hæc difficultas tria videntur excogitari posse, nempe prædictos Patres existimasse Nathanum fuisse natum ex patre de tribu Leui, sed adoptiuum Dauidis: vel Nathanum repræsentasse in Dauide personam, quasi Sacerdotis, Salomonem verò personam regis, qua ratione Beda in cap. 3. Lucæ dixit. Dauidem in gladio ab Abiathar accepto regiam Christi personam, in panibus verò ab eodem concessis Sacerdotalem, esto non esset verè Sacerdos, sed necessitate famis vrgente impetrarit illos panes, quos non licebat manducare nisi solis Sacerdotibus, vt declarauit ipse Christus Marci 2. nu. 25. sed melius, & ad mentem S. Augustini diceretur Nathan filium naturalem Dauidis suo nomine repræsentasse Nathan prophetam, & sacerdotem, sic enim se correxit ipse 2. Retract. cap. 16. dicens. *Vbi dixi Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiauit, per cuius nominis prophetam dicere debui, ne putaretur idem fuisse homo cum alter fuerit; quamuis, et ipse hoc vocaretur.* Et ita se correxit, aut intelligi voluit S. Ambrosius. Non est autem inuerisimile Bethsabeam secundogenito post Salomonem imposuisse nomen Nathani prophetæ, qui eam iussu Domini solatus erat, & annunciarat Salomonem dicendum esse *Amabilem Domino.* Et quamuis Scriptura non exprimat Nathan prophetam fuisse quoque Sacerdotem, non negat tamen, esto Sadoc, & post eam Abiathar fuerint Summi Pontifices; Immò verba illa Dauidis 3. Reg. cap. 1. num. 34. *Et vngat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan propheta in regem,* indicare videntur Nathan fuisse Sacerdotem, aut de tribu Leui, si vnctio regum ad Sacerdotes spectabat; Nam & Samuel, & Ieremias ita fuerunt prophetæ, vt fuerint etiam Sacerdotes; vt de Samuele constat ex 1. Reg. c. 16. nu. 2. & Ezechiel cap. 1. se Sacerdotem appellat.

Quæstio XII. De Differentijs Generalibus inter Genealogiam Christi descriptam à S. Matthæo, & descriptam à S. Luca.

28 OCto differentias obseruatas, vel obseruabiles inter has Genealogias aduerto, quarum quinque sunt obuiæ ipso textu, reliquas in eo latentes partim Patres, partim Doctores aliqui, vel Interpretes excogitarunt. Nam S. Matthæus incipit ab Abrahamo, & vtitur ordine descensiuo, & diuersis plerumque nominibus, & numerat generationes, seu capita 42. & pro Christo infante, ac recens cõcepto genealogiam texit, & per Reges Iudæ regiam Christi nobilitatem insinuat, & per verbum *genuit* naturalem successionem significare videtur, & Christi per Ioseph generationem exponit, & tamen non dicit eum genuisse, sed virum fuisse MARIÆ &c. At verò S. Lucas vsque ad Adamum, & ordine ascensiuo peruenit, & diuersis nominibus plerumq; ab Heli vsque ad Nathan vtitur, & numerat generationes, seu capita 77. & genealogiam texit Christi iam trigesimum annum ingressi, & per Nathan repræsentantem Sacerdotalem dignitatem, & dicendo, *vt putabatur, & qui fuit,* videtur indicare successionem legalem, vel adoptiuam; & denique, si Heli fuit pater MARIÆ Virginis, & Patruus, vel Socer Ioseph, describere videtur Genealogiam Christi non per patrem, sed per matrem. De his igitur attingenda sunt nonnulla; & deinde in sequentibus quæstionibus deueniemus ad particulares difficultates, vt obstruatur os impio Apostatæ Iuliano, Iudæis, & Manichæis, qui has difficultates tanquam inextricabiles obiectabant Christianis Catholicis, vt referunt SS. Hieronymus in c. 1. Matth. & in cap. 5. Epist. ad Titum, et Augustinus 2. Retract. c. 7. & Cyrillus in Iulianum.

De Abrahamo, & Adamo.

29 PRimæ itaque differentiæ causa est, quia Matthæus scribens Euangelium Hebræis Hebraicè, nobilitatem Christi ab eo principio auspicari voluit, vnde gloriabantur, se descendere Israelitæ, & præsertim filij promissionis, hic autem fuit Abraham; Ideo dicebant Ioannis 8. nu. 33. *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam*; et num. 39. *Pater noster Abraham est*; et S. Io. Baptista illos increpans Matth. 3. *Et ne velitis dicere intra vos Patrem habemus Abraham.* Abrahæ enim primo omnium repromissio de Messia futuro ex semine ipsius facta est cum iuramento, & ideo Zacharias in cantico recolit *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum*, et ipsa mater Domini in canticq suo ipsum nominat tanquam principem patrum dicens: *Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in secula.* At Lucas Græcè Græcis, ac Gentilibus quoq; scribens, quorum principes seculi initio capitis designarat, et quos sciebat plurimi æstimare nobilitatem ab antiquitate, vel etiam à dijs deriuatam, censuit Christi prosapiam à Mundi origine, et à primo hominum parente per continuam seriem 76. generationum repetendam, et perducendam vsque ad DEVM, Adami protoplasten, et Christi patrem, quo constaret nullum seculi huius principem tam antiquam originem stemmatis sui posse producere. Præterea Abraham, et fuit primus Circumcisionis in-

 stitu-

ſtitutor, iubente Deo, et obſeruator, quo charactere populus Dei ab alijs diſtinguebatur, at Gentiles quibus potius ſcripſit Lucas, nec tenebantur antea, nec poſt Baptiſmi inſtitutionem ad illam, nec per Abrahamum diſtinguendi erant, ſed ad communem omnium parentem reuocandi. Rurſus nullus Patriarcharum magis repræſentauit Deum patrem, qui vnigenito ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quàm Abraham, qui vnigenito ſuo non pepercit, et accinxit ſe ad immolandum Iſaacum, et credidit Dei promiſſionibus, de benedicendis in ſemine ipſius omnibus gentibus, ob quam obedientiam, et fidem meruit dici pater credentium. Contra verò nullus Patriarcharum generi humano magis nocuit, quam Adamus per ſuam inobedientiam in præcepto tam facili ad obſeruandum: meritò ergo duo hæc diuerſa principia ab Euangeliſtis poſita ſunt. Tandem, vt aduertit P. Io. de Silueira in Euangelia lib. 1. cap. 3. q. 3. in genealogia illa, in qua nominatur MARIA, et quæ legenda erat in feſto Conceptionis, et Natiuitatis Deiparæ, congruum fuit non nominari Adamum, vt originalis culpæ ſuſpicio omnis ab ea tolleretur. At Genealogia per Lucam ſcripta, nec MARIÆ nomen continet, nec legitur in Miſſa in feſtis Deiparæ, quare hinc nullum impedimentum nominandi Adami.

De Ordine Deſcenſuo, & Aſcenſuo.

30 COngruum ſanè fuit, vt in Genealogia Chriſti repræſentaretur ſcala Iacob, per quam ſicut ibi Angeli aſcendebant, et deſcendebant, ita in hac maiores Chriſti, et deſcenderent, et aſcenderent; quandoquidem teſte Apoſtolo, *Qui aſcendit, ipſe eſt qui deſcendit*. Præterea, vt aduertunt S. Auguſtinus de conſenſu Euangel. cap. 5. et ſerm. 25. de verb. Dom. S. Thomas in cap. 1. Matth. et Abulenſis ibidem in prologum q. 2. Chriſtus prius deſcendit ad nos, et infirmitates noſtras ſuſcepit ab ipſo Natiuitatis ſuæ exordio, ſed vt nos ad Deum reduceret; et ideo ex baptiſmo eius, ac prædicatione cœpimus aſcendere ad Deum, ad quem non conſcenderemus, niſi prius deſcendiſſet ille ad nos: Filius Dei factus eſt homo, vt homo fieret filius Dei. Alias congruentias diuerſi huius ordinis morales tangunt S. Ambroſius l. 3. in Lucam, S. Paulinus Epiſt. 10. ad Seuerum, Rupertus in cap. 1. Matth. Abulenſis ibid. q. 5. et Io. de Silueira in Euangel. lib. 1. cap. 2. q. 18. Illa litteralis videtur, quam S. Ambroſius attigit lib. 3. in Lucam, quia ſcilicet vtroque modo Genealogiæ texuntur in Sacra Scriptura; per deſcenſum quidem, vt Geneſis 10. et 11. et 36. et 1. Paralipom. à cap. 1. vſque ad 9. et Ruth. 4. Per aſcenſum autem, vt Numerorum 27. et Iudith 8. et 1. Regum 1.

De Diuerſitate Nominum.

31 SAnctus Gregorius Nazianzenus apud Abulenſem in cap. 1. Matth. q. 27. refert quoſdam putaſſe eaſdem eſſe perſonas, quæ ponuntur à Luca, & à Matthæo, licet ſub diuerſis nominibus, ſed ipſe, & S. Auguſtinus lib. 2. qq. Euangel. q. 5. hôc refellunt, tum quia oporteret eos concordare in numero, cum tamen à Salomone, & Nathano, vnde incipit illa diuerſitas, perſonæ à Matthæo nominatæ ſint 28. à Luca verò 43. tum quia certum eſt ex libro 2. Reg. c. 5. & 1. Paralip. c. 3. Salomonem, & Nathanum diuerſas fuiſſe perſonas, ergo, & eorum filij, ac nepotes diuerſam ſeriem perſonarum conſtituunt. Non eſt autem mirum ſi in ſerie Salomonis fuerunt longioris vitæ, aut ætate prouecti genuerunt filios, ita vt 27. generationes expleuerint annos 1015. qui ſecundùm nos ſunt ab ortu Roboami ad Chriſtum; in ſerie autem Nathani citius genuerint filios, & idem interuallum, 42. generationibus expleuerint.

De Numerorum Diuerſitate.

32 CVm Matthæus ab Abrahamo, Lucas ab Adamo genealogiam Chriſti repetat, quid mirum ſi Lucas excedat Matthæum generationibus 20. quæ ſunt ab Adamo ad Abrahamum, à quo incluſiuè, vſq; ad Dauid incluſiuè, vterque numerat 14. generationes, inde autem excluſiuè Matthæus 28. Lucas 43. incluſo Chriſto. Summa verò Lucæ eſt 77. & Matthæi 42. ita exigentibus ſeriebus genealogiarum partim ex Sacra Scriptura, partim ex tabulis Sacerdotum templi ex ſcriptis. Porrò cauſas morales, & myſticas, aut allegoricas vtriuſq; numeri non eſt inſtituti noſtri fuſiùs exponere: conſulat Lector S. Auguſtinum lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 4. S. Chryſoſtomum homil. 4. in Matth. SS. Hieronymum, Paſchaſium, & Remigium in c. 1. Matth. Rupertum ibidem, Gloſſam, & Abulenſem q. 27. & Io. de Sylueira in Euangeliſtas lib. 1. cap. 12. q. 43. ſumma eſt in numero 77. indicari remiſſionem peccatorum faciendam ſeptuagies ſepties, vt docuit Chriſtus; in numero vero 42. qui fit ex ductu Senarij per ſeptenarium ſignificari 6. dies, quibus Mundus à Deo conditus, & ſeptimum diem quietis, & in qualibet teſſaradecade bis includi ſeptenariũ ſignificantem ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam interius exteriuſque; Tres autem Teſſaradecades ſignificare, vel triplicem ſtatum Naturæ, Legis, & Gratiæ, vel ſub Patriarchis, Regibus, & Sacerdotibus, vel tres promiſſiones factas Abrahamo, Dauidi, & IESV filio Ioſedech, ac Zorobabeli ab Aggæo Propheta.

De Chriſto Infante, & iam 30. annum ingreſſo.

33 CVm Matthæus ſibi propoſuiſſet oſtendere Chriſtum filium Abrahæ, ac Dauidis, & eius Regiam nobilitatem, exorſus eſt ab ipſis natalibus, & incunabulis, immò ab ipſo conceptu, quando mater eius inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto, iam tum enim erat Rex Iudæorum, vt profeſſi ſunt Magi dicendo: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudęorum?* At Lucas, qui Euangelium ſuum à Præcurſoris conceptu, & ortu exorſus eſt, expectauit eius prædicationem, & primum teſtimonium de Chriſto, ac teſtimonium patris de Cœlo, quo narrato, vt habetur cap. 3. à num. 15. ad 23. cenſuit oſtendendum non Ioannem, vt ſuſpicabatur populus, ſed Ieſum filium, vt putabatur, Ioſephi eſſe Chriſtum, & Meſſiam promiſſum Dauidi, & Abrahæ, et tunc eius genealogiam retexendam, quando iam 30. annum ingreſſus cœpit prædicare, & docere, quæ ab infantia exemplo docuerat: iuxta illud Act. 1. *Cœpit Ieſus facere, et docere.*

De Regia, & Sacerdotali Genealogia.

34 QVoniam Matthæus in Genealogia Chriſti recenſet quindecim Reges Iuda, Lucas autem vnicum tantum: hinc Patres communiter aſſerunt intentionem Matthæi fuiſſe declarandi Regiam dignitatem Chriſti, Lucæ autem non tàm Regiam, quàm Sacerdotalem, ſiue ob cognationem MARIÆ cum Elizabeth de filiabus Aaron, iuxta dicta quæſt. 10. ſiue etiam eo quod Nathan filius Dauid repræſentaret ſuo nomine Nathanum Prophetam, & Sacerdotem, iuxta dicta quæſt. 11. Abſolutè autem Chriſtus nõ fuit de tribu Leui, nec Sacerdos ſecundũ ordinem Aaron, eſto fuerit Sacerdos eminentiore modo, et ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt oſtenſum eſt quæſt. 9.

Vtrum verò Chriſtus fuerit Rex Iudæorum temporalis regni iure, in quantum homo, eſto eius adminiſtrationem abdicarit, et profeſſus ſit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, non eſt huius loci diſputare, ſed pertinet ad Theologos in 3. p. S. Thomæ quæſt. 22. ad art. 1. Vbi Suarez tomo 2. diſput. 48. Vualdenſis lib. 2. doctrinalis fidei c. 76. et 77. Sotus 4. de Iuſtitia, et Iure q. 4. art. 1. Valentia tom. 4. diſp. 1. q. 22. p. 6. Vaſquez tomo 1. in 3. p. diſp. 87. cap. 1. et 6. Regum tom. 2. diſp. 26. Lugo de Incarnat. diſp. 30. Bernal de Incarnat. diſput. 61. Mendoza tomo 1. in libros Regum cap. 2. annot. 15. ſect. 3. Io. de Sylueira in Euangelia lib. 1. cap 5. q. 41. Perez de Incarn. diſp. 36.

De Succeſsione Naturali, & Legali.

35 SEptimam differentiam multi Patres, & Doctores ſtatuunt, quod Matthæus naturalem ſucceſſionem per patres phyſicos, & reales proſequatur, ideoq; vtatur verbo *genuit*, at Lucas, poſt Nathanum, vel ſaltem per Heli patrem S. Ioſephi Legalem ſucceſſionem deſcribat, ideoq; non dicat *genuit*, ſed *qui fuit*: Sic S. Auguſtinus lib. 2. qq. Euangel. q. 5. & lib. 2. de conſenſu Euangel. c. 3. *Cum enim neceſſe ſit, vtroque Euangeliſta vera narrante, & Matthæo ſcilicet, & Luca, vt vnus eorum eius patris originem teneret, qui genuerat; alter eius, qui adoptauerat Ioſeph, quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuiſſe, quàm eum, qui noluit Ioſeph genitum dicere ab illo, cuius eum filium eſſe narrabat? commodius enim filius eius dictus eſt, à quo fuerat adoptatus, quam diceretur ab illo genitus, cuius carne non erat natus: Matthæus autem dicens Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob; atque ita in hoc verbo quod eſt, genuit, perſeuerans, donec in vltimo diceret Iacob autem genuit Ioſeph: ſatis expreſſit ad eum patrem ſe perduxiſſe originem generantium, à quo Ioſeph non adoptatus, ſed genitus erat.* Licet ſtatim concedat poſſe dici genuiſſe, qui charitate adoptauit; Idem tenent Iuſtinus q. 131. & 133. ad Gentes, Africanus apud Euſebium lib. 1. hiſt. c. 7. Nazianzenus in Carmine de Genealogia Chriſti, Damaſcenus lib. 4. fid. c. 15. Et oratione 3. de Natiuit. B. Virginis, Nicephorus lib. 1. hiſt. c. 11. Titus Boſtrenus, Euthymius, Beda, Theophylactus, S. Anſelmus Carthuſianus, Hugo, Salmeron, Toletus in c. 3. Lucæ, D. Thomas 3. p. q. 31. art. 3. ad 2. Barradas tomo 1. lib. 5. c. 30. Io. de Sylueira lib. 1. in Euangel. c. 2. q. 44. Oppoſitum tamen tenuerunt alij, videlicet S. Lucam deſcribere in *Heli*, & Ioſeph ſucceſſionem naturalem, Matthæum autem in *Iacob* patre Ioſephi ſucceſſionem legalem; Ita S. Ambroſius in c. 3. Lucæ lib. 3. & Poſſinus in Diallactico Genealogiæ Chriſti cap. 49. 50. & 51. Nam SS. Hilarius, & Hieronymus in c. 1. Matth. ſentiunt quidem ex duobus Ioſephi patribus Iacob, & Heli, vnum fuiſſe naturalem, alterum legalem; ſed vter eorum fuerit naturalis non determinant.

At enim quæſtio hæc, & diuerſitas pertinet potius ad particularem quæſtionẽ de patre S. Ioſephi infra examinandã, quàm ad generalem. Neque enim ſi alter ex illis fuit legalis, alter naturalis, ſequitur totam ſucceſſionem ab vno Euangeliſta textam, aut eius maiorem partem talem fuiſſe. Ideo ad alium locum hoc examen reſeruamus.

An vna ſit Geneologia Ioſephi, altera Mariæ.

36 QVi exiſtimarunt *Heli* eſſe eundem, ac *Ioachim*, aut certè eſſe patrem Deiparæ, ijdem exiſtimarunt Lucam deſcribere voluiſſe in ſuo Catalogo MARIÆ Virginis Genealogiam per *Nathanum*; Matthæum autem Ioſephi per *Solomonem*. Heli autem dictum fuiſſe patrem Ioſephi ſumpto patre pro Socero, nempe Io. Annius, Io. Lucidus, Galatinus, Ianſenius, Driedo, Canus, Sotus, Villegas, Caniſius, Barradius, Suarez, Cornelius, Tirinus, Menochius, Bernal, Perez, Martinon, quos adducam c. ſeq. num. 28.

37 Contraria tamen opinio eſt, vtrumq; Euangeliſtam texere directè Genealogiam Chriſti per Ioſephum, & indirectè per Mariam, ob neceſſitatem nubendi intra eandem tribum, & familiam, eo quòd Deipara eſset vnica, & hæreditaria patris ſui Ioachimi, quem negant fuiſſe eundem, cũ Heli, aut filium eius, ita Patres adducti nu. 14. & 32. & præterea Carthuſianus in c. 3. Lucæ art. 9. Salmeron, ac Toletus in c. 3. Lucæ, Maldonatus in cap. 1. Matth. Vaſquez tom. 2. ad 1. p. diſp. 127. c. 4. à nu. 40. Io. de Sylueira l. 1. in Euang. c. 2. q. 44. & alij adducendi c. 28. nu. 26.

Sed hæc quæſtio licet videatur pertinere ad Generales differentias inter Matthæum, & Lucam, potiùs tamen ſpectat ad particularem de *Heli*, & *Iacobo* patribus S. Ioſephi, proinde in eum locum illam reſeruamus, contenti hoc loco Authores indicaſſe, ac ſimul monuiſſe, non ideo S. Lucam texuiſſe genealogiam Virginis, quod ei ſingulariter fuerit addictus, quin potius S. Matthæus id videretur intendiſſe, cum eam in genealogia Chriſti nominarit.

CAPVT XVIII.

De *Perſonis in particulari, quæ recenſentur in Genealogia Chriſti, vſque ad Patrem S. Ioſephi.*

1 QVare non ab Adamo, ſed ab Abrahamo exorſus ſit Matthæus, dixi cap. 17. nu. 27. De reliquis Patriarchis ab Adamo ad Abrahamum notandum eſt in Sacra Geneſi inter multos filios Adami, & filiorum eius, illos ſeorſim, & peculiari Catalogo enumeratos eſse, de quorum recta linea Chriſtus ſecundùm carnem propagandus erat, vt videre eſt Geneſ. c. 5. & 11. quos propterea S. Lucas recenſuit inſerto inter Arphaxad, & Sale, *Cainano*, vt inſerunt LXX. Interpretes, et inſerendum oſtendimus lib. 6. cap. 2. à num. 3.

De *Abraham, & Dauide, ac de ordine inter hos permutato.*

2 QVamuis Heber fuerit pater Hebræorum, et ab ipſo per Phaleg deſcendentes manſerint in ea regione, in qua vixerant prædeceſſores, cæteri autem diſperſi ſint per alias terræ regiones, ob duas tamen cauſas patrem Abrahamum agnoſcebant, nempe ob *Circumciſionem*, qua ab incircumciſis, et ad populum cultui Diuino emancipatum non ſpectantibus diſcernebantur, et ob *Repromiſſionem* iureiurando à Deo confirmatam Abrahæ de mittendo ex ſemine ipſius Meſſia, in quo benedicẽdæ erant omnes gentes; ideoque eius deſcendentes *filij* repromiſſionis ſunt appellati. At ob eandem cauſam, nempe, ob promiſſionem iuratam Dauidi de Chriſto ex eius ſemine futuro, Meſſiæ nota peculiaris, et celeberrima apud Iudæos erat origo ex ſemine Dauid, vt docebimus num. 3. et 13. Hæc igitur fuit cauſa, iuxta communem Patrum, et Interpretum ſententiam, ob quam S. Matthæus dixit. *Liber Generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham*; quo ſimul ex Patriarchis, et Regibus ortus inſinuatur, et ſicut Abraham ſuper omnes Patriarchas, ita Dauid ſuper omnes Reges Iudæorum excelluit ſanctitate, et ſapientia; fueruntq; ambo ſecundùm cor Dei.

3 Quare autem prius nominarit Dauidem, cauſa fuit, quia erat propior Meſſiæ, eiuſq; memoria recentior, & eſſe filium Dauid erat peculiaris nota eius diſtinctiua ab alijs Abrahæ poſteris, ex quibus non fuit Chriſtus. Item Dauidi promiſſio expreſſior de Meſſia facta eſt Pſalm. 88. et 131. 2. Regum 7. et 1. Paralip. 17. et 22. Iſaiæ 11. et Ieremiæ 23. Præterea ſciebat Matthæus magis dubitaturos, an eſset filius Dauid, quam vtrum eſset filius Abrahæ, vt diximus cap. 17. num. 16. Item iuxta Anſelmum, vt indicaretur in Chriſto præualere miſericordiam, quam Dauid pœnitentiæ ſpeculum obtinuit, Iuſtitiæ, quæ in Abrahamo eluxit. Item ſecundum Rupertum, quia Dauidi longè plura myſteria ad Chriſtum pertinentia reuelata ſunt, puta Incarnatio, Natiuitas, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, de quibus in Pſalmis. Denique, vt ait Palatius, per Dauid ærumnas bella, ac labores, ad Abrahæ ſinum, et quietem peruenitur. Adde quod in hoc ſaltem voluit Matthæus vti prius ordine aſcenſiuo, et poſtea deſcenſiuo, cum vtroque modo in teſtamento veteri genealogias ſcriptas ſciret. Hinc patet cur prius nominarit Dauidem, quam Abrahamum, et tamen volens deinde deſcendere ad particulares generationes ordinem commutarit incipiendo ab Abrahamo. Quare illud *filij Abraham* non refertur ad Dauid, ſed ad Chriſtum. Hic autem ait S. Hieronymus: *Ordo præpoſterus, ſed neceſſario commutatus, ſi enim primum poſuiſſet Abraham, & poſtea Dauid, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis ſeries texeretur.* Nam, vt Hebraico more ſeriem generationis texeret ab eo, quem vltimo loco nominaſset, oportebat

tebat dicere. *Christi filij Abraham, filij Dauid, filij Abraham; Abraham genuit Isaac &c.* Adde quod etiam si diceret: *Christi filij Abraham, filij Dauid; Abraham genuit Isaac &c.* triplici ductu, & longiori itinere reuersus esset ad Dauid, nempe descensu ab Abraham ad Dauid, deinde ascensu à Dauid ad Abraham, & tertio descendisset ad Dauid. Breuiore igitur via vsus est ascendendo à Dauide ad Abrahamum, & semel descendendo ab Abrahamo ad Dauidem.

De Isaac & Iacob, & cur non fratres eorum?

4 QVæritur hic cur non dixerit S. Matthæus, *Isaac, & fratres eius, & Iacob, & fratrem eius*; sicut postea dixit *Iudam, & fratres eius*? cum Iacobi frater fuerit Esau, & Isaaci fratres fuerint Ismael, Madian, Sur, & alij, de quibus Genes. 25. Respondent cum Chrysostomo homil. 3. & Paschasio Abulensis hic q. 6. & Io. de Sylueira lib. 1. c. 2. q. 21. nec Ismaelem ex Agar, nec alios filios Abrahæ ex Cetura fuisse hæredes Abrahæ, nec de semine illo, in quo benedicendæ erant gentes: Nam, vt notat Apostolus ad Galat. 4. ex Genes. 21. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*, & ad Romanos 9. *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen*; ideſt non omnes filij repromissionis, & benedictionis, & ad Galatas 3. *Non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus*; Esau quoque huc non pertinebat, vt odio habitus, & reprobatus à Deo, Malachiæ 1. & ad Romanos 9 nec aliunde peculiaris fuit ratio eos memorandi, sicut fuit in fratribus Iudæ, in Zares, & fratribus Iechoniæ, de quibus infra.

Porrò Isaac, & Iacob, quibus confirmata fuit repromissio facta olim Abrahæ, vt in ipsorum familia remaneret ius hæreditarium diuinæ repromissionis, & benedictionis, nupserunt ex peculiari patrum suorum cura, fœminis de cognatione sua, vt constat ex Geneſis 24. & 28.

Cur dicatur: Iudam & fratres eius.

5 CVm fratres Iudæ non pertineant ad rectam lineam Messiæ, quare tamen Matthæus ait, *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius*? Respondetur cum S. Thoma, & Abulensi hic q. 7. Quia Iudas, & fratres eius sub cultura vnius Dei permanserunt, non autem in gentilitate, vt fratres Isaaci, & Iacobi, & ideo constituerunt vnum populum Dei, & fuerunt capita filiorum Israel, & per eos posteritas pertinuit ad populum Dei, & ad illam Domum, de qua dixit Angelus Lucæ 1. *Et regnabit in domo Iacob in æternũ*; et ita fuere cohæredes promissionis mediante Iuda, ex cuius posteris quoad executionẽ generationis fuit Christus: Fuerunt etiam valde vniti inter se, & cum patre præsertim in Ægypto, nec ad diuersas respublicas constituendas diuisi sunt ab inuicem, vt aduertit Io. de Sylueira hic lib. 1. cap. 2. q 21. & vt ait Paschasius, repræsentarunt 12. Apostolos. Nominatur tamen solus Iudas, quia ab illo solo Christus propagatus est, & præterea satis nota erant reliquorum nomina.

De Prophetia Iudæ, circa tempus Messiæ venturi.

6 CEleberrima est illa Iacobi mox morituri prophetia de Iudâ Geneſis cap. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti, vt Leo, & quasi Leæna quis suscitabit eum*? NON *auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat* QVI MITTENDVS *est, & ipse erit expectatio gẽtium.* Prophetiam hanc impleri cœptã esse, quando sublato Antigono vltimo rege de stirpe Iuda, translatum est regnum per Romanos ad Herodem alienigenam; & perfectissimè impletam quando post aduentum Christi extinctum est à Romanis regnum Iudæorum, & penitus irreparabiliter deletum docebimus cap. 20. est enim controuersia magni momenti, nec paucis hic expediri potest.

De Phares, & Zara.

7 SI Phares solus spectat ad rectam lineam Messiæ, quorsum Matthæus nominat Zaram dicens. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Non sufficit enim dicere fuisse gemellos, nam tales fuerant etiam Iacob, & Esau: Respondeo, quia ita fuere ex eodem patre, & matre eadem gemelli, vt tamen Zare, qui prior cœperat egredi ex vtero, manum retraxerit, & primogenituram cesserit fratri, tantum abest, vt fratrem, sicut Esau, persecutus sit: meruit ergo nominari, & ipse; reliqua vide in Abulense q. 8. & Io. de Sylueira lib. 1. cap. 2. q. 22. mystica potius, aut moralia. Quod autem dicit Possinus Phares genuisse Esronem ex filia Zaræ fratris sui incertum est.

De Thamare.

8 SAnctus Matthæus hactenus nullam mulierem nominauit, nec matres præcedentium Patriarcharum, non Saram, non Rebeccam, non Liam; Quare igitur nominat hic Thamarẽ incestuosam, vt narratur Genes. 38. Respondet S. Hieronymus hic: *Vt qui propter peccatores venerat de peccatoribus nascens omnium peccata deleret*, Thamar enim ex incestuoso concubitu genuit, sed postea non mortua impœnitens, vt Athalia; & S. Ambrosius in 2. Dauid prolog. c. 6. *Vt omnes homines redempturus, beneficium in suis maioribus inchoaret*, & in c. 3. Lucæ: *Ne pudeat Ecclesiam ex peccatoribus congregari, cum Dominus nasci de peccatoribus non sit dedignatus.* Et S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 46. *Isti hæretici discere debuerant parentum iniquitates sibi non obesse &c.* quod ipsum docet S. Chrysostomus hic homil. 3. & Euthymius, & Genadius in catena Græca, vt retunderentur Iudæi de suis natalibus gloriantes, ac dicentes Io. 2. *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Sed audiendus Seneca Epist. 44. *A primo Mundi Exordio, vsque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis, sordidisque alterna series.* Immò S. Ioannes 1. monens non obstare carnalis generationis modum, quin possit quis euadere filius promissionis, immò filius Dei: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

De Rahab.

9 QVamuis Rahab fuerit Ierichuntina, & non solùm cauponaria, vt contendunt Rabbini, sed etiam Meretrix, vt asseritur Iosue, 2. & 6. et ad Hebræos 11. n. 31. meruit nominari peculiariter in Genealogia Christi, quia transijt à gentilitate ad cultum veri Dei, & optimè meritus est de populo Dei, vt narratur Iosue potissimum num. 11. vbi illa confessa est *Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum &c.* propterea dixit Apostolus loco citato: *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Et valent hic quæ de Thamare dicta sunt quoad Ecclesiam ex gentibus congregandam: Quando autem *Salmon* eam duxit, non erat amplius meretrix, nec gentilis, seu infidelis, in quo casu tantum vetitum fuit Deuteronomij 7. nubere cum infidelibus, scilicet manentibus in infidelitate cum periculo subuersionis. Cum ergo Rahab fuerit Chananæa, & Ruth Moabitis, sequitur Christum quoad lineam fœmininam, ortum esse ex Gentibus, vt asserunt Barradius lib. 5. cap. 3. & alij.

De Booz.

10 QVærunt Interpretes, an inter *Salmonem*, & *Dauidem* interceſserint tres tantum nominati ab Euangelista vtroque, videlicet *Booz*, *Obed*, & *Iesse*? Ratio dubitandi est, quia *Rahab* videtur ducta à *Salmone* non multo post captam Iericho, & circa initium præfecturæ Iosue,

quod

quod nobis fuit anno 1552. ante Christum. Iesse autem genuit Dauidem anno ante Christum 1086. esset ergo interuallum circiter 460. aut minimum 450. quod esset diuidendum in tres partes, & oporteret Booz post annos 150. genuisse Obedum, & hunc post 150. Iesse, & hunc post annos 150. genuisse Dauidem, quod videtur inuerisimile, etiam si hoc interuallum contraheres ad annos 366. vt contrahit Lyranus & Serrarius in caput 4. Ruth q. 19. vel cum Possino ad annos 402. Præterea historiam Ruth fuisse tempore Heli refert Iosephus l. 5. antiq. c. 5. quamuis hoc perperam ab eo dictum censeant Scripturæ interpretes. Respondent Lyranus, Catharinus, Genebrardus, Iansenius hic, Salianus in annalibus, & Cornelius à Lapide in 4. cap. Ruth, tres fuisse Booz, sed vnum nominatum, ne dicendo Booz genuit Booz, Booz genuit Booz, Booz genuit Obed, molesta repetitio esset, vel certè duos diuersi nominis omissos iustis de causis, sicut omittuntur tres reges, de quibus dicemus num. 15 & sicut Esdræ l. 1 c. 7. in Esdræ genealogia omittuntur septem generationes, quas recenset 1. Paralipom. c. 6. nu. 3. Respondent secundò, & melius Abulensis hic q. 14. Maldonatus hic, Barradius tom. 1. lib. 5. cap. 8. Salmeron tom. 3. tract. 26. Io. de Sylueira hic lib. 1. cap. 2. q. 24. Menochius in historia vitæ Christi c. 2. nu. 8. Possinus in Diallactico Genealog. Christi c. 19. 20. & 21. non esse fingendos tres Booz, aut alios inter Salmonem & Dauid, quia constanter enumerantur soli *Booz, Obed, & Iesse*, tum Matth. 1 & Lucæ 3. tum 1. Paralipom. c. 2. tum in fine libri Ruth, nec vsquam alibi supplentur omissi, sicut supplentur tres illi reges, & septem illi ad Esdræ genus spectantes; & quia alioquin falso dixisset Matthæus: *Omnes itaq; generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim*, quod de alijs non asseruit, sed omisit *Omnes*: non fuisse autem impossibile grandæuos illo tempore generare filios, cùm Abraham annorum 140. genuerit filios ex Cethura, Genes. 25. Nam Booz se senem significat, dum Ruth 3. ait. *Benedicta es à Domino filia, quia non es secuta iuuenes*, et Isai quando genuit Dauidem erat *senex, & grandæuus*, vt dicitur 1. Reg. cap. 17. nu. 12. Posset etiam dubitari, an *Rahab* illa, cui nupsit *Salmon* fuerit illa ipsa, quæ fuerat meretrix, an vero eius filia, vel neptis eiusdem nominis, aut diuersi, ita vt illud *Booz de Rahab* significet vnam de filiabus Rahab, et scriptura potius nomen matris, aut auiæ posuerit ob causas iam num. 9. indicatas, quod si diceretur facillimè solueretur hic nodus. Alioquin iuxta nostram Chronologiam sic has generationes distribuemus. *Salmon* vltimum filium *Booz* suscepit ex *Rahab* fere octogenaria, adhuc tamen idonea, nondum enim desierant fieri ei muliebria, sicut desierant Saræ nonagenariæ, quando autem duxit, erat illa annorum circiter 18. natus igitur fuerit *Booz* anno à capta Ierichunte 62. ideſt ante Christum 1488. Booz autem vltimum filium *Obedum* genuerit annos natus 136. ex *Rutha* prouectæ ætatis, sed adhuc habili, nempe anno ante Christum 1352. Deinde *Obed* annorum 135. genuerit vltimum filium *Iesse* anno ante Christum 1217. tandem *Iesse* annorum 131. genuerit Dauidem vltimum filiorũ suorum anno ante Christum 1086. Proinde Ruth nupsit Boozo seni sub Aod Iudice, vt ponit etiam Possinus, sed genuit Obed mortuo iam Aodo. Aliquid enim potius tale dixerim, quam finxerim plures Booz, aut alios plures contra Scripturam.

De Ruth.

11 RVth fuit quidem Moabitis, sed conuersa est ad populum Dei, & reuertentem Noemi Socrum suam in Bethleem, constantissimè secuta est, vt narratur Ruth 1. num. 16. dicens. *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus*. Vt igitur constaret Christum non repellere, immò recipere etiam Moabitas, & extraneos, modò ad ipsum conuerti velint, habere voluit, & nominari in genealogia hanc *Rutham*; de huiusmodi enim fœminis dubitare quis potuisset, non verò de Sara, aut Rebecca, & alijs de populo Dei, ita auctor imperfecti homil. 1. in Matth. & S. Hieronymus in cap. 1. Ruth. Debuit præterea constare non peccasse Booz in suscitando semine suo propinquo ex peregrina muliere, in qua suscitatione, figurata est resurrectio, per quam homo perpetuitatem accipit carnis, vt aduertit Procopius, & cum eo Glossa in cap. 25. Deuter. *Nam oportebat eum, qui nobis resurrectionem donauerat, genus ducere per eos, qui typum eius secundùm carnem conseruauerant*. Demum, vt Paschasius hic, & Abulensis q. 13. aduertunt, impletum est vaticinium Isaiæ 16. *Emitte agnum Domini de petra deserti, ideſt de terra, vel stirpe Moabitarum, vbi erat ciuitas, quæ vocabatur Petra, de qua dicitur fuisse Ruth.*

De Iesse, seu Isai.

12 COmmunis est sententia Hebræorum, & sacrorum Interpretum Synonyma esse *Iesse*, & *Isai*; pater enim Dauidis, iuxta Hebræorum puncta pronunciatus nominatur *Isai* 1. Reg. cap. 16. & 17. num. 17. & 2. Regum 12. & 1. Paralipom. cap. 2. & Ruth 4. At Ecclesiastici 45. dicitur: *Et testamentum Dauid regi filio Iesse de tribu Iuda*, & Græca LXX. habet Ιεσσαι, de quo est oraculum Isaiæ 11. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*; & ibidem num. 10. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & & erit sepulchrum eius glorioſum*: de priore loco S. Hieronymus in Isaiam sic. *Virgam, & florem de radice Iesse, ipsum Dominum Iudæi interpretantur: Quòd scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. Nos autem virgam de radice Iesse Sanctam MARIAM Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem: de qua, & supra legimus: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & florem Dominum Saluatorem*. Et Tertullianus de corona militis: *Habes florem ex virga Iesse, super quem tota diuini spiritus gratia requieuit, florem incorruptũ, immarcessibilem, sempiternum*. Et S. Ambrosius de benedict. Patriarch. cap. 4. *Radix, familia Iudæorum: virga, MARIA, flos MARIAE CHRISTVS est*. Caldæus habet: *Egredietur rex de filijs Iesse, & Christus de filijs filiorum eius vngetur*. Aquila verò Symmachus, & Theodotion, teste S. Hieronymo, pro virga verterunt truncum, quia licet in Iechonia truncata sit regum actu regentium successio, in radice tamen, quamuis latente sub terra, & ad paupertatem redacta, latebat vigor, & semen familiæ Dauid, de qua oriri debebat Christus. Beda in homilia de Natiu. Domini: *Egressa est virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice eius ascendit: quia intemerata Virgo Maria de stirpe Dauid exorta est*. Idemque habet Isidorus ad Sororem Florentinam cap. 1. & B. Petrus Damianus in serm. de Annunc. *Germinat virga Iesse de tortuosa generis humani radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem*. Eandemque virgam Rupertus lib. 11. de victoria verbi cap. 18. appellat. *Pulchram, humilem, et rectam*. Denique vides Christum ita filium Dauidis velle se agnosci, vt tamen pastoritiam & humilem conditionem, de qua eleuatus est Dauid ad regnum, non dedignetur profiteri.

De Dauide Rege.

13 D*Auid autem Rex*; Solus hic appellatur Rex, quia primus fuerat Regum de stirpe Iuda; & quia hic inter Reges fuit primus pater Regis Christi, eo quod ipsi cum Iuramento promissus sit Christus oriturus de semine eius, & de fructu ventris iuxta dicta num. 2. vbi attuli iuramentum hoc ex psalmo 88. & 131. ideo sæpe in sacris litteris appellatur filius, aut germen Dauid. Isaiæ 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis etc. super solium Dauid, & super regnum eius sedebit*. Et Ieremias 23. nu. 5. *Et suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit*. Et Lucæ 1. Angelus memorat. *Sedem Dauid patris eius*, & Zacharias: *Cornu salutis in domo Dauid pueri sui*. Et Matth. 22. ac Lucæ 20. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? dicunt ei Dauid*. Et cæci ipsi Marci 10. Lucæ 18. clamabant: *Iesu fili Dauid miserere mei*, & populus, ac pueri ipsi Matth. 21. *Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine domini*. Et Ioan. 7. *Nonne Scriptura dicit, qui ex semine Dauid, & de Bethleem castello vbi erat Dauid venit Christus?* Apostolus verò ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus ei ex semine Dauid secundùm carnem*.

& 2. ad

& 2. ad Thimoth. 2. Christum repetit *Ex semine Dauid*. Postremò Apocalipsis 22. nu. 16. *Ego sum Iesus &c. Ego sum radix & genus Dauid*.

De ea, quæ fuit Vriæ.

14 *Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea, quæ fuit Vriæ*. Dicitur quæ fuit, non quæ tunc esset, ait Maldonatus, vt ostendatur Salomonem non esse natum ex adulterio: nam sublato Vria Dauid duxit Bethsabeam in vxorem, vt habes 2 Reg. cap. 12. nu. 24. Indicatur etiam Deum non obstante priore adulterio & homicidio, adeo placatum esse pœnitentia Dauidis, vt ei & Salomonem filium opulentissimum, & sapientissimum, & in multis figuram Christi conceserit. Nominatur tamen Vrias tanquam fidelis seruus Dauid, & tacetur nomen proprium Bethsabeæ, quia ipsa fuit instigatrix, vel particeps necis Vriæ vt cum SS. Remigio, ac Thoma, itemq; Paschasio, & Hugone docet hic Io. de Sylueira l. 1. c. 2. q. 17. Addit S. Anselmus hic: *Tacet nomen Bethsabeæ, vt nominando Vriam reducat ad memoriam illud maximum scelus, quod fecit in eum &c. Ista verò*, idest Bethsabee *adeo culpabilis est, quod nomine non est digna, sed solus iustus*. Certè magnum solatium, aut honor fuit Vriæ, quòd aliquo modo nominatus sit in Genealogia Christi: quapropter S. Iustinus Martyr q. 87. cum dixisset Deum pœnitentia Dauidis delectatum, adiecit: *Ac benignè pœnitentiã honorans Deus, in Vxoris Vriæ progenie collocauit genus Dauidis, eademque de causa fecit, vt ex ea genus Christus duceret*. De Salomonis annis vide Barradium tomo 1. in Euang. lib. 5. cap. 10. & Salianum in Annalibus, ac Pinedam.

De tribus Regibus à S. Matthæo omissis.

15 *Ioram autem genuit Oziam*, sed inter Ioram, & Oziam tres alij reges Iuda præcessere, videlicet *Ochozias*, Ioas, & *Amasias*, vt constat ex 4. Regum à cap. 10. ad 15. & 1. Paralip. c. 3. num. 11. Certum est autem non omissos à S. Matthæo, vt redigeret secundam hanc classem ad 14. generationes, vt voluit Abulensis hic q. 17. mirorq; Salmeronem tomo 3. tract. 27. hanc rationem appellasse *certam, & solidam*, hoc enim esset facere mendacem Sacrum historicum; qui non sibi hoc proposuit, sed cum ex tabulis genealogicis capita 2. & 3. classis didicisset, aduertit totidem fuisse in singulis, quot fuerant in prima classe. Non pauci tamen putarunt non præcisè ob numerum Tessaradecadum præteritos fuisse, sed præcipuè in odium sceleratæ domus Achabi, et Iezabelis eius vxoris, quæ occiderat multos prophetas ac seruos Dei, fuit enim Ochozias filius Athaliæ filiæ Achabi, nam et Deus in odium illius misit Iehu ad illam domum perdendam, vt narratur 4. Regum c. 9. idcirco vsque ad 3. generationem memoria Athaliæ deleta fuit, non quidem ab Historia Regum, sed à Genealogia Christi, ita cum SS. Hieronymo, Hilario, Thoma, Paschasio, & Ruperto sentiunt Alphonsus Villegas in Vita Sacratiss. Virg. Mariæ cap. 2. Barradius tomo 1. in Euangel. lib. 5. cap. 12. Menochius in Historia vitæ Christi lib. 1. cap. 2. num. 10 & Io. de Sylueira hic lib. 1. cap. 2. q. 29. qui aduertit Deum per Eliam 3. Reg. cap. 21. comminatum esse Achabo, se ipsius posteritatem deleturum vsque ad quartam generationem, quæ in Amasia terminata est. Porrò *Ochozias* ambulauit in vijs Achab, & impius fuit ex 2. Paralip. c. 22. et Ioas interfecit Zachariam Sacerdotem, ac filium Ioiadæ Pontificis ex 2. Paralipom. c. 24. et *Amasias* Prophetæ à Deo misso mortem minatus est ex 2. Paralip. cap. 25. num. 16. quam ob causam iustè silentio inuolutos, ait Rupertus hic. Præterea S. Augustinus in quæstionibus noui testamenti q. 85. putat hos ab Euangelista sublatos, quod in his ita continuata sit impietas, vt ne merito quidem patrum mererentur retineri in Genealogia Christi, sicut retentus est Salomon merito Dauidis, et Ioram merito Iosaphati etc. cui autem hæc non satisfaciunt, repetat huc quæ diximus libro 6. cap. 9. num. 3.

An, & quando Iosias genuerit Iechoniam.

16 Verba illa S. Matthæi: *Iosias autem genuit Ieconiã, & fratres eius in transmigratione Babylonis*; non vnicam difficultatem includunt, sed triplicem, An scilicet, & cur omissus sit Ioakim filius Iosiæ, & pater Iechoniæ? & quare addatur, *& fratres eius*, quod alijs regibus fratres habentibus non est additum, & quomodo verum sit illud: *in transmigratione Babylonis*, cum ante illam geniti fuerint. Pro quibus notandum est illud 1. Paralipom. cap. 3. nu. 15. *Filij autem Iosiæ fuerunt primogenitus Iohanam, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum*; *De Ioakim natus est Ieconias, & Sedecias*. At 4. Regum c. 23. & 24. & 2. Paralipom. c. 36. omisso *Iohana*, qui mortuus est viuo patre, nec fuit Rex, tres tantum nominantur alio nomine, nempe *Eliakim, Mathanias, & Ioachaz*. Nam *Ioachaz* est idem, ac *Sellum*, qui cum esset annorum 23. et minimus natu, tamen fauore populi successit primus in locum Iosiæ defuncti, nec regnauit nisi menses 3. quia Pharao Nechao abduxit illum in Ægyptum, vbi mortuus est, vt narratur 4. Regum cap. 23. à num. 30. et 2. Paralip. c. 36. & hunc Ieremias 22. n. 11. nominat *Sellum* pro hoc *Nechao constituit regem Eliakim filium Iosiæ, vertitq; nomẽ eius Ioachim*, vt narratur 4 Regum c. 23. n. 34. et 36. et 2. Paralip. c. 36. n 4. et 5. ibidemq; asseritur fuisse annorum 25. quando regnare cœpit, et vndecim annos regnasse in Ierusalẽ; Hunc autem Nabuchodonosor vinctũ abduxit in Babylonem, vbi captiuus fuit tribus annis, sed inde fugit, ac rebellauit contra Nabuchodonosorem, et huic defuncto successit filius eius *Ioachin* cum esset annorum 8. et regnauit in Ierusalem tribus mensibus, ac diebus decem; Nam iussu Nabuchodonosor abductus est Babylonem, et pro eo substitutus est *Mathanias* eius patruus, et nominatus *Sedecias*, cùm esset annorum viginti, et vnius, et vndecim annis regnauit in Ierusalem, quæ omnia constant ex 4. Regum c. 24. et 2. Paralip. c. 36. Porrò ex S. Hieronymo in c. 1. Daniel, et in cap. 1. Matth. secundus Iosiæ filius Hebraicè scribitur per *Coph*, et *Mem*, et Græcè Ιωακειμ, Latinè *Ioakim*, huius autem filius, et Iosiæ nepos per *Caph*, et *Num* Græcè Ιωαχειν, Latinè *Ioachin*, et est idem, ac *Iechonias*, quamuis etiam prior dici possit *Iechonias*, vt concedit S. Epiphanius hæresi 8. et S. Hieronymus, esto alij id negent. Quare certum est Synonyma esse hæc *Ioachaz*, et *Sellum*; item hæc *Eliakim*, et *Ioakim*, item hæc *Mathanias*, et *Sedecias*; et deniq; hæc *Ioachin*, et *Iechonias*. Et tres priores fuisse filios Iosiæ, quartum autem nepotem. Hæc de nominibus, et successoribus in regnum.

17 Quod spectat ad tempus harum rerum ex dictis l. 6. cap. 9. *Ioachaz* successit *Iosiæ* anno ante Christum 609. nempe annis quinque ante primam transmigrationem ex quibus, et annis quos habebant, quando regnare cœperunt, et annis, vel mensibus, quibus regnarunt, confecimus infrascriptam Tabellam Chronologicam ad clariorem intelligentiam, et solutionem huius controuersiæ.

Iosiæ F. idest Filij, vel N. idest Nepos.	Nascitur ante Christum.	Nascitur ante init. Captiuit.	Regnare incipit ante vel post Capt.	Regnare incipit ante Christum	Ætas in principio Regni.	Regni duratio An. M. D.
Ioachaz qui & *Sellum* F.	631	26	a. 5	609	23	0 3 0
Eliakim qui & *Ioakim* F.	632	27	a. 4	608	25	11 0 0
Ioachin qui & *Iechonias* N.	615	10	p. 8	598	18	0 3 10
Methanias qui & *Sedecias* F.	618	13	p. 8	598	21	11 0 0

Quibus positis respondetur dictum fuisse *Iechoniam, & fratres eius* súpto *Iechonia* pro *Ioakimo*, seu *Eliakimo*, quia omnes eius fratres, & omnes filij Iosiæ superstites, fuerunt Reges, & sibi successerunt in Regno, nempe *Ioachaz*, & *Eliakim*, et *Mathanias*, quod fuit speciale Iosiæ. Dicuntur autem geniti in transmigratione, vel quia instabat illa transmigratio, vel habito respectu ad tempus, quo Iechonias prior, seu Ioakim, et fratres eius regnarunt, nam Ioakim anno 4. ante transmigrationem regnare cœpit, et 8. anno post illam desijt, eiusq; loco regnauit *Sedecias*; quare horum duorum regnum, quod fuit singillatim annorum 11. maiori sui parte occupauit tempus post transmigrationem, ideoque sumpta potiori parte verum est genitos à Iosia eos reges, qui regnarunt in transmigratione Babylonis. Quod si contendas sermonem esse de Natiuitate non politica, et initio regnandi, sed de naturali, oportet illud in *transmigratione* sumere pro *ante* transmigrationem ad antithesim eius quod subiungitur, *& post transmigrationem*: sicut Exodi 12. *In die primo non erit fermentum*, ideſt ante diem primum Azymorum: Et Genes. 2. *Compleuitq; Deus die septimo opus suum*, ideſt ante diem septimum. Et sic solutæ sunt duæ posteriores difficultates; supereſt prima, et maior de Iechoniæ vnius, seu Ioakimi omissione, pro qua

18 *Prima* opinio est in antiquis exemplaribus scriptum fuisse, sicut repertum est iu quibusdam exemplaribus Græcis apud Fabrum Stapulensem, & Robertum Stephanum, sic: *Iosias autem genuit Ioakim, Ioakim autem genuit Iechoniam*; vt referunt Salmeron tom. 3. tract. 27. Maldonatus hic, & Petauius l. 9. de doctrina temporum cap. 17. qui cum Maldonato putat vitio librariorum mendum esse in vulgata, & idem censuit S. Epiphanius hæresi 8. Epicureorum, & occasionem mendi addidit. *Nam aliqui Iechoniam cum altero Iechonia reperientes, numerum duplicatum esse putauerunt. Non erat autem duplicatio sed numerus clarus: ex nomine enim patris filius nominatus fuit* Iechonias *Iechoniæ*: Quia tamen in aliquibus exemplaribus Græcis verba prædicta posita sunt in margine, non in textu, & in reliquis omnibus editionibus etiam tempore S. Ambrosij, Augustini, ac Hieronymi legebatur, sicut hodie legitur in vulgata, melior solutio inquirenda est; quare

19 *Secunda* opinio est *Ioakimum*, seu priorem *Iechoniam* omissum consultò esse à S. Matthæo similem ob causam, ob quam supra omisit Ochoziam, Ioas, & Amasiam, nempe quia Ieremiam Sacerdotem malè tractauit, & volumen Sacrum Scalpello scribæ conscidit, & comburi iussit, adeoq; impius fuit, vt ex Ieremiæ 22. sepultura Asini sepultus fuerit, præterquamquod non à populo Dei, sed à Pharaone constitutus est rex, meruit ergo à Tabulis templi deleri, & in genealogia Christi omitti. Ita Petrus Possinus in Diallactico genealogiæ Christi cap. 37. & valde inclinat huc Salmeron tom. 3. tract. 27. & Cornel. à Lapide in c. 1. Matth. Itaque hi vnicum *Iechoniam* à S. Matthæo nominatum concedunt, & si obijcias hoc pacto non esse in tertia classe 14. sed tantum 13. generationes, respondent, Possinus quidem in ea computari MARIAM tanquam eam, quæ sola genuit naturaliter Christum, absque opera viri; Salmeron autem duo tempora ideſt in *transmigratione, & post transmigrationem* numerari pro duabus generationibus, cui dicto fauet S. Augustinus l. 2. de Consensu Euangel. c. 4. & Author imperfecti in Matth. suspicantes Iechoniam eundem bis computari eo modo, quo idem lapis angularis ad duo latera pertinet. Sed hæc opinio non potest subsistere, quia vnicus hic Iechonias nominatus à S. Matthæo, aut est prior, nempe filius Iosiæ, & hic non genuit Salathielem post transmigrationem Babylonis; aut est posterior, seu nepos Iosiæ, & hic non habuit fratres, nec potest esse ille, de quo dictum est: *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius.* Præterquam quod in hac opinione nimis indulgetur Porphyrio calumnianti Euangelium, ac dicenti vnam generationem deesse, quia putauit *Iechoniam*, qui fuit filius Iosiæ, & qui genuit Salathielem, pro eodem poni à S. Matthæo. Igitur dicendum est à S. Matthæo duos Iechonias numeratos esse in hac ipsa vulgata editione.

20 *Tertia* itaq; & vera opinio est *Iechoniam* in fine secundæ Tessaradecadis nominatum à S. Matthæo, fuisse filium immediatum Iosiæ alioque nomine dictum *Eliakim*, *& Ioakim*; Eum verò Iechoniam, quem post transmigrationem Babylonis, & in principio tertiæ tessaradecadis numerat esse diuersum, & Iosiæ nepotem, filium verò *Ioakimi* seu prioris *Iechoniæ*. Neque enim necesse est, vt quemadmodum in alijs, idem qui genitus dicitur, est idem qui generat subsequentem, ita & hic sit idem: quia interrupta est connexio per duo tempora *in transmigratione, & post transmigrationem*: Ita S. Thomas, Lyranus, Carthusianus, & Hugo hic, & Abulensis hic q. 21. Barradius tomo 1. l. 5. c. 18. Menochius l. 1. historiæ vitæ Christi c. 2. nu. 11. Io. de Sylueira l. 1. in Euangelia c. 2. q. 33. Estque ipsa sententia SS. Ambrosij l. 3. in cap. 3. Lucæ, & Hieronymi in c. 1. Danielis ad illud: *Anno tertio regni Ioakim regis Iuda*, dicentis: *Nemo igitur putet eundem in Danielis principio esse Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin scribitur. Iste enim extremam Syllabam Kim habet, ille chin. Et ob hanc causam in Euangelio secundum Matthæum vna videtur deesse generatio, quia secunda tessaradecas in Ioakim desinit filio Iosiæ, et tertia incipit à Ioachin filio Ioakim. Quod ignorans Porphyrius, calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum Euangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem*: Idem in c. 1. Matth. *Si voluerimus Iechoniam in fine secundæ tessaradecadis ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim: Sciamus ergo Iechoniam priorem ipsum esse quem, et Ioakim, secundum autem filium non patrem, quorum prior per K. et M. sequens per ch, et N. scribitur, quod scriptorum vitio, et longitudine temporum apud Græcos Latinosque confusum est.* Et S. Ambrosius l. 3. in c. 3. Lucæ. *Duos Ioachim, hoc est duos Iechonias fuisse historia indicat, vnum ante transmigrationem, alterum in ipsa transmigratione generatum, ideſt patrem, et filium. Ergo pater inter generationes superiores est computatus, qui successit Iosiæ; filius inter posteriores, qui successit patri, ideſt Nepos Iosiæ.* Crediderim tamen in Vulgata corrigendam orthographiam, et priore loco scribendum Iekoniam, posteriore Iechoniam.

De secundi Iechoniæ prole, & patre Salathielis.

21 NEque hic vnica difficultas extricanda est, vbi enim S. Matthæus ait *Iechonias gennit Salathiel*; S. Lucas habet: *Salathiel qui fuit Neri*, ideſt filius Neri. At 1. Paralipom. c. 3. num. 17. scriptum est: *Filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia* &c. et tamen Ieremiæ 22. de hoc Iechonia n. 24. dicitur: *Viuo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in dextera mea, inde euellam eum*, & num. 30. *Hæc dicit Dominus: scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Ergo Iechonias hic non videtur genuisse naturaliter Salathielem illum, cuius filius Zorobabel fuit Dux Iudæorũ & potestatem habuit in Iuda, esto non fuerit Rex, nec fuit pater Salathielis illius, qui fuit filius Neri. Et confirmatur ex reuelatione S. Birgittæ l. reuel. 19. ibi. *Salomon, cui tam mirifica data, & promißa sunt, excessit à bonitate, & non est completa in eo promissio*, Quia Messias non est promissus de semine regio per Salomonem, & successores, nisi sub conditione, quod custodirent legem Domini, itaque videtur in Iechonia defeciſſe successio naturalis promissionis ac benedictionis, & ius illud hæreditarium deuolutum esse ad lineam *Nathani* filij Dauid; & hæc videtur illa *commutatio Christi*, de qua psalmo 88. quam propheta præuidit exprobrandam ab imperitis populo Dei videntibus extinctam in Iechonia stirpem Salomonis, perinde ac si fruſtra expectarent in ea Christum, vt acutè notauit Possinus in Diallactico cap. 43. qui proinde putat mortuo Iechonia, & filio eius Asire in Babylonia, successisse *Salathielem* filium naturalem *Neri*, sed appellari filium *Iechoniæ*, iure hæreditario benedictionis diuinę deuoluto ad proximum de stirpe Nathan filij Dauid, ad quam transijt successionis ius, & promissio diuina, quandoquidem Iechoniam & Asir mortuos putat sine liberis naturalibus. Itaque *Salathiel* dicitur filius *Iechoniæ*, ideſt succedens in locum & defectum filiorum Iechoniæ; Sed hæc opinio noua, & sine vlla necessitate inuecta videtur, immò violenter interpretans scripturam dicentem *Iechonias genuit Salathiel*, & tantum abest vt caruerit liberis alijs, vt l. 1. Paralip. cap. 3. nu. 17. nominentur eius filij octo, & nepotes duo, & plures pronepo-

nepotes, ſic. *Filij Iechoniæ fuerunt Aſir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneter, & Iecemia, Sarra, Nadabia, de Phadaia orti ſunt Zorobabel, & Semei: Zorobabel genuit Moſolam, Hananiam, & Salomith ſororem eorum &c.* Vbi vides *Zorobabelem* filium *Phadaiæ*, longè diuerſum eſſe ab illo celebri *Zorobabele*, quem Salathielis filium facit ſcriptura non ſolum Matthæi 1. ſed 1. Eſdræ c. 3. et 5. et Aggæi c. 1. ac 2. non ſemel.

22 *Primò* itaque dico *Iechoniam Ioakimi* filium genuiſſe naturaliter *Salathielem*, et hunc *Zorobabelem* in Babylonia, nam eodem cap. 22. Ieremiæ de Iechonia dicitur n. 28. *Quare abiecti ſunt ipſe, et ſemen eius*: ergo ſupponitur habuiſſe, vel habiturum prolem ex ea ſcilicet vxore, quæ cum ipſo abducta eſt in Babyloniam, vt dicitur 4. Regum c. 24. nu. 15. ſiue genuerit aliquos in carcere, ſiue poſtquam eductus eſt à carcere ab Euilmerodach, vt habetur 4. Reg. c. 25. nu. 27. et Ieremiæ 52. nu. 31. Non dicitur ergo ſterilis, quia non habuerit liberos, ſed quia *abominabilis* fuit, et *abdicatus*, vt vertunt LXX. et Theodotio, hoc eſt quia nullus de filijs et poſteris eius ſucceſſit ei in regno, nam Sedecias, qui eius loco ſubſtitutus eſt à Nabuchodonoſore fuit eius patruus, et in hoc ipſo extinctum eſt regnum Iudæ; *Zorobabel* autem non fuit Rex, nec princeps abſolutus populi, ſed populariter præerat populo tanquam vnus, ſed præcipuus de optimatibus, Erat enim tunc regimen Hebræorum redactum ad Ariſtocratiam hieropoliticam, dominantibus Pontificibus, et optimatibus, et ideo dicitur 1. Eſdræ cap. 3. *Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum dixerunt eis* et c. 6. nu. 14. *Seniores autem Iudæorum ædificabant &c.* et c. 9. Eſdras de ſeipſo dicit: *Poſtquam autem hæc completa ſunt acceſſerunt ad me principes &c.* Erant itaque plures principantes, eſto inter illos eſſent velut Conſul, aut Dictator *Zorobabel*, vtpote de ſanguine regio, et Ieſu filius Ioſedech ſacerdos magnus, eratque Zorobabel dux à populo electus, non iure ſucceſſionis, quo ſenſu Aggæus cap. 1. et 2. *Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda* appellat. Neque enim viuente Cyro, Cambyſe, Dario, alijſq; auſus eſſet quiſquam ſe regem Iudæorum, aut abſolutum principem appellare. Poſtea verò principatus declinauit ad pontifices, et licet alij ſacerdotes eſſent de tribu Leui, ſummum tamen Pontificatum etiam aliqui de tribu Iuda, immò et extranei, auctoritate Regum Græcorum obtinuerunt, donec Aſamoneorum vnus diadema regium aſſumpſit. Quare poſt *Iechoniam* nullus de ſemine eius ſedit in ſolio regni temporalis in Iudæa; Nam nec Chriſtus fuit de ſemine Ioſeph, eſto Ioſeph fuerit de ſemine *Iechoniæ*, et præterea Chriſti regnum non fuit temporale, ſed ſpirituale, et æternum, ideoque fugit eos, qui volebant facere illum regem, et de ſe dixit *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Itaque ſummatim loquendo Iechonias *ſterilis* dictus eſt, quia nemo de ſemine eius ſucceſſit ei in regno temporali, ne Chriſtus quidem. Ita ſed breuius SS. Ambroſius l. 3. in c. 3. Lucæ, Hieronymus in c. 1. Matth. et 22. Ieremiæ, item Carthuſianus in c. 22. Ierem. Gloſa ordinaria, Lyranus, Robertus, Hugo, et Cornelius à Lapide ibidem, Abulenſis in c. 1. Matth. q. 24. cum S. Thoma; Salmeron tom. 3. tract. 27. paragrapho; *Neque etiam*; Et Maldonatus in c. 1. Matth. Barradius tomo 1. lib. 5. cap. 18. Io. de Sylueira in Euangelia l. 1. c. 2. q. 33.

23 *Secundò* dico non eſſe improbabile *Salathielem*, & *Zorobabelem* de quibus Matthæus 1. eſſe eoſdem, de quibus Lucas 3. ita tamen vt *Neri* adoptauerit ſibi in filium *Salathielem*, vt vult Carthuſianus, & Lyranus in c. 3. Lucæ: Eſto Philo (quem ſequitur Didacus Stella in c. 3. Lucæ, & Gagnæus in c. 1. Matth.) vel potius Annius Viterbienſis in Chronico Philonis dicat *Iechoniam* vocatum fuiſſe *Neri* à populo, ideſt lucernam meam, eo quod euocatus ab Euilmerodacho ex carcere tanquam lucerna Dauid, quæ videbatur extincta, illuxerit: ſed in Philone Annij ſunt alia quædam falſa, & contra ſcripturam, vt notat Barradius t. 1. l. 5. c. 29. & præterea à Neri ad Nathan incluſiuè Lucas numerat capita 20. at à Iechonia ſecundò ad Salomonem Matthæus numerat capita 14. & cum tribus regibus omiſſis 17. vnde apparet ex diuerſitate numeri, & nominum diuerſos fuiſſe. Porrò ſequendo opinionem Carthuſiani, & Lyrani, dicendum eſſet *Zorobabelem* nepotem naturalem *Iechoniæ*, & adoptiuum *Neri* genuiſſe duos filios vnum *Abiud*, per quem Matthæus deducit genealogiam S. Ioſephi, alterum *Reſam*, per quem Lucas genus Ioſephi texit. Poſſet etiam dici, mortuo Ioakimo patre Iechoniæ iunioris, *Melchi* de ſtirpe *Nathan* duxiſſe viduam Ioakimi, & ex ea genuiſſe *Neri* fratrem vterinum Iechoniæ; et mortuo *Neri* abſque liberis, *Iechoniam* duxiſſe viduam eius, et ſuſcitaſſe ipſi ſemen, ita vt *Salatiel* fuerit naturalis filius *Iechoniæ*, ſed Legalis ipſius *Neri*.

Tertiò dico nec improbabile eſſe *Salathielem*, et *Zorobabelem*, de quibus S. Matthæus loquitur, diuerſos eſſe ab ijs, quos S. Lucas c. 3. nominat; Tum quia non eſt inſolens diuerſas perſonas habere idem nomen, tum quia abſq; neceſſitate non videtur recurrendum ad filiationem adoptiuam: ſic ſentiunt Salmeron tom. 23. tr. 28. Barradius t. 1. l. 5. c. 30. Cornelius à Lapide in c. 3. Lucæ verſ. 27. cum Toleto, Pererio, et Franciſco Lucca, et Menochius in hiſtoria de vita Chriſti l. 1. c. 3. nu. 5. et reuera Patres antiqui ſupponunt omnes à S. Luca infra Dauidem nominatos, eſſe de ſtirpe Nathan, at ex præcedenti opinione, qui ſunt infra Salathielem eſſent omnes de ſtirpe Salomonis.

De Mathat, & Leui, ideſt auo, & proauo S. Ioſephi.

24 IN aliquibus antiquis codicibus c. 3. Lucæ, quos vidit Africanus apud Euſebium l. 1. hiſt. Eccl. c. 7. et S. Ambroſius, omiſſo *Mathat*, et *Leui* ponitur *Melchi* pater ipſius *Heli*, Et ideo S. Gregorius Nazianzenus in carmine de Genealogia Chriſti cecinit;

Mathanus hac genuit Iacobum, Melchius Helim.

Damaſcenus autem 4. fidei c. 15. ponit *Leui* patrem ipſius *Melchi*, et *Melchium* patrem ipſius *Heli*, et S. Irenæus 3. contra hæreſes c. 33. in Luca computauit generationes 72. omiſſis *Cainano, Mathat, Leui &c.* Proinde P. Cordeſius in 3. animaduerſione ad S. Lucam, putauit per errorem inſitos fuiſſe à librarijs, vel neſcioquibus *Mathat*, et *Leui*. Cæterùm in textu ipſo SS. Ambroſij, et Hieronymi, ſicut et in alijs tàm Græcis, quàm Latinis vulgatæ editionis reperiuntur *Mathat*, et *Leui*, inter *Melchi*, et *Heli*, nec niſi his ſuppoſitis ſtant generationes 76. ab Adamo ad Chriſtum, et 43. à Dauid ad Chriſtum, quas enumerat S. Auguſtinus lib. 3. contra Fauſtum c. 4. et lib. 2. Quæſt. Euang. cap. 5. Stat ergo poſſeſſio pro Vulgata in tanta Codicum conſpiratione; et conciliari poſſunt hæc aut tranſpoſitione, aut potius duplicando nomen patris *Heli*, ita vt dictus ſit *Mathat*, et *Melchi*, vt putat Beda in c. 3. Lucæ.

De Iacobo, & Heli patribus S. Ioſephi.

25 CVm S. Matthæus dicat, *Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ*; at S. Lucas cap. 13. dicat. *Et ipſe Ieſus erat incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathan*; Nec poſſit dici Iacob, & Heli eſſe ſynonyma, quia illorum patres, aui, proaui, &c. & numero, & nomine diuerſi ſunt apud hos Euangeliſtas; viſa eſt Iuliano Apoſtatæ contradictio vera, vnde illi occaſio calumniandi Euangelium. Ad apparentem hanc repugnantiam tollendam quatuor opiniones reperio.

26 *Prima* opinio fuit Africani in Epiſtola ad Ariſtidem, quam recitant, & ſequuntur Euſebius lib. 1. Hiſtor. Eccl. c. 7. Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 11. & S. Damaſcenus Oratione 2. de Natiuitate B. MARIÆ; ſcribit verò Africanus, ſe ex traditione maiorum, & conſanguineorum Chriſti, accepiſſe *Iacobum*, & *Heli* fuiſſe de diuerſis patribus ortos, ſed de eadem matre nominata *Eſtha*, vel *Ieſcha*, & ideo *Iacobum*, & *Heli* fuiſſe fratres vterinos; ſed mortuo *Heli* ſine liberis, *Iacobum* duxiſſe vxorem ipſius, & ſuſcitaſſe ſemen fratri ſuo, de eadem tribu, et familia, nempe S. Ioſephum; ideoque *Heli* fuiſſe patrem legalem S. Ioſephi. Sed Africanus in quibuſdam Codicibus repererat patrem ipſius *Heli* nominari *Melchi* (omiſſis Mathat, et Leui) vt dixi num. 24. ideo *Eſthan* fecit vxorem prius *Mathani*, deinde *Melchi* eumque ſecutus Nazianzenus in Carmine de Genealogia Chriſti cecinit.

At

At quonam duplici patre fluxit Ioseph?
Lex ea Mosis erat, si quem mors atra tulisset
Hebræa de gente satum, natisque carentem,
Protinus, vt frater, vel sanguinitate propinquus
Vxorem extincti capiens, censumque, domumque
Gigneret huic Sobolem, ne nulla prole relicta,
Obrueret totum tumulus cum corpore nomen.
Quare de Christo arcanum mihi tale repertum est.
Mathanus eximia Salomonis stirpe creatus
Esthæ iunctus erat; quo cæca morte perempto,
Duxit eam Melchi, Nathanæo sanguine cretus
Mathanus hac genuit Iacobum, Melchius Helim,
Horrida quem rapuit mors nulla prole relicta.
Ergo domum illius capit vxoremque superstes
Iacobus, frater tantum maternus, eique
Iosephum genuit: Sic Ioseph filius eius
Verus erat: tamen hunc tribuit lex optima fratri:
Atque ita Matthæus naturam scribere Christi
Instituens, veram seriem numerauit auorum,
At Lucas populi legem ritumque notauit
Concordant igitur, quare hos tu carpere noli.

Ante hunc S. Iustinus Martyr quæst. 131. in solutione dixit: *In genealogia Lucæ solus Heli legitimus est Iosephi pater, ab ipso autem Heli, vsque ad Nathan, omnes ordine recensiti sunt naturales filij eorum quibus subiunguntur.* Et q. 132. docet licuisse ducere vxorem fratris sine liberis defuncti, etiam si suã propriam frater superstes haberet vxorem. Et S. Hieronymus in c. 1. Matth. Africanum secutus: *Hunc locum obiecit nobis Iulianus Augustus de dissonantia Euangelistarum: cur Euangelista Matthæus, Iosephdixit filium Iacob, & Lucas eum filium appellauit Heli, non intelligens consuetudinem scripturarum; quod alter secundùm legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Mosen Deo iubente præceptum, vt si frater, aut propinquus, absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorem ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Super hoc & Africanus temporum scriptor, & Eusebius Cæsariensis in libris de dissonantia Euangeliorum disputarunt.* Nec aliter S. Hilarius can. 1. in Matthæum: sed et S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelist. cap. 3. probabilius putat *Iacobum* naturaliter genuisse Iosephum, *Heli* autem illum aut adoptasse, aut ipsi fusscitatum à Iacobo fratre; ad id enim non fuisse necesse, vt filio nato imponeretur nomen defuncti sine liberis, sed sufficere, vt diceretur eius filius, docet lib. 2. Retractationum cap. 12. Quamuis oppositum dixisset lib. 2. Quæst. Euangelic. q. 5. vt diximus c. 17. nu. 10. Denique S. Anselmus, et Beda in cap. 1. Matth. Titus Bostr. Carthusianus, et D. Bonauentura in cap. 3. Lucæ. Et D. Thom. 3. p. q. 31. à 3. planè cum Africano soluunt hanc quæstionem, et Eucherius q. 3. in Matth. sicut, et Theophylactus, et Euthymius in Lucam; Lyranus in cap. 1. Matth. et hos secuti Salmeron tomo 3. tract. 28 Baronius in Apparatu ad Annales, Maldonatus in c. 1. Matth. Barradius tomo 1. lib. 5. cap. 30. Toletus in cap. 3. Lucæ, Vasquez tomo 2. in 3. p. disp. 127. cap. 4. Io. de Sylueira in Euangelia lib. 1. cap. 2. q. 44. constat igitur hanc esse communem ferè Patrum, et Doctorum antiquorum, et recentium; nec obstat quod Africanus in illa epistola addit non habere se hoc in Scriptura Canonica, non addit se *accepisse ex traditione à propinquis Saluatoris secundùm carnem.*

27 *Secunda* opinio fuit S. Ambrosij in Lucam c. 3. lib. 3. qui et ipse tanquam traditum refert sic: *Heli fratre sine liberis descendente, copulatus est fratris vxori, & generauit filium Ioseph, qui iuxta legem Iacobi filius dicitur, quoniam semen fratris defuncti frater iussu legis veteris seriem suscitabat.* Itaque *Heli* naturalem, *Iacobum* verò legalem patrem Iosephi arbitratus est; quod ipsum nonnullos sensisse meminit S. Augustinus in quæst. noui testamenti q. 56. et non paucos Sectarios refert Maldonatus; Possinus quoque in Diallactico Genealogiæ Christi à cap. 49. ad 51. contendit *Heli* fuisse potiùs naturalem patrem; et *Iacobum* legalem: *Primò* quia Vterini fratres ex Rabbi Mose Ben Maimon non habentur loco fratrum, sed hoc leue est, nam si sufficiebat propinquum esse, multo magis esse fratrem ex parte matris. *Secundò*, quia S. Lucas non nominauit *Obedi* patrem legalem, qui fuit *Mahalon*, sed naturalem, qui fuit *Booz*, ita nec hoc loco videtur nominasse Iosephi patrem legalem, sed naturalem; sed respondetur hoc loco fuisse peculiarem causam, viderat enim à S. Matthæo deductam genealogiam Iosephi naturalem per *Salomonem*, eiusq; descendentem *Iacobum*, cum ergo alterum naturalem vellet per *Nathan*, & *Heli* deducere, debuit assignare legalem, neque enim duo naturales patres eiusdem esse poterant. *Tertiò* ait S. Matthæum Hebraicè, et Hebræis scribentem, qui legem de suscitando semine fratri norant, congruentiùs proposuisse patrem legalem, quàm Lucam, qui Græcè, et Græcis, ac Gentilibus scripsit Euangelium, eam legem ignorantibus. Sed respondetur neutrum Euangelistarum debuisse deserere veritatem, quare si aliunde ex tabulis genealogicis, vel, vt Africanus ex consanguineis Domini, didicerant *Iacobum* fuisse naturalem patrem Iosephi, sic referre debebant, cum gentilibus nota esset filiatio adoptiua similis Legali Hebraicæ, nec esset difficile Græcis, qui habitabant in Iudæa nosse legem illam Moysis, et ipse Titus Bostrenus in Lucam quamuis aduertat Lucam Græcis, Matthæum Hebræis potissimum scripsisse, nihilominus in Luca agnoscit *Heli legalem patrem*.

28 *Tertia* opinio fuit Iansenij in Concordia cap. 14. Io. Lucidi lib. 2. de temp. Hebr. c. 14. & lib. 1. de emend. temp. cap. 1. Galatini lib. 7. c. 12 Annij in comm. Philonis lib. 2. Genebrardi in Chron. Soti in 4. sent. dist. 30. q. 2. Cani l. 11. de locis c. 5. Canisij lib. 1. de Deipara c. 4. Barradij tom. 1. lib. 5. cap. 30. paragr. *Aliter*: Driedonis 3. de dogm. cap. 5. p. 4. Alphonsi Villegas in Vita Deiparæ cap. 2. Cornelij à Lapide in cap. 3. Lucæ versu 23. Suarez 3. p. q. 27. disput. 2. sect. 3. qui citat Driedonem, Palatium, Gagneum, Tirini tomo 1. in Sacram Scripturam cap. 46. Tab. 4. Menochij in Historia de Vita Christi lib. 1. c. 3. nu. 5. Alph. à Castro in Hist. B. V. Augustini Bernal de Incarnat. disp. 61. sect. 1. parag. 3. nu. 15. Perez de Incar. disp. 36. sect. 1. nù. 6. Martinon de Incarn. disp. 15. sect. 3. & pro hac Canisius affert sectarios Bullengerum, & Brentium; Videlicet *Iacobum* naturalem patrem fuisse S. Iosephi, *Heli* autem non patrem, sed Socerum, quia S. Ioseph duxerit filiam *Heli*, ideſt MARIAM Virginem; Soceros enim dici etiam patres, & generos filios, idemque esse nomen *Ioakim*, & *Eliakim*, vt patet ex 4. Reg. c 23. num. 24. & 2. Paralip. 36. nu. 4. & Iudith 4. nu. 11. & c. 15. n. 9. per apocopen *Eliakim* idem, & *Heli*, sicut idem sunt *Hierusalem*, & *Salem*; item *Idumæa*, & *Duma*. Addunt quidam, vt Cano, Tirinus, & Menochius clausulam illam: *vt putabatur filius Ioseph*, parenthesi seiungendam, & illam *qui fuit Heli* referri posse ad Christum ipsum, tanquam nepotem Heli; Postremò, hoc ipso, quod S. Lucas addit illud, *vt putabatur*, declarare voluisse se non describere genealogiam Christi naturalem per Iosephum, sed per Virginem MARIAM, si enim eam per Ioseph descripsisset, neuter Euangelistarum ostendisset Christum esse ex semine Dauid secundùm carnem; congruum igitur esse, vt Matthæus per Ioseph, Lucas per MARIAM filiam *Heli*, ideſt *Ioakimi* genus Christi descripserint.

29 Sed his argumentis non euincitur necessitas vlla, aut probabilior causa recedendi à sententia communi Patrum, & plurimorum Doctorum num. 26. expolita: Nam licet vterque Euangelista descripserit Christi Genealogiam per Ioseph, vt patrem plusquam legalem, & adoptiuum, ideſt patrem matrimonialem, indirectè tamen, sed principaliter intenderunt describere illam per MARIAM, de qua carnem sumpsit Christus, sciebant enim constare suo tempore illam vnicam fuisse filiam patris sui, & hæreditariam, nec dubitari posse, quin ipsa, & S. Ioseph seruassent legem de nubendo intra eandem tribum, & familiam. Non est autem consuetum in Scriptura Sacra Socerum appellari patrem, nec in tertia persona historicus id fecisset, vt bene aduertit Salmeron, esto Noemi appellarit filiam Ruth, quæ erat eius nurus: nam & Abraham diuiti Epuloni dixit, *fili recordare &c.* Et illud *qui fuit Heli*, cum violentia detorquetur à Iosepho, & applicatur Christo; Nec *Ioachim*, siue Hebraicam, siue Græcam radicem consideres, potest per abbreuiationem dici *Heli*, vt doctè probat Vasquez tom. 2. ad 3. part. disp. 127. cap. 4. à num. 40. qui tàm fusè, & solidè refutat hoc, et figmenta, ac reuelationes Rabbinorum à Galatino adducta, et argumenta Hosiandri, vt non sit nobis necesse plura addere, et consultius sit illũ legere, quam huc transcribere, cum liber sit obuius.

30 *Quarta* opinio est Petri Possini in Diallactico Ge-

nealogiæ Christi cap. 58. et 59. pro qua ex parte adducit auctorem Elucidarij tract. 13. c. 1. Et Io. Bessonum super Cantica; et primò quidem conatur suadere *Iacobum* non fuisse naturalem patrem S. Iosephi tribus argumentis, quæ iam refutauimus num. 27. Deinde ait *Heli* genuisse naturaliter duos filios, ex vidua *Iacobi* fratris defuncti, videlicet *S. Iosephum* primogenitum, et *S. Ioachimum*, qui duxit S. Annam; mortuis autem SS. Ioachimo, et Anna sine masculis, S. Iosephum tanquam patruum non solum suscepisse in custodiam eorum filiam MARIAM, et suam neptem, sed debuisse illam ducere in vxorem, tanquam proximiorem vi legis, de qua dictum est capite præcedenti num. 8. et 9. hic relegenda, nec obstitisse votum virginitatis: poterat enim vterque coniungum persuadere alteri, abstinentiam à petendo debito coniugali, vt multi alij facere postea. Confirmat P. Possinus SS. Iosephum, et Ioachimum fratres, ex communi, et gentilitio cognomine patris, et aui; nam S. Io. Damascenus lib. 4. fidei Orth. c. 15. refert S. Ioachimi patrem dictum fuisse *Bar Pantherem*; auum autem *Pantherem*, at S. Epiphanius hæresi 78. patrem S. Iosephi cognominatum quoque *Pantherem*: et inde forte occasio fuit, vt habet Origenes lib. 1. contra Celsum, quibusdam blasphemandi Christum non ex Spiritu Sancto natum, sed ex *Panthere* quodam, idest de familia *Pantherum*. His positis concludit Possinus optimè explicari quomodo vterque Euangelista texuerit Christi Genealogiam, non solùm per Ioseph, sed etiam per MARIAM; omnes enim maiores Iosephi, fuisse quoque maiores MARIÆ.

31 Veruntamen hæc opinio ingeniosè excogitata, non habet sufficiens fundamentum in historia antiqua, et sine vlla necessitate recedit à tam multis Patribus, ac Doctoribus adductis num. 25. pro prima opinione. Quod enim de *Panthere* ait S. Epiphanius, non est sufficiens ad fundandam hanc opinionem, verba enim Epiphanij hæresi 78. sunt. *Hic equidem Ioseph frater fuit Cleophæ, erat autem filius Iacobi, qui Panther cognominabatur, hi ambo, idest Ioseph, et Clephas, à Panthere appellato gignuntur.* Ergo agnouit Iacobum pro patre naturali Iosephi, et Cleophæ, nec tacuisset Ioachimum, si et hic fuisset frater Iosephi; ex eo autem quod auus S. Ioachimi Panther, et pater Barpanter dicti sint, sequitur quidem Sanctos Iosephum, et Ioachimum fuisse de eodem gentilitio stemmate Pantherum, sed non sequitur fuisse fratres. Quanquam reliqua historia Epiphanij de S. Iosepho non est recepta, vbi dicit S. Iosephum ante coniugium cum MARIA suscepisse ex alia vxore sex liberos, et ea defuncta nupsisse MARIÆ Virgini annos agentem 80. et vltra.

32 Concludo igitur inter prædictas quatuor opiniones, *Primam* pro veriore eligendam esse, vtpote alijs præstantiorem antiquitate, numero, et qualitate Patrum Doctorumque, nec vllis argumentis probabilioribus refutabilem. Si quis tamen vnico intuitu velit conspicere has quatuor opiniones; Ecce synopsim earum.

Opinio ponit S. Iosephum filium.

I. Naturalem *Iacobi*; legalem ipsius *Heli*.
II. Naturalem ipsius *Heli*, legalem *Iacobi*.
III. Naturalem *Iacobi* Generum *Heli*, seu *Ioachimi* Patris B. V.
IV. Legalem *Iacobi*, Naturalem ipsius *Heli*, et fratrem S. Ioachimi.

CAPVT XIX.

De reliquis consanguineis S. Iosephi, & Deiparæ Virginis MARIAE, ac IESV Christi Domini Nostri.

De Virginitate perpetua S. Iosephi.

1 IN Euangelio non semel quidam appellantur fratres Domini, & quædam sorores, vt Matthæi 13. nu. 55. & Marci 7. nu. 3. Vnde quidam putarunt hos filios fuisse S. Iosephi ex vxore alia distincta à MARIA Virgine (pudet enim referre impudentissimos hæreticos, qui ausi sunt eos ex Deiparæ copula cum S. Iosepho natos afferere) immò id inseruerunt cuidam Euangelio Petri, aut Iacobi, quo decepti sunt aliqui etiam Sancti viri; ait enim Origenes in cap. 13. Matth. *Fratres autem Iesu putabant nonnulli esse ex traditione Hebræorum sumpta occasione ex Euangelio, quod titulum habet: iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi filios Ioseph, ex priore vxore, quæ conuixerat ipsi, antequam duceret MARIAM*: Et sic intellexit Euangelium Matthæi, & Marci S. Epiphanius hæresi 78. dicens. *Habuit autem hic Ioseph primam suam vxorem ex tribu Iuda, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos duas fœmellas, vt Euangelia Marci, & Ioannis declarauerunt.* Hos autem dicit fuisse *Iacobum Obbiam*, seu *Iustum* eius primogenitum, qui primus fuit Episcopus Hierosolymis, & quem Apostolus appellat fratrem Domini, additque genitum à Iosepho agente annum circiter 40. deinde *Iosen*, & postea *Symeonem*, inde *Iudam*, & duas filias *Mariam*, & *Salomen*; & mortua vxore duxisse MARIAM Virginem cum ageret annum 80. et vltra, sed ante ipsum S. Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. hist. c. 3. dixerat Iosephum ex vxore sua *Salome* genuisse *Iacobum*, *Simeonem*, *Iudam*, & *Iosephum*, & duas fœminas *Esther*, & *Thamar*, & eiusdem opinionis videntur fuisse Nyssenus homil. de Resur. Christi orat. 2. Chrysostom. homil de Annunciat. Theophylactus in Matth. c. 7. Euthymius in Matth. c. 2. ex Latinis autem Hilarius can. 1. in Matth. et Ambrosius in Epist. ad Galatas cap. 1.

2 Sed audiendus S. Hieronymus in cap. 12. *Quidam*, inquit, *fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta Apochryphorum, & à quadam Escha muliercula confingentes; Nos autem, sicut in libro, quem contra Heluidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Iosephi, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio loco Euangelij fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis scriptura demonstrat.* Idem verò aduersus Heluidium detestabilem hæresiarcham ait. *Tu dicis MARIAM Virginem non permansisse: Ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio, virgo filius nasceretur.* Consonat S. Augustinus Serm. 14. in Natiu. Domini dicens: *Habe Ioseph cum Maria coniuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum*, & paulo inferius: *Gaude itaque Ioseph nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugis; quia per meritum virginitatis, ita separatus, & à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* Concinit q; Theodoretus in c. 1. Epist. ad Galatas, quatenus scribit: *Appellatur quidem Iacobus frater Domini, sed non erat natura, nec Iosephi filius, vt quidam putarunt ex priori matrimonio natus, sed erat Cleophæ quidem filius; Domini autem Consobrinus.* Pseudoeuangelia porrò siue Petri, siue Iacobi à Seleucio Manichæo conficta testis est Innocentius Papa Epist. 3. ad Exuperium; & ideo Gelasius in Concilio Romano tit. de Apocryphis sanxit hæc. *Euangelium nomine Petri Apocryphum, Euangelium nomine Iacobi minoris apocryphum.* Post quos B. Petrus Damianus Epist. 11. c. 4. ad Nicol. Pontif. c. 4. fidenter dicit Ecclesiæ fidem

in eo

in eo esse, vt non modo Deipara, verum etiam putatiuus Christi pater, ac nutritius virgo habeatur. Et Epist. 6. dixerat. *Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à virgineo nutritio tractaretur.* Idem indicat S. Bernardus Sermone 2. super Missus est prope finem, Clarè Beda in c. 8. Rupertus l. 1. de gloria, & honore filij hominis, Hugo Victorinus q. 8. in Epist. ad Galat. D. Thom. lect. 5. in Epist. ad Galat. nec pauci Scholastici in 4. d. 30. vt Paludan. q. 2. art. 2. Maior q. 4. ibiq. D. Thomas ait Iosephum cum Maria virginitatem vouisse: Gerson serm. 2. de Natiuit. Mariæ consid. 3. Lipomanus in vita S. Iosephi, Abulensis q. 33. in c. 1. Matth. Salmeron tom. 3. tr. 30. & tom. 15. disp. 25. Canisius l. 2. de Deipara c. 13. Baronius in apparatu ad Annales, citans Bedam, & Albinum Flaccum, Suarez tomo 2. in 3. part. disp. 5. sect. 4. Et Io. de Sylueira in Euangelia l. 1. c. 10. q. 3. Cornelius à Lapide in c. 1. Matth. versu 16. Salianus anno Mundi 4051. num. 27. Et sanè vt argumentatur S. Thomas, si Christus Matrem suam Virginem Virgini Ioanni commendauit, æquè congruum fuit, vt eam prius Iosepho virgini custodiendam dederit, & præuenerit matris suæ desiderium de non nubendo nisi sponso, qui & fuisset antea virgo, & postea secum in eodem proposito permaneret. Neque enim redigendi sunt hi duo Sacratissimi coniuges in classem ordinariam, nec sterilitatis notam timuisse dicendi sunt, & proinde à Virginitatis proposito abstinuisse, quos Deus in horizonte legis gratiæ elegerat, vt vexillum virginitatis, velut antesignani præferrent tam multis, non solùm virginibus citra matrimonium, sed etiam in matrimonio futuris in Ecclesia. Sic *Iesus corona virginum pascebat inter lilia*, vt canit Ecclesia.

3 An verò S. Ioseph, & quando emiserit votum de virginitate quæri solet, sed credibilius est, tunc votum virginitatis, hactenus absque voto expresso, seruatæ emisisse, quando agnouit Mariam illud antea nuncupasse, id enim ante desponsationem nouisse, vt ipsa Virgo S. Brigittæ reuelauit lib. 7. c. 25. dicens. *Veruntamen pro certissimo scire debes, quod Ioseph antequam desponsauit me, intellexit in Spiritu Sancto, me vouisse virginitatem meo Deo.* Eum autem voto Mariæ cognito consensisse, et emesisse simile votum sentiunt Scholastici in 4. d. 30. & specialiter D. Bonauentura q. 2. Scotus q. 2. Richardus art. 2. q. 1. Maior q. 4. Henricus quodlib. 9. q. 11. Hugo Victorin. de perpetua Virginitate Mariæ c. 1. Consaluus Durantus in notis ad Reuelat. S. Brigittæ, Suarez tom. 2. in 3. p. d. 5. sect. 4. Canisius l. 2. de Deipara c. 13. Ex quibus hoc, & præcedenti numero dictis sequitur nomine fratrum Domini, non intelligi filios S. Ioseph, sed alio modo ei cognatos.

De vero Matrimonio inter MARIAM semper Virginem, & Iosephum.

4 CErtum est de fide S. Iosephum, non solum sponsum, sed etiam *Virum*, & coniugem fuisse Mariæ semper Virginis, atque adeo verum, & proprium fuisse illorum matrimonium; cùm nulla hic sit necessitas recedendi à proprietate verborum, & obuio sensu literali Sacræ Scripturæ, & Matthæi 1. scriptum sit. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, & versù 18. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph*, & vers. 19. *Ioseph autem vir eius*, & vers. 20. *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariã coniugem tuam*, et vers. 24. *Et accepit coniugem suam*, et Lucæ 1. narratur Angelus Gabriel missus *ad Virginem desponsatam virò, cui nomen erat Ioseph de Domo Dauid, & nomen Virginis Maria*, et c. 2. *Ascendit autem et Ioseph etc. cum Maria desponsata sibi vxore prægnante*. Huc spectat illud Matthæi: *Antequam conuenirent*, quod supponit ius conueniendi ob vinculum coniugale, & illud. *Voluit occultè dimittere illam*: nam, vt ait S. Ambrosius l. 2. in c. 1. Lucæ: *Quam nemo accepit, nemo dimisit, & ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* Atq; adeo non obstante antecedenti voto virginitatis à Maria emisso, verum contraxisse matrimonium cum Iosepho sensere S. Ambrosius supra, Origenes homil. 6. in Lucam, S. Basilius homil. 25. de humana Christi generatione; S. Hieronymus in c. 1. Matthæi, S. Augustinus lib. de nuptijs, & Concupisc. c. 2. & l. 2. de Consensu Euangel. c. 1. Hugo Victorinus libro de Virginit. Mariæ; Scholastici in 4. dist. 29. & 30. S. Thomas 3. p. q. 29. art. 2. Abulensis in c. 1. Matth. q. 30. & 32. Salmeron tomo 3. tract. 29. Canisius lib. 2. de Deipara cap. 11. & 12. Barradius tomo 1. l. 6. c. 7. Suarez tomo 2. in 3. dart. disp. 7. Consaluus Durantus in notis ad reuelationes S. Brigittæ l. 7. c. 25. Menochius in historia vitæ Christi c. 3. Io. de Sylueira l. 1. in Euangel. c. 10. q. 1. Salianus Anno Mundi 4051. nu. 19. Paulus à S. Catharina in Victricis Mariæ Epinicijs lib. 2. c. 2. sect. 1.

5 Ad hanc veritatem pernoscendam, & soluendas obiectiones supponendum est primò Deiparam Virginem in voto virginitatis emittendo habuisse implicitam conditionem obediendi Deo, si aliter ipse præciperet, cum vota nec teneant, nec placeant, nisi quatenus acceptantur à Deo, & hoc ipsum indicant verba illa. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* non dixit enim, *Nullo modo fiet istud*, sed requisiuit an id faciendum esset, salua sua virginitate, quam Deo vouerat; parata vtique obedire Deo; si ei fuisset imperatum, vt cognosceret virum. *Secundò* supponendum est cum cõmuni Doctorum B. Virginem quando à Sacerdotibus templi desponsendam se Iosepho nouit, ex reuelatione Diuina, & instinctu Spiritus Sancti acceptasse desponsationem, cum certitudine nunquam se ad carnalem copulam peruenturam, sed Iosephum consensurum ipsius perpetuæ virginitati, vt in primis post Hugonem S. Thomas supra art. 1. ad primum, alijq; Scholastici; sicut simili spe S. Cæcilia nupsit Valeriano; Hæc autem præscientia, & spes non repugnauit immò stare potuit cum voluntate tradendi ius coniugi in corpus suum, quo sciebat ipsum nunquam vsurum, & cum voto nunquam petendi ab eo debitum coniugale: sicut ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit. *Ascendente Domino*, constat stare verum Dominium in Religiosis Societatis IESV, nondum professis, cum vero voto simplici paupertatis quoad vsum, idest cum voto non vtendi iure illo absque licentia superioris. Posita itaque tali reuelatione, & præcognitione potuit B. Virgo consentire in verum matrimonium, non solum absque vllo desiderio copulæ carnalis, sed etiam absque vlla illius intentione actuali, & expressa siue absoluta, siue conditionata suspendendo omnem actualem consensum etiam conditionatum, idest sub conditione quod coniux debitum peteret, nam ex vna parte frustra erat talis consensus, cum certò sciret nunquam ad id deueniendum esse, & ex altera parte diminuisset perfectissimum votum virginitatis. Sunt enim valde distincti duo hi actus: *Volo, vt habeas ius coniugale in corpus meum*. & hic: *Volo vt vtaris iure coniugali, si volueris eo vti*: nec sunt formaliter, aut æquiualenter idem, sed habent diuersa obiecta, vnus ius vtendi, alter vsum ipsum; Multò verò magis potest stare prior actus cum actuali proposito vitandi omnem actualem copulam, aut occasionem illius, & cum desiderio ne alter petat. Quod autem in actu tradendi ius coniugale alteri includatur conditionalis intentio reddendi debitum, si ab altero coniuge petatur, non est propriè velle, nec repugnat perfectissimo voto virginitatis. An autem salua substantia matrimonij potuerit B. V. ante sponsalia, vel in ipsis pacisci mutuo de non petendo vnquam debito, affirmant Carthusianus in vita Christi p. 1. c. 3. Paludanus in 4 ad 30. q. 2. Gerson sermon. de Natiu. B. Mariæ, & Abulensis in c. 30. Numeror. q. 32. Nam illa conditio non perimit omnem effectum matrimonij, quia in vtroq; manet ius ne alter contrahere possit matrimonium cum alia persona; & si alter violet tale pactum petendo debitum, peccabit contra iustitiam, non erit tamen fornicarius, nec filij illegitimi. Reuera enim distincti sunt specie hi duo contractus, nec videntur incompossibiles; Nihilominus S. Thomas & plures cum eo censent esse contra naturam matrimonij. Quidquid sit de hoc, in casu nostro non fuit opus tali conditione, sed sufficit reuelatio præcedens, nec nisi post contractum matrimonium B. Virgo manifestauit S. Iosepho votum suum, statimq; ipse consensit, emisso etiam voto simili; Quid ni enim consentiret castissimus ex se Ioseph, & ad id electus, & adiutus à Deo longè maiori gratia, quàm alij coniuges, qui post contractum matrimonium seruarunt mutuò castitatem; vt *SS. Chrysantes*, et *Daria*; *Cæcilia*, et *Valerianus*; item *Amon* Ægyptius, *Iulianus*, et *Basillissa*

Martyres, *Henricus* Imperator, et *Chunegundis*, et *Eduardus* Britannorum Rex eiusque vxor *Editha*; item cum suis vxoribus *Eduardus* III. Anglorum Rex, *Vandesillus* Comes Palatinus; *Theophanes*, et *Emericus* Pannonius Stephani Regis filius; *Alphonsus* Aragoniæ Rex cognomento *Castus*; Et *Eghardus*, cum *Katharina* filia S. Brigittæ; ac demum Comes *Elzearius* cum Delphina, voto insuper in Ecclesia Massiliæ de hoc nuncupato. Immò credibile est S. Ioſephum valde lætatum esse, sibi obtigisse Sponsam talem, cum qua seruare posset perpetuam virginitatem, et impletum esse illud Isaiæ 62. *Habitabit iuuenis cum virgine &c. & gaudebit sponsus super sponsam.*

6 Iam si ad substantiam matrimonij rati sufficit mutuus consensus tradendi ius sui corporis alteri coniugi, iuxta illud 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c.* nec requiritur actualis consensus, ne conditionatus quidem in copulam; multo minus requiritur copula ipsa, esto hæc requiratur, ad matrimonium consumatum, qui effectus non est de essentia Matrimonij rati: asserente S. Ambrosio l. 2. in c. 1. Lucæ: *Non enim virginitatis ereptio, sed coniugis testificatio, nuptiarum celebratio declaratur*, et lib. de institut. Virginis c. 6. *Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis.* Et S. Augustinus l. 1. de nuptijs, et concupisc. c. 11. inquit. *Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph: noli timere accipere Mariam coniugem tuam, Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cognituras* etc. Et l. 2. de Consensu Euangelistarum c. 1. *Hoc exemplo magnificè fidelibus insinuatur coniugibus etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere vocarij; coniugium, non permixto corporis sexu sed custodito mentis affectu.* Prætereal. 1. de nuptijs et concupiscentia definiuerat impleri matrimonium tribus hisce, *Prole, Fide, Sacramento*, & de prole, ac fide nemo dubitat, esto proles illa sit nata illis ex Spiritu Sancto. Sacramentum autem Matrimonij nondum fuerat institutum, sed eminenter illud continuit hoc matrimonium; & licet non fuerit figura spiritualis matrimonij inter Christum, & Ecclesiam, sicut fuit coniugium Adam, & Euæ, quia Ioseph, & Maria non fuere duo in carne vna, tamen spiritualis connubij Sacramentum, aut mysterium repræsentarunt, de quo Apostolus 2. Cor. 11. dicens, *Desponsi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Denique S. Augustinus, l. 1. de nupt. & conc. c. 11. *Absit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur, imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque seruanda sunt, non voluptuarijs corporũ nexibus, sed voluntarijs affectibus animorum:* Egregiè Hugo Victorinus lib. de Virginitate Beatæ MARIÆ. *De incorrupta virginitate Matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter confitetur, quod eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus, quemadmodum castitatem illius non violauit conceptus, nec integritatem abstulit partus.* Et paulò post ratione demonstrat inquiens: *Quid enim est coniugium nisi legitima societas inter virum, & fœminam, in qua ex pari consensu vterque semetipsum debet alteri*, & paucis interiectis: *Est adhuc alius consensus, sed carnalis commercij ab inuicem exigendi atque reddendi, similem inter virum ac mulierem pactionem constituens, comes non effector coniugij, officium, & non vinculum.* De hoc autem secundo debito subiungit. *Huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subijcit, in quibus dum coniugium contraberetur, huius operis consensus non præcessit*, & inhærens S. Augustino pergit: *Nec tamen hoc officio cessante veritatem, seu virtutem coniugij cessare credend..... est, imò potius tanto verius, ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentia carnis, libidinis ardore fundatũ est*; Et cœtera dignissima lectu. Postremo Matrimonium ratum, consensu non copula perfici definitum est in cap. *sufficit* 27. q. Et in Concilio Florent. ab Eugenio IV.

7 Neque obstat dictum S. Augustini supra de Nupt. & Concupisc. *Vouentibus virginitatem non solum nubere sed velle nubere damnabile est.* Nam Deipara non voluit nubere sponte, & antecedenter ad reuelationem diuinitus habitam de obtemperando Sacerdotibus cum præuotione virginitatis inuiolatæ perpetuo futuræ. Reliqui Patres aut Auctores, qui S. Ioſephum pro mero custode videntur agnoscere, aut eius nuptias, aut mariti nomen negare, intelligendi sunt de *Matrimonio consummato*; toti enim sunt in amouenda omni suspicione copulæ carnalis, & vt fit in alijs controuersijs, ita in hanc partem feruntur, vt videantur alteri extremo derogare; sed reuera non negant veritatem *Matrimonij Rati*. Sic intelligendus S. Hilarius Can. 1. in Matth. *Mater potius Christi virgo quia id erat, non vxor Ioseph est nuncupata, quia non erat*, Et S. Cyprianus de Passione Domini: *Obsequium Virginis Virgini discipulo tradis Domine, vt iam non Ioseph tanti mysterij oneretur præpositura, sed Ioannes, quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris, & coniugis tenuerat.* Et D. Chrysostomus in c. 1. Matth. desponsatam ait: *vt seruaretur non coniungeretur*, & S. Gregorius Nyssenus homil. de Natiuit. *Ex consilio sacerdotum puellam sponsam accepit, quæ tamen coniunctio sponsalia non est egressa*: Item D. Hieronymus contra Heluidium: *Ioseph Mariæ custos potiùs fuit quàm maritus.* Et in c. 2. Matth. *non dixit; accepit filium suum, & vxorem suam, sed puerum, & matrem eius, quasi nutritius, non maritus.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 175. *Ioseph maritus solo nomine, conscientia sponsus.* Et S. Augustinus l. de S. Virginit. c. 4. *Desponsata est viro custodituro quod ipsa vouerat.* item D. Cyrillus Hierosol. Catechesi 12. *non dixit cum vxore sua, sed cum Maria desponsata sibi vxore*, & paulo ante *Maria propter solam desponsationem vxor Ioseph vocabatur.* Et S. Grogorius homil. 26. in Euangel. *Dominus Mariam habere sponsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit*: ideſt ad nuptias quæ tunc temporis consueuerant celebrari consummando matrimonium: Quo sensu S. Augustinus serm. 13. de Natali Domini. *Concepit Virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat.* Et S. Bernardus homil. 2. super missus est: *Mirum cur desponsata fuerit non nuptura*, & rursus ibidem: *Virum nominat Euangelista Ioseph, non quia maritus, sed quòd homo virtutis erat.* Et iterum: *Nec vir Matris, nec filij pater extitit Ioseph, quamuis vtrumque ad tempus & appellatus sit, & putatus.* Sic Epiphanius hæresi 78. dixerat: *Desponsata, & non Nupta*, Sed certè vt S. Ioseph posset esse idoneus testis virginitatis MARIÆ post quam concepisse, & peperisse illam constitit, oportebat eum esse verum eius coniugem, & non tantum putatiuum, hæc enim est vna ex præcipuis causis, ob quas Christus de Virgine coniugata nasci voluit, vt mox dicemus.

Quare Christus ex Virgine desponsata viro nasci voluit?

8 CAusas, & congruentias huius coniugij adducunt S. Thomas 3. p. q. 29. art. 1. Abulensis in c. 1. Matth. q. 31. Canisius l. 2. de Deipara c. 11. Salmeron tomo. 3. tract. 29. Barradius tomo 1. l. 6. c. 7. et Paulus à S. Catharina in Mariæ Victricis Epinicijs l. 2. c. 2. sect. 1.

Prima causa fuit honor Christi, ne putaretur natus ex fornicatione, Nam, vt aduertit S. Ambrosius l. 2. in Cap. 1. Lucæ: *Quid Iudæis, quid Herodi posset adscribi, ideſt quid culpæ, si natum viderentur ex adulterio persecuti?* Et S. Bernardus 2. homil. super Missus est; *Tolerabilius fuit atque honestius putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.* Sed dices huic prouideri potuisse reuelando ab initio, vt postea factum est ab Euangelistis, ipsum conceptum fuisse de Spiritu Sancto. Respondeo non esse id factum ab ipsis sine testimonio S. Ioſephi, et neminem aptiorem fuisse ad id certificandum.

Secunda igitur causa fuit, vt more humano extaret testis perquam idoneus Virginitatis MARIÆ, nemo enim aptior Coniuge ipsius. Sic Ambrosius lib. 2. in cap. 1. Lucæ: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium.* Et Basilius homil. de humana Christi generatione; *Vt Ioseph domesticus puritatis Mariæ testis esset*; Et S. Bernardus homil. 2. super Missus est: *Illa vtique fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ: sicut Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est resurrectionis confessor; ita Ioseph Mariam sibi desponsando, eiusque conuersationem studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.*

Ter-

Tertia causa fuit, vt consuleretur famæ ipsius Virginis, cui non facile credidissent cognati, et conciues, si ipsa asseruisset, se ex Spiritu Sancto concepisse, si nullo modo desponsata fuisset; contra verò si desponsata esset, non habebat causam vllam mentiendi, cum posset æstimari eam potius ex legitimo concubitu concepisse. Sic Ambrosius supra. *Fides Mariæ verbis magis adsciscitur, & mendacij causa remouetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse innupta mendacio prægnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum partus sit fœminarum.* Item Bernardus supra: *Necessariò desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc, & a canibus Sanctum absconditur, & a Sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ consulitur.* Luculenter Ambrosius loco citato: *Desponsata Virgo, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Sciebat Dominus teneram esse Virginis, & lubricam famam pudoris. Seruatur itaque S. Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione, virginitas.* Et ne lapidaretur à Iudæis tanquam adultera, vt ait Hieronymus in cap. 1. Matthæi. Quanti autem fecerit Deus bonam famam Matris suæ, expressit Ambrosius supra illis verbis. *Maluit Dominus aliquos de sua generatione, quàm de Matris pudore dubitare.*

Quarta causa fuit, vt Virgo haberet adiutorium simile sibi, et solatium in fuga in Ægyptum, et in alijs necessitatibus, vt aduertunt Origenes homil. 3. de diuersis, Hieronymus, et Theophylactus in cap. 1. Matth.

Quinta causa fuit, vt simul commendarentur virginitas, et coniugium, dicente Basilio homilia 25. de Christi generatione. *Vt & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.*

Sexta causa, vt Genealogia Christi per virum, et patrem, et inde per matrem more Hebræorum texeretur: Siquidem, vt ait Ambrosius lib. 3. in cap. 3. Lucæ: *Qui in seculum venit, seculi debuit more describi: viri autem persona quæritur, qui in Senatu, & reliquis Curijs ciuitatum, generis asserit dignitatem.*

Septima denique causa à S. Ignatio Martyre adducta, apud Hieronymum in c. 1. Matth. *Vt partus eius diabolo celaretur, dum eum putat non de Virgine, sed de vxore generatum.* Seu, vt ait Basilius homilia 25. citata: *Vt Mariæ virginitas, seculi huius diabolum lateret, nupta Ioseph fuit, vt nuptiarum nomine suspensus facile deciperetur. Virgines namque in primis obseruabat, quarum vnam parituram ex propheta cognouerat, dicente. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Virginitatis igitur insidiator obseruatorque, sub matrimonij specie factus ignorans à malignitate abstinuit.* Quam rationem approbant homil. 6. in Lucam, Theophylactus in cap. 1. Matth. Ambrosius lib. 2. in Lucam, Damascenus 4. Fid. cap. 15. Rupertus lib. 11. de victoria Verbi cap. 19. Bernardus homil. 3. super Missus, & homil. 4. in vigil. Natiuit. & S. Thomas 3. p. q. 29. art. 1. ad 3. Neque dicas cum Scoto in 3. dist. 30. q. 2. potuisse sine coniugio impediri diabolum, ne virginitatem Deiparæ cognosceret, nam inter alios modos hic fuit conuenientissimus; Neque item dicas cum Abulensi q. 31. in Matth. Diabolum, non obstante Matrimonio, facile discernere potuisse virginem, à corrupta; respondet enim S. Thomas cum Augustino, multa posse diabolum virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute diuina. Potuit ergo post matrimonium iam contractum, cessare ab obseruanda hac virgine, quippe qui occulta cordium nescit, & votum eius ignorabat, ac perseuerantem animum in voto virginitatis, neque enim diabolus actuali aduertentia omnia, quæ in mundo fiunt contemplatur; vel potuit alio distrahi à Deo positiuè immissa alia cogitatione, aut negatiuè subtrahendo suum concursum cogitationi huic, vsque ad tempus, quo post Christum frustra tentatum, & post miracula eius, & testimonium Ioannis, & dicta ipsius Christi de seipso, iam dæmones agnouere, & clamauere ipsum esse Filium Dei: At si dicas non fuisse consultum his, quia Ioseph octogenarius nupsit Mariæ, & inhabilis ad prolem, ac perinde fuisse, ac si non nupsisset, hoc falso assumi mox docebo.

Qua ætate Coniugum celebratum sit hoc matrimonium.

9 DE Virginis ætate iam dictum est cap. 14. nu. 4. nuptui traditam, cum esset annorum 14. mense 4. ante Annunciationem, & Incarnationem Verbi. De S. Iosepho autem Epiphanius hæresi 78. contendit Iosephum nec ante Incarnationem Verbi, nec post potuisse ex Maria Deipara suscipere filios, ratione senectutis, dicens; *Quomodo enim poterat tantus senex virginem habere vxorem, quum esset viduus à prima vxore per tot annos?* Et aliquanto inferius: *Et mortua est ipsius vxor, & post multos annos accepit Mariam viduus, agens annum in viduitate sua fortasse octogesimum, & vltra.* Censet porrò ibidem Iosephum paulo post duodecimum Christi annum obijsse nonagenario maiorem, sed centenario minorem, eo quòd de ipso nulla fiat mentio in Euangelio. At Cedrenus quoque in Compendio hist. idem sensit, dum dixit, mortuum esse anno ante baptismum Christi annorum 110. detractis enim annis Christi 30. relinquuntur anni 80. In hanc opinionem propendet Io. Ekius in sermone de S. Iosepho, & Nicephorus lib. 1. cap. 7. dicens: *Ioseph senio, & honestate morum, iam pridem bonæ fidei existimationem consecutus erat.* Abulensis autem in cap. 30. Numeror. q. 31. & in cap. 1. Matth. q. 32. ait fuisse Senem quidem, sed adhuc ad generationem idoneum; & Io. Gerson Cancellarius Parisiensis serm. de Natiu. Virginis consid. 3. putat fuisse quinquagenarium, & inde incipere senectutem. Contra Viguerius cap. 20. institutionum paragraph. 9. & Maior, & Lyranus in Matth. 1. putant fuisse iuuenem, nec excessisse annos 30. et huc facere illud Isaiæ 62. *Habitabit iuuenis cum virgine.* Ex nostris autem Salmeron tomo 3. tract. 29. Canisius l. 2. de Deipara cap. 13. Bartadius tomo 1. lib. 6. cap. 7. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 7 sect. 3. et Salianus tomo 6. Annalium Anno Mundi 4051. nu. 23. censent fuisse ætatis virilis, puta inter 30. & 50. annos, tum vt esset aptus ad itinera ex Nazareth in Bethleem, & ex Iudæa in Ægyptum, & inde in Galilæam, & hinc per singulos annos Ierosolymam, vt narrat S. Lucas; tum, vt fabrili arte sustentare posset se, & familiam suam; tum quia à Sacerdotibus ideo delectus ad connubium, quia iudicatus idoneus ad generandum; tum præcipuè vt consultum esset famæ Virginis, & honori Christi, iuxta dicta num. 8. Alioquin si decrepitus fuisset, aut senex inhabilis ad generationem, vt voluit Epiphanius, & eius Sectatores, potuissent multi suspicari, & rationabiliter dubitare Christum natum de adultera, quo solo argumento corruit illa opinio Epiphanij, quamuis aliunde falsam esse docuerimus, & contra virginitatem perpetuam S. Iosephi num. 1. & 2. Concedit tamen Canisius ingeniosæ pietati pictorum picturam Iosephi senis, vt amoueant ab imperitis, & pronis ad male iudicandum omnem suspicionem concupiscentiæ; sed reipsa non fuit ibi tale periculum, cum Deus in eo extinxerit fomitem, & molto maius donum puritatis illi concesserit, quàm tot alijs iuuenibus, qui in historia Ecclesiastica insignes sunt ob tale donum, & tot alijs coniugatis, quos nominauimus supra sub finem numeri 5.

De S. Iosephi Parentibus, & Fratre.

10 IAm cap. 18. num. 26. & 32. cum Africano, & communi antiquorum Patrum, concluximus *Mathanum* de stirpe Dauid per lineam Salomonis, ex *Esta*, seu *Iescha* vxore genuisse Iacobum, & mortuo *Mathana* ductam fuisse eius viduam *Estham* à *Mathat*, qui fuit de stirpe Dauid per lineam *Nathani*, ex eaque genuisse *Heli* fratrem vterinum, seu maternum *Iacobi*, deinde *Heli* mortuo sine liberis, *Iacobum* duxisse ipsius viduam, vt susciteret semen fratri suo vterino, ex eaque genuisse *S. Iosephum*, qui proinde fuit filius naturalis *Iacobi*, & filius legalis ipsius *Heli*. Non constat verò nomen Matris S. Iosephi, neq; vnde Epiphanius Iacobum eius patrem dixerit vocatum *Pantherem*; Esto igitur de stemmate antiquo S. Iosephi pars hæc illi propior, pro quo vide quæ de Cleopha dicemus nu. 23.

Ma-

Mathan ex *Eſtha* genuit *Iacob.*
Iacob ex vidua ipſius Heli mortui ſine liberis, genuit SS. *Cleopham, & Ioſephum.*

Mathat ex *Eſtha* vidua *Mathani* genuit *Heli* moriturum ſine liberis, & legalem patrem *Cleophæ, & Ioſephi.*

De Sancti Ioachimi Parentibus, & Auis, eiuſque conditionibus.

11 SAnctus Io. Damaſcenus lib. 4. fidei Orthod. cap. 15. hæc habet: *Ex ſtirpe Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherem, Panther autem genuit Barpantherem (nam ita vocabatur) Barpanther rurſus genuit Ioachim. Rurſus ex ſtirpe Salomonis filij Dauid, & vxore ſua Mathan genuit Iacob, mortuo autem Mathan, Melchi ex familia Nathan filius Leui, et frater Pantheris, vxorem ipſius Mathan, quæ etiam Iacobi mater erat, ſibi matrimonio copulauit, atque ex ea genuit Heli, ille nimirum ex familia Salomonis, hic ex familia Nathan oriundus. Porrò ex familia Nathan, abſq; liberis migrauit è vita: ea de cauſa Iacob fratris ſui ſemẽ excitauit, ac Ioſeph progenuit &c.* Ita ille ſecutus Africanum, & exemplaria illa Euangelij Lucæ, in quibus deerant *Mathat*, & *Leui* inter *Melchi*, et *Heli*. At ex multitudine Codicũ conſpirantium, et poſſeſſione Vulgatæ editionis iam capite 18. nu. 24. concluſimus retinendũ in textu Lucæ hũc ordinem. *Qui fuit Heli, qui fuit* Mathat, *qui fuit Leui, qui fuit* Melchi, nec aliter conciliari hæc poſſunt cũ Africani, Nazianzeni, Ambroſij, et Damaſceni opinione aſſerentibus *Heli* fuiſſe filium *Melchi*, et hunc filium *Leui*, quàm transferendo nomina, et ponendo *Melchi* pro *Mathano*, et *Mathanum* pro *Melchi*, aut duplicando nomen patris *Heli* (quod non eſt inſolens in Scriptura) ita vt pater *Heli* fuerit *Mathat*, vt habet Lucas, et alio nomine aui ſui dictus ſit *Melchi*, vt habent dicti quatuor Patres. Iam verò in libello de Natiuitate S. Mariæ, quem S. Hieronymus in Epiſtola ad Chromatium, et Heliodorum ex Hebraico in Latinum tranſtulit, et de quo ita cenſuit. *Vt hæc dubia eſſe pronuncio, ita liquido falſa non affirmo*: in eo inquam libello narratur de S. MARIA. *Pater eius Ioachim, mater verò Anna dicebatur: Domus paterna eſt ex Galilæa, & Ciuitate Nazareth; Maternum autem genus ex Bethleem erat. Vita eorum ſimplex, & recta apud Dominum, apud homines irreprehenſibilis erat, & pia. Nam omnem ſubſtantiam ſuam trifariam diuiſernnt. Vnam partem templo, & templi ſeruitoribus impendebant, aliam peregrinis, & pauperibus erogabant, tertiam ſuæ familiæ vſibus, & ſibi reſeruabant. Ita iſti Deo chari, hominibus pij per annos circiter viginti caſtum domi coniugium ſine liberorum procreatione exercebant.* Pergit de voto ab ipſis facto mancipandi Dei ſeruitio prolem, ſi ea donarentur, de exprobratione facta à Pontifice in feſto Encæniorum, quòd Ioachim infœcundus eſset, de Angelo qui Ioachimo apparens dixit. *Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam*, et iterum apparuit Annæ hoc confirmans, et quomodo triennio expleto præſentata ſit in Templo, et anno 14. ætatis à Pontifice deſponſata ſit Ioſepho. Fuiſse autem ſterilem S. Annam, nedum Ioachimũ, et precibus impetraſse à Deo filiam MARIAM, expreſsè docent Epiphanius hæreſi 79. Gregorius Nyſcenus oratione in Natali Domini, Damaſcenus 4. fidei c. 15. Germanus Patriarcha Conſtant. ſermone de Mariæ oblatione in templo, Georgius Nicomed. Archiep. orat. de eadem oblatione, et Andreas Cretenſis ſerm. de dormitione Deiparæ, et S. Birgitta lib. 1. Reuelat. c. 9. Metaphraſtes de ortu, et educ. Deiparæ, et Nicephorus lib. 1. cap. 7. ſed Nyſcenus addit de Ioachimo. *Sed expers Sobolis conſeneſcebat, eo quod coniux eius ad liberos procreandos apta nõ eſſet.* At Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 7. nobilitatem, et ætatem ſimul adiungit dicens: *Ioachim, & Anna parentum erant nomina, ambo accuratiore iuxta præſcriptum legis vita præſtantes, & clari, nec non primis quibuſque, & ſplendidiſſimis, nobiliſsimiſque genere connumerati. Vitam autem ad ſenectutem ſine prole edita produxerant, erat enim ad liberorum procreationem Anna aluo infœcunda.* Addit ibi, et l. 2. c. 3. ex Euodio MARIAM triennio expleto à parentibus ablactatam, et in templo Deo eſse dedicatam. Andreas Cretenſis Archiep. Hieroſolym. ſupra concinit Nyſseno inſignem nobilitatem tribuens parentibus MARIÆ. Demum Georgius Cedrenus in Compendio hiſtoriæ ait: *Ioachimus exceſsit è viuis octogenarius: Anna annos nata vndeoctoginta vitam finijt: ab his in templum deducta Dei genetrix anno ætatis ſuæ tertio vndecim annos nata parentes amiſit.* Ergo B. Virgo nata eſt patri Ioachimo agenti annos 69. et matri Annæ annos 68. et quia vixerant annos 20. in coniugio ſteriles, ſequitur nupſiſse Ioachimum annorum 49. Annæ agenti annos 48. Euſebius Emiſsenus, aut quiſquis eſt auctor homiliæ illius in Euangel. de Natiuit. MARIÆ tradit, eam à parentibus hæredem vnicam relictam; quod ad minimum intelligi debet de tertia parte illa, quam ſibi reſeruarant. Hactenus de S. Ioachimi parentibus, patria, nobilitate, ſanctitate, et ætate qua nupſit, qua genuit Deiparam, et qua mortuus eſt. Eſto iam eius ſtemma ex dictis ſupra.

Melchi ex ſtirpe Dauid per Nathan genuit *Leui*, hic autem genuit *Mathat* alio nomine dictum *Melchi*, & deinde *Pantherem*; Rurſus *Melchi* iunior, ſeu *Mathat* genuit *Heli* patrem legalem *S. Ioſephi*, & *Panther* genuit *Barpantherem*, & hic *S. Ioachimum* vel hoc typo.

Melchi genuit. (*Leui* — et hic *Mathat*, ſeu *Melchi* iuniorem — et hic *Heli* patrem legalem *S. Ioſephi*. *Pantherem* — et hic *Barpantherem* — et hic *S. Ioachim*, et hic MARIAM Virg.

De S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Annæ parentibus & Auis.

12 SAnctus Hippolytus Epiſcopus Portuenſis, & Martyr apud Nicephorum l. 2. Hiſt. Eccl. c. 3. affirmat *Barachiam* Sacerdotem habuiſſe duos filios nempe *Aggæum* patrem. Salomes (ſed falſo) vocat vxorem S. Ioſephi, & *Zachariam* patrem S. Ioannis præcurſoris; deinde ait *Mathanum* Sacerdotẽ ex Maria coniuge genuiſſe in Bethleem tres filias, videlicet *Mariam* matrem Salomes obſtetricis; *Sobam* matrem S. *Elizabeth*, & *S. Annam* matrem Deiparæ Virginis, ac proinde cognationem Deiparæ cum Elizabetha fuiſſe in hoc, quod erant conſobrinæ, ſeu filiæ duarum ſororum, & S. Ioannem Baptiſtam conſobrinum Chriſti fuiſſe, nempe in ſecundo gradu. Hinc fit, vt S. Io. Bapt. fuerit de tribu Leui, & de ſtirpe Sacerdotali Aaronis, tam ex parte patris, quam ex parte matris. Errarunt porrò, qui *Mathanum* patrem trium dictarum ſororum confuderunt cum *Mathano* patre naturali Iacobi, & auo S. Ioſephi, vt fecere Cornelius a Lapide in c. 3. Lucæ verſu 24. & Iacobus Tirinus tomo 1. in Chronico Sacro c. 47. Tab. 4. Nam *Mathan* pater *Mariæ, Sobæ, & S. Annæ* fuit Sacerdos de Tribu Leui, vt expreſsè habet S. Hippolytus, at *Mathan* pater *Iacobi* & auus S. Ioſephi fuit de ſtirpe Dauid, & tribu Iuda ex Matthæi capite 1. An verò S. Anna ex parte Matris fuerit de tribu Iuda, & ſtirpe Dauid non conſtat certò ex hiſtoria, ſed ex eo veriſimile fit, quod genita ſit in Bethleem, vt ait S. Hippolytus ſupra, & domum ibidem habuerit, vt narrat Hiſtoria de Natiu. B. Mariæ apud S. Hieronymum. Eſto nunc ſtemma Præcurſoris, & S. Annæ.

Mathan Sacerdos genuit. (*Mariam*, et hæc *Salomen* obſtetricem. *S. Annam*; hæc autem Mariam V. — et hæc Ieſum. *Sobam*; hęc autẽ S. Eliſabetham (et hi S. Io. Baptiſtã
Barachias Sacerd. genuit. (Zachariam — et hic Aggæum — et hic Salomen.

An SS. Ioachimus, vel Anna habuerint alios liberos præter Mariam Deiparam, & hæc vnam duaſue ſorores.

13 RAtio dubitandi eſt, quia Ioannis 19. n. 25. ſcriptum eſt: *Stabant autem iuxta Crucem IESV mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.* Nulla eſt autem neceſſitas ſumendi hic nomen ſororis pro conſobrina, aut cognata, & recedendi ab obuio ſenſu Scripturæ ad literam, & rigoroſè acceptæ, qualis neceſſitas ob perpetuam virginitatem Mariæ, & S. Ioſephi cogit ad accipien-

piendum nomen fratrum Christi, non pro germanis, sed pro cognatis, vel consobrinis, aut alio simili modo consanguineis: Ergo Maria Virgo habuit germanam sororem Mariam Cleophæ, siue ex Ioachimo & Anna post sterelitatem superatam nata, siue ex Ioachimo & alia vxore post defunctam Annam, siue ex Anna & alio marito post defunctum Ioachimum. Qua de re tres reperio opiniones.

14 *Prima* opinio est *S. Annam* post susceptam ex *S. Ioachimo* MARIAM Deiparam, mortuo S. Ioachimo nupsisse *Cleophæ*, & ex eo genuisse *Mariam* dictam *Cleophæ* à patre; eandemque dictam *Mariam Iacobi* à filio quia nupsit *Alphæo*, & ex eo genuit *Iacobum* minorem, *Ioseph* Iustum, *Iudam Thaddæum*, & *Simonem*, Tandem mortuo *Cleophæ* nupsisse S. Annam viduam viro nomine *Salome*, & ex eo genuisse *Mariam Salomen*, quæ nupsit *Zebedeo*, genuitque *Iacobum* maiorem, & *Ioannem* Euangelistam; ideoque tam filios Alphæi, quam Zebedæi fuisse consobrinos Domini, vtpote filios sororum Matris Domini ex qua opinione stemma tale exhibemus.

S. Anna genuit ex
- S. Ioachimo – MARIAM Virg. – & hæc ex Spiritu Sancto IESVM.
- Cleopha – Mariam Cleophæ, & hæc ex *Alphæo*
  - *Iacobum* minorē
  - *Ioseph* Iustum
  - *Iudam Taddæum*
  - *Simonem*
- *Salome* – *Mariam Salome*, & hæc ex *Zebedæo*
  - vir
  - Iacobum maiorem Io. Apost. & Euang.

Ita opinati sunt Glossa ordinaria in cap. 1. ad Galatas, & in prologum Hieronymi ad Epist. Iacobi Hugo Victorinus in c. 1. ad Galat. Auctor. Histor. Euangel. cap. 47. Albertus Magn. in c. 19. Ioannis, D. Antoninus 1. p. hist. Petrus de Tarantasia, & Vincentius in speculo apud Petrum Sutorem, & ipse Petrus Sutor, Carthus libello de triplici connubio Annæ, Petrus de Natalibus in Catalogo, Haymon l. 2. rerum memorabilium c. 3. Ludolphus de vita Christi c. 5. Io. Eckius sermone de D. Anna, oppositam sententiam erroneam appellans, Maior in c. 10. [illegible]atthæi, Alphonsus Villegas in vita B. Virginis c. 5. & apud eum Balthassar de Soria, fingit autem Villegas S. Annam nupsisse anno ætatis suæ 35. Ioachimo, & anno 38. Cleophæ, & anno 40. Salome, denique Gerson eiusdem opinionis fuit tum in serm. de Natiuit. Virgin. tum in Iosephina, cuius versus sunt.

Anna tribus nupsit Ioachim, Cleophæ, Salomæque,
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna, Marias,
Quas duxere Ioseph, Alphæus, Zebedæusq;
Prima IESVM; Iacob, Ioseph, cum Simone Iudam
Altera dat; Iacobum dat tertia, datq; Ioannem.

Et fauere videtur S. Ignatius Epist. 1. ad Ioannem dicens. *Est Salome quam diligis filia Annæ Ieroſolymis, & quinque mensibus apud Virginem commorata.*

15 Sed hæc Opinio de tribus Marijs Annæ filijs, & tribus nuptijs confícta est sine vllo fundamẽto Scripturæ, Patrũ, aut Historicorum antiquorum, cum ea quæ de sorore Deiparæ, & fratribus Domini habemus in testamẽto nouo, aliter, & probabilius exponi queant. Deinde in Sacra Scriptura non solet sororibus idem nomen imponi, nec verisimile est S. Annam tribus filiabus idem nomen imposuisse. Immò inuerisimile est eam post acceptum tantum beneficium à Deo, vt sterilitate, ac senectute non obstante, tam insignem filiam pareret, voluisse transire ad secundas, & tertias nuptias. Decuit etiam vt Deipara esset vnigenita, quo magis constaret non esse ex sterili natam sine miraculo, sicut Sara sterilis vnicum Isaac, & Elizabeth sterilis vnicum Ioannem peperit. Fuisse autem Ioachimum, & Annam prouectæ senectutis, quando genuerunt Deiparã iam ex Cedreno, & alijs docuimus nu. 11.

16 *Secunda* Opinio fuit S. Annam, siue ex alio viro, siue ex ipso S. Ioachimo genuisse Mariam Cleophæ, vt verificetur ad litteram illud Ioannis 19. num. 21. *Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ.* Ita S. Hieronymus in cap. 12. Matth. *Nos fratres Domini, consobrinos Saluatoris Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini*, est autem matertera, quæ est soror matris; & idem sentit in quæstionibus ad Hedibiam q. 4. & libro contra Heluidium: *Restat conclusio, vt Maria ista, quæ Iacobi maioris scribitur mater, fuerit vxor Alpæi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat, siue à Patre, siue à gentilitate familiæ, aut quacunque alia ex causa ei nomen imponens. Si autem tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hic Maria Cleophæ: disce Scripturæ consuetudinem eundem hominem diuersis nominibus nuncupari: Verum in hac parte contentiosum funem non traho: alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi, Ioseti &c.* Beda quoque Actorum 1. & ibidem Glossa interlinearis Mariam Iacobi appellant materteram Christi; rursus Beda in cap. 6. Lucæ inquit: *Maria vxor Alphæi, soror fuit matris Domini, quã Mariam Cleophæ Ioannes cognominat*, eadem prorsus habet Isidorus lib. de vita, & morte Sactorum; Anselmus, siue Heruæus ad Galatas 1. S. Thomas 3. p. q. 28. art. 3. Hesselius, Dionysius Carthusianus, & Hugo Cardinal. in cap. 16. Matthæi, & Theodoretus ad Galatas 1. dicens: *Iacobus erat Cleophæ filius Domini consobrinus, habuit enim matrem matris Domini sororem.* His subscribit Toletus in cap. 2. Lucæ annot. 18. ad finem Abulensis in cap. 12. Matth. q. 103. & Martyrologium Romanum 9. die Aprilis, quatenus Mariam Cleophæ appellat sororem Deiparæ; sed si Euangelium patitur explicationem, multo magis eam patitur Martyrologium; At Euangelium illam admittit; potest enim Ioannis 19. num. 25. nomen *sororis* accipi pro cognata sicut Tobiæ 8. Tobias dixit. *Tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam &c.*

17 *Tertia* Opinio est S. Annam fuisse Vniuiram, et nec eam, nec S. Ioachimum aliam habuisse filiam, quam Deiparam; et propterea Mariam Cleophæ appellari sororem Deiparæ, quod fuerit eius cognata, nempe filia Cleophæ ipsius fratris S. Iosephi, vel quòd fuerit affinis, idest vxor Cleophæ; Ita Euthymius, et Theophilactus in c. 19. Ioannis; Lippomanus in Epist. ad Hebræorem ante vitas Sanctor. Ianſenius in concordia cap. 143. Canus lib. 11. de locis c. 5 ad 2. Medina in 3. partem q. 38. art. 3. addens ab omnibus contradici opinioni contrariæ, præsertim primæ Canisius l. 1. de Deipara cap. 4. et apud eum Iudochus Clichoueus, Iacobus Faber, Cornelius Agrippa, Baronius in Apparatu ad Annales, cuius est magnifica illa sententia: *Vniuiram fuisse Annam, nec post obduratam sterilitatem ex voto conceptã, repromissione obtentam, susceptamque in senectute filiam, alios nouisse partus, tam veteres, quam recentiores orthodoxi patres sunt professi.* Item Suarez in 3. partem tomo 2. q. 28. disp. 5. sect. 4. Barradius tomo 1. in Euang. lib. 6. cap. 10. Conclus. 3. Cornelius à Lapide in c. 3. Lucæ post versum 24. et in cap. 19. Ioannis; Iacobus Tirinus in Chronico sacro c. 47. tab. 4. Et sanè inuerisimile videtur, duabus filiabus eiusdem parentis inditum fuisse nomen idem *Mariæ*, immò S. Annam post tantum donum tantæ filiæ, quantum futuram Deiparam ab Angelo didicerat, voluisse in senectute sua transire ad alias nuptias, aut parentes eius iterum concumbendo tentare Dominum, et si verum esset Annam superuixisse Ioachimo, quod tamen Cedrenus negat, nonne continentiorem par est fuisse S. Annam, et mansisse in viduitate vsque ad mortem, quàm aut Iuditham, quæ annos 105. vixit maiori illorum parte vidua, aut Annam filiam Phanuelis, quæ vt dicitur Lucæ 2. vixit vidua vsque ad annos octoginta quatuor? Postremò Patres, qui ex genealogia Iosephi censent colligi genealogiam MARIÆ, supponunt eam vnicam fuisse, et hæreditariam, quo casu tenebatur nubere vni de proximioribus eiusdem familiæ, iuxta dicta cap. 17. nu. 18.

Restat vt videamus quomodo Maria Cleophæ fuit cognata, vel Affinis Deiparæ, et cuius filia, vxor, ac mater.

De Maria dicta sorore Deiparæ eiusq; patre, marito filijs, & ea occasione de Fratribus, & Sororibus Domini.

18 *Prima* opinio est *Mariam Cleophæ*, quæ Ioannis 19. num. 25. dicitur soror Deiparæ, ita dictam, quod fuerit filia Cleophæ, & eandem esse atq; illam, quæ dicitur Matthæi 27. nu. 56. *Maria Iacobi, & Ioseph mater*, & Marci 15. nu. 40. *Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater*. Cùm autem Iacobus minor dicatur *Iacobus Alphæi* Matthæi 10. num. 3. & Marci 3. nu. 18. & Lucæ 6. n. 15. & Actorum 1. num. 13.

num. 13. videtur sequi eam fuisse vxorem Alphæi: Constat autem ex Hegesippo vicino Apostolorum tempori, apud Eusebium l. 3. c. 10. hist. & Nicephorum lib. 1. c. 33. ac lib. 3. c. 9. alijsque num. 10. adductis Cleopham fuisse fratrem S. Ioseph, ideoque in hac opinione *Mariam Cleophæ* dictam sororem Deiparæ, quia fuit filia fratris Ioseph Sponsi Deiparæ, ideſt cognatam. Ita Toletus in 2. Lucæ annot. 18. Canisius l. 2. de Deipara c. 13. Salmeron tomo 15. disp. 21. Maldonatus in cap. 12. Matth. nu. 46.

Stemmatis typus est hic.

Cleophas genuit *Mariam* vxorem *Alphæi*, & matrem
- *Iacobi* minoris
- *Ioſephi* Iusti
- *Iudæ Taddæi*
- *Simonis*.

19 *Secunda* opinio est Baronij in Apparatu, vbi tenet, *Mariam Iacobi* minoris matrem, vxorem quidem fuisse Alphæi, eo quod semper Iacobus hic dicatur Iacobus Alphæi, vt supra diximus ex Matth. 10. Marci 3. Lucæ 6. & Actor. 1. Sed quia ab Euangelistis Matthæo 27. nu. 56. & Marco 15. nu. 40. non dicitur mater nisi *Iacobi minoris*, & *Ioſephi*, ideò diuersam esse à matre *Simonis*, & *Iudæ*: hanc enim esse *Mariam Cleophæ* non filiam sed vxorem, *Cleopham* verò, & fratrem Ioſephi, & patrē fuisse Simonis, seu *Simeonis*, qui Iacobo minori in sede Hierosolymitana successit, colligit ex Hegesippo apud Eusebium l. 3. c. 10. & l. 2. c. 1. qui dum meminit *Iacobi*, & *Simeonis*, & non dicit fuisse germanos, indicat parentes vtrosque eorum fuisse distinctos, ideſt tam *Cleopham*, & *Alphæum*, quàm *Mariam Cleophæ*, & *Mariam Iacobi*. Porrò vxorem Cleophæ non germanam Deiparæ ex Anna, sed consobrinam fuisse ex patris, vel matris sorore, aut fratre. Fauet Baronio, quod sub disiunctione ait Beda in c. 6. Lucæ dicens: *vel idem Alphæus etiam Cleophas est dictus, vel ipsa Maria, defuncto post natum Iacobum Alphæo, Cleophæ nupsit cui Simeonem genuisse &c.*

Stemmatis typus iuxta opinionem hanc est talis

Cleophæ vxor *Maria*, & Deiparæ Consobrina, genuit *Symeonem*, & *Iudam*.

Alphæi vxor *Maria* diuersa à præcedenti genuit *Iacobum* minorem, & *Ioſephum*.

20 *Tertia* opinio est, quam secundo loco proponit Suarez tomo 2. in 3. p. disput. 5. sect. 4. sub finem, & ait non displicere D. Thomæ ad Galatas 1. lect. 5. & esse probabilem, sed incertam, videlicet eandem quidem esse *Mariam Cleophæ*, & *Mariam Iacobi*, et fuisse matrem non solum *Iacobi*, & *Ioſephi*, sed etiam *Iudæ*, & *Simonis*, eo quòd *Iudas* Apostolus Lucæ 6. nu. dicatur *Iudas Iacobi*, et censeatur idem, qui Canonicæ Epistolæ est scriptor, vbi se affirmat *fratrem Iacobi*: Verum priùs nupsisse *Alphęo*, et ex eo genuisse *Iacobum* minorem, et *Ioſephum*, mortuo autem *Alphęo*; nupsisse *Cleophę*, eique genuisse *Simonem*, & *Iudam*; ita hi duo fratres vterini fuerunt Iacobi, et Ioſephi.

Stemmatis huius typus est hic.

Maria vxor
- Prius *Alphęi* genuit *Iacobum* minorem, et *Ioſephum*
- Posteà *Cleophę* genuit *Simonem*, & *Iudam*.

21 *Quarta* opinio est, quàm primo loco proponit Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 5. sect. 4. versus finem, et sequuntur Cornelius à Lapide in cap. 3. Lucæ Iacobus Tirinus Tomo primo in Sacram Scripturam cap. 47. Chronici Sacri in Tabula 4. Christophorus à Castro c. 1. historiæ B. Virginis, Barradius tomo 1. lib. 6. cap. 10. paragr. *Rationes*, Maldonatus in c. 27. Matth. versu 56.

Sentiunt hi *Cleopham* non solum fratrem S. *Ioſeph* fuisse, sed eundem ac *Alphæum* siue binomius fuerit, siue *Alphæus* fuerit nomen proprium, et *Cleophas* cognomen gentilitium, siue vice versa; atque adeo ex vna eademque vxore *Maria*, quæ respectu Mariti dicta est *Maria Cleophæ*, respectu autem primogeniti sui dicta sit *Maria Iacobi*, genuisse quatuor filios, videlicet *Iacobum* minorem *Ioſetum*, seu *Ioſephum* cognomento Iustum, *Iudam Taddæũ*, et *Simonem*, seu *Simeonem*; et duas adhuc filias, nempe *Mariam* de qua Matth. 28. nu. 1. et *Salomen* matrem filiorum Zebedæi.

Fauent huic opinioni Beda, quatenus ait *Cleopham* dictum quoque esse *Alphæum*, et Chrysostomus, Theophylactus, et Theodoretus ad Galatas 1. quatenus aiunt *Iacobum* fratrem Domini fuisse filium Cleophæ, quem ex Euangelistis Matthæo 10. Marco 3. et Lucæ 6. et Act. 1. constat fuisse filium *Alphæi*; et ex Matth. 27. ac Marci 15. fuisse fratrem Ioſephi; et ex Hegesippo colligitur Simeonem fuisse filium *Cleophæ*; denique ex Lucæ 6. et Epistola Iudæ, habetur *Iudam* fuisse fratrem Iacobi, ergo omnibus computatis quatuor hi fratres germani inter se, nempe *Iacobus* minor, *Ioſeph* Iustus, *Simon*, & *Iudas*, sunt illi, qui dicuntur fratres Domini *Matthæi* 13. et Marci 6. nempe eo modo consobrini Domini, quomodo Ioseph frater Cleophæ ipsorum patris erat pater Christi, ideſt putatiuus, aut etiam matrimonialis modo explicato aliàs; Consobrinos enim immò, et Cognatos, et consanguineos de linea transuersali, dici in Sacra Scriptura *Fratres*, notius est, quàm vt prolixa ostensione sit opus; Nam Geneſis 13. *Lot* frater *Abrahæ* dicitur, qui filius Aran fratris erat, et nec eadem matre, nec ex eodem patre germanus; et c. 29. *Laban* frater Iacobi, cum esset eius auunculus.

Esto huius opinionis stemma.

Cleophas qui et *Alphęus* et frater S. *Ioſephi*. ex eadem Maria vxore genuit
- *Iacobum* minorem
- *Ioſephum* Iustum
- *Simonem*
- *Iudam Thaddæum*
- *Mariam Salomen* vxorem *Zebedæi* matremque
  - Iacobi maioris &
  - Ioannis Apost. & Euang.

22 *Quinta* opinio est nostra, videlicet *Cleopham* eundem fuisse atq; *Alphæum*, et S. Ioſephi fratrem, et ex Maria vxore sua genuisse *Iacobum* minorem Apost. auctorem Epistolæ Canonicæ, et antomasticè dictum *fratrem Domini*; item *Ioſen*, et *Iudam* Apostolum auctorem Epist. Canon. Et *Simeonem* non Apostolum. *Salomen* autem matrem filiorum Zebedæi, non fuisse filiam *Cleophæ*; sed forte Aggæi, et nepotem Mathani Sacerdotis.

Proinde cum Auctoribus 4. opinionis nobis conuenit exceptis duabus filiabus, quas Cleophæ subiungunt.

Stemmatis nostri typus est hic.

Cleophas qui et *Alphæus* frater S. Ioſephi
- ex Maria eadem vxore genuit
  - *Iacobum* minorem Apost.
  - *Ioſeph*, seu *Ioſen*
  - *Iudam Thaddæum* Apost.
  - *Simeonem* non Apost.
- ex Salome vxore genuit
  - *Iacobum* maiorem Apost.
  - Io. Apost. et Euangelist.

Quæ vt ex antiquioribus Auctoribus probata maneant, per partes ac singulas propositiones confirmabimus.

23 *Prima* propositio *Cleophas* fuit frater *S. Ioſephi* sponsi Deiparæ: ita ex Hegesippo perantiquo auctore, ac vicino Apostolorum temporibus refert Eusebius l. 3. Histor. Eccl. c. 10. dicens. *Nam Cleopham fratrem Ioſephi narrat Hegesippus*, & Nicephorus l. 1. c. 33. & l. 3. c. 9. Quem Simonem Hegesippus patruelem IESV fuisse commemorat, Cleophas enim sponsi Ioseph frater fuit, & S. Epiphanius hæresi 66. in Epistola Marcelli: *Filius Cleophæ fratris Ioſeph.* Et Beda in c. 6. Lucæ. *Eo quod Cleophas frater fuerit Ioſephi.* Et si verò Eusebij Latinus interpres l. 4. Historiæ c. 21. Cleopham vertit *auunculum* Christi, ideſt fratrem matris; ex Græco tamen textu constat verti debuisse *Patruum Christi* ideſt fratrem patris. Alios Auctores pro hac veritate adducit Christophorus à Castro in historia B. Virginis lib. 1. An verò sit idem ille Cleophas, cui Christus sub specie peregrinantis apparuit, vt narratur Lucæ 24. affirmat ibi Cornelius à Lapide, nullo auctore adducto, sed negat in caput illud Maldonatus adducto S. Hieronymo.

24 *Secunda* propositio *Cleophas* fuit pater Iacobi minoris dicti fratris Domini. S. Chrysostomus in c. 1. Epist. ad Galatas ad illa verba. *Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini*, subiungit: *Non appellauit Paulus Iacobum Cleophæ sed fratrem Domini, atqui nec frater erat Domini, sed putabatur.* Theodoretus quoq; in c. 1. ad Galatas. *Vocatur frater Domini, sed non erat natura, sed nec Ioſephi filius, vt quidam existimant, ex priore matrimonio natus, sed erat quidem Cleophæ filius, Domini autem consobrinus.* Idem asserit Theophylactus ibidem, addens eum vocari in Euangelio *Iacobum Cleophæ*, quia scilicet Alphæus, & Cleophas idem sunt, vt posteà dicemus; Nihil verò obstant illi qui ex Apochrypho scripto retulerunt Iacobum hunc eiusque fratres fuisse filios Ioſephi ex alia vxore, quos refutauimus nu. 2. huius capitis.

25 *Ter-*

25 *Tertia* propositio. *Iacobus*, qui ad Galatas 1. appellatur *Frater Domini*, fuit Apostolus, distinctus ab Apostolis, distinctus ab Apostolo Iacobo Zebedæi filio, & author Epistolæ Canonicæ: ait enim ibi S. Paulus num. 18. *Veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim, alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*: Ergo præter Petrum agnouit etiam Iacobum hunc vnum de duodecim Apostolis, ideſt de insignibus illis, quod denotat articulus ipse τῶν Ἀποστόλων illis enim discipulis, qui latiori appellatione dicuntur Apostoli, non addit articulum Paulus, vt notauit Salmeron. Deinde ad Galatas 2. dicitur. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam* &c. & nu. 9. *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse*, sermo autem est de hoc Iacobo, nam Iacobus frater Ioannis septimo circiter ab hinc anno occisus fuerat ab Herode Agrippa, vt narratur Actorum 12. & ad Corinthios prima c. 15. narratur Christum apparuisse *Cephæ, & post hoc vndecim*, et paulo post *deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus*, quæ omnia indicant eius excellentem dignitatem, ob quam meruerit sicut Petrus peculiarem apparitionem Christi, et eandem eminentiam indicat quod Actor. 15. primus post Petrum in Concilio sententiam dixit, et accessus Pauli Apostoli, et Seniorum ad Iacobum, de quo Actor. 21. *Introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesq; collecti sunt Seniores*. Ad ea vero, quæ adducit Erasmus, contendens tres fuisse Iacobos, et hunc quem Paulus appellat fratrem Domini non fuisse de 12. Apostolis, abunde respondet Salmeron tomo 15. disput. 21. et Suarez tomo 2, in 3. p. disp. 5. sect. 4. duos verò tantummodo Iacobos Apostolos nempe maiorem, seu *Iacobum Zebedæi*, et minorem, seu *Iacobum Alphæi* agnoscit Euangelium, et Ecclesia Latina in Martyrologijs, Breuiarijs, Missalibus, Litanijs, et Iacobi quidem Zebedæi festum celebrat die 25. Iulij; Iacobi verò fratris Domini die prima Maij illum in lectionibus Apostolum prædicans. Denique Epistolam canonicam scriptam à Iacobo Apostolo esse asserit Concilium Tridentinum sess. 4. at illam scriptam esse à Iacobo fratre Domini, et Episcopo Ierosolymitano testantur Eusebius l. 2. hist. c. 22. et S. Hieronymus de scriptoribus Eccl. verbo *Iacobus*. Appellatus est autem Frater Domini ab Apostolo, tum quia illum solum ex cognatis Christi vidit in suo primo aduentu Ierosolymis, tum ne quis putaret esse Iacobum Zebedæi, tum quia erat primogenitus Cleophæ, et ob eximiam sanctitatē, et sapientiam excellebat post Petrum, vt videre est apud Epiphanium hæresi 78. De vtroque autem Iacobo Eusebius l. 2. c. 1. et Nicephorus lib. 2. cap. 3.

26 *Quarta* propositio *Iacobus* Apostolus frater Ioannis Apostoli, fuit filius Zebedæi, alter verò *Iacobus* Apostolus, fuit filius Alphæi. Prior pars patet ex Matth. 4. num. 21. *Vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius*, Et in Catalogo Apostolorum Matth. 10. nu. 3. *Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius*, sic Marci 3. nu. 17. *Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius*. Posterior pars patet item ex Euangelistis, in Catalogo Apostolorum Matth. 10. nu. 3. *Iacobus Alphæi, & Thaddæus*, et Marci 3. nu. 18. *Iacobum Alphæi, & Thaddæum*, et Lucæ 6. nu. 14. *Iacobum, & Ioannem, Philippum, et Bartholomæum, Matthæum, et Thomam, Iacobum Alphæi etc.* Et Actor. 1. nu. 13. *Iacobus Alphæi, et Simon Zelotes etc.* Non est autem dubium quin more Hebraico dicatur Alphæi, ideſt filius Alphæi, sicut Iacobus Zebedæi dictus est ita, quia erat eius filius, vt explicatur Matthæi 4. nu. 21. ibi cum *Zebedæo patre eorum*. Et Marci 10. nu. 35. *Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi*.

27 *Quinta* propositio: *Cleophas*, & *Alphæus* idem sunt: Quandoquidem *Cleophas* fuit pater Iacobi illius, qui fuit frater Domini dictus à Paulo ad Galatas 1. per propositionem secundam num. 24. probatam, hic autem fuit vnus ex duodecim Apostolis, & distinctus à Iacobo Apostolo filio Zebedæi per propositionem tertiam nu. 25. probatam; pater autem Iacobi huius Apostoli distincti a filio Zebedæi, fuit *Alphæus* per propositionem quartam num. 26. probatam, ergo à primo ad vltimum *Cleophas*, & *Alphæus* idem sunt; Quare non tantum disiunctiuè, sed absolutè poterat Beda in c. 6. Lucæ loqui, quando dixit de Maria vxore Alphæi: *Quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat, fortasse quia vel idem Alphæus etiam Cleophas est dictus, vel ipsa Maria defuncto post natum Iacobum Alphæo, Cleophæ nupsit*. At S. Chrysostomus ad Galatas 1. Quem Euangelistæ vocant Iacobum Alphæi, dicit vocari ab eis Iacobum Cleophæ, vel quod ita legeretur in Codice Græco, vel traditum esset esse eundem: ait enim: *Non enim simpliciter dixit Iacobum, sed magnificum illud elogium addidit fratrem Domini &c. poterat alia nota declarare, si dixisset Iacobum Cleophæ, quod cognomen posuit Euangelista*.

28 *Sexta* propositio *Iudas Thaddæus* Apostolus, frater fuit *Iacobi* minoris Apostoli, et filius *Cleophæ*, quem enim in Catalogo 12. Apostolorum Matthæus 10. et Marcus 3. nominant *Thaddæum*; Lucas 6. nomiuat *Iudam Iacobi*, et iterum Actor. 1. *Iudas Iacobi*, non dici autem ita, quod fuerit filius Iacobi, sed quod fuerit frater, ipse enim Iudas Apostolus in Epistola canonica inquit. *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi*. Esse autem Epistolam illam Iudæ Apostoli declaratur in Tridentino sess. 4 Et S. Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccl. *Iudas frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem Catholicis epistolam reliquit*, et idem supponitur in Breuiario, et Martyrologio Romano.

29 *Septima* propositio Maria mater *Iacobi* minoris, et *Ioset*, et *Iudæ* eadem est, ac Maria *Cleophæ* apud Euangelistas, ideſt vxor Cleophæ. Tres illas insignes mulieres, quæ propius stabant iuxta Crucem Domini, et alijs seruentiores fuerunt in eius amore designant Matthæus c. 27. nu. 56. dicens: *Inter quas Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi*. Et Marcus cap. 15. nu. 40. *Inter quas erant Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome*. Vbi vides Salomen eandem fuisse, ac matrem filiorum Zebedæi, iuxta communem interpretum: At Salome omissa Ioannes 19. nu. 46. ait. *Stabant autem iuxta Crucem IESV Mater eius, & Soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ*, nolùit enim modestiæ causa suam matrem Salomen nominare; Atqui *Alphæus* idem fuit, ac *Cleophas*, & pater *Iacobi* minoris Apostoli ex propositione 2. 3. 4. & 5. simul sumptis; ergo mater Iacobi minoris Apostoli fuit vxor Cleophæ, ergo nihil probabilius, quàm eandem esse Mariam illam, quam Matthæus, & Marcus *Iacobi matrem*, Ioannes autem *Mariam Cleophæ* cognominant; & sine fundamento diceretur fuisse filiam, aut sororem, aut matrem Cleophæ, ac minus consonè ad Euangelistas: Esto autem Matthæus, & Marcus inter filios Mariæ huius non nominet nisi Iacobum, & Ioseph, seu vt habetur in Græco *Iosen*; & aliunde constet horum fratrem fuisse Iudam Taddæum, non rectè tamen infert Baronius hos tacitos fuisse, quòd fuerint filij diuersi patris, & matris, falsò enim supponit Alphæum, & Cleopham diuersos fuisse, vt liquet ex 5 propositione, ideoque nec bene concludit diuersas fuisse Marias vnam vxorem *Alphæi* matremque *Iacobi*, & *Iosephi*, alteram *Cleophæ* vxorem, matremque *Iudæ*, & Simonis. Ad summum enim posset inferri ideo nominatos tantum *Iacobum*, & *Iosephum*, quod hi fuerint prius geniti, & quia hi duo simul sufficiebant ad distinguendam illam a matre Iacobi minoris; Esto eadem Maria fuerit mater *Iacobi*, *Ioseph*, *et Iudæ*, vt habet S. Hieronymus in cap. 12. Matthæi, vbi de hac Maria inquit: *Quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, et Ioseph, et Iudæ*.

30 *Octaua* propositio *Simon* Apostolus dictus Cananæus, seu *Zelotes* non est ille *Symeon*, siue *Simon*, qui inter fratres Domini computatur, quique fuit filius *Cleophæ*, & Mariæ Iacobi, & successor Iacobi minoris in Episcopatu Hierosolymis. Nam *Simon*, quem in Catalogo Apostolorum Matthæus cap. 10. & Marcus 3. cognominant *Simonem* Cananæum, & Lucas cap. 6. atque Actor. 1. *Simonem Zelotem*, fuit ex Chana Galilææ, & eius festum agitur die 28. Octobris; at *Symeon*, seu *Simon* filius *Cleophæ*, & frater Domini, ac successor Iacobi fratris in sede Ierosolymitana, fuit de Ciuitate Nazareth, vt notauit Cornelius à Lapide in 3. Lucæ, Christophorus à Castro in historia B. Virginis lib. 1. & Tirinus in Chronico sacro cap. 47. Tab. 4. ex Hegesippo, & Eusebio, & eius festum agitur die 18. Februarij, vbi in Martyrologio Romano, Bedæ, Vsuardi cæterisque Latinis (nam Græci celebrant dies 27. Aprilis) dicitur: *Hierosolymis natalis Beati Symeonis Episcopi, et Martyris, qui filius Cleophæ, et propinquus Saluatoris secun-*

cundùm carnem fuisse dicitur. Eusebius enim lib. 3. Hist. cap. 10. ait: *Vbi Iacobus martyrio obijsset, et Hierusalem paulo post capta esset etc. Omnes Apostolos illos, ac discipulos Domini, qui adhuc viuebant, ex omnibus locis in vnum conuenisse, consiliumque iniisse, quis in Iacobi locum succedere dignus haberetur. Omnes ergo vno consensu Simeonem filium Cleophæ (cuius etiam meminit sacrum Euangelium) idoneum, qui Ecclesiæ illius sedi præficeretur existimarunt: qui vt fertur Saluatoris consobrinus fuit, nam Cleopham fratrem Ioseph fuisse narrant Hegesippus*; videlicet in Historia de Martyrio Simeonis, de quo iterum Eusebius eodem libro cap. 26. vbi de persecutione Traiani ait: *In qua Simeonem filium Cleophæ, quem secundum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum creatum declarauimus, martyrio extremum vitæ suæ diem confecisse accepimus, atque huius quidem rei testis est Hegesippus.* Et paulo post subiungit eiusdem Hegesippi verba dicentis: *Simeonem Cleophæ filium non modò, vt ex Dauidis stirpe editum, verùm etiam vt Christianum in iudicium adduxerunt, atque ita cum annos centum, & viginti compleuisset, coram Traiano Cæsare, & Attico viro consulari, fidem Christi constanter professus est.* Idem Eusebius in Chronico ad annum Traiani 10. & Domini 110. scribit. *Traiano aduersus Christianos persecutionem mouente, Simeon filius Cleophæ, qui Hierosolymis Episcopatum tenebat crucifigitur, cui succedit Iustus.* Nicephorus quoque lib. 3. cap. 2. narrat sic: *In Hierosolymitano verò Episcopatu, quem frater Domini Iacob triginta annos tenuerat post Hierosolymorum euersionem Simeon Cleophæ filius, qui patruelis Saluatoris fuisse dicitur, illi successit.* Et cap. 9. narrat annò 40. ab Ascensione Domini Iacobo fratri Domini martyrio affecto suffectum esse in Episcopatu *Simeonẽ filium Cleophæ, cuius etiam sacrum meminit Euangelium, quem Simeonem Hegesippus patruelem IESV fuisse memorat: Cleophas enim sponsi Ioseph frater fuit.* Ex quibus nonnulla emendanda sunt in Hieronymo, Beda, & Epiphanio. Hieronymus enim in Catalogo Scriptorum Eccles. habet. *Simon Chananæus cognomento Iudas, frater Iacobi Episcopi, qui & successit illi in Episcopatu, post obitum Iacobi cognomento Iusti vixit annos viginti supra centum, crucifixus autem sub Traiano præfecto.* Vbi Simeonem fratrem Iacobi confundit cum Simone Apostolo, & Chananæo. Idem facit Beda non absolutè, sed dubitatiuè in c. 6. Lucæ dicens de Maria Cleophæ: *Cleophæ nupsit, cui Simeonem filium genuisse, eumque consobrinum Domini existentem (eo quod Cleophas frater fuerit Ioseph) Hierosolymæ post Iacobum rexisse Ecclesiam, historia Ecclesiastica tradit, siue hic Apostolus Simon, siue quilibet alius Simeon fuerit.* Epiphanius autem hæresi 78. multa, & mira de sanctitate Iacobi fratris Domini narrat, & in rem nostram ait: *Iacobus frater Domini vbi annos vixit nonaginta sex, virgo existens mortuus est*, & infra: *Moritur autem hic Iacobus frater Domini, & filius Ioseph Hierosolymis, vbi vixit post Saluatoris assumptionem annis plus minus viginti quatuor, anno suæ ætatis nonagesimo sexto, à fullone ligno percussus in caput, deiectus à pinnaculo templi, & delatus, ac nihil læsus: inclinauit autem genua, & orauit pro ipsis, qui eum deiecerant, ac dixit: Ignosce ipsis Domine non enim sciunt quid faciunt. Quemadmodum, etiam Symeon procul stans nepos ipsius ex sorore, filius verò Cleophæ dicebat: Cessate quid lapidibus obruitis iustum?* Pro filio Ioseph debuit dicere filius Alphæi, seu Cleophæ iuxta dicta num. 2. & proinde Symeonem debuit appellare non *nepotem*, sed *fratrem Iacobi*; & pro annis *vigintiquatuor*, debuit scribere annos *triginta*, vt ex Hegesippo refert Nicephorus.

31 Porrò si Hierosolyma capta est à Tito anno 70. Christi, vt ostendimus lib. 4. cap. 3. & hoc anno occisus est Iacobus frater Domini annorum 96. vt vult Epiphanius, vtique natus fuerit anno 26. aut 25. ante Christum, & quando electus fuit Episcopus nempe anno 30. ante Hierosolymæ excidium, habebat annos 66. quod fuit anno 33. Christi, & septimo mense ab Ascensione, aut octauo. Si autem *Simeon* anno Traiani 10. (qui ex dictis lib. 4. cap. 8. fuit Christi 107.) occisus est annorum 120. sequitur natum esse anno 13. ante Christum, & iuniorem fuisse Iacobo annis 12. & amplius. Tandem si *Iacobus* hic *minor* dictus est ad differentiam Iacobi Zebedæi filij, oporteret Iacobum Zebedæi quando electus fuit ad Apostolatum habuisse annos plures quam 55.

32 *Nona* Propositio quatuor fratres Domini in Euangelio nominati, nempe *Iacobus* minor, *Ioseph*, seu *Iose*, *Iudas Thaddæus*, & *Simon*, seu *Simeon*; omnes fuere filij Cleophæ fratris S. Iosephi sponsi Deiparæ, qui sicut putatus fuit pater Christi, ita, & ipsi putati sunt, *patrueles fratres*, id est filij eius, qui erat frater patris Christi; quos latiore vocabulo aliqui consobrinos vocant. Sed ex illis quatuor, duo tantum fuere Apostoli, nempe *Iacobus*, & *Iudas Thaddæus*, cum Simeon filius Cleophæ diuersus sit à Simone Chananæo Apostolo, vt ostensum est num. 30. seu Propos. octaua, reliqua ex præcedentibus propositionibus patent. Atq; hinc tandem intelliges verba illa conciuium Christi Matth. 13. num. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, et Simon, et Iudas, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt?* Et Marci 6. num. 3. *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudæ, et Simonis? nonne et sorores eius hic nobiscum sunt?* In Græco habetur: Ιακώβου, καὶ Ιωσῆ, καὶ Ιούδα, καὶ Σίμωνος. Quod autem S. Hieronymus in c. 12. Matthæi inter filios Mariæ vxoris Alphæi non nominarit nisi *Iacobum*, *Iosen*, & *Iudam*, credo causam fuisse, quia ex vna parte Simonem fratrem Iacobi putabat esse Simonem Chananæum Apostolum, vt ex eo vidimus in Scriptoribus Eccles. ex altera verò hunc non esse filium Mariæ illius arbitrabatur, ita maluit tunc suspendere calamum. Restat, vt videamus de Salome, & alijs mulieribus in Euangelio nominatis.

33 *Decima* Propositio, Nec est certum, nec valde probabile *Salomem*, quæ fuit mater filiorum Zebedæi fuisse filiam *Cleophæ* sororemque *Iacobi* minoris. Scio non paucos, & præcipuè Cornelium à Lapide in cap. 3. Lucæ, & Tirinum in Chronico sacro cap. 47. Tab. 4. existimasse *Salomen* hanc fuisse non solum matrem filiorum Zebedæi, sed etiam filiam Cleophæ, & sororem illius alterius Mariæ, cuius meminit Matthæus initio capitis 28. & fuisse quidem matrem filiorum Zebedæi vltro admittimus, quam enim tertio loco inter præcipuas Cruci Domini adstantes numerat Matthæus 27. nu. 56. dicens: *Inter quas Maria Magdalenæ, et Maria Iacobi, et Ioseph mater, et mater filiorum Zebedæi*; tertio loco *Salomen* nominat Marcus cap. 15. nu. 40. sic: *Inter quas erat Maria Magdalenæ, et Maria Iacobi minoris, et Ioseph mater, et Salome*, & cap. 16. *Et cum transisset Sabbathum, Maria Magdalenæ, et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata*; proinde scitè Christophorus à Castro cap. 1. de Historia Deiparæ cum Origene, Theophylacto, Euthymio, & cum communi tenent matrem Iacobi minoris, & Ioannis filiorum Zebedæi fuisse nominatam *Salomen*, vt etiam Cornelius, & Tirinus supra. At neque de *Maria altera*, neque de *Salome* probari potest eas fuisse filias Cleophæ: non de *Maria altera*, idest de illa, da qua Matthæus cap. 28. scribit: *Venit Maria Magdalenæ, et altera Maria videre sepulchrum*, id enim explicans Marcus cap. 15. nu. 47. inquit: *Maria autem Magdalenæ, et Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur*: potiùs ergo illa altera Maria, fuit Maria Iosephi, & Iacobi minoris mater, atque adeo ex dictis supra, vxor Cleophæ non filia. De Salome autem non aliunde probari posse videtur, quam ex Epiphanio hæresi 78. vbi bis inter sorores *Iacobi*, *Iosæ*, *Symeonis*, ac *Iudæ* numerat, ac nominat *Salomen*, & *Mariam*; sed quàm falsò dixit quatuor illos fratres filios Iosephi Deiparæ sponsi, vt numero 2. docuimus, tàm falsò Salomen, ac Mariam alteram, sorores eorum dixit; si quidem S. Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. multo antiquior sorores dictorum quatuor fratrum nominat *Esther*, ac *Thamar*; Salomen autem ait fuisse filiam Aggæi fratris Zachariæ Sacerdotis, esto & ipse erret ex Apocrypho libro referens Salomen fuisse vxorem priorem S. Iosephi Deiparæ sponsi. Idem tamen Hippolytus apud eundem Nicephorum ibidem recenset Salomen obstetricem filiam Mariæ sororis S. Annæ, & nepotem Mathani sacerdotis; Non audeo verò affirmare matrem filiorum Zebedæi fuisse vel Salomen filiam Aggæi, vel Salomen nepotem Mathani sacerdotis. Sed tamen crediderim non esse filiam Cleophæ, quia cum fuerit mater Iacobi maioris, idest senioris non est valde probabile fuisse sororem Iacobi minoris; Si tamen fuit, oportet eam natam esse annis minimum 16. aut 20. ante Iacobum fratrem suum, vt potuerit annis 15. circiter nubere Zebedæo, & gignere Iacobum annis saltem

tem quatuor, aut quinque maiorem Iacobo Alphæi, sed hoc modo Ioannes, & Iacobus maior fuissent putati consanguinei Christi, & quando hæc Salome adstitit Cruci Domini habuit annos circiter 78. ex dictis nu. 31. de anno natiuitatis Iacobi minoris: Quænam autem fuerint illæ vocatæ sorores Domini, filiæne Cleophæ, an alterius, nec ex Euangelio, nec ex patribus, aut historicis antiquis mihi constat; solùm enim præter iam nominatas supra, habemus Lucæ 8. nominatas. *Ioannam* vxorem Chusæ procuratoris Herodis, & *Susanam*, & apud Ioannem *Martham*; quas consanguineas Domini nemo dixerit. Placet nunc redigere in Tabulas personas spectantes ad Genealogiam Christi Domini, & SS. eius Genitricis, ac Sponsi ipsius, ex his quæ hactenus probabiliora esse docuimus adiectis annis natiuitatis eorum, de quorum ortu nobis constat; sed iuxta LXX. Interpretes, & alia quæ libro præsertim 6. constituimus.

I. TABVLA Genealogiæ CHRISTI ab Adamo per Salomonem adiectis Annis natiuitatum ante CHRISTVM iuxta LXX. Interpr.

	Anno
ADAM 6. die Mundi à Deo plasmatus	5634
Seth ex Eua pro Abele nascitur	5404
Enos filius Sethi nascitur	5199
iste cœpit inuocare nomen Domini.	
Cainan filius Enosi nascitur	5009
Malaleel fil. Cainani nascitur	4939
Iared fil. Malaleelis nascitur	4674
Henoch fil. Iaredi nascitur	4212
Hunc *Deus transtulit*	
Mathusala fil. Henochi nascitur	4347
Lamech fil. Mathusalæ nascitur	4160
NOE filius Lamechi nascitur	3978
Sem filius Noe nascitur	3478
Arphaxad fil. Semi nascitur	3376
Cainan fil. Arphaxadi nascitur	3241
Sale fil. Cainani nascitur	3111
Heber fil. Sale, vnde *Hebræi*, nascitur	2981
Phaleg fil. Heberis nascitur	2847
In huius ortu diuisæ linguæ &c.	
Rhagau fil. Phalegi nascitur	2717
Sarug fil. Rhagau nascitur	2585
Nachor fil. Sarugi nascitur	2455
Thare fil. Nachor s nascitur	2276
ABRAHAM fil. Thare nascitur	2146
ISAAC ex Sara sterili nascitur	2046
IACOB ex Rebecca nascitur	1986
IVDAS quartogenitus Iacobi ex Lia nascitur,	1900
Et fratres eius, à S. Matthæo indicati, & hoc ordine nati	
Ruben ex Lia primogenitus	1903
Simeon ex Lia	1902
Leui ex Lia	1901
Iudas, vt dixi, ex Lia	1900
Dan ex Bala ancilla Rachelis	1899
Nephtali ex Bala	1898
Gad ex Zelpha Liæ ancilla	1898
Aser ex Zelpha	1897
Zabulon ex Lia	1896
Ioseph ex Rachele	1895
Beniamin ex Rachele	1864
Phares, & *Zara gemelli filij* Iudæ ex Thamare *nuru*, *non pro tali ab eo cognita*; *meruit verò hic nominari Zara*, *quia prior egredi cœperat*, *sed cessit locum fratri vide Genesis* c. 38. nati circiter	
Hesron filius Phares natus in Ægypt.	1863
Aram filius Hesronis natus in Ægypt.	
Aminadab fil. Arami natus in Ægypto	
Hunc tradunt Hebræi primum suis quadrigis ingressum mare Rubrum à Moyse virga diuisum. Exodus fuit.	
Naasson fil. Aminadabi *princeps filiorum* Iuda 1. Paralip. c. 2.	1592
Salmon fil. Naassonis natus in deserto duxit Rhaab *meretricem Iericuntinam sed benemeritam de populo Dei*, *& ad Deum verum conuersam*	
Booz fil. Salmonis natus de Rhaab anno circiter	1488
duxit hic Ruth *Moabitidem quidem sed quæ voluit esse de populo Dei vt narratur* Ruth. c. 1. & 4.	
Obed fil. Boozi, & Ruth natus circiter	1352
Iesse, qui & *Isai* Bethlemites filius Obedi, natus circiter anno	1217
DAVID, primus Rex de tribu Iuda octauogenitus Isai, quem ferui Saulis laudarunt, vt *scientem psallere*, *& fortissimum robore*, *& virum bellicosum*, *& prudentem in verbis*, *et virum pulchrum*, *et Dominus est cum eo* 1. Reg. c. 16.	1086
SALOMON natus *ex ea*, *quæ fuit Uriæ*; *non dicitur ex Bethsabee*, *ne putetur natus ex adultera*, *et quæ esset adhuc Uriæ*, *sed quæ fuerat eo enim mortuo duxit eam Dauid in vxorem vt dicitur* 2. Reg. c. 12. num. 24.	
Roboam Rex Iuda fil. Salomonis nascitur	1020
Abias Rex Iuda fil. Roboami, cuius tempus natiuitatis non extat.	
Asa Rex Iuda fil. Abiæ, cuius tempus natiu. non extat, senex tamen mortuus est 3. Reg. 15. nu. 24.	
Iosaphat Rex Iuda fil. Asæ nascitur	948
Ioram Rex Iuda fil. Iosaphat nascitur	920
Tres sequentes Reges cur omissi sint à S. Matthæo vide c. 18. num. 15.	
Ochozias Rex Iuda fil. Iorami nascitur	905
Ioas Rex Iuda, fil. Ochoziæ nascitur	883
Amasias Rex Iuda fil. Ioasi nascitur	862
Ozias, qui & Azarias fil. Amasiæ rex Iuda nas.	814
Ioathan Rex Iuda fil. Oziæ nascitur	782
Achaz Rex Iuda fil. Ioathani nascitur sub finem anni	764
Ezechias Rex Iuda fil. Achazi nascitur	750
Manasses Rex Iuda fil. Ezechiæ nascitur	709
Amon Rex Iuda fil. Manassis nascitur	664
Iosias Rex Iuda fil. Amonis nascitur	648
Ioakim, seu Iechonias senior Rex Iuda nascitur Iosiæ, anno 27. *ante transmigrationem Babylonicam fratres autem Iechoniæ huius qui successerunt in regno*, *maiori parte occuparunt tempus transmigrationis*, *esto nati sint ante illam nempe*;	630
Ioachaz qui & Sellum nascitur	631
Mathanias, qui & *Sedecias*	618
Iechonias iunior, seu Ioachim Rex Iuda fil. Ioakimi nascitur	616
Eductusq; *est de Carcere ab Euilmerodach vltimo mense anni*, *& anno sequenti creditur genuisse Salathielem*. nempe	563
Salathiel, filius Iechoniæ in hoc sterilis, quod non successit ei Rex in Regno Iuda	
Zorobabel filius Salathielis Dux Iudæorum, *vnus de optimatibus*, *seu principibus in reædificando templo*.	
Abiud filius Zorobabelis	
Eliakim filius Abiudis	
Azor filius Eliakimi	
Sadoc filius Azoris	
Achim filius Sadoci	
Eliud filius Achimi	
Eleazar filius Eliudis	
Mathan filius Eleazari ex *Estha* genuit Iacobū; mortuo Mathano, *Melchi* duxit *Estham* & ex ea genuit *Heli*.	

Iacob filius naturalis *Mathani*, & frater vterinus *Heli* sine prole mortui ducta vidua ipsis *Heli* genuit S. Ioseph filium legalem eiusdem *Heli*.

IOSEPH filius naturalis *Iacobi*, & legalis Heli vir MARIÆ, de qua natus est IESVS; qui vocatur CHRISTVS.

Omnes itaq; Generationes, seu capita ab Adamo *ad* CHRISTVM inclusiuè sunt *sexaginta quinque*; *nempe* ab Adamo *ad* Thare *inclusiuè* 20. ab Abrahamo *ad* Dauidem *inclusiuè* 14. à Salomone *ad* Ioakimum, *seu* Iechoniam *seniorem inclusiuè* 17. *computatis tribus Regibus consulto à* S. *Matthæo non recensitis*; & à Iechonia *iuniore* ad CHRISTVM inclusiuè 14. & Reges omnino 19.

II. TABVLA ab Adamo per Nathan vsque ad CHRISTVM, iuxta Opinionem de qua c. 18. n. 23. ex Luca, & Matthæo.

AB Adamo ad Dauid inclusiuè Generationes 34. deinde Nathan Mathatha, Menna, Melcha, Eliakim, Iona, Ioseph, Iuda, Simeon, Leui, Mathat, Iorim, Eliezer, Iesu, Her, Elmadan, Cosan, Addi, Melchi Neri 20. Salathiel filius naturalis *Iechoniæ* legalis vero *Neri* Zorobabel duorum filiorum pater

Abiud	Resa
Eliakim	Ioanna
Azor	Iuda
Sadoc	Ioseph
Achim	Semei
Eliud	Mathathias
Eleazar	Mahath
Mathan	Nagge
	Hesli
	Nahum
	Amos
	Mathathias
	Ioseph
	Ianne
	Melchi
	Leui
	Mathat, qui ex Melchi

Iacob ——— Heli
[Ioseph]
IESVS

Ergo ab Adamo per Nathan, & *Abiud* Generationes 67. sed per Resa 76.

III. TABALA ab Adamo per Nathan ex solo S. Luca, iuxta opinionem de qua cap. 18. nu. 24. in qua Salathiel, & Zorobabel sunt diuersi ab illis, quos nominauit S. Matthæus.

AB Adamo ad Dauid inclusiuè Generationes 34. vt in Tabula II. à NATHAN verò vsque ad *Neri* inclusiue 20. à *Salathiele* denique ad CHRISTVM inclusiuè 22. Omnes simul 76.

IV. TABVLA.

Ex Tribu Leui
Mathan Sacerdos
ex MARIA genuit

Ex Stirpe Dauid
Panther
Barpanther
S. Ioachim

Mariam	Sobam	S. Annam
hæc	hæc	hæc & hic
Salomen	S. Elizabeth	S. MARIAM
obstetricem	hæc ex S. Zacharia	sola hæc
	S. Ioannem Baptist.	IESVM.

V. TABVLA.

Iacob

S. Ioseph	Cleophas	Iacobum min. Apost.
frater	qui & Alphæus	Iosen, seu Ioseph
Cleophæ	genuit ex Maria	Iudã Thaddæum Ap.
		Simeonem 2. Episc.
		Hierosolym.

VI. TABVLA.

Alphabetum Genealogicum, Consanguineorum CHRISTI, MARIAE, IOSEPHI vsq; ad gradum sextum.

A *Chim* Tritauus Christi naturalis putatiuus, sed verus Atauus S. *Iosephi*, & *Cleophæ*.

S. *Anna* vera, & naturalis Mater MARIÆ de stirpe Dauid ex parte matris de stirpe Aaron ex parte Patris *Mathani* Sacerdotis Auia Christi Matertera S. *Elisabethæ*, & *Salomes obstetricis*, ideſt soror matris ipsorum; Matertera Magna S. *Io. Baptistę*, ideſt soror Sobæ auiæ ipsius præcursoris; item Socrus S. *Iosephi*, & vxor S. *Ioakimi*; ideoque Nurus Barpantheris, & Pronurus *Pantheris*.

Barbanther verus ac naturalis Proauus Christi maternus, & Auus Mariæ Virginis, socer S. *Annę*, & prosocer S. Iosephi de stirpe Dauid.

Cleophas, qui et *Alphęus* de stirpe Dauid regia per Salomonem, filius *Iacobi*, frater naturalis, ac germanus S. *Iosephi* Patruus Christi putatiuus & Leuir Mariæ Virginis cognatus S. Annæ, & S. Ioachimi.

Eleazar Abauus Christi naturalis, sed putatiuus, verus proauus S. *Iosephi*, & *Cleophę*, & abauus filiorum Cleophæ.

Eliud Atauus Christi naturalis, sed putatiuus; verus autem Abauus S. Iosephi, & Cleophæ, & Atauus filiorum Cleophæ.

S. *Elizabeth*, Consobrina Mariæ Virginis de stirpe Aaron ex parte Aui Mathani Sacerdotis; filia *Sobę* sororis S. *Annę*, & ideo neptis ex sorore ipsius S. *Annę* vxor S. Zachariæ; Mater S. Ioan. Baptistæ, cognata in 4. gradu Christi.

Estha, mater Iacobi, & Heli, Auia vera S. Iosephi, Proauia putatiua Christi vxor prius *Mathani*, deinde *Melchi*.

Heli pater legalis *S. Iosephi*, auus legalis putatiuus Christi, socer legalis Mariæ Virginis, frater vterinus *Iacobi*.

Iacob filius Mathani, pater naturalis S. *Iosephi*, auus naturalis putatiuus Christi, socer naturalis Mariæ Virginis.

S. Iacobus minor Apostolus, & patruelis Christi putatiuus, filius Cleophæ, seu *Alphæi* frater S. Iudæ Apostoli, & S. Simeonis secundi Episcopi Hierosolymæ, & Ioseti, et nepos ex fratre *S. Iosephi*.

Ianne Tritauus legalis putatiuus Christi, sed atauus legalis verus *S. Iosephi*.

S. Ioachim, Pater naturalis, & verus Mariæ Virginis, auus verus

verus Christi, maritus *S. Annæ*, socer *S. Iosephi*.

S. Ioannes Baptista consanguineus Christi in quinto gradu, & Mariæ Virginis in quarto, & S. Annæ in tertio, filius SS. Zachariæ, & Elizabeth.

Iose filius Cleophæ patruelis Christi putatiuus, frater SS. Iacobi minoris, & Iudæ Thaddæi Apostolorum, & Simeonis Episcopi Hierosolym. ac Martyris, & nepos ex fratre *S. Iosephi*.

S. Iosephus sponsus, ac Vir Mariæ Virginis pater Christi putatiuus, immò matrimonialis, non tamen carnalis, filius *Iacobi* naturalis, & *Heli* legalis, frater Cleophæ, gener SS. Ioachimi, & Annæ, patruus *SS. Iacobi min.* & *Iudæ Thaddæi* Apostolorum, *Simeonis* Episc. 2. Hierosol. et Martyris, et *Ioseti*.

S. Iudas Thaddæus Apostolus, patruelis Christi putatiuus, filius Cleophæ, seu Alphæi, nepos ex fratre *S. Iosephi*, et frater Ioseti, ac SS. Iacobi minor. Apost. et Simeonis 2. Episc. Hierosol. et Martyr.

Leui de stirpe Nathan, et Dauidis, abauus legalis putatiuus Christi, sed proauus legalis *S. Iosephi*.

S. MARIA Virgo Mater Iesu Christi D. N. coniux S. Iosephi, filia SS. *Ioachimi, & Annæ*, cognata, seu consobrina S. Elizabethæ, consanguinea in 4. gradu S. Io. *Baptistæ*, fratria Cleophæ pronepotis Mathani Sacerdotis, et hinc de stirpe Aaron; sed ex parte Patris sui, et quoad auum maternum de Regia stirpe Dauidis, et habens in suo stemmate 19. Reges de stirpe Iuda, qui regnauerunt in Hierusalem.

Maria vxor *Mathani* sacerdotis Mater S. *Annæ*, auia Mariæ Virginis, et S. *Elizabeth* proauia Christi materna, et S. Ioannis Baptistæ.

Maria filia *Mathani* sacerdotis, soror *S. Annæ*, Matertera Mariæ Virginis, & S. *Elizabethæ*, Matertera magna Christi, & *S. Ioannis Baptistæ* mater Salomes obstetricis.

Maria vxor *Cleophæ*, seu *Alphæi*, fratris S. *Iosephi*, mater SS. *Iacobi* minoris, *& Iudæ Thaddæi* Apostolorum, & Simeonis 2. Episc. Hierosolymæ, & Martyris, et *Iosephi*, seu *Ioseti*. Hæc est illa, quæ dicitur Matthæi 27. nu. 56. *Mater Iacobi, & Ioseph mater*, & Marci 15. *Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater*, & Ioannis 19. nu. 25. *Mariam Cleophæ*, ac *sororem matris IESV*, ideſt cognatam, vtpote vxorem fratris S. Iosephi; & hæc est illa *altera Maria*, de qua Matthæus c. 28.

Mathan Sacerdos, Pater S. Annæ, auus maternus MARIÆ Virginis, & S. Elizabeth, proauus maternus Christi, & S. Ioannis Baptistæ.

Mathan de stirpe Dauidis per Salomonem, auus *S. Iosephi*, proauus putatiuus Christi.

Mathath qui et *Melchi* iunior, auus legalis S. Iosephi, et proauus legalis putatiuus Christi.

Melchi senior abauus legalis S. *Iosephi*, et atauus legalis putatiuus Christi.

Panther de stirpe Dauidis abauus maternus Christi, proauus paternus Mariæ Virginis, auus S. Ioachimi.

Salome obstetrix, consobrina Mariæ Virginis, et S. Elizabethæ, sororia S. Annæ.

Salome autem mater filiorum Zebedæi si nõ fuit filia Cleophæ, nec Salome obstetrix non fuit consanguinea Mariæ Virginis.

Soba filia Mathani sacerdotis, soror S. *Annæ* mater S. *Elizabethæ* matertera Mariæ Virginis, matertera magna Christi, et auia S. Ioannis Baptistæ.

S. *Zacharias* pater S. Ioannis Baptistæ, maritus S. Elizabethæ, gener. *Sobæ*.

CAPVT XX.

Quando, & quomodo impleta sit Prophetia Iacobi Patriarchæ de Messia venturo, Genesis 49. & an Machabæi fuerint de Tribu Iuda, & CHRISTVS ex Machabæorum sanguine.

1 CEleberrimum est S. Patriarchæ Iacobi oraculum illud Genesis 49. quo post reprehensos Ruben, Simeonem, & Leui conuersus ad quartogenitum suum Iudam dixit: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium &c.* Quibus, & sequentibus verbis certum est apud Catholicos prædici aduentum Messiæ, & aduentus illius tempus determinatum designari, vt contra Iudæos inter alios egregiè demonstrat noster Barradius tomo 1. in Euangelia lib. 3. cap. 1. & Suarez in 3. partem disp. 1. sect. 1. sed quando, & quomodo impletum sit hoc tempus controuersum est hactenus, vt videre est apud Interpretes in cap. 49. Genesis, præcipuè Glossam ordinariam, Lyranum, Carthusianum, Abulensem, Bonfrerium, Cornelium à Lapide, Tirinum; itemque apud Baronium in Apparatu ad Annales, Pererium lib. 4. in Genesim, & de benedict. Patriac. proph. 3. Suarez supra, & Barradium lib. 3. cap. 2. Salianum tomo 6. ad annum Mundi 4017. Torniellum, & Spondanum in Annalibus veteris testam. ad annum 4052. Petauium in Rationario tempor. parte 2. lib 3. cap. 16. Bulengerum in Diatriba 3. ad c. 1. Causabonum, & Petrum Redanum in Apparatu ad libros Machabæorum sect. 9. à num. 14. ad 52. apud quos alij.

2 Vt autem status controuersiæ melius intelligatur, præmittenda sunt quædam notabilia iuxta ordinem temporum. *Iudas* enim in Ægypto mortuus est, & de stirpe eius nemo ante Dauidem Rex fuit, & perpauci Iudices fuere ex tribu Iuda, siquidem *Iosue* fuit ex tribu Ephraim; *Iephthe*, & *Gedeon* ex tribu Manasse; *Barach* ex tribu Nephthali, *Samson* ex tribu Dan, *Heli*, ac *Samuel* de tribu Leui, *Saul* autem Rex de tribu Beniamin. Permansit autem sceptrum, et Regnum Iudæ in stirpe Dauid, vsque ad captiuitatem Babylonicam: vltimi enim Reges de stirpe Dauid per lineam masculinam fuere *Iechonias*, et frater eius *Sedecias*. Post captiuitatem autem Babylonicam nemo Iudæorum sub Cyro, Cambyse, et posteris eius Regium Diadema, et Monarchiam, ac absolutam dominationem assumpsit vsque ad Machabæos; sed quoniam Cyrus edicto suo inuitauerat Hebræos ad reædificandũ Templum Hierosolymis, vt narratur Esdræ cap. 1. *Surrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, & sacerdotes, & Leuitæ*; et cap. 3. *& surrexit Iosue filius Iosedec, et fratres eius Sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiet, et fratres eius, et ædificauit altare Dei etc.* De his principibus idem Esdras cap. 4. scribit nu. 2. *Accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum dixerunt*, & cap. 6. nu. 14. *Seniores autem Iudæorum ædificabant, et prosperabantur*: et cap. 9. *Accesserunt ad me principes etc.* Aggæus autem cap. 1. num 1. & cap. 2. num. 3. appellat, *Zorobabel filium Salathielis Ducem Iuda, et Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum*, ex quibus apparet, verum esse quod asserit Iosephus Hebræus lib. 11. antiq. cap. 4. et 5. plurimos, et præcipuos, qui cum Leuitis reuersi sunt in Ierusalem fuisse de tribu Iuda, et ideo post captiuitatem Hebræos cœpisse appellari *Iudæos*; Præterea regimen eorum redactum tunc fuisse ad Aristocratiam, in qua seniores, seu principes, et optimates ita regebant populum, vt tamen hinc Pontifex, hinc dux aliquis per modum Consulis, aut Dictatoris, præeminerent, et inter duces primus fuit *Zorobabel*, vtpote filius Salathielis de sanguine Regio, et stirpe Dauid;

Dauid ; vt habetur Paralipomenon 1. cap. 3. et Matthæi 1. Sed et posteros Zorobabelis, et Duces populi, vsq; ad Machabæorum tempora fuisse de tribu Iuda colligitur ex Iosepho à libro 13. cap. 15. vsque ad lib. 18. Et supponunt S. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 15. S. Hieronymus in cap. 1. Sophoniæ, S. Epiphanius hæresi 29. et ex traditione Hebræorum Galatinus lib. 4. cap. 4. ac Genebrardus ad annum 3900. semper tamen subiecti fuere Regibus Persarum, et deinde Seleucidis post Alexandrum Magnum, cum Iudææ regnum ad Syriam pertineret, et tributa ijs soluebant. Quæ autem fuerit occasio, iustè rebellandi aduersùs Antiochum Epiphanem, et libertatem pristinam recuperandi Machabæis, narratur libro 1. Machabæorum, et à Iosepho lib. 12. antiq. à cap. 6. Mortuo verò *Alcimo*, populus communi suffragio non solùm ducatum, sed etiam Pontificatum detulit *Iudæ Machabæo* de stirpe Assamonæa, et post hunc *Ionathæ* fratri Iudæ, et deinde *Simoni* fratri Iudæ, cuius tempore, vt dicitur lib. 1. Machab. cap. 15. *Ablatum est iugum gentium ab Israel*: Huic occiso successit filius eius *Ioannes Hyrcanus*; et huic *Aristobulus* Hyrcani filius, qui diadema regium assumpsit anno 432. post solutam captiuitatem Babyl. et huic successit *Iannæus Alexander* frater in Regno, et Pontificatu; et huic in Regno *Alexandra Salome* vxor Aristobuli in pontificatu autem *Hyrcanus* Alexandri filius natu maior, cùm *Aristobulus* natu minor regnum sibi vsurpasset, quo tamen à Pompeio spoliatus est, et Hyrcanus quamuis nomine tenus regiam quoque dignitatem ab eo obtinuit. Posteà verò *Antigonus* filius *Aristobuli* ope Parthorum regnum Iudææ recuperauit, tenuitque donec *Herodes Idumæus*, qui Romæ à Senatu ope M. Antonij regnum Iudæorum obtinuerat anno ante Christum 40. vt docui lib. 6. cap. 14. à num. 4. tandem ope Sosij expugnata Hierosolyma, & *Antigono* vltimo de Assamonæis Rege iussu M. Antonij, sed rogatu Herodis necato, anno 37. ante Epocham Christi, securè, ac pacificè possidere cœpit regnum Iudææ; quamuis ad maiorem securitatem anno 30. ante Epocham Christi sustulerit de medio *Hyrcanum* quoque Pontificem vltimum de Assamonæis, & Pontificatum contulerit *Ananelo* extraneo. Itaque translatum est Regnum, & Sacerdotium summum à Iudæis, & Leuitis, ad alienigenas, & extraneos. His prænotatis recensendæ sunt opiniones de tempore, quo impleta est Iacobi Prophetia.

3 *Prima* non opinio, sed error fuit Iuliani Apostatæ, iactantis defeciisse sceptrum de Iuda, per mortem Ieconiæ, & Sedeciæ in Captiuitate Babylonica, ideoq; Christum Iosephi fabri filium, non fuisse Messiam à Iacobo prædictum, cum non venerit tunc, sed post captiuitatem Babylonicam quingentis, & amplius annis. Sed hunc errorem confutauit S. Cyrillus lib. 8. aduersùs Iulianum, ostendens in Salathiele filio Iechoniæ mansisse ius hæreditarium ad regnum, & in Zorobabele eiusque posteris Ducatum Iudæorum, ac deinde in Machabæis vsque ad Herodem Alienigenam, sub quò natus est Christus. Iudaizabat autem Iulianus cum illis Rabbinis, qui apud Paulum Burgensem parte 1. Scrutinij disp. 3. cap. 2. dicebant impletum esse oraculum Iacobi in aduentu Nabuchodonosoris, cum tamen hic Iudæos captiuos abduxerit, nec fuerit *expectatio Gentium*, nec illum *adorarint fratres Iudæ*, tanquam Deum.

4 *Secunda* opinio fuit Theophanis Episcopi Nicæni apud Turrianum l. 2. contra Antonium Sadeletem, & Basilij Legionensis tomo 1. Variarum disp. q. 4. positiua c. 4. Promissionem sceptri mansuri in tribu Iuda fuisse conditionatam, nisi peccando mererentur, vt Deus aliter disponeret; cui opinioni affinis est Fabricius Paulcius apud Spondanum ad annum Mundi 4052. dicens impletum fuisse oraculum Iacobi tempore captiuitatis Babylonicæ, ideoque Danielem, qui tempus aduentus Messiæ impletum sciebat, interrogasse Deum de causa moræ, Deumque assignasse nouas inducias, & nouum terminum post hebdomadas 70. Sed priorem opinionem impugnarunt Canus lib. 2. de locis cap. 11. Suarez in 3. p. disp. 1. sect. 1. & vtramq; Rhedanus supra. Quia sic frustra esset illa prophetia, nec certum tempus haberemus quo possemus ostendere iam aduenisse Messiam, semper enim dicere possent Iudæi ob sua peccata dilatum Messiæ aduentum; & ipse Iacob aut deceptus esset, aut nos decepisset.

5 *Tertia* opinio Diodori Tarsensis in catena in Genesim, ac ferè Eusebij lib. 8. de demonstr. Euang. Hugonisq; Victorini in Annot. in Genesim, Tribum Iuda vsque ad Messiam futurum reliquis tribubus præstantiorem, esto alij de alia tribu imperarent, vt fecere Machabæi. At violenta est hæc interpretatio, cum *sceptrum*, *& Dux* Dominationem significent, ob quam certè præstantior fuit tribus Leui, si Machabæi Pontifices, ac reges de illa tribu fuere. Deinde non potest assignari tempus, quo alia illa excellentia tribus Iudæ defierit; & eneruatur argumentum Catholicorum contra Iudæos, qui possent respondere, durare adhuc, licet extra Palestinam multos Iudæos sapientes, & diuites de tribu Iuda, & alijs tribubus præstantiores.

6 *Quarta* opinio fuit Caietani in Genesis 49. alias Tribus amissuras non solum regnum, sed etiam spem regni, & principatus; Tribum verò Iuda, licet amissura esset regnum post captiuitatem Babylonicam, non amissuram tamen spem certam redeundi ad principatum, siue regium, siue ducalem, & redeundi ad pristinam dignitatem per Christum maximè confirmandam, additque Caietanus. *Discurre, & discute expositiones omnes, tam Hebræorum, quàm aliorum, & reperies nullam quadrare verbis illis Iacob, nisi hanc meam.* At è contrario vix vlla magis fauet Rabbinis dicitantibus sperare se adhuc reditum ad pristinam dignitatem, & post longum tempus dispersionis suæ, fore vt Iuda regnum iterum refloreat. At Oraculum illud fuit non de spe, quæ semper concipi, aut fingi potest, sed de re, idest de reali ablatione sceptri, ac ducatus temporalis, & tali, ac tanta, vt prudentem omnem spem adimeret illum statum ampliùs recuperandi. Neq; verò de regno Spirituali, quo Christus tantum regnauit, sed de temporali intellexerunt Patres illud oraculum. Proinde si Caietanum audiremus, nullum certum tempus Messiæ aduentus haberemus; Quod si dicat ablatam esse iam spem illam debet assignare quando, & quomodo ablata sit.

7 *Quinta* opinio fuit Melchioris Cani l. 2. de locis cap. 11. ad 4. & Henrici Spondani ad annum 4052. num. 7. Ius legitimum ad regnum, & Ducatum mansurum in tribu Iuda vsque ad Messiæ aduentum, esto actualis administratio, aliquando futura esset penes Machabæos de tribu Leui, sed per modum depositi, & de consensu capitum de tribu Iuda. At si ius merum sine vsu sufficeret, possent adhuc Iudæi dicere remanere in aliquibus de tribu Iuda illud Ius, esto vsus sit apud Turcas, & Saracenos; Quod si dicas intelligendum esse ius cum potestate, & viribus conferendi vsum alijs, & eligendi de alia tribu ducem, oporteret assignare tempus, quo tribui Iudæ ablata fuit hæc potestas; Præterquamquod *sceptrum*, *& Dux* significant non tantum Ius, sed actuale regimen per virum de tribu Iuda. Spondanus tamen ait ablatum ius illud à Romanis.

8 *Sexta* opinio, quam 2. loco indicat Barradius ex Cyrillo, Zorobabelis posteros de tribu Iuda vnà cum Pontificibus Reipublicæ gubernacula tenuisse, & in cõfortium regiminis venisse esto penes Pontifices summa esset auctoritas; sed nusquam neque in Sacra historia, neq; in Iosepho apparet tempore Machabæorum posteros Zorobabelis rexisse Rempublicam, & ab eis postea ablatum hoc regimen ab Herode, vel à Romanis.

9 *Septima* opinio fuit Pauli Burgensis in Scrutinio disp. 3. c. 2. Galatini lib. 4. de Arcanis a c. 5. ad 7. Eugubini, & Gabrielis Acosta in Genes. 49. Petri Bruti de victoria Verbi contra Iudæos c. 4. Mansisse regimen in Concilio Sanedrin 70. seniorum de tribu Iuda, donec Herodes 45. ex illis interfecit teste Iosepho lib 15. cap. 1. Sed gratis fictum est omnes illos 70. viros fuisse de tribu Iuda, vel omnes illos 45. ab Herode necatos fuisse de Concilio Sanedrin, nedum de tribu Iuda; vel denique habuisse supremam potestatem, & tantam, quanta significat *Sceptrum*, *& Dux*.

10 *Octaua* opinio multorum fuit mansisse regimen, et ducatum Iudæorum vsque ad *Antigonum* vltimum de Assamonæis, seu Machabæis Regem, ac Pontificem ipsum, aut Hyrcanum, ab Herode sublatos, et tunc desijsse quando his sublatis translatum fuit omnino ac stabiliter regnum ad Herodem Idumæum alienigenam; Machabæos autem, licet fuerint de tribu Leui, vtpote Sacerdotes, et Pontifices ex paterno sanguine, fuisse tamen ex tribu Iuda, ex parte Matris; præsertim cum non esset insuetum permiscere duas hasce tribus in coniugijs, sicut Ioiadas summus Pontifex duxit Iosabetham filiam Regis Iorami de stirpe Iuda;

da; satis porrò fuisse id, vt diceretur sceptrum mansisse in tribu Iuda; sicut hodieq; satis est fœmineus sanguis, vt regnum in familia cuiusuis Regis perseueraſse dicatur. Ita Abulensis, Lyranus, Carthusianus, Cornelius à Lapide in cap. 49. Genesis D. Antonin. tom. 1. c. 4. tit. 4. Barradius tom. 1. lib. 3 cap. 2. Philippæus in Oseam versu 4. quibus Redanus accenset Serrarium, Sanctium, Gordonum, Gabrielem Acosta, & alios. Verum dispar ratio est de familijs Regum nostri temporis, & Regum Hebræorum: apud illos enim Tribuum distinctio non ex materno, sed ex paterno sanguine sumebatur, vt ostendimus cap. 17. num. 2. & 3. Et ideò cum Communi Doctorum Catholicorum, & Patrum diximus non suffeciſſe, vt Maria Virgo esset de domo Dauid, & de Tribu Iuda ex parte Matris, sed debuisse esse talem ex parte patris. Deinde, dato quòd ex vtrolibet sanguine sumi posset denominatio tribus, certum tamen est prævaluisse in hoc paternum sanguinem: Ergo si Iacob præuidebat sceptrum, & ducatum transiturum ad Machabæos de tribu Leui, oportebat, vt potius ipsi Leui hoc promitteret, aut diceret: *Non deficiet sceptrum de Iuda, & postea de Leui, & dux de femore eorum donec &c.* Alioquin loquendo de solo Iuda occasionem dedisset interpretandi, tempus Messiæ fore tunc quando sceptrum, aut Ducatus à Posteris Zorobabelis de tribu Iuda translata sunt ad Machabæos de tribu Leui; quod tamen euenit annis 167. ante aduentum Christi: mitto alia leuiora argumenta contra opinionem hanc.

11 *Nona* opinio item multorum recentiorum est, Sceptrum, & Ducatum Iudæorum, vsque ad *Antigonum* vltimum de Machabæis Regibus mansisse in Tribu Iuda insitiuè, & electiuè, quia ipsi de tribu Iuda sua voluntate, & consensu detulerunt regimen, & Ducatum Machabæis, quomodo Poloni elegere in suis comitijs Henricum Gallum, Stephanum Transiluanum, & Sigismundum Suecum in Reges Poloniæ, nec tamen negatur mansisse sceptrum illud apud Polonos, quanto minus, si non extraneis, sed de familia Iacob delatum est? Ita Suarez tomo 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1. Leo Castrius lib. 3. Apolog. Salianus anno 2345. & 4017. Pererius, Del Rio, Cornelius à Lapide, Tirinus, Gordonus, Bonfrerius, Magalianus in cap. 49. Genesis, & Petrus Conæus lib. 1. de Republ. Hebræorum cap. 9. Verum Oraculo illo suo aliquid peculiare promisit, & prædixit Iudæ, & posteris ipsius, quod non pertinebat ad alias tribus, nec dixit solum. *Non auferetur Sceptrum de Iuda*, sed ad maiorem restrictionem, & distinctionem adiecit: *Et Dux de femore eius*, seu, vt habet LXX. *Nec Dux de femoribus suis*, quod significat naturalem successionem, non autem adoptiuam, aut electiuam: Et nemo dixerit Henricum Valesium fuisse de femore alicuius familiæ Polonicæ, esto fuerit à Polonis electus in Regem; Aliquid ergo aliud addendum est, vt hæc expositio subsistere possit.

12 *Decima* opinio est; mansisse Sceptrum, & Ducatum Iudæorum in tribu Iuda, vsque ad *Antigonum* vltimum de Machabæis, eo quod Machabæi fuerint de tribu quidem Leui ex materno sanguine, sed de tribu Iuda ex paterno; ita Baronius in Apparatu ad Annales, Genebrardus anno 3922. & alij *viri docti, & clari nominis* indicati à Pererio in cap. 49. Genes. ac nouissimè Redanus, addens ex interpretatione legis, vel dispensatione, delatum Pontificatum Machabæis Ducibus; esto non essent simpliciter de tribu Leui, ob insignem zelum legis, & ita postulante illo tempore, quo iam videbant Pontificatum vsurpatum ab extraneis. Fuisse autem Machabæos de tribu Iuda simpliciter colligitur ex 1. Machab. cap. 5. vbi narrata clade Iosephi, & Azariæ, & duum millium de populo Israel, subiungitur num. 61. *Quia non audierunt Iudam, & fratres eius existimantes fortiter se futuros, ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel, & viri Iuda magnificati sunt valde &c.* Et infra num. 67. videtur explicari de quo semine fuerint illi, qui non audito consilio Iudæ fortiter se pugnaturos putauerunt: *In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.* Ergo si hi erant Sacerdotes, adeoque de tribu Leui, & non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel, salus autem hæc facta est per Iudam Machabæum, & fratres eius, sequitur Machabæos non fuisse de semine saltem masculino tribus Leui, & cum dicantur Machabæi *Viri Iuda*, vt habetur in Vulgata (esto Græcè sit, *& vir Iudas*) vtique videntur Machabæi fuisse de tribu Iuda. Sed communis interpretum opinio cum Carthusiano, Lyrano, Abulensi, item Burgensi in Scrutinio, & Barradio supra est, Machabæos fuisse ex paterno sanguine de tribu Leui, & verba illa *& viri Iuda* intelligenda esse de militibus, & cognatis Machabæorum, quorum maxima pars erat de tribu Iuda, & eos, qui cladem illam passi sunt, non fuisse de horum semine, esto fuerint de illa tribu, de qua erant Machabæi, ideſt ita fuisse de Tribu Leui, vt tamen non fuerint de familia, & cognatione Machabæorum. Fuisse autem Machabæos de tribu Leui colligitur ex Sacra Scriptura: Nam 1. Paralipom. c. 24. inter filios Aaron numeratur versu 7. *Sors prima Ioiarib*. Et primo Machabæor. cap. 2. dicitur: *Mathatias filius Ioannis filij Simeonis Sacerdos ex filijs Ioiarib*. Et cap. 14. nu. 29. *Simon autem Mathathiæ filius ex filijs Ioarib, & fratres eius.* Dicti autem sunt Aisamonæi, quia, vt narrat Iosephus lib. 12. antiq. cap. 8. *Mathathias* pater Iudæ Machabæi, filius fuit *Ioannis*, & hic *Simeonis*, & hic *Assamonæi &c.* contendit tamen Redanus, ad hoc vt dicantur Machabæi fuisse de filijs *Ioarib* sufficere, vt fuerint de tribu Leui ex materno sanguine, & hanc fuisse sufficientem aptitudinem, vt eligi possent in Sacerdotes, et Pontifices, saltem ex priuilegio, et dispensatione legis, vel interpretatione. Verum si materna origo sufficeret, vt Machabæi dicerentur de filijs *Ioarib*, nutarent omnes genealogiæ in Sacra Scriptura, nec ex illis vnquam certi essemus, de qua Tribu simpliciter essent illi, quorum genealogia per viros texitur possemus enim dubitare an dicerentur filij alicuius viri, non immediatè, sed mediante illius filia, vel Nepte: quod est maximum inconueniens: Tutius ergo est et verius Machabæos quidem Pontifices, ac simul duces populi fuisse de tribu Leui; sed exercitum eorum, et capita exercitus ipsis subordinata non ex Sacerdotibus, aut Leuitis constitisse, sed ex viris omnibus, vel ferè omnibus de tribu Iuda, Sacerdotes autem illos, qui ad æmulationem Machabæorum spreto consilio Iudæ feorsim contraxere copias, et bellare voluerunt, non solum non fuisse de tribu Iuda, sed nec de semine, ideſt de familia, et cognatione Machabęorum, esto vtrique essent de tribu Leui. Ex quibus apparet non posse constare MARIAM Virginem, et CHRISTVM fuisse de stirpe Machabęorum, ex eo quod fuerint de tribu Iuda, esto Redanus id suadere conetur.

13 *Vndecima* opinio est in vaticinio Iacobi, *Iudam* non significare solam tribum Iudę rigorosè acceptam, et distinctam omnino ab alijs vndecim tribubus; sed illam, et omnes Iudęos, quia post abductas magna ex parte nouem tribus, quę ad regnum Israel pertinebant, in captiuitatem, à Salmanasar, reliquas autem, quę ad regnum Iuda pertinebant vnà cum Leuitis suis à Nabuchodonosore; tandem soluta per Cyrum captiuitate, maxima pars, quę reuersa est Ierosolymam, fuit de tribu Iuda, esto accenderint cum ea etiam multi de tribu Beniamin, et Leui, et ideo Hebręi, et Israelitę cœpti sunt appellari *Iudæi*, vt diximus num. 2. et ob hanc prærogatiuam Iacob Iudę potius, quam alijs suis filijs hanc prosperitatem prædixit; Quando itaque dixit *Non auferetur sceptrum de Iuda*, perinde fuit ac si diceret; *Non auferetur regnum, aut rex Iudæorum de gente Iudæa*; Proinde inter Reges Iudęorum comprehendi Herodē quoque, et Archelaum eius filium, quorum priore mortuo posteriore verò à Romanis regno exuto tempus Messię iam nati impletum esse. Herodem autem Iudęum fuisse, non verò alienigenam: Ita Torniellus ad annum partim 4018. partim 4052. Scaliger in Animadu. Eusebian. anno 1883. Et Isaac Casaubonus aduersus Cardinalem Baronium c. 3. ex 1. Sed in hoc differunt, quod Torniellus contendit Herodem non solum fuisse Iudęum; sed etiam de regia stirpe Tribus Iudę; Casaubonus autem cum Scaligero Iudęum, quamuis non de Tribu Iuda. Verum quoad primam partem de tota Iudęorum gente sub nomine Iudę comprehensa, quod est commune cum opinione *Duodecima* dicemus de hoc infra. Quoad Torniellum autem rectè dixit Redanus à seculo non esse auditum ante Torniellum, fuisse Herodem de Tribu Iuda, estque nouum contra communem Patrum, et Doctorum, et contra ipsos Hebręorum magistros, ac præcipue Iosephum affirmantem Herodem fuisse alienigenam, nec vllatenus ad eum pertinuisse regni Iudaici ius,

ci ius, esto Nicolaus Damascenus sophisticis argumentis conatus sit oppositum probare in gratiam Herodis, cuius tamen argumenta nihil amplius probant, quã ad summum eum fuisse proselytum, vt videre est apud Iosephum l. 14. antiq. c. 2. Tantum verò abest, quod Herodes ipse se de tribu Iuda, nedum de stirpe regia ortum agnouerit, vt procurarit incendi Tabulas Genealogicas Iudęorum, quę in templo asseruabantur, ne manifesta maneret ipsius ignobilitas, sicut ex Africano, Eusebio, & alijs retulimus cap. 17.

14 Sed ne Iudæum quidem fuisse Herodem, vtpote Idumæum, vel Ascalonitam, præter Iosephum docent luculenter Bulengerus contra exercitationes Casauboni c. 3. exercit. 1. Diatrib. 3. Petauius lib. 11. de Doctrina temporum c. 5. & Serrarius in Opusculo de Herode c. 15. siue enim Herodes fuerit Ascalonita, vt ait Africanus apud Eusebium l. 1. Histor. c. 7. siue Idumæus, vt ait Iosephus l. 14. c. 2. & Hyrcanus Iudęorum Pontifex ac princeps, domitos Idumæos compulerit ad legem Mosaicam, & circumcisionem suscipiendam, atque adeo Herodes proselytus fuerit, & proselyti filius, semper tamen verum fuit eum fuisse de aliena, & peregrina stirpe; Aliud enim est Iudæum esse professione Religionis, aliud Iudæum origine, quemadmodum non ideo origine Romani sunt Galli, vel Hispani Catholici, licet Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ fidem profiteantur. Fuit ergo alienigena, & ex nulla 12. tribuum, & propterea Patres dicunt Regnum Iudæorum transisse in Herode ad alienigenam, & defecisse à Iudæis; Nec Patres modò, sed ipsi Herodiani, quando viderunt delatum ipsi regnum à Romanis putauerunt tempus aduenisse Messiæ, ideoque Herodem ipsum pro Messia venditabant, siue enim id ita, esse putarent, siue adulatoriè id finxerint, non potuere hoc vllo probabili colore suadere, nisi iam constaret Regnum, & Ducatum Iudæorum omnino desijsse in tribu Iuda, immò in gente verè Iudæa, & transisse in hominem extraneum, & alienigenam.

15 Duodecima opinio, est quam vltimo loco, vt expeditissimam proponit Barradius tomo 1. in Euang. l. 3. c. 2. elegitque postea Petauius in Rationario parte 2. l. 3. c. 16. Videlicet in vaticinio Iacobi nomine *Sceptri Iudæ* etc. intelligi non solam Tribum Iudam, seu Reges ac Duces de Tribu Iuda; sed populum Iudaicum, et rempublicam Iudæorum: siue deinde illorum principes, aut rectores futuri essent de tribu Iuda, siue de quauis ex 12. tribubus, siue etiam de stirpe peregrina, dummodo regnarent in Iudæa; post Aduentum autem Messiæ fore, vt penitus auferatur populus Iudaicus omnisque forma dominationis, iuxta illud Danielis 9. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est*; Id verò euenisse, quando à Tito Vespasiano capta est Hierosolyma, et Templo incenso, dispersæ sunt reliquiæ Iudæorum per alias regiones, et fuerunt deinceps semper sine Rege, sine Sacerdote, sine Propheta etc. Confirmat autem Petauius Iacobi prophetiam implendam fuisse post Aduentum Christi, non verò ante ex Græco, vbi οὐκ ἐλλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, idest: *Non deficiet princeps è Iuda donec veniat, cui repositum est.* Addit Barradius Iacobum, licet intelligi voluerit de toto populo Iudæorum, locutum tamen esse peculiariter cum Iuda, quia prior pars vaticinij spectabat ad Messiam oriturum de tribu Iuda, et quia Iudæi à tribu Iuda olim prædominatura nomen accepturi erant post Babylonicam captiuitatem, et quia penes tribum Iuda fuit regnum, aut ducatus longo tempore, et ius illius ad eam pertinebat. Tandem aliquot Patres pro hac opinione producit, quibus alios quoque adiungemus.

16 Etenim S. Iustinus 2. Apologia inter alia dixit: *Iudas enim Iudæorum genus fuit, à quo etiam Iudæi nominati sunt, vosq;* idest Romani, *postquã Christus extitit & apparuit Iudæis quoq; imperauistis, eorumq; regiones obtinuistis.* Et S. Athanasius libro de Incarnatione Verbi. *Præsente Sancto Sanctorum, idest Christo, meritò obsignata est visio, & Prophetia, & Regnum Ierosolymitanum desijt; tandiu enim vngebantur apud eos Reges, donec vngeretur Sanctus Sanctorum. Et Moyses quoque eodem spatio Regnum Iudæorum circumscribit, idque huiusmodi vaticinio. Non deficiet princeps ex Iuda, neque de femoribus Iacob, donec venerint ea quæ reposita sunt, & ipse est expectatio gentium. Vnde Saluator clamat dicens; Lex, & Prophetæ, vsque ad Ioannem prophetauerunt. Si ergo vel nunc vllus est apud Iudæos, aut Rex, aut Propheta, aut visio rectè inficiantur venisse Christum, sin autem neque Rex, neque vlla Prophetia superest, sed obsignata est in posterum omnis prophetia, & ciuitas, & templum capta, quorsum ista impietas, & tergiuersatio? vt cum ista facta videant Christum negent!* Sanctus quoque Chrysostomus exponens hoc oraculum Gen. 49. inquit. *Tamdiu durabunt Iudaica, & princeps Iudæorum, quoad venerit Christus.* idemque exponens libro contra Ethnicos concludit. *Nam tunc apparuit Christus cum iam deficerent principes Iudaici, & sceptris Romanorum subderentur.* Eusebius quoque l. 3. de demonstratione c. 2. *Iudam hic non ipsam tribum intelligit Iacob, sed quoniam denominatione quadam posterioribus temporibus à regali tribu Iuda omnis Iudæorum natio dicta est, ita vt hodieque Iudæi nominentur, valdè mirabiliter, & propheticè, omnem Iudaicam gentem Iudam nominauit. Tum affirmat non prius defuturos ex gente ipsorum principes, & Duces, quam is adueniat, quem prophetia significat: porrò hic simulatque aduenerit, Iudæorum quidem principatum esse dissoluendum, ipsum verò non Iudæorum amplius, sed gentium fore expectationem.* Quibus similia habet lib. 1. Historiæ cap. 6. et Nicephorus lib. 1. histor. Eccl. c. 9. de hac prophetia sic. *Tunc enim ille aduenit cum Iudæorum Duces in Romanorum potestatem redacti defecerunt, & sceptro imperioque eorum paruerunt. Sub iugum enim seruitutis ab illis missi tributum illis soluerunt, & vnà cum Aduentu Christi prima illa descriptio, & census est actus.* Demum D. Thomas in Genes. 49. *Christus non solùm debebat esse finis tribus Iudæ, sed etiam totius status Iudaici, & ideo loquendo de regno Iudaico, prout erat finiendum in Christo non solùm debuit loqui de regno tribus Iudæ, sed etiam de tota regali potestate totius Synagogæ: Et ideo quod ait: Non auferetur Sceptrum; intelligendum est quod regnum fundatum in tribu Iuda, non auferetur populo Iudaico dum veniat Christus.* Denique defecisse Sceptrum de Iuda, quasido transijt ad Herodem alienigenam docent Origenes homil. 17. in Genes. Epiphanius hæresi 20. Augustinus l. 12. contra Faustum c. 47. Theodoretus Isidorus, Beda, Rabbi Ionathan, et Oncheli, Et videtur confirmari posse hæc opinio ex opinione ipsa Concilij Iudaici, et Pontificum ac Pharisæorum Ioannis 11. nu. 47. *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi consilium, & dicebant. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem.* Ergo licet Romani declarassent Herodem alienigenam regem Iudæorũ, et ipse sustulisset Asamonæos Reges, ac Pontifices, et Romanis prætidibus subesset, nondum tamen putabant ablatam esse omnino suam iurisdictionem, ac iudiciariam potestatem, nedum extinctam suam Rempublicam: Sinebant enim Romani Iudæos viuere legibus suis, et secundùm illas iudicare de reis: id enim sonant verba illa Pilati Io. 18. *Accipite eum vos, et secundùm legem vestram iudicate eum.* et iterum. *Gens tua, et Pontifices tui tradiderunt te mihi,* et c. 19. ipsi Iudei. *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori.* Esto regiam supra se potestatem confessi sint esse in Imperatore Romano dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

17 At huic opinioni non potest animus planè acquiescere. *Primò* quia de Iacob, dicitur Genesis 49. num. 28. *Benedixitque singulis benedictionibus proprijs*, ergo sicut prior pars prophetię de Messia futuro ex tribu Iuda restringitur tanquam propria ad Tribum Iudam, non autem ad Iudęos, quantumuis ex ea tribu sic denominandos, ita posterior pars de sceptro, et Duce non auferendo ex Iuda, donec veniret Messias restringitur ad solam tribum Iudę. *Secundò* quia per clausulam illam, *et Dux de femore eius* excluduntur omnes qui non essent futuri de sanguine paterno, aut saltem materno Iudę, atque adeo omnes alienigenę, qualis fuit Herodes. *Tertiò*, quia sicut violenta esset interpretatio verborum Apostoli ad Hebręos 7. num. 14. *Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Si quis nomine Iudę intelligi vellet Iudęos omnes, eo quod ibi Iudam distinguat à Tribu Leui, de qua negat fuisse Christum; ita cùm Iacob distinctè locutus sit de tribu Simeon, et Leui dicens: *Simeon, et Leui vasa iniquitatis etc.* et statim conuersus ad Iudam eius prosperitatem prędixerit, violentum videtur nomine Iudę intelligere etiam Leuiticam,

ticam, et alias tribus, et Iudęos omnes, saltem, quoad primariam Iacobi intentionem, et multo magis alienigenas: præsertim si verba illa Iacobi: *in consilium eorum non veniat anima mea etc. Maledictus furor eorum*, ideſt Simeonis, et Leui, *quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*, allegoricè intelligenda sint de Leuitis, et Pontificibus, qui implacabili odio persecuti sunt Christum, et dispersionis Iudęorum fuere causa principalis. *Quartò*, quia si tempus impletæ huius prophetiæ differendum erat, vsque ad totalem destructionem Iudaicæ Reipublicæ, & euersionem Ierosolymæ, ac Templi, quæ non est facta nisi post annos 70. à Natiuitate Christi, non fuisset datum signum sufficiens ad agnoscendum, & acceptandum Messiam Iudæis illis, qui paulo ante aduentum Christi, aut Christi tempore vixerũt; potuissentque hoc valde probabili prætextu reprobare Christum, eo quod nondum impleta esset Prophetia Iacobi durante adhuc ipsorum Republica, & multò magis tunc quando Regem habebant Herodem: Immò quando quærentibus Magis, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, de loco tantum solliciti fuere, non de tempore nati Messiæ, quia quoad hoc nihil obstabat vaticinium Iacobi, & adeo notum erat apud illos tempus iam aduenisse, vt propterea orta sit Secta Herodianorum dicentium Herodem ipsum esse Messiam, eo quod iam defecisset sceptrum de Iuda ad ipsum, vt docet Epiphanius hæresi 20. sed repugnabant Pharisæi ob certam illam, & veram sententiam, quam Ioan. 7. num. 42. expresserunt: *Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlem Castello vbi erat Dauid venit Christus.* Sciebant autem Herodem esse alienigenam, sed non poterant negare Herodianis impletam esse Iacobi Prophetiam, quoad ablationem sceptri Iudaici. *Quintò*, quando asserentibus Magis natum esse Regem Iudæorum, & Pastoribus, ex Angelica attestatione natum esse Saluatorem in Ciuitate Dauid, cœpit diuulgari fama de nato Messia, & quando reuera natus erat, vera erat hæc ex prophetia Iacobi argumentatio: *Venit, qui mittendus erat, ergo ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de femore eius.* Et multo magis vera erat tempore illo, quo prædicauit IESVS, & toties inculcauit eis, se esse missum à patre, et eos inter alia reprehendit, quod faciem cœli dijudicare nosrent, signa autem temporum non possent, ideſt nollent præ crassa, vel affectata ignorantia discernere: Non igitur expectandum fuit, vt post tantum tempus à Natiuitate, vel prædicatione Christi impleretur Iacobi vaticinium, nec danda illius temporis Iudæis occasio excusandi sui, si non reciperent eum pro Messia. *Sextò* licet Patres, et Auctores allati pro 12. Opinione nu. 16. ad conuincendos sui temporis Iudæos, eosq; qui post euersam Ierosolymam dispersi erant, extenderint tempus implendi oraculi illius quousque aliqua tandem interpretatione extendi posse videbatur, et ad duritiam cordis Iudaici loquentes, admiserint Iudæ nomine intelligi posse Iudaicam Rempublicam, vt ea penitus euersa Iudæis, nulla tergiuersatio superesset; non negarunt tamen impleri cœptam prophetiam, aut etiam impletam esse quoad sufficientiam, et primam intentionem, quando sceptrum transijt ad Herodem alienigenam, aut quando Herode mortuo, et ablegato Archelao, Iudæa redacta est à Romanis in Prouinciam, et per Præsides gubernata à Romano Imperatore: nec vnquam negassent verùm esse hoc argumentum. *Christus venit tempore Herodis, ergo tempore Herodis ablatum fuit sceptrum de Iuda;* Et multo minus quando Christus prædicare cœpit: *Procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode &c. sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha*, vt narratur Lucæ 3. Nam tum maximè, nullo iam Rege, aut Tetrarcha Iudæorum existente, verum fuit dicere. Christus non solum venit, sed seipsum manifestauit Iudæis, ergo iam impletum est oraculum Iacobi, et iam ablatum est sceptrum de Iuda. *Septimò* denique alij Patres agnoscunt impletam esse illam Prophetiam tempore Herodis.

18 Quandoquidem S. Hieronymus in cap. 4. Oseæ explicans illa verba: *Quia diebus multis sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, et sine Teraphim* ait: *Subuerso enim templo, et incensa Hierusalem, nec Sacrificium, nec Sacerdotium Iudaica gens exercere potest; et sine Ephod, et sine Teraphim, ideſt instrumentis Sacerdotalis habitus. De hoc Rege, & Iacob in benedictionibus Iudæ Patriarchæ loquitur: Non deficiet Princeps ex Iuda, et Dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est; et ipse erit expectatio gentium. Ergo postquam defecit princeps ex Iuda, et dux de femoribus eius, et Herodes alienigena, et proselytus suscepit Imperium, intelligimus venisse cui regnum repositum est, et ipse erat expectatio gentium.* Sed et D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Iulianum inquit: *Quomodo igitur cessasse dicit regnum Dauid in Sedekia, cum Zorobabel vt dixi post Captiuitatis tẽpus in regni solio consederit* (ideſt in ducum) *fueritque de tribu Iuda, et Dauid, transmißumque sit per posteros illius sceptrum vsque ad regnum Herodis, qui ex matre quidem Iudæa fuit, sed ex patre alienigena? Tum vbi sic defecerunt de tribu Iuda, qui principatum gererent, natus est Christus*, et paulo post: *Natus igitur, vt dixi Dominus noster IESVS Christus, quum iam defecißent reges ex Iuda.* Et S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 45. *Iudæi Herodem alienigenam habere meruerunt, quo regnante natus est Christus: Iam enim venerat plenitudo temporis, significata prophetico Spiritu per os Patriarchæ Iacobi, vbi ait; non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium. Non ergo defuit Iudæorum princeps ex Iudæis, vsque ad Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem*, vbi licet dicat ex Iudæis, et non se restringat ad Iudæ tribum, tamen non extendit implementum prophetiæ vltra Herodem, nec illum comprehendit inter Reges ex Iudæis, sed Regem alienigenam appellat.

19 Nostra igitur opinio conflata *ex Nona, & Duodecima* vna cum dictis, num. 17. & 18. est, Spiritum Sanctum per os Patriarchæ Iacobi prædixisse Iudæ, Messiam orturum ex tribu ipsius, & tunc aduenturum quando auferretur sceptrum de stirpe illius, & dux de femoribus eius, sed tempus hoc non ad vnum alterumue annum restrinxisse, sed ex primaria sua intentione comprehendisse omne illud tempus, & illam ablationem sceptri de Iuda, quæ possent esse signum sufficiens, Messiæ tum paulo post venturi, vt sic disponerentur Iudæi ad illum recipiendum, tum paulo ante nati, tum manifestatione aliqua sui aduentum profitentis; Ex intentione autem secundaria & posteriori extendisse prophetiam ad illud quoque tempus, quo ex vna parte auferendum erat sceptrum Dominium, ac Pontificatus, non solùm de tribu Iuda, sed à tota Iudæorum gente, sublata omni spe illud recuperandi; ex altera verò per prædicationem Apostolorum Christi, & vocationem Gentium manifestum erat futurum aduenisse iam illum, qui erat expectatio Gentium. Postremò tantam non fuisse latitudinem temporis designati, nec talem ablationem sceptri, vt ex obscuritate prophetiæ, & incertitudine possent, vel Iudæi, vel alij hostes Messiæ habere iustam causam illam perperam interpretandi, & ad aliena tempora distrahendi.

20 *Primò* enim excluſum fuit tempus captiuitatis Babylonicæ tum propter dicta num. 3. tum quia Deus per prophetas suos promiserat Iudæis pristinam libertatem post annos 70. & reipsa habuerunt de tribu Iuda, & sanguine Regio Iechoniæ Zorobabelem Ducem eiusque posteros. *Secundò* excluſum fuit illud tempus, quo ducatus, ac deinde Sceptrum deuenit ad Machabæos cum Pontificatu, quia licet reuera fuerint de tribu Leui, & stirpe Aaronis ex paterno sanguine, vt ostendimus nu. 12. Non recessit tamen, nec ablatum est sceptrum de Iuda, nec dux de femoribus eius, quia non dicitur *recedere* aut *auferri* à me dignitas, aut munus quod ego iure meo vtens concedo alteri præsertim de gente mea, & consanguineo, saltem ex linea materna, & ille dependenter à mea voluntate exercet, vt bene quoad hoc dicunt Auctores opinionis nonæ. Sed neque diceretur auferre mihi sceptrum, aut ducatum ille, qui contra alium conantem mihi illud eripere, & subiugare me in seruitutem, consurgeret, & ob aliquam peculiarem connexionem gentilitiam, aut amicitiam me defenderet, & pugnaret, vt libertatem meam pristinam mihi conseruaret, seque mihi ducem exhiberet, & rogaret, vt collatis, et coniunctis copijs aduersus communem hostem bellum susciperem. Tale quid autem prorsus euenisse, quando, vt dicitur 1. Machab. c. 2. surrexit Mathathias, & filij eius aduersus duces Antiochi Epiphanis, patet ex eodem lib. 1. Machabæorum, et cum ibi c. 5. nu. 63. milites quibus vsus est Iudas Machabæus, dicantur in vulgata editione. *Viri*

Iuda, patet maiorem partem eorum, qui consenserunt illi, et pro Duce illum voluntariè habuerunt, fuisse de tribu Iuda.

21 *Primò* autem inclusum est in Iacobi prophetia tempus illud, quo Romani sibi vsurparunt ius constituendi Herodem alienigenam Regem Iudæorum, et illum in regno stabiliendi, occiso Antigono vltimo rege de Asamonæis, seu Machabæis, quod iuxta dicta nu. 2. accidit anno 37. ante ortum Christi tunc enim non de consensu tribus Iudæ id factum est, sed ipsis inuitis, et licet ablatum sit sceptrum à Machabęis de tribu Leui paterno sanguine spectato, ablatum tamen est etiam tribui Iudæ; quia ablatum est illis, quos Tribus Iuda in Duces elegerat, vel acceptarat. Ex altera verò parte licet Christus non statim tunc natus sit, eodem tamen anno nuptias contraxerunt SS. *Ioachimus Auus*, & *Anna Auia Christi*, vt in Chronico adnotabimus, et aduertit etiam Redanus, et erat valde conueniens, vt per aliquod tempus disponerentur Iudæi ad acceptandum Messiam, vbi eum natum esse audissent. Itaq; ex eo tempore debebant agnoscere eius aduentum prope esse, et in ianuis, ablato iam sceptro, et ducatu ipsorum, et translato per extraneam tyrannidem ad alienigenam, sicut Simon iustus, et alij expectabant consolationem Israel. Præsertim cum anno 30. ante Christum Hyrcanus quoque Pontifex occisus est, et translatus pontificatus ad Ananelum, tunc enim impletum est vtrumque illud significatum ab Ezechiele 21. Aufer *Cydarim*, tolle *Coronam* idest thiaram pontificiam, et coronam regiam.

22 *Secundò* in eadem prophetia inclusum fuit tempus, quo natus iam Christus, et adultus manifestauit se aliquo modo, sedens in templo, et interrogans doctores legis, illo enim tempore, mortuo iam Herode, et Archelao filio eius relegato Viennam Galliæ, nullus extabat amplius Rex Iudæorum, aut tetrarcha, sed Romani etc per prędides gubernabant; multo magis inclusum fuit illud tempus, quo Christus prędicauit in Iudæa, et se à patre suo Deo missum multis argumentis, ac signis demonstrauit, et quo tempore ipsimet fassi sunt se non habere Regem nisi Cæsarem, vtique extraneum, et nullo modo de semore Iudæ, nec prius electum, vel acceptatum voluntarie, sed coactè illum tolerantes, et adulatione iniqua in odium Christi sic respondentes Pilato.

23 *Tertiò* denique ex intentione saltem secundaria inclusum fuit in Iacobi vaticinio tempus illud, quo euersa fuit penitus à Romanis Iudæorum Respublica omnisque dominatus, et pontificatus. Nam Christus in terris degens non Euangelizauerat gentibus; professus se non esse missum nisi ad oues, quæ perierant domus Israel, et interim præceperat discipulis in viam gentium ne abirent; ideoque nondum videri poterat plenè impletum illud, *Et ipse erit expectatio gentium*; Ne tamen hoc prętextu excusabiles essent; protestatus erat se habere alias oues, quę non erant de ouili Israelis, et per parabolas vineę, et cenę magnæ, ad quam vocandi erant quicunque in locum priorum, qui inuitati venire noluerant, et expressis etiam verbis dixerat auferendum ab ipsis regnum Dei, et dandum genti facienti fructum. At quando Apostoli diuisi sunt, et prædicarunt Euangelium omni creaturæ, etiam tum tempore Pauli Apostoli, vt ipse testatur, impletum erat illud vaticinium. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, ita vt etiam ad Indos penetrarit Thomas Apostolus. Tunc enimuerò manifestissimè constitit aduenisse Christum illum qui erat expectatio Gentium, et euersa Hierosolyma temploque incenso, et dispersis Iudæis in varias regiones nullus erat locus dubitandi, quia ablatum esset sceptrum de Iuda, et Dux de femore eius, etiam si quis vellet nomine Iudæ intelligi Iudęorum populum forma aliqua Dominij retinentem pristinam dominationem. Neque enim vlla spes solida relicta est Iudęis vincendi Romanos iam rerum dominos, aut congregandi se aduersus eos, et recuperandi pristinum regnum Iudęę: obstantibus multis prophetijs in contrarium, quas non est opus hoc loco referre: ipsa enim longitudo temporis, quę ab illo excidio huc vsque per sexdecim secula intercessit sufficiens est argumentum contra Iudęos. Nobis autem Christianis sufficit oraculum Filij Dei, et veritatis ipsius, quo dixit Lucæ 21. nu. 24. *Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à Gentibus donec impleantur tempora nationum:* Et Iudæis sufficere deberet S. Gabrielis oraculum Danielis 9. nu. 27. *Et vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.*

LIBER NONVS
DE ANNIS POST PASSIONEM DOMINI INSIGNIORIBVS,
Et apud Chronologos, præsertim Ecclesiasticos, controuersis.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Præter causas particulares, infra afferendas, ob quas cogimur ab aliquibus Chronologis subinde dissidere, meminerit Lector duarum causarum generalium: quandoquidem ex dictis Libro 8. Annum primum vulgaris Epochæ Christianorum statuimus à Kalendis Ianuarij concurrere cum vero primo Anno Christi nati octauo die ante dictas Kalendas; & à Passione eiusdem Anno 33. die 3. Aprilis statuimus. At qui natum Christum vno, vel pluribus annis ante Epocham vulgarem arbitrantur, aut eius prædicationem paucioribus, vel pluribus quam tribus annis, tribusque mensibus circumscribunt, necesse est vt à nobis dissideant perpetuo; vel saltem quousque in gratiam redeant cum Epocha communi. Ne igitur mirere Lector si nostro in Chronico passim incidas in hoc dissidium nostrum à Baronio in Annalib. Onuphrio, & Petauio in Chronicis, Cornelio à Lapide in Chronotaxi præmissa ad Acta Apostolorum, Tirino in Chronico Sacro Cap. 50. & alijs Auctoribus.

CAPVT I.

De Apostolorum Temporibus Insignioribus.

CONCLVSIO I.

Apostolorum Duodecim tempora insigniora partim certò, partim probabiliter ordinanda sunt, vt in sequenti Synopsi; Suppositis Imperatorum Romanorum cum Epocha Christi connexis Libro 4. Cap. 8.

Anni currentes Christi à Kal. Ianuar.	Imperatorũ à die infrascripta.	SYNOPSIS Chronologica Actorum Apostolorum.
33	19. Tiberij & 20. à die 19. Augusti.	ACta omnia Apostolica, quæ à S. Luca narrantur à Capite 1. in Actis, vsq; ad lapidationem S. Stephani, & finem capitis 7. sub finem anni 33. Christi. *S. Iacobus* minor ordinatus est Episcopus Hierosolymorum ex cõmuni opinione cum Hieronymo in Catal. Script. Eccl.

Anni Christi	Currentes Imperat.	
34	20. & 21 Tiberij.	Persecutio in Ecclesia plusquam annua, Saulo illam deuastante; Dispersio discipulorum, præter Apostolos; res gestæ à *Philippo* Diacono, & à Petro, ac Ioanne in Samaria redituq; Petri, & Ioannis Ierosolymam, de quibus toto cap. 8. Actorum, & cap. 26. à num. 10. ad 12.

Anni Christi	Current. Imperat.	
35	21. et 22. Tiberij.	*Sauli* conuersio, eius iter in Arabiam, reditus Damascum: Pax Ecclesiæ *Petri* Palæstinam visitantis acta Lyddæ, Ioppe, & Cæsareæ, præsertim cum Cornelio Centurione, de quibus ad Galatas 1. n. 17. & Actorum cap. 9. & 10. necnon cap. 22. nu 6. & c. 6. nu. 12.
36	22. et 23. Tiberij.	*Petrus* Ierosolymam reuersus, narrata visione lintei, apparitione Angeli ad Cornelium Centurionem, & lapsu Spiritus Sancti super Gentiles Cæsareæ nondum baptizatos, concludit cum Apostolis Gentiles ad Baptismum admittendos Act. 11. vsq; ad nu. 18. proinde manentibus Ierosolymæ Iacobo minore, & ad seruiendum Deiparæ Ioanne, reliqui Apostoli confecto Symbolo fidei, & *Matthæus* scripto Euangelio eunt in diuersas prouincias ad Euangelizandum Gentibus, Iacobus maior in Hispaniã, & alij aliò. Audita verò multitudine fidelium Antiochiæ, Petrus Antiochenam Cathedram sibi interim deligit, præmisso illuc Barnaba, eamque fundat die 28. Febr. Act. 11. nu. 21. ad 25.
37	Caij 1. à die 16. Martij.	*Iacobus* maior peruenit in Hispaniam hoc anno, vt habet L. Flauius Dexter in Chronico, & traditio antiquissima Ecclesiarum Hispaniæ, esto Baronius anno 816. quo corpus eius translatum est Compostellam, id reuocet in dubium.
38	2. Caij.	*Saulus* triennio post sui Conuersionem demissus ex muro Damasci per Sportam, & deductus Ierosolymam ad Apostolos per Barnabã vilicat *Iacobum* minorem, & *Petrum*, cum quo manet dies 15. sed ob insidias Iudæorum deducitur à fratribus Cæsaream, inde dimittitur Tharsum, & sic venit in partes Syriæ, & Ciliciæ. Ad Galatas 1. à nu. 18. ad 22. & Act. 9. n. 23. ad 31. & cap 22. à num. 17.
39	3. Caij.	*Barnabas* Antiochia Tharsum it quæsitum *Saulum*, repertumq; ducit Antiochiam, vbi annum totum conuersantur; ibi aucti numero fideles appellantur Christiani. Act. 11. à num. 25. ad 27.
40	4. Caij.	*Agabus* Propheta Antiochenis prædicit famem vniuersalem futuram mox sub Claudio Imperatore, ideo discipuli colligunt vndecunq; subsidia, & præparant missuri ea in Iudæam ad fratres per *Saulum*, & *Barnabam* ad id destinatos. Act. 11. num 27. ad 30. quod perfectum est anno sequenti.
41	1. Claudij à die 24. Ianuarij.	Claudius Herodis Agrippæ regno adiungit Samariam, & Iudæam, Herodes properat Ierosolymam ad festum Paschatis, & gratificaturus Iudæis incipit vexare Ecclesiam, reuersumq; ex Hispania Iacobum maiorem, paulo post Pascha decollari iubet: Actor. 12. nu. 1. ad 3. & Ioseph lib. 19. antiq. cap. 2. 4. et 11.
42	2. Claudij	*Petrus* visitans fideles Ierosolymæ vexatos ab Herode includitur in carcerem die Azymorum, producendus post Pascha populo, sed liberatus ab Angelo, inde recedit, ac visitata Antiochia, relictoq; in Eudio sui Vicario, et postea successore, Romam contra Simonem Magum proficiscitur; *Barnabas*, & *Saulus* relicta Antiochia proficiscuntur Seleuciam, & inde in Cyprum: Act. 13. nu. 3. ad 18. et c. 13. nu. 1. ad 5.
43	3. Claudij	*Petrus* Romam peruenit die 18. Ianuarij nondum completo anno 2. Claudij, et Sedem ibi figit, ex communi Catholicorum post Eusebiũ. *Saulus cum Barnaba* in Cypro multa præclarè agũt, et Saulus Conuerso ad fidẽ Paulo Proconsule, assumit nomẽ *Pauli*: Act. 13. n. 5. ad 13.
44	4. Claudij	*Paulus*, et *Barnabas* Papho veniunt in Pamphiliam, et inde Antiochiam Pisidiæ disseminantes verbum per vniuersam regionem illam: Act 13. nu. 13. ad 50. Herodes Agrippa ob superbiam percussus ab Angelo perit: Ioseph lib. 19. cap. 7. Actor. 12. à nu 19. 145.
45	5. Claudij	*Paulus*, et *Barnabas* à Iudæis electi de finibus Pisidiæ, veniunt Iconium, vbi diu morantur multa signa patrantes, & plurimos conuertentes: Act. 13. à nu. 50. et cap. 14. num. 1. ad 4.
46	6. Claudij	*Paulus*, et *Barnabas*, ne Iconij lapidentur, fugiunt Lystram, ituri in Derben, et euangelizantes per vniuersam regionem in circuitu: Act. 14. nu. 4. ad 7.
47	7. Claudij	Reuersi Lystram *Barnabas*, et *Paulus* hic post sanatum Claudium pro Mercurio, ille pro Ioue habitus, deinde Paulus lapidatus est, et inde cum Barnaba Derben profectus multis euangelizant, reuersiq; Lystram, et Iconium, confirmant discipulos, constituunt presbyteros per omnes Ecclesias, & transeuntes Pisidiam eunt in Pamphiliam: Act. 14. nu. 7. ad 24.
48	8. Claudij	*Paulus*, et *Barnabas* iterum in Pamphilia euangelizant, deinde in Attalia, vnde reuersi Antiochiam Syriæ, narrant quanta fecerit Deus cum illis etc. moranturq; ibi non modico tempore: Act. 14. nu. 24. ad 27.
49	9. Claudij	Claudij edicto exulare Roma iubentur omnes Iudæi, Orosius lib. 6. c. 7. ex Iosepho, et Suetonio. Ergo Petrus redit in Iudæam, et opportunè, nam mota Antiochiæ controuersia de Circumcisione legeque Moysis ser-

Anni Christi	Current. Imperat.	
		seruanda à Christianis, mittuntur *Paulus*, et *Barnabas* Ierosolymam, vbi fit primum Concilium; decidente Petro exemptionē Christianorum à Circumcisione etc. approbante Iacobo, et Ioanne. Literæ decretales Concilij deferuntur Antiochiam per Paulum, et Barnabam, quo deinde perueniens Petrus amicè admonetur à Paulo, sed liberè, eratque hic annus 14. à Conuersione Pauli: Act. 15. nu. 1. ad 36. et ad Galatas 2. nu. 1. ad 17.
50	10. Claudij.	*Paulus*, et *Barnabas* visitaturi vniuersas Prouincias, in quibus prædicauerant; diuisi ab inuicem peragrant Barnabas cum Io. Marco Cyprum; Paulus cum Sila, Ciliciam, Syriam, Lycaoniam; deinde visione quadam inuitatur in Macedoniam, vbi Philippis, post aliquot miracula, et conuersiones flagellati etc. reliqua hoc anno gesta ab his Amphipoli, Apolloniæ, Berrheæ; Thessalonicæ, et Athenis, vbi Dionysius Areopagita conuertitur narrantur Act. 15. nu. 36. ad finem, et cap. 16. ac 17. toto.
51	11. Claudij.	*Paulus* Athenis Corinthum venit, vbi reperit Aquilam Ponticum Iudæū, nuper ab Italia appulsum vi edicti Claudij, manserat enim clam in Italia integro, & amplius anno; Silas, et Timotheus superueniunt ex Macedonia Corinthum, vbi manet Paulus Dei iussu annum, et sex menses: Act. 18. nu. 1. ad 11.
52	12. Claudij.	*Paulus* Commoratus Corinthi sex de hoc anno menses, et amplius, nauigat in Syriam cum Aquila, et Priscilla, quos relinquens Ephesi, venit Cæsaream, visitat Ecclesiam matricem Ierosolymis, descendit Antiochiam, postea visitat Galaticam regionem, et Phrygiam: Act. 18. à nu. 11. ad 24.
53 & 54	13. et 14. Claudij. 1. Neronis à 13. Octobris.	*Paulus* peragratis Asiæ partibus superioribus, reuersusq; Ephesum disputat per 3. Menses in Synagoga, et per biennium in Schola publica docet illuc confluentes ex tota Asia, et miracula multa edit, multosque conuertit: Act. 19. nu 1. ad 20.
55	1. Neronis et 2. à 13. Octob.	*Paulus* Ephesi adhuc per 3. et amplius huius anni menses, vsque ad sedatum tumultum, à cultoribus Dianæ Ephesinæ concitatum præmisso Timotheo, & Erasto nauigat in Macedoniam eamque perambulans visitat, et inde venit in Græciā: Act. 19. nu. 21. ad fin. et c. 20. nu. 1. ad 3. eodem anno sublato iam edicto Claudij, admissisq; Romam Iudæis Petrus censetur reuersus Romam.
56	2. Neronis et deinde 3.	*Paulus* in Græcia moratus tres menses, redit cum Luca, & alijs Philippos; vnde soluit post dies Azymorum, & per Troadem, Asson, Mitylenem, Chium, Samum, Miletum, Coum, Rhodum, Pataram, Syriam, Tyrum, Ptolemaidem, & Cæsaream, venit Ierosolymam sub festum Pentecostes, vbi alligatus à Claudio Lysia Tribuno mittitur Cæsaream ad Felicem Præsidem, & ab eius successore Portio Festo appellans ad Cæsarem, mittitur Romam per Sidonem, Lystram, Cyprum, & Melitam. Act. 20. à nu. 3. ad finem, & cap. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. vsque ad n. 8.
57	3. Neronis et 4.	*Paulus*, cum in Melita insula per tres menses hiemasset, per Syracusas, Rhegium, Puteolosque deducitur Romam, permissusq; est habitare in conducta domo, cum custodiente se milite per biennium. Lucas hic Actis Apostolicis scribendis finem facit Act 28. à nu. 8. ad finem, reliqua de S. Lucæ itineribus, & Martyrio vide apud Baronium ad annum ipsi 61. Christi.
59	5. Neronis et 6.	Biennio Romæ exacto, *Paulus* à Nerone dimissus Hispanias, Galliasq; peragrat, vt ex multis auctoribus colligit Baronius ad annum ipsi 61. Christi, & Neronis quintum, sed & Petrum alia multa loca visitasse idem docet suis locis.
61	7. Neronis et 8.	*Barnabas* in Cypro occisus die 11. Iunij anno 61. Domini ex Flauij Dextri Chronico anno 7 Neronis. Sed inito iam anno 8. S. Andreas die 30. Nouembris Crucifixus est, ex Onuphrij Chronico correcto.
62	8. Neronis et 9.	*S. Marcus* occisus die 25. Aprilis 8. Neronis anno, & S. Iacobus minor Ierosolymæ prima Maij Martyrio affectus, nos ex Hieronymi Catalogo probe explicato; at 28. Octob. *SS. Simon*, & *Iuda* occisi in Perside, si Onuphrio credas. Alij dicunt seriùs.
64	10. et 11. Neronis.	*S. Matthias* 24. Februarij occisus est ex Flauij Dextri Chron. Roma conflagrante Nero incendium illud per calumniam Christianis affingens, multos excruciari iubet, de quibus Martyrum primitijs Romæ Martyrologium Romanum die 24. Iunij.
66	12. et 13. Neronis.	*SS. Petrus*, & *Paulus* Romam redeunt confirmaturi Christianos à Nerone vexatos, & profligaturi Simonem Magum; ibiq; Petrus scribit secundam Epistolam, prædicens velocem depositionem tabernaculi sui.
67	13. et 14. Neronis.	Prostrato Simone Mago SS. Petrus Cruci affixus, Paulus capite truncatus iussu Neronis eodem die 29. Iunij, currente adhuc 13. Neronis anno, & à Sede Romana Petri anno completo 24. mense 5. & die 12. vt ex Hieronymo correcto, & alijs ostendimus c. 2. nu. 8.

Nero-

Anni Christi	Current. Imperat.	
68	14. Ner. 1. Galbæ.	Neroni interempto die 10. Iunij succedit Galba Imperator.
70	1. Vespasiani.	Ierosolyma capta à Tito, obsessa prius in Paschate; cæsa sunt Iudeorum vndecies centena millia, ex Iosepho l. 7. belli Iud. c. 17.
71	2. Vesp.	*S. Bartholomæus* Apost. Martyrio affectus apud Persas per hæc tempora, vt conijcit Onuphrius in Chronico.
73	4. Vesp.	*S. Thomas* Apostolus, Calaminæ, ideſt Meliapore in India occisus, iuxta Onuphrij Chronicon.
81	1. Domit.	Domitianus init Imperium die 13. Septembris.
92	12. Dom.	*S. Ioannes* Apostolus à proconsule missus Epheso Romam, & in dolium feruentis olei immersus, illæsus exit die 6. Maij; inde relegatus est in Insulam Patmos. Id factum anno 10. Domitiani Baronius; anno 12. Tirinus, & Onuphrius; anno 13. Petauius putant.
94	14. Domitiani.	S. *Ioannes* in Patmo Apocalipsim scribit ex S. Hieronymo in Catalogo, & Irenæo l. 5.
96	Neruæ 1. die 18. Septemb.	S. *Ioannes* Domitiani actis abrogatis, ab exilio reuocatus reuertitur Ephesum, imperante Nerua, ex S. Hieronymi Catalogo.
100	4. Traiani.	*S. Ioannes* moritur anno 68. à Passione Domini, ex S. Hieronymi Catalogo; ergo currente Traiani 4. qui cœperat imperare die 18 Septemb. anno 97. Christi: Cornelius à Lapide dat S. Io annos ætatis 97. alij 92.

CAPVT II.

De Annis in præcedenti Synopsi controuersis.

CONCLVSIO II.

Quæ in præcedenti Synopsi, ex ipsa diligenti lectione Actorum Apostolicorum apud S. Lucam deduci possunt, aut ex probatis auctoribus inserta sunt, non repetemus hoc loco, sed ea tantum, quæ controuerti solent, & notabiliora sunt.

De Sauli conuersione, qui postea Paulum se dixit.

1 SAnctum Stephanum anno primo post passionem Christi lapidatum esse, ideſt, iuxta nos Anno Christi, & Christianæ Æræ 33. die 25. Decembris feria 6. (translato tamen festo in diem 26. nisi velimus sabbato lapidatum) nemo eruditorum dubitauit, contradixitue Baronio. Interfuisse autem, & consensisse neci Stephani *Saulum* constat ex Act. 7. nu. 57. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Et c. 22. num. 20. vbi Paulus de se fatetur: *Et cum funderetur sanguis Stephani, testis fui, ego adstabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Per eam verò occasionem, factam esse persecutionem magnam in Ecclesia, & præcipuum persecutorem eius fuisse *Saulum*, narratur Actor. 8. vbi nu. 3. *Saulus autem deuastabat Ecclesiam per domos intrans &c.* Hanc verò persecutionem non fuisse opus dierum 29. quot numerantur à die lapidati Stephani ad diem 25. Ianuarij Conuersioni Sauli dicatam, sed multorum mensium, & vnius anni atque amplius, nemo prudens negauerit, si considerauerit verba illa Pauli Actor. 26. num. 10. & 11. *Et multos Sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus Sacerdotum potestate accepta: Et cum occiderentur detuli sententiam. Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: Et amplius insaniens in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates, &c.* Rectè igitur conuersionem Sauli die 25. Ianuarij anno 2. post Passionē Domini 35. ideſt Christi, consignant Martyrologium Romanum, & alia Martyrologia ibi in notis adducta à Baronio, & Oecumenius in Acta Apostolor. C. vlt. & plurimi Auctores præcipuè Baronius idem in Annalib. ad annum 36. Christi, Cornelius à Lapide in Chronotaxi ante Acta Apostol. Tirinus in Chronico Sacro c. 50. Esto annus hic secundus, ob causas initio capitis primi indicatas, sit Baronio, & Cornelio 36. Christi, & ipsis ac Tirino annus Tiberij 20. cum nobis sit Christi 35. & ex dictis lib. 4. c. 8. sit Tiberij 21. Malè igitur Tirinus conuersionem hanc notat anno 3. à morte Christi nondum enim expletus erat die 25. Ianuarij annus secundus. Sed peius errasse videtur Petauius in Chronico Conuersionem hanc adscribens Anno Christi iuxta Aeram communem 33. sub Consulibus *Galba*, & *Sulla*, quod ipsum dixerat lib. 11. c. 12. vtrobique tamen inter Passionem Domini, & Conuersionem Sauli interponit duos annos ferè, causa verò dissidij est, quod Christi mortem consignarit anno Aeræ communis 31. eo quod putarit eum quadriennio ante communem Aeram natum, & passum ætatis anno 34. Hinc factum, vt multa Apostolorum acta duobus tribusue annis citius in æra communi consignet. Onuphrius quoq; in Chronico cum mortem Domini, & lapidationem Stephani notet Anno Christi 34. malè Pauli conuersionem notat anno 35. Quod verò Euodius apud Nicephorum l. 2. hist. c. 3. & Hippolytus Thebanus apud Glycam 3. p. Annalium dixerint Stephanum lapidatum, & Paulum conuersum anno septimo à morte Christi, Baronius ad annum 34. censet ortum ex librariorum vitio annum 7. pro mense 7. scribentium.

De Apostolorum diuisione, ac profectione in diuersas Prouincias.

2 DIuisionem hanc factam anno Christi 36. quartoq; ab eius passione, & anno secundo post conuersionem Sauli labentibus, statuimus in præced. Synopsi: Quia in visitandis vniuersis fidelibus Palæstinæ præsertim Lyddæ, Ioppes, & Cæsareæ, vt narratur c. 9. & 10. Actor. reliquum anni 35. consumpsit. Deinde vt narratur cap. 11. cum ascendisset Ierosolymam, fidelibus qui erant ex Circumcisione, reddidit rationem, ob quam ad baptismum admiserat Cornelium Centurionem, & alios Gentiles, narrata lintei visione, apparitione Angeli ad Cornelium, & Spiritus Sancti lapsu super eos etiam antequam baptizarentur. Patefacto igitur ostio Euangelij ad Gentes, nulla supererat amplius causa differendi prædicationē Euangelij ad Gentes, & implendi præcepti Domini Matth. 28. nu. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* & Marci 16. nu. 15. *Euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Hinc factum est, vt S. Iacobus maior sub finem anni huius discendens ex Palæstina peruenerit anno 37. Christi in Hispaniam, vt notat Flauius Dexter in Chronico ad hunc annum, & habet traditio antiqua. Hinc pariter factum est vt Paulus, sicut ipse refert ad Galatas 1. post annos 3. à sua Conuersione veniens Ierosolymam, neminem Apostolorum ibi viderit, nisi Petrum vniuersalem pastorem, & Iacobum minorem ciuitatis illius Episcopum, fortasse enim S. Ioannes iuerat cum Deipara Nazareth, aut aliò cum ipsa, reuersurus postea Ierosolymam. Proinde S. Hieronymus, S. Anselmus, Claudius Taurinensis, & Caietanus in c. 1. ad Galatas causam non repertorum Apostolorum

lorum à Paulo, afferunt discessum eorum ad Euangelizandum. Rectè itaq; Cornelius à Lapide in cap. 12. Actorum, & in ipsa Chronotaxi eorum, ac Tirinus in Chronico Sacro cap. 50. ponunt Iacobum Zebedæi in Hispaniam, & alios Apostolos exceptis Petro, Iacobo, Alphæi, & Ioanne, in alias prouincias profectos esse anno 2. à Conuersione Sauli, & 4. à Passione Domini, ex quibus refellendæ sunt opiniones duæ, vna eorum, qui multo ante, altera eorum, qui multo post id factum putarunt.

Prima enim opinio fuit Gasparis Sanchez tract. 1. de prædicatione Iacobi in Hispania cap. 6 & Christophori à Castro in historia Deiparæ c. 18. Apostolos statim à Pentecoste iuisse in suas Prouincias: sed eorum argumenta non probant aliud, quàm licuisse ipsis, vi præcepti Dominici, prædicare Gentibus suo tempore Euangelium, & ad summum prædicasse illis gentilibus, qui erant admixti Iudæis: Nam ante reuelationem factam Petro per linteum, & alia signa Cornelio Centurioni, & alijs cælitus data, non decreuisse Petrum, vt palam, & ex professo Euangelizaretur Gentibus, satis colligitur ex verbis illis Actor. 11. *Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersùs illum, qui erant ex circumcisione dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes?* &c. quibus cum satisfeciisset Petrus, narratis visionibus, & apparitionibus cælestibus, *His auditis tacuerunt: & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*, vt ibidem narratur versu 18. Ergo Apostoli versabantur adhuc in Iudæa, & audito baptismo collato Cornelio Centurioni, alijsque, qui cum ipso erant, tunc primum agnouerunt, *Gentes recepisse verbum Dei*. At si Apostoli ante hoc tempus, vtiq; scientibus, & consentientibus alijs, abijssent Euangelizatum Gentibus, nec disceptassent hac de re cum Petro, nec tunc primum agnouissent Gentes recepisse Verbum Dei: Melitonis autem & Prochori scripta in contrarium adducta, inter apochrypha recensem Cornelius.

Secunda opinio fuit Baronij ad annum 44. Christi & Lorini in Acta cap. 12. n. 20. Apostolos dispersos esse ad prædicandum occasione Iacobi maioris ab Herode decollati, & Petri in carcerem coniecti, concedit tamen Baronius, audita reuelatione per linteum facta à Petro, iam tunc Apostolos inijsse consilium de prædicando Gentibus Euangelio, eaque occasione Symbolum fidei ante discessum Iacobi in Hispaniam, composuisse, & Matthæum scripsisse Euangelium Hebraicè, vtpote Hebræis relinquendum, sed vexatione Herodiana compulsos esse ad discedēdum in prouincias alias; quasi verò si non fuisset vexatio illa, diutius mansuri fuerint in Iudæa, aut probabile sit, in ea mansisse annos totos decem in Iudæa, & tum serò impleste præceptum Domini; Certè nulla probabilis causa affertur, ob quam, post reuelationem, & deliberationem prædictam distulerint per sexennium profectionem ad Euangelizandum Gentibus, aut quare singulariter Iacobus maior iuerit iam tunc in Hispaniam, & non alij in prouincias sibi destinatas.

Multo verò improbabilior est opinio Apollonij apud Eusebium l. 5. hist. c. 17. sumpta ab apochryphis (vt Gelasius censuit) libris Clementis Alex. vtpote ab hæreticis vitiatis; videlicet Christum præcepisse Apostolis, ne ante 12. annos à morte sua discederent Ierosolymis, aut eorum qui falso tribuunt Chrysostomo homil. 25. in Acta, Apostolos post primum tantum Cōcilium abiuisse in suas prouincias.

De Antiochena Sede à S. Petro fundata.

3 PEtrum eodem anno, quo Iacobus in Hispaniam, & cæteri Apostoli in alias prouincias profecti sunt nempe anno Christi nobis 36. contulisse se Antiochiam Syriæ ibique primam suam sedem constituisse statuimus, tum quia nulla probabilis causa potest adduci, ob quam distulerit sedem sibi propriam eligere, & è contrario probabiles se offerunt causæ pro hoc anno: Primo enim Lucas c. 11. statim ac narrauit consensum Apostolorum de admittendis Gentibus ad baptismum, ob ea quę Petrus narrauerat, subiungit quosdam ex illis, qui post lapidatum Stephanum dispersi fuerant prædicasse Euangelium solis Iudæis qui erant in Phœnicia, Cypro, & Antiochia, quosdam tamen etiam Græcis, qui erant Antiochiæ; additq; nu. 21. *Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum: Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis, & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam; Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei gauisus est* &c. ob hanc igitur causam præmisso illuc Barnaba, Petrus delegit eam Ciuitatem pro priori sua sede præsertim cum ea esset velut caput Orientis, & ipse paulo post illuc venit die 22. Februarij, quo Ecclesia celebrat *5. Petri Cathedram Antiochiæ*. Præterea Eusebius in Chronico affirmat Petrum fundasse Antiochenam Ecclesiam anno 4. Olympiadis 203. atq; die 22. Februarij anni Christi 36. currebat adhuc annus 4. dictæ Olympiadis, vt patet ex libro 2. nostro Tabula I. Addit Eusebius sedisse ibi Petrum vsque ad annum septimum à fundatione, & secundum Claudij quo profectus est Romam Petrus; Annus autem hic 36. est septimus ante 2. Claudij, & Tiberij vigesimus tertius. Rursus in Chronico Siculo, Sedes Petri Antiochiæ signatur Consulibus *Plautio Læliano, & Sex. Papirio Gallieno*, ergo anno 36. Christi iuxta dicta lib. 4. cap. 5. Erasmus quoq; in Peregrinatione Petri, & Pauli consentit in septimum huius fundationis annum ante 2. Claudij, & quod pluris est in pontificali libro, vbi de Petro, ijdem septem anni Sedis Antiochenæ recensentur, & S. Gregorius Papa in Registro lib. 6. Indict 15. Epistola 37. quæ est ad Eulogium Episc. Alex. de Antiochena Sede Petri scribit: *Ipse firmauit sedem in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit*. Rectè dixit discessurus, non tantum Romam, sed subinde ab visitandas alias Ecclesias, præsertim Ierosolymitanam, neque enim necesse est eum continuè ibi moratum esse. Quam huic anno non obstat, quod tam ipse, quam Barnabas reuersi sint Ierosolymam, & ibi fuerint quando Saulus triennio post sui conuersionem exacto venit Ierosolymam videre Petrum, ibique deductus est à Barnaba ad Apostolos, vt narratur Actor. 9. à nu. 24. & ad Galatas 1. nu. 18. Neque item obstat quod Lucas nusquam de aduentu Petri Antiochiam loquatur, nam certum est ex ipso Paulo ad Galatas 2. Petrum repertum esse Antiochiæ cum versu 11. dicat. *Cum autē veniunt Cephas Antiochiam in faciem ei restiti*, etc. et tamen Lucas de hoc ne verbum quidem: Ideoque S. Hieronymus 2. ad Galatas dixit: *Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum, & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit, nec est contrarium si quod alius ob causam dignum relatu putauit, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum: quod Lucas penitus omisit.*

Postremò quoad annum Antiochenæ Sedis fundatæ à Petro nobiscum sentiunt ex parte Baronius, Petauius, et Tirinus, quatenus id adscribunt anno vltimo, et 23. Tiberij adhuc labenti, sed non rectè Tirinus ex Pererio disp. 1. in Epist. ad Romanos, et Carione hæretico l. 3. Chronologiæ affirmat Petrum quinque annos à morte Christi sedisse in Iudæa, priusquam Antiochiæ sedem figeret: nam ab anno 33. eiusq; die 3. Aprilis, qua mortuum esse Christum probauimus lib. 8. vsque ad annum 36. eiusque diem 22. Februarij, sunt anni tantùm 3. et nondum completi, essent tamen quinq; si Natiuitas, et mors Christi biennio antequam supponitur in Æra communi, anticiparetur, vt facit Tirinus, aut Petrus altero tantum anno post primum Sauli iam conuersi aduentum Ierosolymam, Antiochiam, se contulisset, vt facit Baronius.

His probè intellectis, simul intelliges, quàm pingui Minerua Spalatensis olim Episcopus ex Actorum Apostolor. serie, iuxta prauam suam phantasiam ordinata, negare ausus sit Petrum fundasse Antiochenam sedem, quem satis castigauit Petauius l. 11. de doctr. temporum c. 13. sed et Onuphrius in addit: ad Platinam, nimis audacter pronunciauit ex Actis Apostolicis, et Epistola ad Galatas constare Petrum ante profectionem suam Romam nunquam ex Iudæa discessisse, nec antea Antiochenam Sedem constituisse; Nam nec Paulus, nec Lucas *ijs locis* id vsquam affirmant esto fileant de hoc negotio.

De

De Anno S. Iacobi maioris decollati, & S. Petri in Vincula coniecti ab Herode Agrippa.

4 SCimus à Baronio ad annum 44. Christi, Petauio lib. 11. de doctr. tempor. cap. 12. Cornelio à Lapide in Chronotaxi ad Acta Apost. & Tirino in Chron. Sacro cap. 50. & alijs in vnum eundemq; annum 2. Claudij coniectam fuisse decollationem S. Iacobi, & incarcerationem S. Petri, eo quòd Actorum 12. coniunctim hæc narrentur sic. *Eodem tempore misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis appposuit, vt apprehenderet, & Petrum; Erant autem dies Azymorum; Quem cum apprehendisset, misit in Carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum; Volens post Pascha producere eum populo.* Verùm clausula illa *eodem tempore*, refertur ad id, quod sub finem capitis præcedentis narratum erat de fame facta sub Claudio, & subsidijs missis à fratribus in Iudæam per Barnabam, & Saulum: Constat enim ex hoc textu decollationem S. Iacobi præcessisse carcerem Petri aliquanto tempore, & hanc factam esse die Azymorum. At aliunde habemus decollationem S. Iacobi factam quidem fuisse prope Pascha, vt habet Martyrologium Romanum ad diem 25. Iulij (quo Ecclesia Latina celebrat translationem corporis eius in Hispaniam) sed pridie Calendas Maij, idest die 30. Aprilis, vt ex Græcorum Menologio notat Baronius in notis ad Martyrologium. Iam verò tam anno 1. Claudij, quàm 2. quorum altero Petrum coniectum esse in vincula ab Herode consentiunt prædicti auctores, dies 30. Aprilis fuit post Pascha Iudaicum; quia ex Canonibus libro 1. in fine traditis Plenilunium Paschale anno 1. Claudij, idest 41. Christi incidit in 24. aut 25. Martij; ergo multo post Azyma fuit decollatio Iacobi; et item carcer Petri fuit ante Pascha: diuerso ergo anno hæc contigerunt, nempe, vt notat (non assignata tamen ratione) Onuphrius in Chronico anno 1. Claudij decollatio Iacobi, anno autem 2. Claudij carcer Petri, qui postea venerat Antiochia Ierosolymam ad celebrandum Pascha, et confirmandos solandosq; fideles, quos Herodes vexabat. Rectius itaq; Christophorus à Castro in historia B. Virginis c. 18. putat S. Iacobum occisum fuisse in Aprili, quam Ado Treuirensis, et auctor miraculorum Iacobi, occisum fuisse die 25. Martij.

Anno autem primo Claudij, atque adeo 41. Christi occisum fuisse Iacobū ab Herode Agrippa, colligimus ex Iosepho l. 19. antiq c. 4. & 11. vbi narrat Herodem Agrippam quatuor annis regnasse sub Caio Imperatore in Galilæa, cæteriſq; Prouincijs, præter Iudæam, et Samariam, tres autem sub Claudio in Iudæa, et Samaria, statimq; ac Claudius iniuit Imperium (quod ex dictis l. 4. c. 8. fuit 24. Ianuarij anni Christi 41.) factum esse Regem Samariæ, et Iudeæ, et celerrimè Ierosolymam properasse, ac studuisse omnibus officijs sibi Iudæos conciliare, verisimillimè igitur Iacobum Apostolum recens ex Hispania illuc reuersum, vt placeret Iudæis, decollari iussit anno 1. Claudij post Pascha, & anno 2. Claudij Petrum in carcerem inclusit, vt similiter post Pascha illum occidi iuberet, sed eo diuinitus liberato, Herodes abijt Cæsaream, ibique commoratus est, annoque sequenti, ob superbiam, & diuinos honores acceptatos, percussus ab Angelo, vermibusque consumptus interijt, vt narratur in Actis Apost cap. 12. sed illa vexatio Ecclesiæ occasio fuit Petro, reuertendi Antiochiam, & inde Romam proficiscendi, quò peruenit anno Christi 43. die 18. Ianuarij, ibique sedem fixit durante adhuc anno 2. Claudij, et imminente 3. vt mox dicemus.

De S. Petri Romam aduentu primo, & Cathedra Romana ibi fundata.

5 SAnctum Petrum anno 2. Claudij Imperatoris venisse Romam, tum ne in Iudæa versaretur cum periculo, tum vt Simoni Mago se opponeret, testantur Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. verbo *Simon* dicens: *Petrus post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis &c. secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis.* Et Eusebius in Chronico. *Anno secundo Claudij Petrus Apostolus, cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans vigintiquinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.* Qui lib 2. cap. 22. bis Petrum Romam venisse supponit; laxiùs, Orosius lib. 7. cap. 6. *Exordio regni eius*, idest Claudij, *Petrus Apost. D. N. IESV Christi Romam venit &c.* Porrò Petrum multò antequam Paulum Romam venisse, ibiq; Sedem suam collocasse scripserunt Irenæus, Tertullianus, Hippolytus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Optatus, Ambrosius, Augustinus, Seuerus Sulpicius, Prudentius, Philastrius, Prosper, Maximus Taurinensis, Petrus Chrysologus, Arator, & ex Græcis, Papias, Caius, Dionysius Corinthior. Episc. Petrus Alexandrinus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Sozomenus, Metaphrastes, alijque multi, quos citat Baronius ad annum 44. Christi, addens consensum conciliorum, Romanorum Pontificum Epistolas, et Imperatorum edicta, et tandem S. Leonis sermone 1. in Natiu. Apostolor. qui legitur in festo Cathedræ Romanæ S. Petri, vbi disertissimè docet Petrum postquam alij Apostoli distributis terrarum partibus imbuendum Euangelio mundum suscepissent, et post fundatam Antiochenam Ecclesiam ad arcem Romani destinatum Imperij, vbi illud notandum: *Ad hanc ergo Vrbem tu beatissime Apostole Petre venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, siluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quàm cum supra mare gradereris, ingrederis.* Notandum, & illud Sulpicij Seueri lib. 2. Histor. de Neronis tempore. *Namque eo tempore diuina apud vrbem religio inualuerat, Petro ibi Episcopatum gerente, & Paulo, postea quā ab iniusto præsulis iudicio Cæsarem appellauerat, Romam deducto.* Quam igitur perfrictæ frontis fuit Spalatensis Episcopus, qui Caluino, & Magdeburgensibus inhærens contendebat, Petrum diu post Paulum Romam venisse, nec nisi extremo vitæ suæ anno, vt Simonē Magum prosterneret, non aduertens Petrum bis Romam venisse contra Simonem Magum, semel sub Claudio, vt ex S. Hieronymo didicimus, & iterū sub Nerone: Omnes porrò illi, qui Petri Sedem Romanam annis 25. definiunt infra afferendi, cū de anno Martyrij Apostolorū horū, sufficiebant ad Spalatensis os obstruendum. Corrigendus verò est Cassiodorus, quatenus in Chronico notat primum aduentum Petri Romam Consulibus *Secundo, & Venusto*, & dicens. *His Consulibus Petrus Apostolus Romam mittitur, vbi Euangelium prædicans XXV. Annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.* Esto enim illi fuerint Consules Honorarij, ordinarij tamen erant Claudiùs ipse tertiùm, & Vitellius secundùm anno 43. Christi: corrigendus, & Onuphrius in Chronico, qui aduentum Petri ponit anno 3. Claudij, fortasse, quia post sex dies imminebat initium anni 3.

De Tempore primi Concilij Apostolorum Ierosolymitani.

6 NEmo fuit, qui attentè legens Acta Apostolorum cap. 15. et Epistolam ad Galatas cap. 2. non conclauerit cum SS. Epiphanio, Hieronymo, & alijs, siue interpretibus eorum locorum, siue rerum Ecclesiasticarum tractatoribus eundem fuisse conuentum Apostolorum Ierosolymam, de quo vtrobique agitur, cum eadem occasio afferatur, nempe controuersia orta de necessitate circumcidendi Gentiles ad Christum conuersos, & seruanda cum Euangelio lege Moysis, & eædem personæ vtrobiq; nominentur, nempe Petrus, Iacobus, Paulus, Barnabas, et apud Paulum Ioannes. De tempore tamen Concilij huius tres opiniones reperio.

Prima est Onuphrij Panuini in Chronico, vbi ad annum 6. Claudij inquit: *Petrus edicto Claudij, quo Iudæi Roma pulsi sunt Ierosolymam redijt, & morti B. Virginis Mariæ, quæ hoc anno 18. Cal. Sept. obijt, interfuit.* Deinde anno 7. Claudij subiungit. *Concilium Ierosolymitanum, in quo Circumcisio abrogata, Paulus Antiochiæ gentium Apo-*

stolus

ſtolus ordinatur, Petrus Antiochiam veniens, ſeptem annis eam rexit Eccleſiam. Sed his multipliciter peccat, tum quia mortem Deiparæ ponit eo anno, quo nondum Paulus Dionyſium Areopagitam conuerterat, & tamen Dionyſius morti, & funeri Deiparæ interfuit, tum quia nimis ſerò Antiochenam Sedem à Petro fundatam putat; tum præcipuè, quod Concilium illud, ex Actor 15. & ad Galatas 2. non eſt celebratum niſi elapſis à Conuerſione Pauli annis vel 14. vel 17. iuxta infra dicenda. At Paulum conuerſum eſſe anno 35. Chriſti ſupra oſtendimus, ergo additis 14. vel 17. Concilium nequit cadere niſi in annum 49. vel 52. Chriſti, hoc eſt in annum 9. aut 12. Claudij.

Secunda opinio eſt S. Hieronymi in c. 2. ad Galatas, vbi annos 14. poſt quos Paulus ait veniſſe ad hoc Concilium, numerat non à Conuerſione Pauli, ſed à priori aduentu Pauli Ieroſolymam, triennio poſt conuerſionem ſui atque adeo Concilium refert in annum 12. Claudij, qui nobis eſt 52. Chriſti; Verùm cùm Claudius mortuus ſit anno 13. Imperij ſui expleto, & labente 14. ſucceſſerit ei Nero die 13. Octobris, Pauluſq; Romam ductus ſit Neronis anno 3. currente, vt ex dictis, infra conſtabit, ſequeretur geſta à Paulo poſt Concilium hoc vſque ad primum eius aduentum Romam, quæ narrantur ab Actorum cap. 16. vſq; ad caput 28. coarctari intra quatuor annos, quod eſt inueriſimile, immò impoſſibile. Si quidem Paulus poſt Concilium hoc venit Antiochiam, deinde viſitauit Syriam, Ciliciam, Lyciam, Lycaoniam, poſtea perambulauit Macedoniam, & Theſſalinicam, vnde Athenas veniens Dionyſium Areopagitam conuertit; Venit deinde Corinthum, vbi iubente Deo manſit anno vno, & menſes ſex, vt narratur Actorum 16. 17. & 18. vſque ad num. 11. Poſteà renauigauit in Syriam, venit Epheſum, Cæſaream & vſitata matrice, redijt Antiochiam, deinde viſitauit Galatiam, Phrygiam, & partes ſuperiores Aſiæ, quibus peractis redijt Epheſum, vbi manſit diſputans per tres menſes in Synagoga, & poſtea docens per biennium in Schola publica, nec inde diſceſſit niſi poſt ſedatum tumultum à cultoribus Dianæ. Inde ſoluens viſitauit Macedoniam, & veniens in Græciam, moratus eſt in ea per tres menſes inde per Macedoniam redijt in Syriam, & cum eſſet Mileti, conuocatis Senioribus Eccleſiæ Epheſinæ aſſeruit ſe per triennium verſatum fuiſſe Epheſi, poſtea per diuerſas vrbes venit Ieroſolymam, vbi alligatus eſt, & miſſus Cæſaream, inde Melitam, vbi hyemauit per tres menſes, & inde tandem deductus eſt Romam, vt narratur à cap. 18. actor. num. 11. vſque ad caput 28. Habemus ergo ſolius moræ Corinthi menſes 18. Epheſi annos 3. in Græcia menſes 3. in Melita menſes 3. qui ſimul ſumpti efficiunt annos quinque; ad reliqua vero itinera requiruntur anni fere tres, aut minimum duo; Ergo Concilium illud non fuit factum anno 12. Claudij, ſed 9. nec anni 14. quos numerat Paulus ad Galatas 2. computandi ſunt à triennio poſt Conuerſionem Pauli, ſed ab ipſa conuerſione.

Tertia itaq; & vera opinio eſt Baronij ad annum Domini 51. Petauij l. 11. Doctrina tempor. c. 12. Cornelij à Lapide in Chronotaxi ad Acta Apoſtolor. & in cap. 2. ad Galatas, Tirini in Chronico Sacro c. 50. & aliorum Interpretum; Concilium prædictum celebratum eſſe anno 9. Claudij, qui nobis eſt 49. Chriſti, eo quod vi edicti Claudij, Petrus Roma exiens viſitauit matricem Eccleſiam Ieroſolymitanam, & opportunè Deo ita diſponente, ibi repertus ſit, quando excitata eſt controuerſia de Circumciſione, & lege Moyſis ſeruanda. Anno enim 9. Claudij exiſſe illud edictum affirmat Oroſius l. 7. cap. 6. adducens Ioſephum Hebræum, Beda de ſex Ætatibus, Ado in Chronico, Marianus Scotus lib. 2. Eſt autem hic annus à Conuerſione Pauli 14. cum eam factam anno 35. Chriſti oſtenderimus: & remanent anni ſufficientes ad res geſtas S. Pauli, vſque ad eius aduentum Romam. Nec nobis contrarius eſt Petauius, aut ſi qui alij numerant à conuerſione Pauli ad hoc Concilium annumq; 9. Claudij annos 17. quia conuerſionem illam iam poſuerant triennio ante annum 35. Epochæ Chriſti.

De Anno S. Pauli Romam deducti.

7 EVſebius in Chronico ad annum 2. Neronis, & quartum Olympiadis 208. ait Paulum Apoſtolum à Feſto miſſum eſſe Romam vinctum. Sed non dicit eo anno peruenisſe, Sancti verò Hieronymi in Catalogo ſcriptor. Eccl. verba ſunt hæc de Paulo: *Hoc tantum dicam, quod poſt Paſſionem Domini viceſimo quinto anno, ideſt ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus Procurator Iudeæ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur.* Ex c. 20. Actor. num. 16. conſtat Paulum vltima vice peruenisſe Ieroſolymam prope feſtum Pentecoſtes: Ex hiſtoria verò Actorum à cap. 21. nu. 16. vſque ad caput 28. numerumq; 11. colligitur Paulum miſsum à Feſto Romam circa initium autumni, durante adhuc anno 2. Neronis, tertius enim incœpit die 13. Octobris, quia poſtquam peruenit in Inſulam Melitam vicinum erat tempus hiemandi, & ibi poſtea hiemauit per tres menſes, poſt quos per Syracuſas Rhegium, & Puteolos deductus eſt Romam; ideo cum Baronio ad annum Chriſti 59. Cornelioque à Lapide in Chronotaxi ad Acta Apoſtolor. & Onuphrio in Chronico, aduentum Pauli Romam conſignauimus anno 3. Neronis iam inito, & labente, ſed poſt hiemem adeoque anno Chriſti 57. eſto initium itineris ex Cæſarea fuerit anno 56. annoq; Neronis 2. adhuc labente. Nec video vnde Tirinus in Chronico Sacro diſtulerit eius aduentum in annum 4. Neronis, aut vnde Cornelius à Lapide affirmarit cum Onuphrio peruenisſe Romam die 6. Iulij anno 3. Neronis.

De Anno Martyrij SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli.

8 INter Quinque de hoc anno opiniones, duæ ſunt extremæ, quæ nec tolerabiles ſunt, nec Sectatores habent. *Prima* fuit Epiphanij hæreſi 27. affirmantis hoſce Apoſtolos necatos eſse anno 12. Neronis, quæ refellitur ex communi ſententia de annis quibus S. Petrus ſedit Romæ, inchoandis ab anno 2. Claudij imminente 3. iuxta dicta n. 5. *Secunda* fuit Caſſiodori in Chronico, qui ſub Conſulibus Syluano, & Othone adnotat ſic: *His Conſulibus Romæ Sanctus Petrus, & Paulus Apoſtoli trucidati ſunt à Neronе.* Sed illis Conſulibus ne viuebat quidem Nero, vtpote occiſus, ponit Caſſiodorus illos Conſules biennio poſt Conſulatum *Capitonis*, & *Rufi*, quos lib. 4. c. 5. docuimus fuiſse Conſules anno Epochæ Chriſti 67. anno autem 68. occiſum fuiſse Neronem die 10. Iunij oſtendimus eodem lib. 4. cap. 8.

Tertia ſententia eſt SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum martyrio affectos eſse anno 13. Neronis, *Fonteio*, & *Capitone* Conſulibus anno à morte Chriſti 36. ita Baronius ad annum Chriſti 69. Et apud eum Caius antiquus Theologus, Zephyrinus Papa, Dionyſius Corinthior. Epiſcopus, quos citat, & ſequitur Metaphraſtes ad diem 29. Iunij. Ita pariter Hermannus Contractus in Chronico, Onuphrius Panuinus in Chronico, & Cornelius à Lapide in Chronotaxi ad Acta Apoſtolorum. Fundamentum Baronij eſt, quia Nero Imperare cœpit Octobris 13. Conſulibus *Marcello*, & *Acciola* (nempe anno 54. Chriſti vt lib. 4. cap. 5. docuimus) & Conſulibus *Capitone*, ac *Rufo* (nempe anno Chriſti 67. compleuit annum Imperij decimum tertium die 13. Octobris, incœpitque decimum quartum; anno autem ſequenti occiſus eſt die 10. Iunij diebus 19. ante Martyrium Apoſtolorum horum; Ideoq; non ſub Nerone, quod tamen omnes affirmant, ſed ſub Galba necati fuiſsent, ergo dies huius Martyrij, ideſt 29. Iunij non potuit cadere in annum 14. Neronis, qui non exceſſit diem 10. Iunij, ſed in diem 29. Iunij anni 13. Neronis nondum completi.

Quarta ſententia fuit Euſebij, ſignantis in Chronico mortem Petri, & Pauli anno 14. Neronis, quem ſecutus S. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccl. verbo *Simon Petrus* dixit: *Secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis, ideſt decimum quartum, à quo, & affixus cruci Martyrio coronatus eſt:* Et ibidem verbo *Paulus* ait *Hic ergo XIV. Neronis anno, eodem die, quo Petrus Romæ pro Chriſto capite truncatus.* His ſuffragari videntur quicunq; horum Martyrium adſcribunt anno 37. à Paſſione Saluatoris, vt Nicephorus l. 2. hiſtor. c. 36. & alij multi, quos nominat Tirinus; item quicunque dicunt Petrum ſediſse Romæ annos 25. Nam incluſis vtroq; termino annus 37. à Paſ-

sione Domini, quæ nobis fuit 33. anno Christi, est annus 68. Christi: Similiter annus 25. ab anno 43. Christi, quo Petrus Romam peruenit, est 68. Christi, ideſt Neronis 14. At huic sententiæ obstat validissimum argumentum Baronij, de quo supra.

Quinta igitur sententia est Petauij lib. 11. de Doctrina Temporum cap. 14. & in Chronico Sacro; SS. hosce Apostolos martyrium passos esse anno quidem 13. Neronis, si eius initium sumatur à die 13. Octobris, sed anno 14. si Neronis anni populari modo computentur ab antecedentibus Calendis Ianuarij, & ita conciliari auctores tertiæ, & quartæ sententiæ inter se se. Sed nimis violentum est in historia Romana denominare, ac numerare annum primum Neronis, seu Neroniani Imperij ab ipsis Calendis Ianuarij, quando adhuc Imperabat Claudius, & imperaturus erat vsque ad 13. Octobris hoc est per totum fere illum annum, seu per 10. adhuc menses. Nec eruditio Eusebij, ac Hieronymi patitur, vt tam crasso, ac populari modo annos Imperatorum computauerint. Deinde si Imperatorum initium referendum esset ad Calendas Ianuarij, potiùs ad illas quæ notabiliter viciniores fuerunt esset transferendum, atq; adeo Nero dicendus esset cœpisse imperare Calendis Ianuarij, quæ subsecutæ sunt diem 13. Octobris.

Nostra igitur sententia est eadem, ac *Tertia* propter argumentum, & auctoritates ibi adductas; sed addimus Eusebium, Hieronymum, & Nicephorum fuisse in illis, qui existimarunt Neronem imperasse annos 14. solidos, & aliquot menses iuxta dicta lib. 4. c. 8. Reuera autem Martyrium passi sunt Consulibus *Capitone*, & *Rufo*, anno 13. Neronis labente, & Christi 67. & à Passione Christi anno 35. esto qui natiuitatem, & mortem Christi vno, aut altero anno anticiparunt, posuerint annum 36. aut 37. à passione Christi, quos inter videtur fuisse Chrysostomus, quatenus dixit S. Paulum annos 35. seruiuisse Christo. Ab initio autem Cathedræ Romanæ Petri, ideſt die 18. Ianuarij anni Christi 43. vsque ad diem 29. Iunij anni 67. sunt anni completi 24. menses 5. & dies 12.

De Anno Episcopatus, & Martyrij S. Iacobi minoris, ac S. Marci.

8 SAnctus Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccl. ait: *Iacobus, qui appellatur frater Domini &c. post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus*: & infra. *Triginta itaque annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, ideſt vsque ad septimum Neronis annum*. Eusebius autem in Chronico ad annum Christi 33. quo passionem Domini ponit, habet: *Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini*. Et ad annum Christi 63. & Neronis 7. notat: *Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur*, quos secutus est Hermannus contractus, & Onuphrius in Chronico, Baronius in Annalibus ad annum 63. Cornelius à Lapide in Chronotaxi ad Acta Apostolor. & anno 7. Neronis, Tirinus in Chronico Sacro cap. 50. vbi multos alios citat, Petauius tamen in Chronico necem S. Iacobi consignat anno Neronis 8. At nos Passionem Domini anno 33. Epochæ Christi statuimus, & annum 1. Neronis à die 13. Octobris anni Christi 54. inire docuimus lib. 4. cap. 8. additis ergo annis 29. quos compleuit Iacobus in Episcopatu anno 33. Christi, fit annus Christi 62. in cuius die 1. Maij occisus est hic Apostolus, currente adhuc Neronis anno 8. Et Episcopatus Iacobi anno 30. iam inchoato per aliquot menses. Eodem porrò anno 8. Neronis mortuum esse S. Marcum Euangelistam Alexandriæ tradit expresse Hieronymus in Catalogo, & Eusebius in Chron.

De Annis S. Ioannis Apostoli.

9 EX S. Hieronymi Catalogo Scriptor. Eccles. hæc habemus de S. Io. Apostolo, eum relegatum fuisse in Insulam Patmos anno 14. Domitiani, qui nobis cœpit à die 13. Septembris anno Christi 94. ergo relegatio fuit, vel hoc anno, vel anno 95. sed ante 13. Septembris, nempe post 6. Maij, quo ante portam Latinam missus est in dolium olei feruentis. Addit Hieronymus mortuo Domitiano, & succedente Nerua S. Ioannem reuocatum ab exilio redijsse Ephesum, ergo ex dictis lib. 4. cap. 8. accidit id anno Christi 96. post diem 18. Septembris, quo Nerua iniuit Imperium, aut anno 97. Tandem confectum, senio, & mortuum esse ait sub Traiano, *Sexagesimo octauo post Passionem Domini anno*, videlicet die 27. Decembris: ergo anno centesimo Christi iuxta nostram computationem annorum Christi. Eusebius quoque in Chronico Ioannis relegationem in Patmos anno 14. Domitiani adnotat, sicut, & Hermannus contractus.

At Baronius anno 92. Christi relegationem in Patmos refert ad annum 10. Domitiani, esto cum Irenæo, Apocalypsim ad vltimum, aut penultimum Domitiani annum reijciat, Baronium sequitur Cornelius à Lapide. Onuphrius in Chronico Apocalypsim ad annum 12. Domitiani consignat: Petauius in Chronico, relegationem anno 13. Apocalypsim anno 14. Domitiani notat: Tirinus in Chronico Sacro cap. 50. relegationem anno 12. Apocalypsim anno 14. Domitiani adscribit. Causa ob quam Baronius disiungit tanto tempore relegationem ab Apocalypsi, est quia pro certo habet Cletum iussu Domitiani necatum anno 10. Domitiani, vnde infert tunc motam persecutionem à Domitiano, ideoque tunc quoq; Ioannem immissum in dolium olei feruentis, & mox relegatum in Patmos. Sed de ordine, & annis successorum Petri in Sede alibi disputandum erit.

De Anno Martyrij S. Dionysij Areopagitæ.

1 IAm lib. 8. cap. 14. occasione anni, quo Deipara Virgo obijt, eiusq; funeri interfuit S. Dionysius Areopagita, ostendimus eum à S. Paulo conuersum fuisse ad Christum anno Epochæ Christianæ, & Christi 50. & interfuisse morti, ac funeri Deiparæ anno Christi 56. ex eius autem Epistola ad Apollophanem constat, eum annorum 25. fuisse, quando ad Heliopolim vidit Eclipsim illam Solis admirabilem, quæ anno 33. Christi facta est in morte Saluatoris die 3. Aprilis. Supereſt altera grauis controuersia de anno mortis ipsius S. Dionysij, de quo tres fuere opiniones.

Prima opinio fuit Metaphrastis, & vel Methodij, vel Metrodori Hilduini, & Hincmari Rhemensis in vita S. Dionysij, nempe S. Dionysium martyrio coronatum esse sub Domitiano. Sed hæc opinio multis de causis falsa esse conuincitur: Nam S. Dionysius in Epistola ad S. Ioannem exulantem in Pathmo scribit sibi reuelatum esse fore, vt quam primum ab exilio liberaretur, & simul futuri essent: verba S. Dionysij sunt: *Nam nos quidem, quidquid demum aduersi acciderit, clarissimo Ioannis radio priuare non poterit, nunc quidem tui memoria, & veræ Theologiæ renouatione fruituros, paulo post autem (dicam enim etsi audax dictu est) tibi ipsi intimè copulandos. Quippe dignus sum cui fides habeatur, cum ea quæ tibi præcognita sunt, à Deo didicerim, & tunc referam, Te scilicet ista Pathmensi custodia liberatum iri, atque in Asiam postliminio rediturum &c.* Epistolam verò hanc, vt legitimam Dionysij huius recipiunt ijdem auctores, & in primis Metaphrastes in vita S. Ioannis Euangel. constat autem S. Ioannem non nisi post mortem Domitiani resciſſis eius actis, reuocatum esse ab exilio Nerua iam, & paulo post Traiano imperante, ergo S. Dionysius, qui S. Ioanni iam ab exilio liberato intimè copulatus fuit, non potuit esse mortuus sub Domitiano. Præterea idem Hincmarus refert S. Dionysium post Clementem Papam Martyrio affectum; atqui Clemens martyrio coronatus nõ est sub Domitiano, sed sub Traiano anno 3. Traiani, vt ex Eusebio, & S. Hieronymi catalogo de Scriptoribus Ecclesiast. patet, ergo nec S. Dionysius sub Domitiano martyrium fecit.

Secunda opinio fuit Michaelis Syngeli Presbyteri Hierosolymit. in vita Dionysij apud Lipomannum tom. 4. à Basilio Millanio Monacho Cassinensi latinitate donata, & à Petro Lanselio Soc. nostræ castigata; item Suidæ in historicis, in Dionysio Areopagita. Videlicet S. Dionysium martyrio affectum fuisse sub Traiano, quibus fauere videtur Martyrologium sub Gregorio XIII. editum, in quo

passus

passus sub Traiano ponitur: Sed hæc intelligi possunt de persecutione Traiani, quæ durauit sub Hadriano: neque enim distinctam persecutionem ipse instituit, sed institutam à Traiano persecutus est: Nam ipsemet Syngelus de S. Dionysio Areopagita inter alia illum laudat, vt ἓν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα τὴν Ἀποστολικὴν ὁδεύσαντα τρίβον: idest. *In annis septuaginta cursum Apostolicum obeuntem.* Ergo si conuersus est anno, vt diximus, 50. Christi additis 70. fit annus 120. Christi quo anno à die 11. Augusti cœpit annus 4. Hadriani, quo ipso anno Hadrianus in Gallias venit.

Tertia itaque opinio, & verior est S. Dionysium cum Rustico, & Eleutherio Martyrio coronatos esse sub Hadriano Imperatore, ita enim habet vetustissimum Martyrologium Romanum, quod reperit, & edidit noster Heribertus Rosweydus; esto dicat Athenis celebrari festum hoc 5. Nonas Octobris, vbi sic. *Athenis Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diuersis tormentis passi*; quo eodem die Beda in Martyrologio, *Natali S. Dionysij Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo &c. & sub Hadriano Principe & c. martyrio coronatur*, eademque die Ado idem habet in Martyrologio, & confirmat sic. *Vt Aristides Atheniensis vir fide, sapientiaque mirabilis testis est*; claruit autem Aristides eo tempore, quo sub Hadriano passum S. Dionysium testatus est. Sed & Flauius Dexter in Chronico ad annum Christi 130. clarè supponit paucis ante annis S. Dionysium Parisijs sub Hadriano Martyrio affectum. Itaq; tertiæ huius opinionis sunt Baronius, licet id alia occasione anticipato tractet anno 109. Christi; Franciscus Biuarius in Comment. ad Chronicon Fl. Lucij Dextri, Petrus Halloix Societatis Iesu in vita S. Dionysij, Petrus Lanselius, & Balthasar Corderius Societ. eiusdem in notationibus ad eandem vitam. Quoad annum ipsum sub Hadriano censet Biuarius fuisse annum Christi 130. At Corderius annum circiter 110. vitæ, quem colligit ex annis 70. Apostolici cursus, & 40. minimum conuersionis, quare si anno 33. Christi habuit annos 25. vtique annos 110. compleuit anno Christi 118. aut 119. Petrus denique Halloix ait obijsse anno circiter 121. Christi, nos eligimus annum 120. quia illo anno impletus est 70. Annus vitæ Christianæ Dionysij à Syngelo assertus, & ab anno Christi 50. quo conuersus est S. Dionysius, & quia illo anno, vt in Chronico ponimus, Hadrianus venit in Gallias; Rectè itaque Nicephorus l. 2. histor. cap. 20. dixit S. Dionysium multos annos in Occidente fuisse, *& ad profundam senectutem* peruenisse, erat quippe annorum 112. inchoatorum. Etsi autem Græci celebrabant festum hoc die 3. Octobris, Latini autem 9. Octobris, eundem tamen esse Dionysium Areopagitam, qui prius Athenis deinde Parisijs Episcopus fuit, demonstrat Baronius supra, & Petrus Halloix quæst. 1. de S. Dionysij vita, & operibus: Sed duos fuisse Dionysios contendit Sirmondus: vide plura in 1. Tomo Galliæ Christianæ Scæuolæ, & Ludouici Sammarthanorum folio 400.

CAPVT III.

De primis successoribus S. Petri in Pontificatu alijsque Pontificibus Romanis.

1 QVam diuersæ fuerint opiniones de tempore, & ordine, quo Petro Linus; Lino Cletus (qui alijs est Anacletus) Cleto Clemens in pontificatu successerint luculentissimè tractauit Baronius ad annum Domini 69. euicitq; ex antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis ex Martyrologio Romano, & Canone Sacro Missæ, & alijs *Linum* immediatè successisse S. Petro in pontificatu, Lino autem *Cletum*, & huic *Clementem*, annis verò sequentibus docet *Linum* sedisse annos XI. menses 2. & dies 23. computatos à die 30. Iunij, quo successit Petro, anno nobis 67. Christi, vsque ad annum 78. diemq; 23. Septembris, quo Saturnini Consularis iussu *Commo*, & *Prisco* Consulibus Martyrio coronatus est; *Cletus* autem, iuxta eundem, sedit annos 12. menses 7. & dies 2. computatos à die 24. Septembris, qua successit Lino, vsq; ad 26. Aprilis, qua Martyrio affectus est *Vlpio Traiano*, & *Acilio Glabrione* Consulib. idest anno Christi 91. ex dictis l. 4. c. 5. Post huius mortem, in libro de Romanis Pontificibus, qui Damaso adscribitur, dicitur: *Cessauit Episcopatus dies viginti*; Ergo Clemens Cleto subrogatus est die 16. Maij, aut 17. Passus est martyrium Clemens in Chersoneso die 23. Nouembris, Consulibus *Traiano III.* & *Frontone* anno 3. Traiani, vt habent lib. de Rom. Pontificibus Eusebius lib. 3. histor. cap. 28. & Hieronymus in Catalog. de Script. Eccl. ergo anno Christi centesimo iuxta dicta lib. 4. cap. 5. & 8. atque adeo à Sedis vacantis fine sedit *Clemens* annos 9. menses 6. dies 7. Ex quibus corrigendi sunt, quæ alij Chronologi, aut Historici, aut Catalogorum Pontificiorum concinnatores aliter consignarunt.

2 Occiso autem Clemente in Chersoneso, licet in libro de Romanis Pontificibus dicatur vacasse Sedem diebus 21. & amplius; rectè tamen aduertit Baronius ex Chersoneso trans Pontum non potuisse Romam peruenire tam citò nuncium Mortis illius; cumque supponatur electionem successoris factam esse Romæ, & cum idem liber, & indices Vaticani dicant Anacletum successorem Clementis sedisse annos 9. menses 3. & dies 10. & idem Anacletus martyrio affectus dicatur die 13. Iulij anno Traiani 13. *Orfito*, & *Crispino* Consulibus idest nobis anno 110. Christi sequitur Anacletum electum fuisse anno centesimo primo Christi die 3. Apr. Cauendum in primis ab Eusebio, & Sectatoribus, qui Cletum, cum Anacleto confundentes vnum Pontificem omiserunt, & initia sequentium Pontificum anticipauerunt, qui error in multos deinceps annos propagatus est.

3 Sed & enormiter errauit Onuphrius in Fastis, dum sequens Consules perperam notatos in libro de Romanis Pontificibus, *Hygino* Papæ tribuit Pontificatus annos duodecim, & amplius, cum tamen ex Cresconiana Collectione, Indicibus Vaticanis, & ipsis annis Antonini Imperatoris sub quo sedit, constet, non sedisse vltra annos quatuor imo his defuisse duos dies: Sed Onuphrium Panuuinum serò agnouisse errorem, & cautiùs incessisse fatetur Baronius ad annum 158. vbi prudentissimè notat *Hygino* substituendum immediatè *Pium*, quia sic fecere qui eodem tempore vixerunt Hegesippus, & Irenæus, & paulo post Tertullianus, & deinde Eusebius, Epiphanius, Nicephorus vterque, ac Latini Græciq; communiter; esto Anicetum Hygino substituant optatus Mileuitanus, Augustinus, Hieronymus; cui quidem Pio pro annis 9. annos 19. ex vitio librariorum tribuit lib. de Rom. Pontif. Sic in Aniceto variant nonnulli quoad annos sedis, sed ex Indicibus Vaticanis, qui sunt in *libro Censuum* ac diebus electionis ac mortis certiùs colliguntur: & in *Zephyrino* pro annis 18. malè scripti sunt 8.

4 In Baronio autem duo in primis corrigenda censemus; Nam quia, vt tandem anni Christi biennio toto initi ante communem Epocham Christianorum, conuenirent cum annis Epochæ communis in Diocletiani, & Valentiniani anno primo, expungit duo paria Consulum vt docuimus lib. 4. cap. 3. Coroll. 2. oportuit etiam duobus Pontificibus annos singulos Pontificatus adimere. Igitur, quia inter annum ipsi 261. & 262. omisit Consulatum *Fuluij Aemiliani, & Bassi* II. consequenter Pontificatum S. Sixti II. Papæ, & Martyris ad Menses XI. diesq; 12. restrinxit; inserto autem, sicut oportuit horum Consulatu, & anno, sequitur S. Sixtum sedisse annum 1. & menses XI. ac dies 12. Rectè enim in lib. de Romanis Pontificibus dicitur Sixto successisse Dionysius, *Aemiliano*, & *Basso* Consulibus. Rursum quia inter annos suos 276. & 277. omisit Consulatum *M. Claudij Tacit*, & *Fuluij Aemiliani* posterioris, Martyrium Eutychiani Papę posuit sub *Caro*, & *Carino* anno 283. quem oportebat ponere *sub Caro III. & Numeriano*, ideo biennio in annis *Eutychiani* errauit, & sedisse ait annos 8. & aliquot menses, cum sederit annos 10. menses 6. & d. 4. eius verò successor *Caius* non 12. vt ponit Baronius, sed 11. tantum annos, menses 4. & dies 5.

5 Intolerabilis autem error est in Chronico Eusebij, in quo S. Syluestri Papæ electio ponitur anno 5. Constantini Imper. & sedisse annos 19. At ex lib. de Romanis Pontif. et alijs Indicibus actisq; proconsularibus colligitur cœpisse Syluestrum anno 9. Constantini, idest Christi 314. &

delijsse anno 335. eiq; succesſisse *Marcum*, Consulibus *Nepotiano*, & *Fecundo*. De erroribus multorum in annis *Liberij* vide Baronium anni 367. & in anno obitus *S. Leonis* Magni qui fuit 461. nu. 460. vt habet Marcellinus in Chronico: Vacauit autem Sedes septem menses, non septem dies, vt errore librariorum alicubi scriptum est, si quidem *Hilarius* Leoni subſtitutus est die 12. Nouembris sed anno 467. in ipso Baronio: ex ipsius tamen datis dicendum est Hilarium sedisse annos 5. menses 9. & d. 28. non annos 6. &c. Errat præterea Marcellinus, dum Gelasij Papæ initium ponit anno 493. cum sub Consulib. anni 492. *Anaſtaſio*, & *Rufino* extent literæ plures datæ ab ipso Gelasio iam Pontifice. Malè quoq; *Anaſtaſij* Papæ electionem, quæ fuit anno 496. differt post duos annos.

6 Miror autem Baronium anno 555. dixisse *Vigilium* Papam Syracusis ex calculo obijsse *cum sedisset annos sexdecim sed quoto mense, ac die mortuus sit ignorari, nec ex successoris eius tempore id definiri.* Nam iam anno 540. narrauerat Vigilium septimo die post mortem *S. Siluerij* Papæ, ideſt die 27. Iunij legitimè electum fuisse; postea anno 555. ex Anastasio Bibliothecario refert *Ceßaße Episcopatum Vigilij menses tres, & dies quinque;* mox addit: *subrogatus est in locum Vigilij Pelagius Archidiaconus; quo autem mense ac die, antiquorum nemo docet:* Sed anno 559. habet: *Pelagius Papa vbi sedißet annos quatuor menses decem, dieſque decem, & octo, ex hac vita migrauit secunda Martij.* Si sic est, ergo retrocendo à die 2. Martij anni 555. per annos 4. menses 10. & dies 18. incidit *Pelagij* electio in annum 556. & diem 12. Aprilis. Hinc retrocedendo per menses tres, & dies quinque, quibus vacauit Sedes post Vigilium, cadit mors Vigilij in diem 7. Ianuarij, aut quam proximè, sed anni 554. à quo ad eius electionem legitimam factam die 27. Iunij, anni 540. sunt anni tantummodo 14. menses 6. & dies 10. Hæc igitur corrigenda in Baronio aut certè, vt alij malunt, apud ipsum, *Pelagij* obitus in annum 560. differendus, vt Vigilius mortuus dicatur anno 555. & sedisse annos 15. menseſque 6. ac dies 20. & æter anni qui hinc pendent emendandi, ita vt Ioannes Pelagij succesor sederit tantum annos 12. minus diebus 14.

7 Præterea Baronius anno 577. tribuit *Benedicto* annos 4. mensem 1. & dies 28. cum tamen antea in eius creatione ex Anastasio dixisset sedisse annos 4. menses 2. dieſq; 15. & totidem reuera sint à die 16. Maij qua electus est anno 573. vsque ad diem 31. Iulij anni 577. qua mortuus est. Assentior tamen Baronio in his, quæ anno 714. de *Gregorij* II. Electione contra Onuphrium biennio eam postponentem disserit, et quæ anno 891. contra alios circa tempus *Formosi*: sed ab eodem dissentio dum anno 897. ponit post Bonifacij inuasoris dies 15. electionem Stephani VII. eiusque mortem 900. anno consignat: & tamen adducit Diploma huius Stephani datum *Septembri Indictione quarta Anno Pontificatus Stephani sexti quinto*. Nam, & Indictio quarta, & annus quintus Pontificatus euincunt Stephanum vixisse vsque ad anni 901. Septembrem, & vltra. Præterea anno 99 *Gregorius* V. qui electus fuerat anno 996. Aprilis 13. cum ex Epitaphio eius constet obijsse anno 999. 18. Februarij, vtique non annos 2. & menses circiter octo; sed annos 2. & menses 10. ac dies 6. sedisse dicendus est.

De Auctoribus, qui Romanorum Pontificum Tempora suppeditant.

8 PRima Classis est eorum, qui Pontificum plurium Vitas conscripserunt: vt Liber de Romanis Pontificibus Damaso Papæ adscriptus; Index Pontificum ab Honorio III. Papa confectus, Indices Vaticani, & Collectio Crescioniana apud Baronium, Anastasius Bibliothecarius, qui Damasum supplcuit ab anno 360. ad 872. Guillelmus Bibliothecarius Anastasij continuator vsque ad annum 1060. Pandulphus Pisanus Guillelmi continuator, vsque ad annum 1130. Martinus Polonus, cum quinque alijs auctoribus à S. Petro vsq; ad Eugenium III. Io. de Columna à S. Petro vsque ad Bonifacium VIII. Ptolemæus Lucensis, cum supplemento à S. Petro vsque ad Benedi- XII. Franciscus Petrarca à S. Petro ad Vrbanum VI. Theodoricus à Niem, à S. Petro ad Gregorium XI. Baptista Platina à S. Petro ad Sixtum IV. Bonifacius Simoneta vsq; ad Iulium II. Septem vetusti Indices Romanorum pontificum quorum 5. in Bibliotheca Vatiana, sextus in Monast. Casin. sept. in Monasterio Farfensi.

Secunda Classis est Annalistarum, aut Chronologorum quorum præcipui sunt Baronius vsque ad annum 1198. eiusque Continuator Abraham Bzouius vsque ad annum 1431. & Baronij Epitomastes Gabriel Bisciolius, Odoricus Rinaldus, & Henricus Spondanus, qui addit supplementum vsq; ad annum 1630. Petauius in Rationario Temporum vsq; ad annum 1631.

Ex Chronologis autem præcipui, Genebrardus vsque ad annum 1580. Franciscus Sansouinus lib. 2. Chron. vsq; ad annum 1572. Onuphrius Panuuinus in Chronico vsque ad annum 1566. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Chronico ad finem Operis. Gerardus Mercator in Chronico, vbi texit catalogum Pontificum Romanorum vsque ad Pium V. Henricus Gordonus in Chronol. & alij plurimi Chronographi, inter quos sectarij alicubi cauendi. Ex his igitur Catalogum nostrum Pontificum Romanorum texuimus, sed cum delectu, & ex temporum viciniorum notis emendantes, quæ visa sunt emendanda.

CATA-

CATALOGVS PONTIFICVM ROMANORVM

Ex Libro IX. Chronologiæ Reformatæ Cap. 3. cum Initio, & Fine Sedis, in Annis CHRISTI veris, quos coincidere cum vsitatis docuimus.

NOMINA, PATRIA &c. Pontificum Romanorum.	Initium Sedis An.	Mens.	D.	Finis Sedis An.	Mens.	D.	Duratio An.	M.	D.	Vacatio Mens.	D.
S. PETRVS, ex Bethsaida Galilææ, successit CHRISTO Domino Vicarius statim ab Ascensione Domini in Cœlum, licet non statim Romæ Sedem fixerit.	33	Maij	14	67	Iun.	29	34	1	16	0	1
S. LINVS, Volaterranus ex Thuscia Papa, & Martyr.	67	Iun.	30	78	Sept.	23	11	2	23	0	1
S. CLETVS, Romanus Papa, & Martyr.	78	Sept.	24	91	Apr.	26	12	7	2	0	20
S. CLEMENS, Romanus Papa, et Martyr.	91	Maij	16	100	Nou.	23	9	6	7	4	9
S. ANACLETVS, Athenienſis Papa, & Martyr.	101	Apr.	3	110	Iul.	13	9	3	10	0	13
S. EVARISTVS, Græcus ex Iudæo patre, Papa et Martyr.	110	Iul.	26	119	Oct.	26	9	3	0	0	18
S. ALEXANDER, Romanus, Papa et Martyr.	119	Nou.	13	130	Maij	3	10	5	20	0	25
S. SIXTVS, Romanus, Papa & Martyr.	130	Maij	28	140	Apr.	6	9	10	9	0	2
S. TELESPHORVS, Thurienſis ex Calabria, seu Magna Græcia, Papa et Martyr.	140	Apr.	8	152	Ian.	5	11	8	27	0	7
S. HYGINVS, Athenienſis Philoſophus, Papa et Martyr.	152	Ian.	12	156	Ian.	11	3	11	28	0	3
S. PIVS, Aquileienſis, Papa et Martyr.	156	Ian.	15	165	Iul.	11	9	5	27	0	14
S. ANICETVS, Viniſinus ex Syria, Papa et Martyr.	165	Iul.	25	173	Apr.	17	8	8	23	0	17
S. SOTER, Fundanus ex Campania, Papa et Martyr.	173	Maij	4	177	Apr.	22	3	11	18	0	11
S. ELEVTHERVS, Nicopolitanus ex Græcia, Papa et Martyr.	177	Maij	3	192	Maij	26	15	0	23	0	5
S. VICTOR, Africanus, Papa, et Martyr.	192	Iun.	1	201	Iul.	28	9	1	28	0	11
S. ZEPHYRINVS, Romanus, Papa & Martyr.	201	Aug.	8	219	Aug.	27	18	0	18	0	6
S. CALLISTVS, Romanus natus rure prope Rauennam, Papa & Martyr.	219	Sept.	2	224	Oct.	14	5	1	12	0	6
S. VRBANVS, Romanus Papa et Martyr.	224	Oct.	20	231	Maij	25	6	7	4	1	0
S. PONTIANVS, Romanus Papa et Martyr.	231	Iun.	24	235	Nou.	19	4	4	25	0	13
S. ANTERVS, Petilienſis ex Magna Græcia Papa et Mart.	235	Dec.	3	236	Ian.	3	0	1	0	0	13
S. FABIANVS, Romanus Papa et Martyr. I. Schiſma, & *Nouatianus* Pſeudopapa contra Fabianum.	236	Ian.	16	251	Ian.	20	15	0	4	14	&c.
S. CORNELIVS, Romanus Papa et Martyr.	252	April.		253	Sept.	16	1	4	etc.	1	5
S. LVCIVS, Romanus Papa et Martyr.	253	Oct.	21	255	Mart.	4	1	4	14	1	5
S. STEPHANVS, Romanus Papa et Martyr.	255	Apr.	9	258	Aug.	2	3	3	23	0	22
S. SIXTVS II. Athenienſis Papa et Martyr.	258	Aug.	24	260	Aug.	6	1	11	12	1	5
S. DIONYSIVS, Græcus Monachus.	260	Sept.	12	271	Dec.	26	11	3	14	0	5
S. FELIX, Romanus Papa et Martyr.	271	Dec.	31	274	Maij	30	2	4	29	0	5
S. EVTYCHIANVS, Lunenſis ex Thuſcia, Papa & Mart.	274	Iun.	4	284	Dec.	8	10	6	4	0	9
S. CAIVS, Salonenſis ex Dalmatia, Papa et Mart.	284	Dec.	17	296	Apr.	22	11	4	5	0	11
S. MARCELLINVS, Romanus Papa et Mart.	296	Maij	3	304	Apr.	26	7	11	3	6	25
S. MARCELLVS, Romanus Papa et Mart.	304	Nou.	21	309	Ian.	16	5	1	25	0	20
S. EVSEBIVS, Græci Medici filius.	309	Febr.	5	311	Sept.	26	2	7	16	0	7
S. MELCHIADES, Africanus Papa et Martyr.	311	Oct.	3	313	Dec.	10	2	2	8	1	21
S. SYLVESTER, Romanus ſub Conſtantino Imper.	314	Febr.	1	335	Dec.	31	21	10	1	0	16
S. MARCVS, Romanus Diacon. Card.	336	Ian.	16	336	Oct.	7	0	8	24	0	20
IVLIVS, Romanus Diacon. Card.	336	Oct.	27	352	Apr.	12	15	5	16	0	25
LIBERIVS, Romanus, quo viuente *S. Felix* Martyr, ſedit annos 10. menſ. 3. d. 11. tanquam Chorepiſcopus, ſeu Vicarius Pontificis, quandiu LIBERIVS pulſus ab Arianis, manſit in exilio. Schiſma 2.	352	Maij	8	367	Sept.	9	15	4	1	0	6
S. DAMASVS, Luſitanus, contra quem 3. Schiſmate intruſus fuit Vrſicinus, et poſt annum pulſus.	367	Sept.	15	384	Dec.	11	17	2	26	1	1
SIRICIVS, Romanus Presb. Card.	385	Ian.	12	398	Febr.	22	13	1	14	0	20
ANASTASIVS, Romanus Presb. Card.	398	Mart.	14	402	Apr.	27	4	1	13	0	21
S. INNOCENTIVS, Albanus ex Latio.	402	Maij	18	417	Iul.	28	15	2	10	0	22
ZOSIMVS, ex Magna Græcia Presb. Card.	417	Aug.	19	418	Dec.	26	1	4	7	0	2
S. BONIFACIVS, Romanus, contra quem 4. Schiſmate intruſus *Eulalius* poſtea expulſus abdicauit.	418	Dec.	28	423	Oct.	25	4	9	27	0	9
S. CÆLESTINVS, Romanus.	423	Nou.	3	432	Apr.	6	8	5	3	0	21
SIXTVS III. Romanus.	432	Apr.	27	440	Mart.	28	7	11	1	1	12
S. LEO Magnus, Tuſcus, Diac. Card.	440	Maij	10	461	Apr.	11	20	10	28	7	0
S. HILARIVS, Calaritanus ex Sardinia.	461	Nou.	12	467	Sept.	10	5	9	28	0	10
S. SIMPLICIVS Tiburtinus.	467	Sept.	20	483	Mart.	2	15	5	10	0	6
S. FELIX II. Romanus Presb. Card. dictus III. reſpectu Felicis Martyris, de quo ſub Liberio.	483	Mart.	8	492	Febr.	25	8	11	18	0	5
GELASIVS, Romanus patre Africano.	492	Mart.	2	496	Nou.	21	4	8	19	0	7
ANASTASIVS II. Romanus.	496	Nou.	28	498	Nou.	16	1	11	23	0	6
S. COEL. SYMMACHVS Simmagenſis ex Sardinia, contra quem intruſus in Schiſm. 5. *Laurentius* pulſus eſt.	498	Nou.	22	514	Iul.	19	15	7	26	0	7
S. HORMISDA, Fruſinas ex Campania.	514	Iul.	26	523	Aug.	6	9	0	11	0	7
S. IOANNES, Etruſcus Presb. Card. Papa, & Mart.	523	Aug.	13	526	Maij	27	2	9	15	1	28
FELIX III. dictus IV. Beneuentanus Presb. Card.	526	Iul.	24	530	Oct.	12	4	2	18	0	3

	Initium Sedis An. Mens. D.	Finis Sedis An. Mens. D.	Duratio An. M. D.	Vacatio Mens. D.
BONIFACIVS II. Romanus, Presb. Card. contra quem Schism. 6. intrusus *Dioscorus*, post dies 28. pulsus est.	530 Oct. 15	531 Oct. 17	1 0 2	2 &c.
IOANNES II. Romanus, cognom. Mercurius Pr. Card.	531 Dec.	535 Febr.	3 3 ferè	0 6
AGAPITVS, Romanus, Presb. Card.	535 Mart.	536 Mart. 10	0 11 20	1 28
S. SILVERIVS Frusinas, Papa et Mart. *Vigilius* in Schismate 7. intrusus abdicauit post mortem SILVERII.	536 Maio	540 Iun. 20	3 2 20	0 7
VIGILIVS, Romanus legitimè electus.	540 Iun. 27	555 Ian. 7	15 6 10	3 5
PELAGIVS, Romanus Archidiacon. Cardin.	555 Apr. 12	560 Mart. 2	4 10 13	3 25
IOANNES III. Romanus, cognom. Catellinus.	560 Iul. 26	572 Iul. 13	11 11 14	10 3
BENEDICTVS, Romanus, cognom. Bonosus.	573 Maij 16	577 Iul. 31	4 2 15	3 10
PELAGIVS II. Romanus ciuis, oriundus à Gothis.	577 Nou. 11	590 Febr. 8	12 2 27	6 25
S. GREGORIVS Magnus, Romanus Archid. Card.	590 Sept. 3	604 Mart. 12	13 6 9	5 19
SABINIANVS, Volaterranus, Diac. Card.	604 Sept. 1	605 Febr. 19	0 5 25	11 26
BONIFACIVS III. Romanus, Diac. Card.	606 Febr. 15	606 Nou. 12	0 8 23	10 6
S. BONIFACIVS IV. ex Valeria ciuitate Marsorum.	607 Sept. 18	614 Maij 25	6 8 13	5 12
S. DEVSDEDIT, seu Deodatus, Romanus.	614 Nou. 13	617 Nou. 8	2 11 25	1 16
BONIFACIVS V. Neapolitanus.	617 Dec. 14	625 Oct. 25	7 10 1	6 18
HONORIVS, Campanus.	626 Maij 13	638 Oct. 12	12 4 27	7 17
SEVERINVS, Romanus.	639 Mart. 29	639 Aug. 2	0 4 4	4 29
IOANNES IV. Dalmata.	639 Dec. 31	641 Oct. 12	1 9 6	1 13
THEODORVS Græcus, ex patre Hierosolymitano.	641 Nou. 25	649 Maij 14	7 5 20	1 16
S. MARTINVS Tudertinus, Papa et Martyr.	649 Iul. 1	654 Nou. 12	6 3 12	0 1
S. EVGENIVS, Romanus, Martino j exuli subrogatus anno 652. d. 9. Aug. vt Vicarius, postea euasit absolute Pontifex defuncto Martino.	654 Nou. 13	655 Iun. 2	0 6 23	1 29
VITALIANVS, ex Signia ciuitate Volscorum.	655 Aug. 31	669 Ian. 27	14 4 27	2 13
ADEODATVS, Romanus, Monachus S. Benedicti.	669 Apr. 9	676 Iun. 26	7 2 17	4 6
DOMNVS, seu DOMNIO, Romanus.	676 Nou. 1	678 Aug. 11	1 9 10	2 15
S. AGATHO, Siculus Monacus S. Benedicti.	678 Oct. 26	682 Ian. 10	4 7 15	2 5
S. LEO II. Siculus.	682 Aug. 15	684 Iun. 28	1 10 14	1 22
S. BENEDICTVS II. Romanus, Presb. Card.	684 Aug. 20	685 Maij 7	0 8 17	2 15
IOANNES V. Syrus ex Prou. Antioch. Archidiac.	685 Iul. 22	686 Aug. 2	1 0 11	2 18
CONON Syrus Pr. Card. post ejectos in 8. Schismate intrusos *Theodorum, & Petrum*.	686 Oct. 20	687 Oct. 13	0 11 23	2 13
S. SERGIVS Antiochenus ex Syria, postquam in Schismate 9. Theodorus, & Paschalis Sedem occupassent.	687 Dec. 26	701 Sept. 9	13 8 14	1 20
IOANNES VI. Græcus.	701 Oct. 29	705 Ian. 10	3 2 12	1 18
IOANNES VII. Rossanensis ex Magna Græcia.	705 Mart. 1	707 Oct. 18	2 7 17	3 0
SISINNIVS Syrus, Podagricus.	708 Ian. 18	708 Febr. 7	0 0 20	0 29
CONSTANTINVS Syrus.	708 Mart. 7	714 Apr. 19	6 1 2	1 10
S. GREGORIVS II. Romanus, Monachus S. Benedicti.	714 Maij 22	731 Febr. 11	16 8 20	0 5
GREGORIVS III. Syrus, Presb. Card.	713 Febr. 16	741 Nou. 28	10 9 12	0 8
S. ZACHARIAS, ex Magna Græcia Monachus S. Benedicti.	741 Dec. 5	752 Mart. 15	10 3 10	0 12
STEPHANVS II. Romanus Presb. Card.	752 Mart. 27	752 Mart. 31	0 0 4	0 0
STEPHANVS III. Romanus Diac. Card.	752 Mart. 31	757 Apr. 26	5 0 28	1 2
PAVLVS, Romanus, Presb. Card. contra quem in Schismate 10. intrusus *Theophylactus* paucos dies sedit. Schismate 11. intrusi sunt *Constantinus* per 13. menses, & post eum Philippus per dies paucos.	757 Maij 28	767 Iun. 29	10 1 1	13 6
STEPHANVS IV. Siculus, Monachus S. Benedicti.	768 Aug. 5	772 Febr. 1	3 5 28	0 8
HADRIANVS, Romanus, Diac. Card.	772 Febr. 9	795 Dec. 26	23 10 16	0 0
LEO III. Romanus, Monach. S. Bened. Presb. Card.	795 Dec. 26	816 Iun. 12	20 5 17	0 10
STEPHANVS V. Romanus, Diacon. Card.	816 Iun. 22	817 Ian. 25	0 7 3	0 3
PASCHALIS, Romanus, Monach. S. Benedicti.	817 Ian. 28	824 Maij 14	7 3 17	0 4
EVGENIVS II. Romanus, Presb. Cardin. in Schismate 12. intrusus *Zinzinus* breui pulsus.	824 Maij 19	827 Aug. 11	3 2 23	0 0
VALENTINVS, Romanus, Archidiacon. Card.	827 Aug. 11	827 Sept. 21	0 1 11	0 3
GREGORIVS IV. Romanus, Monachus S. Bened.	827 Sept. 24	843 Ian. 25	15 4 0	0 16
SERGIVS II. Romanus, Archipresb. Card.	844 Febr. 10	847 Apr. 12	3 2 0	0 0
S. LEO IV. Romanus, Monachus Benedictinus.	847 Apr. 12	855 Iul. 17	8 3 5	0 0
BENEDICTVS III. Romanus, Presb. Card. in Schismate 13. *Anastasius* Antipapa abdicauit.	855 Iul. 17	858 Febr. 16	2 6 0	2 6
NICOLAVS Magnus, Romanus, Diac. Card.	858 Apr. 24	867 Nou. 13	9 6 20	1 1
HADRIANVS II. Romanus, Presb. Card.	867 Dec. 14	872 Nou. 1	4 10 17	1 13
IOANNES VIII. Romanus, Diac Card.	872 Dec. 14	882 Dec. 15	10 0 1	0 3
MARINVS, Gallesinus ex Thuscia, Diac. Card.	882 Dec. 18	884 Ian. 18	1 1 0	0 2
HADRIANVS III. Romanus, antea Agapitus dictus.	884 Ian. 20	885 Maij 9	1 3 19	0 17
STEPHANVS VI. Romanus, Presb. Card.	885 Maij 27	891 Iun. 5	6 0 9	0 8
FORMOSVS Portuensis Ciuis, & Episcopus, in Schism. 14. *Sergius* Antipapa, viuente Formoso.	891 Iun. 13	896 Dec. 23	5 6 10	
BONIFACIVS VI. Etruscus, mortuo Formoso, toleratus per 25. dies.	897	897	25	
STEPHANVS VII. Anagninus, prius inuasor, postea acceptatus, quo necato, intrusus est in Schismate 15. *Romanus* vt Gallesianus, qui Sedem occupauit menses 4. & d. 29.	897	900 Oct.	3 &c.	

THEO-

	Initium Sedis An. Mens. D.	Finis Sedis An. Mens. D.	Duratio An. M. D.	Vacatio Mens. D.
THEODORVS II. Romanus.	901	901	0 0 20	
IOANNES IX. Tiburtinus, Monachus S. Bened.	901	905	3 0 15	
BENEDICTVS IV. Romanus.	905	907		0 6
LEO V. Ardeatinus, Monachus S. Bened. contra quem in Schism. 16. sedit *Christophorus* mens. 7.	907	907	0 1 10	
SERGIVS III. Romanus inuasor, sed toleratus.	908	910		
ANASTASIVS III. Romanus.	910	912	2 2 0	
LAND, seu LANDVS Sabinus.	912	912	0 6 22	
IOANNES X. Romanus.	912	928	15 2 15	
LEO VI. Romanus, Ioanni in carcerem dato subrogatus, & ipse postea carceri inclusus.	928	929	0 6 15	
STEPHANVS VIII. Romanus.	929	931	2 1 15	
IOANNES XI. Com. Tusculanus intrusus, sed toleratus.	931	936	4 10 0	
LEO VII. Romanus.	936	939	3 6 0	
STEPHANVS IX. Germanus, alijs VIII.	940	943	3 4 5	
MARINVS II. seu Martinus, Romanus.	943	946	3 6 13	
AGAPITVS II. Romanus.	946	955	9 7 10	
IOANNES XII. intrusus, sed toleratus.	955	964	10 4 6	
BENEDICTVS V.	964 Maij 14	965 Iul. 4	1 0 20	0 0
IOANNES XIII. Romanus.	965 Iul.	972 Sept. 6	6 2 2	0 16
DONVS, Romanus, seu Domnio II.	972 Sept. 20	972 Dec. 19	0 3 0	0 1
BENEDICTVS VI. Romanus, strangulatus in carcere à *Bonifacio VII.* Card. Sedis inuasore.	972 Dec. 20	974	1 3 &c.	
BENEDICTVS VII Romanus.	975 Iun. 1	984 Iul. 10	9 6 10	
IOANNES XIV. Episc. Papiensis, à *Bonifacio* iterum inuasore post 8. menses in carcerem datus, fame & ærumnis interijt die 20. Augusti. Hinc post 4. menses extincto repentina morte *Bonifacio*, & à suis ipsis lanceis perfosso, nudoq; per pedes tracto electus est Ioannes XV.	984	985 Aug. 20		
IOANNES XV. Romanus.	985 Dec. 25	996 Maij 7	10 4 12	1 6
GREGORIVS V. Saxo, contra quem in Schismate 17. sedit *Ioannes Placentinus* ab Othone Impert. cum ignominia pulsus.	996 Iun. 12	999 Febr. 18	2 8 6	0 1
SILVESTER II. Aquitanus, Monachus Floriacensis.	999 Febr. 19	1003 Maij 12	4 2 20	
IOANNES XVI Romanus, cognom. Siccus.	1003 Iun.	1003 Nou. 5	0 5 &c.	0 15
IOANNES XVII. Romanus, cognom. Fasanus.	1003 Nou. 20	1009 Iul. 18	5 7 28	1 13
SERGIVS IV. Romanus, Monachus Benedictinus.	1009 Aug 31	1013 Maij 13	3 8 13	0 8
BENEDICTVS VIII. Comes Tusculanus, contra quem in Schismate 18. sedit paucis diebus *Leo.*	1013 Maij 22	1024 Febr. 27	10 9 5	0 1
IOANNES XVIII. frater Benedicti VIII. prius inuasor, deinde abdicans confirmatus est.	1024 Febr. 28	1032 Nou. 8	8 8 8	0 2
BENEDICTVS IX. Com. Tusculanus puer decennis intrusus, sed toleratus, postea in Schismate 19. pulsus, iterumque Sedem recuperans pulsis Antipapis *Siluestro*, & *Ioanne*.	1032 Nou. 10	1044		
GREGORIVS VI. Rauennas, Archipr. Card. qui suasu Henrici Imper. abdicauit.	1044	1046	1 7 20	
CLEMENS II. Saxo, Episc. Bambergæ.	1046 Dec. 25	1047 Oct. 9	0 9 14	9 9
DAMASVS II. Bauarus, Episcopus Brixiensis, coronatus 16. Kal. Augusti.	1048 Iul. 17	1048 Sept. 9	0 1 23	5 3
S. LEO IX. Lotharingus, Episc. Tullensis, Benedictin.	1049 Febr. 12	1054 Apr. 19	5 2 7	11 24
VICTOR II. Germanus, Episc. Aiclstetensis.	1055 Apr. 13	1057 Iul. 28	2 3 15	0 5
STEPHANVS X. Tuscus, Abbas Cassin. Presb. Card. Hoc defuncto inuasit Sedem Io. Mincius, dictus *Benedictus X.*	1057 Aug. 2	1058 Mart. 29	0 7 28	9 5
NICOLAVS II. Sabaudus, Episc. Florentinus, antea tamen electus fuerat, sed notatur dies inaugurationis.	1059 Ian. 3	1061 Iun. 7	1 5 4	3 24
ALEXANDER II. Mediolanensis, Episc. Lucensis, contra hunc in Schismate 20. die 28. *Octobris* intrusus fuit *Cadalous* Parmensis Episc. qui se Honorium dixit, & post 3. annos in Concilio Mantuano depulsus est.	1061 Oct. 1	1073 Apr. 22	11 6 22	0 0
S. GREGORIVS VII. Soanensis ex Tuscia, Monacus Cluniac. Archid. Cardin. contra hunc insurrexit *Guibertus* Parmensis, Archiepisc. Rauennas, qui se Clementem dixit in Schismate 21. quod durauit per annos 40. sub diuersis Pontificibus.	1073 Apr. 22	1085 Maij 24	12 1 [illegible]2	
VICTOR III. Beneuentanus, antea Desiderius, Abbas Cassinensis, Presb. Card.	1086 Maij 9	1087 Sept. 16	1 4 7	5 26
VRBANVS II. Gallus, Monachus Cluniacensis, Episcopus Cardinalis.	1088 Mart. 12	1099 Iul. 29	11 4 17	0
PASCHALIS II. Bledanus ex Thuscia, Abbas Benedictinus Cardinalis, sub quo *Albertus*, & *Theodoricus* Antipapæ pulsi.	1099 Aug. 12	1118 Ian. 18	18 5 4	0 3
GELASIVS II. Caietanus, Monachus Cassin. Diacon. Card. sub quo *Gregorius* Antipapa.	1118 Ian. 21	1119 Ian. 29	1 0 8	0 3
CALLISTVS II. Burgund. Archiep. Viennæ Gallicæ.	1119 Febr. 1	1124 Dec. 19	5 10 18	0 9

HO-

	Initium Sedis An. Mens. D.	Finis Sedis An. Mens. D.	Duratio An. M. D.	Vacatio Mens. D.
HONORIVS II. Bononiensis, Episcopus Ostiens. contra hunc *Cæleſtinus* Antipapa ſtatim abdicauit.	1124 Dec. 28	1130 Febr. 14	5 1 17	0 0
INNOCENTIVS II. Romanus, Monach. Benedictinus, & Diac. Card. contra quem intruſus *Petrus Leo*, dictus *Anacletus II.* obijt impœnitens 7. Ianuarij anni 1138. pro quo Cardinales Schiſmatici ſubſtituerũt *Gregorium* dictum *Victorem*, qui deinde abdicauit in Schiſm. 22.	1130 Febr. 14	1143 Sept. 24	13 7 10	0 1
CÆLESTINVS II. Tiſernas, Presb. Card.	1143 Sept. 25	1144 Mart. 8	0 5 10	0 1
LVCIVS II. Bononiensis, Canonicus Regular. Pr. Card.	1144 Mart. 9	1145 Febr. 25	0 11 14	0 0
EVGENIVS III. Piſanus, Abbas Ciſtercienſis.	1145 Febr. 25	1153 Iul. 8	8 4 13	0 1
ANASTASIVS IV. Romanus, Abbas S. Benedicti, Epiſc. Sabin. & Cardin.	1153 Iul. 9	1154 Dec. 2	1 4 24	0 1
HADRIANVS IV. Canonicus Regularis Anglus, & Epiſcop. Alban. & Cardin.	1154 Dec. 3	1159 Sept. 1	4 9 1	0 4
ALEXANDER III. Senenſis, Presb. Card.	1159 Sept. 5	1181 Aug. 28	21 11 23	0 1
LVCIVS III. Lucenſis, Epiſcopus Cardinalis.	1181 Aug. 29	1185 Nou. 24	4 2 26	0 1
VRBANVS III. Mediolanenſis, Archiep. Card.	1181 Nou. 25	1187 Oct. 20	1 10 20	0 1
GREGORIVS VIII. Beneuentanus, Monach. Ciſterc. & Presb. Card.	1187 Oct. 21	1187 Dec. 16	0 1 27	0 20
CLEMENS III. Romanus, Epiſcop. Cardin.	1188 Ian. 6	1191 Apr. 10	3 2 3	0 4
CÆLESTINVS III. Romanus, Diacon. Card.	1191 Apr. 14	1198 Ian. 7	6 8 28	0 1
INNOCENTIVS III. Anagninus, Diacon. Card.	1198 Ian. 8	1216 Iul. 16	18 6 8	0 2
HONORIVS III. Romanus, Diaconus Cardin.	1216 Iul. 18	1227 Mart. 18	10 8 0	0 1
GREGORIVS IX. Anagninus, Epiſc. Cardin.	1227 Mart. 19	1241 Aug. 23	14 5 5	1 0
CÆLESTINVS IV. Mediolanenſis, Monachus Ciſtercienſis, Presb. Card.	1241 Sept. 22	1241 Oct. 8	0 0 17	20 17
INNOCENTIVS IV. Genuenſis, Presb. Cardin.	1243 Iun. 24	1254 Dec. 7	11 5 13	0 15
ALEXANDER IV. Anagninus, Epiſc. Card.	1254 Dec. 22	1261 Maij 21	6 5 0	4 3
VRBANVS IV. Trecenſis, Patriarcha Hieroſol.	1261 Aug. 29	1264 Oct. 2	3 1 4	4 3
B. CLEMENS IV. Narbonenſis, Epiſc. Cardin.	1265 Febr. 5	1268 Nou. 29	3 9 24	33 0
B. GREGORIVS X. Placentinus, Archidiacon. Leodienſis.	1271 Sept. 1	1276 Ian. 10	4 4 10	0 10
INNOCENTIVS V. ex Tarentaſia, Ordinis Prædicatorum, Epiſcop. Cardin.	1276 Ian. 20	1276 Iun. 22	0 5 2	0 19
HADRIANVS V. Genuenſis, Diacon. Cardin.	1276 Iul. 12	1276 Aug. 18	0 1 6	0 26
IOANNES XIX. Vlyſſiponenſis, Epiſc. Card.	1276 Sept. 13	1277 Maij 21	0 8 8	6 4
NICOLAVS III. Romanus, Cardinalis Vrſinus.	1277 Nou. 25	1280 Aug. 22	2 8 27	8 8
B. MARTINVS IV. Brienſis ex Gallia, Presb. Card.	1281 Febr. 22	1285 Mart. 29	4 1 7	0 4
HONORIVS IV. Romanus, Diacon. Cardin.	1285 Apr. 2	1287 Apr. 5	2 0 3	10 18
NICOLAVS IV. Aſculanus, Ordinis Minorum, Epiſcopus Cardin.	1288 Febr. 22	1292 Apr. 4	4 1 14	27 2
S. CÆLESTINVS V. Eſernienſis, antea Petrus Moronus Eremita Cæleſtinorum Fundator, qui ſponte abdicauit, obijtq; anno 1296. Maij 19.	1294 Iul. 7	1294 Dec. 13	0 5 7	0 19
BONIFACIVS VIII. Anagninus, Presb. Cardin.	1294 Dec. 24	1303 Oct. 12	8 9 14	0 9
BENEDICTVS X. Taruiſinus, Ordininis Prædicatorum, Epiſcopus Cardin.	1303 Oct. 21	1304 Iul. 7	0 8 17	11 7
CLEMENS V. Vaſco, Archiep. Burdigalæ, qui Sedem tranſtulit Auenionem.	1305 Iul. 5	1314 Apr. 20	8 10 16	27 18
IOANNES XX. dictus XXII. Cadurcenſis Epiſcop. Cardin. in Schiſmate 23. Anno 1327. *Nicolaus* Antipapa intruſus, poſt annos 3. menſes 3. & d. 14. coactus abdicauit.	1316 Aug. 7	1334 Dec. 4	18 3 28	0 16
BENEDICTVS XI. Toloſanus, Monachus Citterc. & Epiſc. Cardin.	1334 Dec. 20	1342 Apr. 25	7 4 6	0 12
CLEMENS VI. Lemouicenſis, Monachus Benedictin. Presb. Card.	1342 Maij 7	1352 Dec. 6	10 7 0	9 12
INNOCENTIVS VI. Lemouicenſis, Epiſc. Card.	1352 Dec. 18	1362 Sept. 12	9 8 26	1 16
VRBANVS V. Griſacenſis ex Gallia, Abbas Cluniac.	1362 Oct. 28	1370 Dec. 19	8 1 22	0 10
GREGORIVS IX. Lemouicenſis, Diac. Card. qui Sedem Romæ reſtituit.	1370 Dec. 29	1378 Mart. 26	7 2 26	0 12
VRBANVS VI. Neapolitanus, Archiepiſc. Barij, contra hunc in Schiſmate 24. *Robertus* Card. dictus *Clemens* Antipapa.	1378 Apr. 7	1389 Oct. 15	11 6 8	0 18
BONIFACIVS IX. Neapolitanus, Presb. Card. contra quem durante Schiſmate 24. Clementi ſubſtitutus eſt *Benedictus* Antipapa Auenione.	1389 Nou. 2	1404 Oct. 1	14 11 0	0 16
INNOCENTIVS VII. Sulmonenſis, Præsb. Card. durabat ſub hoc, *Benedictus* Antipapa.	1404 Oct. 17	1406 Nou. 6	2 0 21	0 24
GREGORIVS XII. Venetus, Presb. Card. ea conditione electus vt *Benedicto* Antipapa abdicante abdicaret & ipſe, poſt annos 2. menſes 7. & d. 5. in Concilio Piſano depoſitus eſt.	1406 Nou. 30	1409 Iul. 5	2 7 5	1 22
ALEXANDER V. Nouarienſis, ſed in Creta educatus, Ordinis Minorum, Presb. Cardin.	1409 Aug. 26	1410 Maij 3	0 8 8	0 14
IOANNES XXI. Neapolitanus, Diac. Card. qui à Concilio Conſtantienſi deiectus eſt.	1410 Maij 27	1415 Iun. 11	5 0 15	29 0

MAF-

	Initium Sedis An. Mens. D.	Finis Sedis An. Mens. D.	Duratio An. M. D.	Vacatio Mens. D.
MARTINVS V. Romanus, Diacon. Cardin. contra quem in Schismate 24. sedit *Clemens* Antipapa.	1417 Nou. 11	1431 Febr. 21	13 3 1	0 10
EVGENIVS IV. Venetus, Presb. Cardin. contra quem in Schismate 25. electus fuit *Amedeus* Dux Sabaudiæ, dictus *Felix V.* qui abdicauit.	1431 Mart. 3	1447 Febr. 23	15 11 21	0 10
NICOLAVS V. Sergianensis, Presb. Cardin.	1447 Mart. 6	1455 Mart. 24	8 0 19	0 14
CALLISTVS III. Valentinus ex Hispania, Præsb. Card.	1455 Apr. 8	1458 Aug. 6	3 3 28	0 12
PIVS II. Senensis, Presb. Card.	1458 Aug. 19	1464 Aug. 14	5 11 27	0 16
PAVLVS II. Venetus, Presb. Card.	1464 Aug. 30	1471 Iul. 25	6 10 26	0 14
SIXTVS IV. Sauonensis, Roboreus, Ordin. Minor.	1471 Aug. 9	1484 Iul. 15	12 11 7	0 16
INNOCENTIVS VIII. Genuensis, Presb. Card.	1484 Aug. 29	1492 Aug. 1	7 11 28	0 10
ALEXANDER VI. Valentinus ex Hispania, Pr. Card.	1492 Aug. 11	1503 Aug. 18	11 0 8	1 3
PIVS III. Senensis, Diacon. Card.	1503 Sept. 22	1503 Oct. 18	0 0 26	0 14
IVLIVS II. Sauonensis, Episc. Cardinal.	1503 Nou. 1	1513 Febr. 21	9 3 3	0 17
LEO X. Florentinus, Diacon. Cardin.	1513 Mart. 11	1521 Dec. 1	8 8 20	1 7
HADRIANVS VI. Traiectensis ex Belgio, Presb. Cardin.	1522 Ian. 9	1523 Sept. 14	1 8 6	2 24
CLEMENS VII. Florentinus, Archiep. Card.	1523 Nou. 19	1534 Sept. 25	10 10 7	0 17
PAVLVS III. Romanus, Episcop. Card.	1534 Oct. 13	1549 Nou. 10	15 0 29	2 29
IVLIVS III. Arretinus, seu è Monte S. Sabini, Ep. Card.	1550 Febr. 7	1555 Mart. 23	5 1 16	0 17
MARCELLVS II. Politianus ex Thuscia, Presb. Card.	1555 Apr. 9	1555 Maij 1	0 0 22	0 22
PAVLVS IV. Neapolitanus, Episc. Card.	1555 Maij 23	1559 Aug. 18	4 2 27	4 7
PIVS IV. Mediolanensis, Presb. Card.	1559 Dec. 26	1565 Dec. 10	5 11 15	0 29
PIVS V. Alexandrinus, Ordinis Prædicator. Presb. Card.	1566 Ian. 7	1572 Maij 1	6 3 24	0 13
GREGORIVS XIII. Bononiensis, Presb. Card.	1572 Maij 13	1585 Apr. 10	12 10 27	0 14
SIXTVS V. De Monte Alto Picenus, Ord. Minor. Presb. Card.	1585 Apr. 24	1590 Aug. 27	5 4 3	0 19
VRBANVS VII. Romanus, Presb. Cardin.	1590 Sept. 15	1590 Sept. 27	0 0 12	2 8
GREGORIVS XIV. Mediolanensis, Episc. Card.	1590 Dec. 5	1591 Oct. 15	0 10 10	0 14
INNOCENTIVS IX. Bononiensis, Presb. Cardin.	1591 Oct. 30	1591 Dec. 29	0 2 1	1 1
CLEMENS VIII. Florentinus, Presb. Card.	1592 Ian. 30	1605 Mart. 3	13 1 3	0 28
LEO XI. Florentinus, Episc. Card.	1605 Apr. 1	1605 Apr. 27	0 0 26	0 19
PAVLVS V. Romanus, Presb. Cardin.	1605 Maij 16	1621 Ian 28	15 8 6	0 12
GREGORIVS XV. Bononiensis, Archiep. Card.	1621 Febr. 9	1623 Iul. 8	2 5 0	0 29
VRBANVS VIII. Florentinus, Presb. Cardin.	1623 Aug. 6	1644. Iul. 29	21 0 24	0 16
INNOCENTIVS X. Romanus, Presb. Card.	1644 Sept. 15	1655 Ian. 8	10 3 24	2 29
ALEXANDER VII. Senensis, Episcop. Card.	1655 Apr. 7	1667 Maij 22	12 1 15	0 29
CLEMENS IX. Pistorienſis.	1667 Iun. 20			

CAPVT IV.

De Concilij Nicæni I. Tempore.

CONCLVSIO.

Concilium I. Oecumenicum Nicænum celebratum est, ac peractum Anno Epochæ Christi 325. cuiusque finis incidit in Vicesimum Constantini Magni Annum, vno ferè mense ante initum.

1 CVm primum hoc œcumenicum Concilium Patrum 318. quo damnatus fuit Arius, celeberrimum fuerit, illudq; anno Epochæ Christi 325. initum, & perfectum doctissimi quique Chronographi asseruerint, & in primis Onuphrius Panuinus in Chronico Sacro, Baronius Tomo 3. Annalium, ad annum 325. Bellarminus de Concilijs, & de Scriptoribus Eccles. Henricus Gordonus in Chronologia sua, Henricus Philippi in Synopsi Chronologica, Dionysius Petauius lib. XI. de Doctrina temporum cap. 41. alijque quamplurimi; Nihilominus ab aliquibus id in controuersiam vocatum est, tum propter Eusebij, & Cassiodori vitiatum Chronicon, tum propter errores aliquorum Historicorum. Sed ex quatuor notis, seu Characteribus Chronologicis certissimus redditur hic annus CCCXXV. videlicet *primò* ex Consulatu *Paulini*, & *Iuliani* iuxta Fastos libro 4. cap. 3. 4. & 5. stabilitos; *Secundò* ex anno Græcorum Syromacedonum 636. iuxta dicta lib. 3. cap. 7. *Tertiò* ex Aera Augusti 363. iuxta dicta lib. 4. c. 7. *Quartò* denique ex Indictione XIII. Omnes enim hæ notæ conspirant in annum Christi 325.

2 In Græco enim codice Bibliothecæ Vaticanæ ante Symbolum habetur *Designatio Catholicæ, & Apostolicæ fidei à Nicæna synodo expositæ, sub Deo amabilissimo Rege Constantino, in Consulatu Paulini, & Iuliani Illustrium, Anno ab Alexandro 636. mense Iunio, ante 13. Kalendas Iulias Indictione 13. in Nicæa Bithyniæ Metropoli.* Et in Epistola conciliari, qua S. hæc Synodus petit cõfirmationem suorũ Canonum à S. Siluestro Papa, in vetusto codice Colonienſi apud Surium dicitur: *Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur: Oret Beatitudo vestra pro vniuerso Concilio: Data 8. Kal. Iulias; accepta 13. Cal. Nouembris, Paulino, & Iuliano summis Consulibus.* Rursus in Concilio Chalcedonensi Act. 2. ante symbolum fidæi Nicænæ, quod ibi recitatur, habentur hæc verba. *Consulatu Paulini: & Iuliani Clarissimorum Coss. Anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, mensis secundum Græcos Desij die decimo nono, quod est tertio decimo Calendas Iulias in Nicæa Metropoli Prouinciæ Bithiniæ. Credimus in vnum Deum &c.* Adstipulatur Socrates lib. 1. Cap. 9. Hist. Eccl. dicens: *Quod autem ad tempus Concilij attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium commentarijs constat, Paulino, & Iuliano Coss. XI. Kal. Iunij anno sexcentesimo trigesimo sexto, post regnum Alexandri Regis Macedonum.* Hoc est post initium Æræ Syro Macedonum, & quoad Annum consentit Nicephorus Callistus l. 8. Hist. c. 26. ait enim: *Tempus Synodi, sicut inuenimus, in Mensis Maij vndecimum diem, Indictionem 13. & Consulatum Paulini ac Iuliani incidit, qui annus DCXXXVI. ab Alexandri Macedonis regno fuit, vicesimus verò imperij Constantini, ex quo rerum in Britania potiri incœpit.* Demum in 1. Tomo Conciliorum apud S. Isidorum ante Canones Concilij Nicæni habemus hanc Epigraphem: *Itaque cum conuenissent hoc Sanctum, & Magnum Concilium apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem, Constantino Augusto, & Licinio Cæsare, Consulatu Paulini, decimotertio Calendarum Iuliarum, qui est apud Græcos 19. die Mensis Desij, secundùm Alexandriam tricesimus primus, Aera 363. statuta sunt ab Episcopis quæ infrascripta sunt, &*

ex Græco in Latinum sermonem versa. Placuitq; vt hæc omnia mitterentur ad Episcopum vrbis Romæ Syluestrum. Est autem verisimillimum Aeræ notam appositam fuisse ab Hosio vtpote Hispano Episcopo: Quare detractis annis 38. ante Christum, quibus incœpit Aera illa; ex annis 363. restat annus Christi 325. Discrepantia porrò in diebus oritur ex eo, quod alio die conuenerunt primò, alio sessio prima acta, alio conditum Symbolum.

3 Confirmatur prædictum tempus ex Vicennalibus Constantini, nam anno vicesimo Imperij sui celebrauit in Oriente Vicennalia, & ea occasione excepit Patres Concilij Nicæni splendido conuiuio, & muneribus, post absolutam synodum, vt narrat Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 21. & lib. 4. c. 47. & Sozomenus lib. 1. cap. vlt. & Socrates lib. 1. cap. 16. iamque ex Nicephoro supra didicimus Concilium hoc peractum anno vicesimo Imperij Constantini. Ostendimus autem libro 4. cap. 9. Constantinum Magnum Imperare cœpisse à die 25. Iulij anni Epochæ Christi 306. ergo anno 325. quando peracta erat Synodus, cœperat annus 20. Constantini. Rursum Eusebius in fine Chronici ad annum 2. Olympiadis 279. (qui ex dictis lib. 2. Tab. 1. est annus Christi 326.) inquit: *Vicennalia Constantini Nicomediæ facta, & sequenti anno Romæ edita*; Idatius autem in Fastis narrat occisum esse Crispum, & Vicennalia Romæ à Constantino edita, ipso *Constantino VII. & Constantio Coss.* ergo anno Christi 326. ex Fastis lib. 4. cap. 5. constitutis, ergo Vicennalia prima edita Nicææ, & Nicomediæ, atque adeo finis Synodi Nicenæ incidere in annum 325. Christi, mors autem Crispi in annum 20. Constantini, vt habet Pontacus, labentem, sed in annum Christi 326. Nullus tamen fuit error in Vicennalibus celebrandis diuerso Christi anno, quia vtraq; celebrata sunt intra eundem annum vicesimum Constantini. Quoad finem Concilij habemus apud Baronium, ex peruetusta collectione Cresconiana post Marcellini Papæ Acta clausulam hanc: *Factum est Concilium apud Nicæam Metropolim Bithyniæ à die 18. Cal. Iulij: quod tenuit vsque ad diem 8. Calendas Septembris Paulino, & Iuliano Consulibus &c.*

4 *Primò* igitur ex dictis emendandum est Cassiodori Chronicon, in quo triennio post Consulatum Paulini, & Iuliani sub Consulibus *Ianuario, & Iusto* scriptum est: *His Coss. Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.* Emendandum pariter Eusebij Chronicon, in quo ad annum 20. Constantini, non quidem Eusebius, aut Hieronymus, vt notauit Pontacus, sed alius recentior auctor adnotauit annum Christi 329. quia scilicet natalem verum Christi quadriennio anticipauit, aut annos quorundam Imperatorum præcedentium diuerso modo numerauit, de qua varietate videri potest Petauius lib. 11. cap. 41. vbi & Pontacum assertorem anni 329. refellit.

Secundò corrigendus est Sozomenus, quatenus lib. 1. cap. 16. ait celebratum esse Concilium Nicænum sub Iulio Pontifice, qui cœpit sedere anno Christi 336. Octob. 26. cum certum sit ex dictis, celebratum fuisse sub Syluestro Papa.

Tertiò reijciendi sunt Paulus Forosempronienſis Episcopus lib. 3. & 4. partis primæ Summæ Paulinæ, Ioannes Stoefferus propos. 34. Kalendarij, & Io. Lucidum, qui existimarunt Concilium hoc celebratum fuisse anno Christi 322. eo quòd anno 323. incœperit Aureus numerus ab vnitate. At esto Patres Concilij Nicæni mandarint Episcopo Alexandrino, vt Calendarium conficeret, & Paschatis tempus illi inseret, & Kalendarium habeat anno 323. Aureum numerum 1. non inde sequitur Concilium eodem anno cœpisse.

Quartò reijciendi sunt illi quoque, qui Concilium Nicænum inchoatum dixerunt anno 325. sed absolutum anno 327. aut 328. videlicet Scaliger lib. 5. de emend. tempor. pag. 507. Kristmannus de connexione annorum pag. 423. Couarruuias lib. 4. Variar. lect. cap. 15. incertus auctor apud Metaphrastem, & in Actis Metrophanis, & Alexandri apud Photium num. 256. quibus præiuit Nicephorus Callistus lib. 8. c. 26. asserens durasse Nicænam Synodum annis tribus, & paulo longius Scaligero verò id placuit, quia primus annus Cycli Solaris cadit in annum Christi 328. quem propterea putauit fuisse annum primum post Concilium Nicænum.

Quintò expendenda est opinio nostri Bellarmini quarta controuersia Generali, quæ est de Concilijs lib. 1. c. 5. licet enim sustinere videatur celebratum esse hoc Concilium ab anno 327. Christi, vsq; ad annũ 330. tamen ex fundamentis tribus ab eo positis colligitur annus 325. *Primò* enim ponit ex Eusebio l. 3. de vita Constantini Concilium hoc absolutum anno 20. Constantini, hunc autem fuisse annum Christi 25. supra docuimus, debent enim anni Constantini numerari ex anno eo, quo in Britannia rerum potitus est, vt ait Nicephorus lib. 8. cap. 26. At quia Bellarminus initium Constantini iuxta falsam Chronologiam Haloandri sumpsit ab anno Domini 311. ideo annum 20. Constantini contulit in annum 330. *Secundò* ponit Bellarminus ex Socrate lib. 1. cap. 9. Concilium incœptum Paulino, & Iuliano Consulibus, & ex Nicephoro lib. 8. cap. 26. durasse annis tribus, & ex Cassiodoro Paulinum, ac Iulianum Consules fuisse anno 17. Constantini, vnde cõsequenter intulit suam opinionem, sed ex demonstratis lib. 4. cap. 3. 4. & 5. *Paulinus, & Iulianus* Consules fuere anno Christi 325. quo à die 26. Iulij cœpit annus 20. Constantini ex dictis eodem libro cap. 9. ideoq; vitium est in Chronico Cassiodori, eodem verò anno 20. Constantini absolutum esse Concilium, supra docuimus ex Epistola ipsa Concilij missa ad Syluestrum Papam pro confirmatione. Falsò igitur Nicephorus ait durasse annos 3. *Tertiò* Bellarminus contra Photium, qui Concilium hoc libro de 7. Synodis posuit partim sub Syluestro, partim sub Iulio Papa, & contra Sozomenum lib. 1. cap. 16. Caluinum lib. 4. Instit. cap. 7. & Ioachimum Camerarium in historia Nicænæ Synodi, qui Cõcilium hoc celebratum esse sub Iulio Pontifice dixerant; supponit pro certo Concilium peractum esse anno 20. Constantini, & inde probat peractum sub Syluestro Papa, & nos supra idem probauimus. Ergo quoad initium Concilij, noster est Bellarminus, quoad substantiam, & fundamenta, nempe quoad annum 20. Constantini, & Consulatum Paulini, & Iuliani, esto ob diuersam opnionem de initio Constantini, & ob vitiosum ordinem consulum in Cassiodoro per accidens dissideat in annis Christi. Postea verò in Chronologia adiuncta lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Concilium Nicænum adscripsit anno Christi 325.

5 De Encænijs Constantinopolitanæ Vrbis à Constantino celebratis, iam egimus lib. 3. cap. 11.

CAPVT V.

De S. Martini Episcopi Turonensis obitu.

CONCLVSIO V.

S. Martini obitus probabilissimè incidit in Annum Christi CDI. circa mediam noctem præcedentem diei XI. Nouembris, & subsequentem diei Dominicæ.

1 QVoniam in Gallia nonnulli annos numerabant à S. Martini Episcopi Turonensis obitu operæ pretium est stabilire annum, quo Sanctissima illius anima migrauit in Cœlum. Iam S. Gregorius item Turonensis Episcopus lib. 1. Historiæ Francorum cap. 46. & vltimo sic narrat. *Arcadij verò, & Honorij secundo Imperij anno Martinus Turonensis Episcopus plenus virtutibus, & Sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimo, & primo ætatis suæ anno Episcopatus autem XXVI. apud Condatensem Diœcesis suæ vicum excedens à seculo, feliciter migrauit ad Christum; Transijt autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico, Cæsarioq; Consulibus.* Sed hæ notæ nequaquam sibi cohærent, nam ex Fastis lib. 4. cap. 5. stabilitis *Atticus, & Cæsarius* Consules fuere anno Christi 397. quo anno ex dictis lib. 4. cap. 12. incœpit Honorij, & Arcadij annus tertius à die 17. Ianuarij, currebatq; adhuc die 11. Nouembris, qua mortuus est S. Martinus. Eodemque anno 397. ex lib. 1. cap. 30. Cyclus Solis erat 14. & Li-

tera

tera Dominicalis D. ideoque dies 11. Nouembris incidit in feriam 4. procul à die Dominica. Apparet autem vitium manifestum in computatione Gregorij, dum ibidem numerat à Passione Domini, ad obitum S. Martini annos 412. additis enim annis 33. Christi esset annus 445. mendo igitur non caret liber ille S. Gregorij. At Scaliger vt diem Dominicam retineret elegit tandem lib. 6. pag. 610. currente littera G. annum 395.

2 Prosper in Chronico à Pithœo edito, confert S. Martini obitum in annum quintum Arcadij, & Honorij, qui ex dictis libro 4. c. 12. incœpit anno Christi 399. à die 17. Ianuarij, currente litera B. ideoq; dies 11. Nouembris incurrit in feriam sextam. Sed fortasse Prosper intellexerit non quintum Imperij, sed quintum Consulatus annum; sic enim interpretatus videtur illum Sigebertus ad annum 402. dum scribit, *Sanctus Martinus ætatis anno octogesimo primo Episcopatus verò vicesimo sexto, obijt hoc anno secundùm Prosperum, qui scribit eum obijsse anno quinto Arcadij, & Honorij: imò secundum Seuerum, qui scribit in vita eius, eum post mortem Priscilliani XVI. annos vixisse.* Anno quippe Christi 402. fuere Arcadius, & Honorius quintum Consules, sed hoc anno litera Dominicalis E. indicat feriam 3. die 11. Nouembris: placuit tamen annus hic Baronio.

3 Sulpicius Seuerus omnibus prædictis antiquior, in vita S. Martini cap. 23. refert eum venisse ad Maximum Imperatorem Treueros, ibiq; increpasse Ithacium Euodio Consule, deinde dialogo 111. addit S. Martinum ab eo tempore vixisse annos sexdecim; Euodius autem fuit Consul anno Christi 386. quare annus ab hinc 16. fuit Christi 401. Cyclo Solis 18. & litera F. currente, ideoq; dies vndecima Nouembris incœpit, vel ab Occasu Solis, vel à media nocte succedente dici Dominico, & illa nox ciuiliter putabatur pertinere ad Dominicã diem ab ortu Solis initam; Quæ Opinio valde placet Petauio lib. 11. de doctrina temporum cap. 45. sed rectè monet, si annus 401. eligatur, aut S. Martinum natum esse anno Constantini 15. idest Christi 321. & vixisse annos 81. aut si natus dicatur anno 11. Constantini, vt habet Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 16. dicendum esse eum vixisse annos 85. Postremò Gregorius idem lib. 2. cap. 43. ait Clodoueum obijsse anno 112. à morte S. Martini; At Clodoueus obijt anno Christi 514. ergo ex ipsomet Gregorio Turonensi duos Characteres habemus vnum pro anno 402. videlicet Clodouei mortem, & alterum pro anno 401. idest mortem pertinentem ad diem Dominicam, ex Sulpicio autem Seuero, cui maximè standum est, vtpote qui eo tempore vixit, eundem annum 401. deduximus; Hic igitur omnium probabilissimus esto.

CAPVT VI.

De Anno S. Ioannis Chrysostomi in exilium pulsi, & mortis eiusdem. ac Eudoxiæ Imperatricis.

CONCLVSIO VI.

S. Ioannes Chrysostomus expulsus est prima vice ab Arcadio Imperatore in exilium Anno Christi 403. *mense Iulio, sed reuocatus ab eo paulo post. Deinde iterum ab eodem anno* 404. *expulsus est die* 20. *Iunij, & in exilio mortuus est Sanctissimus Antistes die* 14. *Septembris Anni* 407. *Christi: Eudoxia autem eodẽ Anno* 407. *verius, quam Anno* 404. *mortua est infelicissimè, paucis post ipsum hebdomadibus.*

1 CVm Baronius ad annum 404. & 407. Christi senserit Eudoxiam mortuam esse post obitum S. Io. Chrysostomi, Petauius autem lib. 11. de doctrina temporum cap. 46. mortuam esse triennio ante, & quidem eodem anno 404. quo S. Chrysostomus irreuocabiliter missus est in exilium, dignum duximus expendere vtriusq; fundamenta, & auctores inspicere pro solutione huius controuersiæ.

Primò itaque prænotandum est ex Palladio Episcopo, qui quadriennio post obitum S. Io. Chrysostomi scripsit dialogum de ipsius gestis, & vita. Socrate lib. 6. Historiæ Eccl. lib. 6. cap. 15. & 16. Sozomeno lib. 8. à cap. 16. ad 19. Metaphraste in vita S. Chrysostomi, Theodoreto lib. 5. historiæ Eccl. cap. 33. & 34. ac Leone Imperatore in Encomio S. Chrysostomi, Sanctissimum hunc Antistitem liuore aduersariorum, & artibus Eudoxiæ à Pseudosynodo celebrata ad Quercum Suburbium Chalcedonis, depositum, fuisse per calumniam, & ea de causa, vel prætextu ab Arcadio missum fuisse in exilium, sed paulo post reuocatum ex Preteno Emporio è regione Nicomediæ sito Constantinopolim, non solùm ob tumultum populi suum pastorem postulantis, vt narrat Socrates, & Sozomenus, sed etiam ob terræmotum, quo etiam pars cubilis Imperatoris collapsa est, vt referunt Leo Imp. Palladius, & Theodoretus supra. Annum verò primæ huius expulsionis designat Socrates, dum lib. 6. cap. 18. subiungit ludos factos ad Statuam argenteam Eudoxiæ, reprehensosq; à Chrysostomo, ideoque illam denuo concitasse contra ipsum eius inimicos, & Arcadium, qui sub prætextu depositi à Synodo Ioannis noluerit ingredi Ecclesiam Natali die Seruatoris; postea verò iterum latam à Synodo prædicta sententiam contra Chrysostomum prope Pascha, & bimestri post eiectum esse iterum in exilium vi edicti Imperatorij, *Honorio, & Aristæneto Consulibus*, ac mox die 20. Iunij incendio conflagrasse Ecclesiam Episcopalem Constantinopoli, & Domum Senatus consentit Sozomenus, quoad ludos factos ante Natalem Domini, & secundam damnationem S. Chrysostomi prope Pascha. Atqui ex Fastis lib. 4. ordinatis cap. 5. constat *Honorium VI. & Anistæneum* Consules fuisse anno Christi vulgari 404. ergo prior expulsio facta fuit anno præcedenti, & quidem ante Natalem Christi, nempe anno 403. & confirmatur ex Metaphraste, qui in vita S. Chrysostomi, ait inter primam, & secundam eius expulsionem annum effluxisse, Palladioq; referente à priori restitutione ipsius, vsque ad Quadragesimam illam, qua iterum coacta est in illum Synodus, nouem, aut decem menses interlapsos: Sed quia anno 403. Ludorum illorum celebratio, fuit occasio secundæ condemnationis, & expulsionis, ideo Marcellinus in Chronico, vtramque narrauit sub *Indictione* 1. *Theodosio*, & *Rumorido* Consulibus, nempe anno 403. Christi: Cœterùm, cùm ipsemet incendium, quo Ecclesia Constantinopolitana statim ab expulsione Chrysostomi conflagrauit, referat ad Indictionem II. & Consulatum *Honorij VI.* & *Aristæneti* satis insinuat, se non dissentire ab illis, qui secundam eiectionem sub his Consulibus ponunt, nempe sub anno 404. & in eundem annum 404. conspirant omnes penè Chronologi consentiuntq; Baronius, ac Petauius supra quoad secundam condemnationem, & missionem irreuocabilem Chysostomi in exilium.

2 Quoad mortem S. Ioannis Chrysostomi, habemus in Breuiario Romano ad diem 27. Ianuarij lectione 6. hæc verba de illo: *Animam Deo reddidit decimo octauo Kalendas Octobris. Quo mortuo, horribilis grando Constantinopoli cecidit, & quatriduo Augusta cessit è vita.* Obijt ergo die 14. Septembris, eundemq; diem notat Martyrologium Romanum, & Leo Imperator in Encomio, quod refert Surius ad diem 27. Ianuarij, additq; Leo Chrysostomum exulasse Cucusi vno integro anno, deinde missum esse Arabisum, & inde Pityuntem, sed antequam perduceretur eò obijsse in Cumana ponti regione prope templum S. Basilici Episcopi, & Martyris, in fine autem prædicti Encomij, refert Surius Epitomen vitæ S. Io. Chrysostomi, vbi asseritur annos 18. natum recessisse à Libano Sophista, & iuisse Athenas; reuersum ad suos baptizatum esse à Meletio Archiep. Antiocheno, postea ordinatum esse Lectorem à Zenone Archiep. Hierosolymitano, & post tres annos Monachum factum mansisse in Monasterio annos quatuor, inde solitariam vitam in vna spelunca annos duos, inde reuersum ad Ecclesiam ordinatumque Diaconum, & post quinque annos Presbyterum à Flauiano, & post duodecim annos accersitum Antiochia, ab Arcadio Imperatore ordinatum Archiepiscopum Constantinopolitanum, mense Decembri, Indictione quarta, & post annos quinque relegatum

gatum in ciuitatem Comanorum, & in exilio deductum de loco in locum, transegisse annos tres, & menses duos; vixisse annos LII. menses VIII. obijsse XIV. Septembr. translataſq; eius venerandas reliquias Constantinopolim post annos triginta tres, depositasque in templo Apostolorum Ianuarij 27. Igitur cum in exilium missus sit anno 404. Christi, die 20. Iunij, aut paulo ante, vt ex Socrate audiuimus, & inde ad diem 14. Septembris sint menses duo, & dies 24. detractis duobus mensibus, supersunt dies 24. consumpti in itinere vsque ad Cucusum, aut in alijs itineribus, ita vt tres anni, & duo menses spectent ad moram in exilio. Omnibus tamen modis hinc sequitur S. Ioannem Chrysostomum mortuum esse anno Christi 407. Quod confirmatur ex Socrate lib. 6. cap. 21. vbi ait obijsse Consulibus *Honorio VII. & Theodosio II.* Esto emendandus sit in die 14. Nouembris, & reponendum Septembris: libro autem 6. cap. 2. idem Socrates affirmat Io. Chrysostomum ordinatum fuisse Episcop. Constantinopoleos 26. Februarij, Consulibus *Honorio, & Euthychiano*, eosdemq; Consules notat Marcellinus in Chron. nempe anno Christi 398. & Indictione XI. quæ minimè cohærent cum authore Epitomes prædictæ, qui ordinatum supponit Decembri mense Indictione 4. sed falsò. Porrò à die 26. Februarij anni 398. ad diem 14. Septembris anni 407. sunt Episcopatus anni 9. menses 6. & dies 16. Vnde corrigendi Baronius, qui anno 407. numerat annos 9. menses 7. & dies 8. & Petauius supra, qui annos 9. menses 6. & dies 20. Quoad annos vitæ, in prædicta Epitome, quam quidã tribuunt Leoni Imperatori, dicitur vixisse annos 52. & menses 8. Sed si vera sunt reliqua, quæ ibi narrantur videretur vixisse plures annos quam 54. vt videre est in adiecto laterculo. Nihilominus conciliari hæc possunt commodè sumendo annos aliquos ex his incompletos: vt si Athenas iuit annum 18. paulo ante ingressus, & sic de alijs quibusdam ita, vt verificetur vixisse annos 52. & menses 8. vt communiter supponitur; quo supposito natus fuerit Sanctissimus hic vir anno Christi 335. Ianuarij die circiter 14. Vtinam tam facile conciliari possent opiniones de morte Eudoxiæ.

S. Ioannes Chrysostomus.	Anni
Proficiscitur Athenas annorum	18
Mansit ibi saltem annum	1
Babptizatur, & fit Lector, & post 3. annos Monachus	3
Cum Monachis viuit annos 4.	4
In spelunca solitarius annos 2.	2
Fit Diaconus, & post 5. annos Presbyter	5
Post 12. annos fit Episcopus Constantinopolitanæ Ecclesiæ	12
Manet Episcopus vsque ad mortem annos 9. menses 6. & dies 16.	9
Summa Annorum	54 ½
Sed terminis inclusis	52 ½

3 *Prima* enim opinio propugnata à Petauio lib. 11. cap. 46. est Eudoxiam mortuam esse eo ipso anno, quo S. Io. Chrysostomus secunda vice pulsus est in exilium tribus fere mensibus post, Consulibus *Honorio* VI. & *Aristæneto*, idest anno 404. Epochæ Christi: Quia sub his Consulibus S. Prosper in Chronico habet: *Euxodia vxor Arcadij diem clausit*, & sub ijsdem Marcellinus in Chronico: *Eudoxia vxor Arcadij diem obijt*. Et Socrates lib. 6. cum cap. 18. vltimam condemnationem S. Ioannis retulisset sub Consulatu *Honorij, & Aristæneti*, deinde cap. 20. inquit: *Quoniam verò & maximam grandinem Constantinopoli, & in Suburbijs illius demitti contigit, quod factum est eodem Consulatu tricesima die Septembris, dixerunt id per iram Dei, propter iniustam Ioannis depositionem contigisse, & huiusmodi rumorem mors Augustæ exaggerauit, nam quarto post delapsam grandinem die, vita, est defuncta*. Mox cap. 20. narrat mortem Arsacij Consulibus *Stilichone* iterum, & *Anthemio*, idest anno 405. Chronicon quoq; Alexandrinum sub Consulibus Honorio VI. & *Aristæneto* Indictione 2. refert feria 6. circa horam 8. ingentem grandinem decidisse, Et Euxodiam Augustam mortuam esse pridie Nonas Octobris feria 5. depositam verò 4. Idus Octobris feria 4. qui omnes Characteres conueniunt anno Christi 404. Cyclo Solis 21. & literæ Dominicali posteriore B, ideoq; dies 6. Octobris in feriam 5. & dies 12. in feriam 4. incidit & vltima Septembris in feriam 6. proinde non quatriduo post mortua est Eudoxia, sed ægrotauit mortaliter. Palladius autem in Dialogo de gestis S. Ioannis Chrysostomi nihil dicit de morte Eudoxiæ fortasse ne Imperatorem offenderet, sub quo vixit.

4 *Secunda* opinio est Baronij ad annum 404. & 407. Eudoxiam mortuam esse post S. Ioannem Chrysostomum: quia ita referunt Leo Augustus, & Metaphrastes in Encomio, & vita S. Ioannis Chrysostomi, itemq; Cedrenus, Zonaras parte 3. annal. & Nicephorus Callistus, inter quos Zonaras ait ante tertium mensem ab obitu S. Ioannis, Cedrenus autem in Compendio ait, Eudoxiam partui vicinam non potuisse eniti fœtum, & quarto die in hoc laboratum, donec Magicis literis vtero superpositis, eiecit fœtum iam extinctum, & putrefactum, & vtero absessum passo, ipsa statim animam miserrimè efflauit; Nicephorus denique lib. 13. cap. 36. de Sepulchro Eudoxiæ addit: *Vrnam, cui inclusa est, moueri cernere erat, Deo videlicet eum, qui per illam concitatus fuerat in Ecclesia motum, ostendente*.

5 Ego vt opinioni Baronij subscribam moueor. *Primo* auctoritate Breuiarij Romani iam initio numeri 2. adducta, vbi narrata morte S. Ioannis Chrisostomi additur. *Quo mortuo horribilis grando Constantinopoli cecidit, & quatriduo Augusta cessit è vita*. Quod procul dubio ex Actis sub Innocentio Papa in Vaticana Bibliotheca asseruatis, desumptum est. *Secundò* ex Literis Innocentij Papæ, quas cum Anathematis comminatione, audita morte S. Io. Chrysostom., scripsit ad Arcadium Imperatorem, recitantque illas Gennadius, Nicephorus, & Glicas in Annalibus, & ex Græco codice Vaticano Baronius ad annum 407. in quibus Summus Pontifex tam Arcadium, quàm Eudoxiam excommunicat. Initium literarum Apostolicarum est hoc, *Vox Sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra te ò Imperator*; Deinde ad Rem nostram: *Non enim Ecclesia tantum Constantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit, sed Orbis sub Sole totus ad orbitatem redactus est viro tam diuino amisso persuasione vnius mulieris fabulam hanc, & spectaculum exhibentis. Verùm excipiet & præsentem hoc pœnam non post multos dies ei aduenientem*: & paucis interiectis: *Noua autem Dalila Eudoxia, quæ paulatim te erroris, seductionis Nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, graue, & quod gestari nequeat peccatorum pondus colligans atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego, & reijcio te, & illam à perceptione Immaculatorum Mysteriorum Christi Dei nostri*. In Arcadij autem literis responsionis ad Innocentium, quas recitat Glicas scriptum legimus hoc: *Quod autem attinet ad Filiam tuam Eudoxiam: Scito me illi parum moderatè pro ratione delicti mercedem retulisse: quo sanè factum est, vt ex eo mœrore & angustia difficili grauissimaq; correpta ægritudine decumbat. Igitur quod superest enixè te obsecro, vt nos à segregatione liberes*. Idest ab excommunicatione absoluas. Ex his igitur manifestum est Eudoxiam superuixisse Chrysostomo.

Tertiò denique Leo Augustus in Encomio huius Sanctissimi Præsulis refert tribus mensibus ante mortem ipsius, apparuisse illi Sanctos illos duos Apostolos, qui olim eidem apparuerant Antiochiæ, videlicet *Petrum, & Ioannem, annunciantes ipsius excessum ad Deum, & Eudoxiæ fœtidam, & infamem mortem*. Non erat igitur mortua anno 404. Esto quia illo anno Deus iræ suæ ostentum illud ediderat, nempe incendium, quod ex throno S. Io. Chrysostomi erumpens, Ecclesiam, & Senatorum palatium exussit, eodem quoque anno reliqua signa irati numinis, videlicet grando, et mors horrenda Eudoxiæ, vel anticipatò, vel per errorem famæ simul ea vulgantis, Prosper, Marcellinus, Socrates, & Chronicon Alexandrinum ad eundem annum, quo incendium illud euenit retulerint. Miror autem Petauium non aduertisse ad hæc, quæ nos pro fundamento nostræ opinionis, imò & Baronianæ produximus. Quia verò antequam nuncium de morte S. Crhysostomi Romam peruenerit, & Innocentij literæ Roma Constantinopolim delatæ sint, transierunt amplius, quam duo menses, ideoq;

Zona-

Zonaras dixit Eudoxiam obijsse antequam compleretur tertius mensis ab obitu Sancti Chrysostomi, verba illa Breuiarij Romani sic intelligenda sunt, vt statim quidem à morte S. Chrysostomi horribilis grando ceciderit Constantinopoli, non tamen quatriduo, ab illo casu grandinis, aut à morte S. Antistis numerato excesserit Eudoxia e vita, sed quatriduo post conatum parturiendi; Nam Cedrenus ait per 4. dies in hoc laboratum. Itaq; quatriduo infirmitatis puerperij miserrimam efflauit animam.

CAPVT VII.

De S. Benedicti obitu.

CONCLVSIO VII.

De Anno 547.

1 FLoruisse S. Benedictum sub Iustino, & Iustiniano Imperatoribus, certum est ex 2. Dialogorum S. Gregorij, vbi etiam cap. 15. narrat Totilam Gothorum Regem, anno regni sui secundo adijsse S. Benedictum, et hunc illi prædixisse regnaturum adhuc annos nouem, decimoq; moriturum. Ex Procopio autem lib. 3. de bello Gothico colligitur, Totilam regnare cœpisse vel exeunte anno Christi 541. vt ponit Onuphrius Panuuinus in Comment. ad l. 3. Fastorum, et Petauius parte 1. Rationarij lib. 7. c. 5. vel ineunte anno 542. vt ponit Onuphrius idem in Chronico Ecclesiastico, et Baronius in Annalibus anno 542. qui proinde negat S. Benedictũ mortuum esse anno Christi 542. esto alias in Martyrologio ad diem 21. Martij suppositisset obijsse anno 542. sicut supponit Gordiani nomine incertus auctor in Actis Martyrij S. Placidi, et sociorum, et Leo Hostensis in Chronico Casinensi c. 1. et eundem annum elegit Sigonius l. 9. de Imp. Occid. ac Petauius parte 2. Rationarij lib. 4. c. 14. Quamuis Leo Hostiensis dicat ipsum potius obijsse anno sequenti nempe 543. et in hunc annum propendeat Baronius in Annalibus sub finem anni 542.

2 Sed alij Characteres incertum reddunt tam Annum 542. quam 543. Nam cum ex Martyrologio & Kalendario Romano pro certo habeatur S. Benedictum migrasse in in Cœlum die 21. Martij, idemque asserant Faustus discipulus S. Benedicti apud Sigebertum anno 509. & Aimoinus Monachus ex Actis S. Marci, item discipuli S. Benedicti, & Leo Hostiensis supra: Tamen Faustus, & Aimoinus addunt obijsse Sabbato Sancto, seu pridie Paschatis: Leo autem addit obijsse Indictione 2. Atqui anno 542 fuit Indictio quinta, & anno 543. indictio sexta. Præterea ex Canonibus lib. 2. c. 30. traditis, anno 542. Cyclus Solis fuit 19. Litera Dominicalis E, ideoq; die 22. non fuit Dominica, nedum Pascha, sed fuit Sabbathum. Anno autem 543. Cyclus Solis 20. & Litera D, ideoque dies Dominica incidit quidem in diem 22. Martij, sed Aureus numerus fuit 12. Epacta 9. Nouilunium ciuile aut Ecclesiasticum die 22. Martij, & Plenilunium die 5. Aprilis quæ ipsa dies fuit Dominica. Ergo si S. Benedictus obijt die 21. Martij, non pridie Paschatis, sed pridie Nouilunij Paschalis, & Sabbato ante Dominicam Passionis migrauit in Cœlum. Græci tamen in Menologio die 14. Martij notant obitum S. Benedicti, quo certum est non potuisse celebrari Pascha.

3 In hoc itaque dubio Scaliger in Prolegomenis ad librum de Emend. temporum pagina mihi 19. ait non potuisse toto illo seculo Pascha incidere in diem 22. Martij nisi anno 536. Christi, ideoq; in multis peccare Annales Ecclesiasticos, nempe Baronij, in quibus ait obitum S. Benedicti notari anno 542. at vtrumq; falsum est, nam in 22. Martij Pascha Latino more potuit cadere anno 547. Christi; vt infra docebo: & Baronius anno quidem 542. sub finem agit de obitu S. Benedicti, sed ibidem censet mortuum esse potius anno 543. Petauius autem parte 2. Rationarij l. 4. c. 14. vbi se in Cyclis Paschalibus Nicænis, & Latinis implicauit, concludit anno 542. non potuisse S. Benedictum obijsse pridie Paschatis, dieq; 21. Martij: hæc enim duo non potuisse coniungi nisi annis illius seculi 509. & 604. Methodo Nicæna; Methodo autem Latinorum, anno tantum 520. Anno autem 542. Pascha fuisse die 20. Aprilis, & ideo Sigonium l. 19. de Imp. Occid. elegisse diem 19. Aprilis pro obitu S. Benedicti. Denique ante hos Marianus Scotus, quia in Actis S. Marci viderat S. Benedicti obitũ notatum 13. Kal. Aprilis, & pridie Paschatis, quia id euenit anno 604. ideo S. Benedicti obitum enormi parachronismo distulit ad hunc annum, esto in exemplari mendosè habetur annos 603.

4 Mihi autem longè potior est authoritas Martyrologij Romani diem 21. Martij assignantis diei obitus S. Benedicti, quem & assignant discipuli, aut alumni S. Benedicti Faustus, S. Maurus, & Leo Hostiensis; ex altera verò parte multo facilius est irrepsisse errorem in scribendo anno Christi, aut Indictionis, quam in aserendo die pridie Paschatis; vnde enim nota hæc temporis tam insignis potuit fingi à discipulis ipsius? Igitur quod verisimilius est vtraq; nota retenta, reperio ex meis Canonibus lib. 1. cap. 30. traditis anno Christi 547. Cyclum Lunæ 16. Solis 24. Epactam 23. Plenilunium Paschale immò ipsummet Paschæ die 22. Martij die Dominica, seu Indictione 10. Hoc igitur anno potissimum obijsse S. Patriarcham Benedictum, non gratis, nec sine magno fundamento censeo.

CAPVT VIII.

De Regibus Franciæ.

1 CIrcumferuntur diuersi Catalogi Chronologici de temporibus Regum Franciæ concinnati ex veteri Chronico S. Dionysij per Vuilhelmum Mangium Monachum, à Petro Pithoeo edito, vel ex Paulo Æmylio, Roberto, Gaguino, Ioanne Tilio, Papirij Masonis Annalibus; Extat etiam de his Chronicon Io. Tilij editum Parisijs anno 1551. & Francisci Sansouini Venetijs anno 1580. libro 2. Chronologiæ; Item imagines Regum Franciæ cum eorum temporibus Gallicè, et Italicè consignatis, editæ à Bernardo Iuncta Venetijs anno 1590. et Arbor horum Regum, seu stemma per Ioannẽ Alphonsum Loschium constructum editumq; Bononiæ anno 1655. in Compendio Historico; Qui quidem Auctores non rarò, nec parum dissident, et pauci sunt, qui hæc dissidia examinarint, sicut quædam examinarunt Eminentissimus Baronius in Annalibus, et noster Dionysius Petauius lib. XI. de Doctrina Temporum c. 48. et in Rationario Temporum parte 1. à lib. 4. ad 9. et parte 2. lib. 4. Nos ex Scriptoribus suorum temporum, aut ex Characteribus aliquibus Chronologicis vel Astronomicis conabimur, Deo dante, quam correctissimum Catalogum exhibere discutiendo controuersias discussione dignas, omissis consulto fabulosis, aut minimè certis horum Regum originibus à Diluuio, vel à Troiæ excidio per aliquos repetitis.

2 *Pharamundum* Marcomiri Ducis Francorum Orientalium filium electum fuisse in primum Francorum Regem anno 26. Honorij, nempe Christi 420. aut 421. omnes cum Prospero in Chronico supponunt, sed pleriq; conspirant in annum 420. Deinde de *Clodione* Pharamundi filio, in eodem Chronico Prosperi ad annum V. Theodosij Iunioris, habetur: *Clodio regnat in Francia*: ergo anno Christi 428. ex dictis libro 4. c. 12. et 13. At ad annum Theodosij 25. idem Prosper notat: *Merouеus regnat in Francia*, Ergo anno Christi 448. exeunte, aut paulo ante inito 449. Demum Meroueo omnes concedunt annos 10. regni, *Childerico* autem eius filio, computatis prioribus 8. annis, quibus pro illo regnauit *Aegidius Patritius Romanus* Præfectus Suessionum, dant communiter antiqui Chronologi annos 26. solidos, ergo regnare *desijt* anno Christi 484. quo item cœpisse Clodoueum mox ostendemus.

3 *Clodoueum* primum Christianum Regem inter Franciæ Reges, regnasse annos 30. seu mortuum esse anno regni 30. constans est opinio ex Gregorij Turonensis, et Aimoini auctoritate; vixisse autem tempore Hormisdæ Papæ manifestum est ex Anastasio Bibliothecario in Hormisda, et Hincmaro Episcopo Rhemensi in vita S. Remigij apud

Surium

Surium 13. Ianuarij: qui narrat Clodoueum hunc, audita creatione Hormisdæ Papæ, statim suasu S. Remigij, S. Petro misisse coronam cum gemmis(quæ dici solet Regnum) & Hormisdam rescripsisse de hoc ad Remigium: At ex eodem Anastasio, & vero Catalogo Pontificum, de quo libro hoc cap.3. Hormisda creatus est Summus Pontifex anno Christi 514. die 26. Iulij, ergo sub finem ætatis huius anni viuebat adhuc Clodoueus, fallunturq; Petauius Sanctæ Marthani, Loschius, Bollandus, & quicunq; mortuum illum ponunt anno 511. & veriùs illius obitum consignant anno 514. Baronius nempe exeunte, aut ineunte 515. vt & Io. Tilius, Sansouinus, Iuncta, & alij multi: Addit autem Gregorius Turonensis lib. 2. de gestis Francor. cap. vlt. Clodoueum obijsse anno 112. ab obitu S. Martini, & obijsse die 27. Nouembris certum est ex anniuersarijs precibus, quæ Parisijs eo die quotannis, nunc quoq; temporum celebrantur pro Clodoueo in Cœnobio S. Genouefæ, vbi sepultus fuit; Nos autem hoc eodem libro cap. 5. ostendimus S. Martinũ probabilissimè obijsse anno Domini 401. vnde colligimus Turonensem loqui de annis 112. completis, ita vt anno 514. die 11. Nouembris completi sint anni 112. & die 27. iam currerent 113. subtractis itaq; annis 30. restat annus 484. pro initio Clodouei, siue annus 485. iniens. At Petauius partim lib. 11. de doctr. temp. cap. 48. partim in Rationario par. 1. l. 7. cap. 2. & parte 11. lib. 4. cap. 14. contendit Clodoueum incœpisse anno 482. obijsse anno 511. Nam in II. Tomo Conciliorum Tertia Synodus Aurelianensis in subscriptionibus notatur sic. *Die Nonarum mensis tertij, quarto Paulino iuniore viro Clarissimo Consule, anno Domini Childeberti Regni XXVI.* Paulinus autem Iunior, ex constitutis à nobis lib. 4. cap. 5. fuit Consul anno Christi 534. ergo quartus annus post hunc fuit 538. dẽptis ergo annis XXVI. vel vt legit Petauius XXVII. restat annus primus Childeberti, nempe Christi 512. vel 511. idemq; pro fine Clodouei. Rursus Synodus Quinta Aurelianensis inscribitur, & subscribitur celebrata 5. *Cal. Nouembris anno 38. Regni Childeberti Regis Indictione* 13. quæ indictio inijt anno Domini 549. Pontificio more à 25. Decembris, & durauit toto ferè anno 550. quibus si demas annos 38. vel minimum 37. solidos, restat initium Childerici, & finis Clodouei annus Christi 512. aut 513. Respondemus nimis perplexa esse tempora in his, & alijs Concilijs Gallicanis notata, vt fatetur qui Notas adiecit ante Concilium Aurelianense secundum in Tomo II. Venetijs impresso anno 1585. pagina mihi 550. nec aliter conciliari posse credo, quàm aut admittendo errorem, seu mendum in notis numeralibus, aut dicendo annos Childeberti numerari ibi non à morte Clodouei, sed à creatione facta vno alterove anno ante mortem Clodouei, constat enim non semel Reges Franciæ viuentes adhuc creasse suos successores, & interim collegas regni filios suos.

4 *Childebertum* regnasse annos 48. post patrem habemus ex Aimoino lib. 2. cap. 20. & Papyrio Massone, qui depromunt Tabulam donationis factæ Ecclesiæ S. Vincentij Martyris à Childeberto, in cuius fine dicitur: *Datum quod fecit mense Decembri die sexto anno quadragesimo octauo, postquam Childebertus Rex regnare cœpit.* Et quidem in ea donatione fit mentio ligni S. Crucis, quod paulo ante S. Germanus ex Oriente retulerat, ergo anno Domini 461. die 27. Nouembris, quà diximus obijsse Clodoueum, completi sunt anni 47. Childeberti, & die 6. Decembris currebat iam annus 48. Malè igitur Io. Tilius, Sansouinus, Iuncta dant illi annos regni tantũ 45. aut 46. ponuntq; mortuum anno 559. aut 560. cum superuixerit post illam donationem aliquot saltem hebdomadas, & obierit inito iam anno 462. vt rectè quoad hoc Baronius. Refert autem Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 21. *Clotarium* fratrem Childeberti sine liberis defuncti, obijsse Compendij anno 51. quo à morte patris Clodouei cœperat regnare Suessionis, ergo obijt anno 565. qui consurgit additis 51. ad 514. de quibus supra, quem annum habent Tilius quoq; Sansouinus, & vetus Chronicon ex quo Iuncta; nec nisi magno errore Loschius ponit annum 562.

5 *Charibertum*, seu *Cherebertum* Clotarij filium regnasse annos 8. et prædictiones de illius morte colligit. Baronius ex Gregorio Turonensi l. 1. c. 29. et l. 4. c. 26. adeoq; illius mortem ponit anno 572. *Chilpericum* porrò occisum fuisse anno 587. et modum occisionis colligit ex eodem Turonensi lib. 8. c. 5. *Clotharium* verò II. infantem adhuc cœpisse, et regnasse annos 44. deducit ex Aimoino lib. 4. c. 16. ideoq; obijsse anno anno 631. At ex eodem scriptore lib. 4. cap. 33. *Dagobertum* filium Clotarij regnasse annos 16. & obijsse die 19. Ianuarij, videlicet anno 647. putat. Ex Appendice autem ad Greg. Turonensem, & ex Vrsino in vita S. Leodegarij apud Surium 2. Octobris colligit *Clodoueum II.* filium Dagoberti regnasse annos 18. eiq; successisse filiũ *Clotharium III.* regnasseq; annos 4. & *Childericum II.* fratrem Clotarij III. electum fuisse à Francis, sed occisum anno 3. regni à Bobilone, seu Bodillo, & substitutum *Theodoricum* eius fratrem ex vita S. Eligij, & ex Aimoino lib. 4. cap. 44. deriuat; Sed quia anni regnorum potuere esse non completi, sed solùm inchoati dubitari potest de prædictis initijs. Vt certioribus fundamentis innitamur, notandum est cum Petauio S. Audoenum in vita S. Eligij l. 2. c. 12. apud Surium d. 1. Decemb. & ex vita ipsius S. Audoeni c. 14. die 24. Augusti asserere, se eadem die, qua S. Eligium, factum esse Episcopũ, eamq; fuisse diem 14. Maij, & Dominicam ante Litanias maiores. Annumq; 3. Clodouei filij Dagoberti. At ex regulis lib. 1. c. 30. traditis; Annus ille fuit Christi 646. Cyclo Lunæ 12. Solis 11. Litera Dom. A. Pascha 9. Aprilis, Ascensio Maij 18. & Dominica antecedens 14. Maij: ergo Clodoueus cœpit, et Dagobertus desijt regnare anno 644. Ianuarij 19. de qua die testatur Aimoinus lib. 4. cap. 33. attigerit autem Dagobertus annos 16. sed non implerit, sic enim *Clotharius* eius pater obierit anno 629. regnaritq; 43. completos, & attigerit de 44. sic enim cœperit anno 586. quo occisus est *Chilpericus*.

6 *Clodoueus* II. compleuit annos 16. regni, & inchoauit 17. vt refert Iuo Carnotensis, & Aimoinus lib. 4. c. 41. ergo decessit anno 660. quo ipso iniuit filius eius. *Clotarius* III. qui ex Appendice ad Thuronensem regnauit annos 4. decessit anno 664. Quando autem occisus fuerit eiq; successerit *Theodoricus* frater valdè controuersum est. Petauius censet id euenisse anno 657. eo quòd Rothomagensis Synodus teste Angrado in vita S. Ansberti; & in Tomo 1. Concilior. Gall. pag. 509. dicatur celebrata Anno Domini 682. Indictione 10. Theodorici Regis anno 16. labente, ideoq; primus incœpisse videtur anno 667.

Verùm in vita S. Ansberti per Angradum scripta, vt est penes Surium ad diem 9. Februarij, in impressione Colonensi anno 570 ego ita lego: *Facta est autem hæc priuilegij auctoritas sub Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, qui erat annus præfati glorioſi Regis Theodorici tertius decimus, & præfati venerandi præsulis pontificatus annus quintus, in Synodo generali Rothomago vrbe habita*: & eodem modo legit Baronius in suis exemplaribus, quibus potiùs standum censeo, quàm illi qui notas numerales, ex aliena opinione apposuit Concilio Rothomagensi; & pro anno XIII. Theodorici scripsit XVI. Initium Theodorici statuo ad annum 670. quando reuocatus est in regnum ac restitutus; sciendum enim est ex Aimoino, Appendiceq; ad Turonensem, & antiquioribus historicis, *Clotario* II. successisse non *Childericum* maiorem natu filium, sed *Theodoricum* natu minorem Clodouei idq; astu, ac vi Ebroini Magistri equitum, sed *Theodoricum* ob sua scelera præcipuèq; incontinentiam expulsum tandem fuisse, & accersitum *Childericum* eius fratrem, qui regnabat in Austrasia, & hunc tandem à Bodillo, seu Bobillone in venatione occisum idque anno 3. regni sui, vt ex Aimoino, et vita S. Eligij habetur, et statim reuocatum esse ad regnum *Theodoricum*. Idcirco bis illum regnasse statuimus, semel anno 665. ineunte, regnasseque vsque ad annum 667. quo pulsus est. Aliter enim non dissoluemus hunc nodum Chronologicum, nisi aliquorum annorum interregnum fingamus.

7 Sed non minor est controuersia de annis, quibus postea regnauit *Theodoricus*, cùm illi annos 14. tribuant Gregorius Turonensis, siue Appendix ad ipsum, et Fredegarus c. 101. annos autem 18. Iuo Carnotensis, annos verò 19. Aimoinus l. 4. c. 44. et Gesta Francorum l. 2. c. 49. esto aliqui legant in Aimoino 21. eius tamen successori *Clodoueo* III. annos regni 4. et Clodouei huius successori fratri *Childeberto* II. annos 17. solidos regni assignat eius temporis scriptor apud Aimoinum lib. 4. cap. 49 Inuestigemus iam Childeberti huius annos. De hoc autem in fine Chronici veteris Eusebiani, quod penes Bongarsium fuit, vt habet

Sca-

Scaliger in Animadu. Eusebianis pag. 276. habentur hæc verba. *Anno quinto Childeberti Regis Francorum, Pipino iubente* (ideſt adminiſtrante vt Maiore Domus) *fuit Paſcha X. Kal. Aprilis; Aſcenſio Kal. Maij.* Hic annus fuit 699. Chryſti, Cyclo Lunæ 8. Solis item 8. Littera Dominicalis E; ideoq; Paſcha 23. Martij, et Aſcenſio prima Maij. Quare annus primus *Childeberti* huius fuit 694. vt rectè computat Petauius et Loſchius, et ex dictis ſupra, *Clodouei* anteceſſoris annus primus cadit in Chriſti 690. additis autem annis 17. ſolidis anno 694. cadit finis *Childeberti* in annum 711. quo *Dagobertus* II. inijt. Hinc patet erraſse non paucos. qui non vnico ſed pluribus annis horum initia promouerunt; vt cernere eſt in adiecto laterculo.

	Initium Regni in Annis Chriſti.			
	Tilius, Sanſouinus, & Iuncta.	Baronius	Petauius, & Loſchius.	Nos
Theodorici reſtitutio	680	671	667	670
Clodoueus III.	694	689	690	690
Childebertus II.	698	692	694	694
Dagobertus II.	716	709	711	

8 Reliquorum Regum initia vſque ad Pipinum quaſi interregno diſpeſcimus, quo *Carolus Martellus* Princeps Francorum, non Rex, adminiſtrauit Regnum annis 5. donec electus fuit *Theodoricus Cala* filius Dagoberti II. quem Iunio menſe anni 741. obijſſe Annales Francorum tradunt, ſuccedente *Childerico Stupido*, eumq; expulſum regno, & in Monnſterium incluſum vitam Monaſticam profeſſum eſſe anno 750. deſinente in illo familia Regia Merouingorum, annoq; ſequenti 751. electum fuiſſe fauore Romani Pontificis & procerum Francorum, *Pipinum* Caroli Martelli filium, & anno 752. vnctum à S. Bonifacio Sueſſione in Regem conſtat ex Epiſtolis Zachariæ Papæ ad Bonifacium, & ex *Aimoino*, *Chronico vetere à Pitheo edito*, & *Paulo Aemylio*, in quo tamen pro anno 701. reponendus annus 751. Mortuus eſt autem Pariſijs anno 768. (ſiue 8. Idus Auguſti, vt habet Reginonis Chronicum, ſiue 8. Idus Octobris, vt Aimoinus l. 4. c. 67. Chronicon vetus Pithoei, & Io. Tilij) Nam Stephanus Papa IV. creatus anno 768. die 5. Auguſti ſtatim miſit Sergium Legatum ſuum ad Pipinium, ſed Sergius reperit Pipinum iam mortuum: Qui autem diſtulere mortem eius ad 8. Idus Octobris, reſpexere ad coronationem Caroli eius filij die ſequenti factam, ſed Nouiomi: at illa multis diebus facta eſt poſt mortem Pipini; Certum interim eſt *Caroli Magni* annos computari à 7. Idus Octobris, quando coronatus eſt, vt rectè Baronius, & hinc orta familia Regia Carolinorum.

9 *Carolum Magnum* obijſſe Aquiſgrani poſt morbum dierum 7. anno 814. V. Kal. Febr. cum ageret annum vitæ 72. & regni 47. conſtat ex Epitaphio eius, & Eginhardo in vita Caroli M. eique ſtatim ſucceſſiſſe *Ludouicum* filium cognomento, & factis *Pium*, quem obijſſe annorum 64. die 20. Iunij anno Domini 840. tradit in vita eius Nithardus ipſius domeſticus, & confirmatur ex Solis Eclipſi die 3. Litaniæ maioris, quam illo anno præceſſiſſe dicit hora diei 9. Eam enim Aſtronomia repræſentat anno 840. quo 6. die Maij fuit vigilia Aſcenſionis. Eius ſucceſſor *Carolus Caluus* interemptus eſt Mantuæ veneno propinato à Sedechia medico anno 877. pridie nonas Octobris iuxta Aimoinum l. 5. c. 55. eſto aliqui ſcribant anno 878. prid. Idus Octobris, ſuccedente *Ludouico Balbo*, qui biennio poſt obijt Compendij Idibus Aprilis, cui ſucceſſere ſimul nothi filij *Ludouicus* III. qui obijt anno 882. & *Carolomanus*, qui obijt anno 885. ex Aimoino l. 5. c. 45. qui licet reliquerit hæredem regni Ludouicum dictum *Nihilum*, ſeu *Inertem*, tamen electus fuit in regem *Carolus II. Craſſus* filius Ludouici Regis Germaniæ, qui obijt anno 888. d. 12. Ianuarij. Interea pro *Carolo* III. Simplici filio Ludouici Balbi Regis Tutor, & tanquam Rex fuit *Odo Andegauenſis*, ſed Franci anno 892. electo Odone permiſſoque regnare in Aquitania tantùm, aſſumpſerunt in Regem *Carolum Simplicem* iam duodenem, quem eodem anno inunxit Fulco Epiſcopus Rhemenſis, vt habemus in Reginone, ac Io. Tilio. Eſto Sigebertus id referat ad annum 894. Tandem poſt multas contentiones inter pupillum, & tutorem anno 900. Odo animam agens, iubet pupillo regnum reſtitui, ex quo tempore, velut de nouo regnauit *Carolus Simplex*.

10 Odone defuncto *Robertus Odonis* frater regni æmulus, imò iam coronatus ab Herueo Epiſc. Rhem. in acie victus eſt, & occiſus à *Carolo Simplici*, qui tamen coactus eſt aſsumere ad regnum *Rodulphum* filium Ricardi Burgondionis, quem Frodoardus narrat inunctum eſſe & coronatum anno 923. d. 13. Iulij Mortuum verò *Carolum Simplicem* Peronæ anno 926. tradunt Annales Franciæ. Porrò anno 919. *Ludouicus IV.* filius Caroli Simplicis, ideo dictus *Tranſmarinus*, quia Patris infortuniorum pertæſus profugerat cum matre Oginia ad Angliæ regem auunculum, inuitatus à proceribus regni, & Epiſcopis, Lauduni coronatus eſt atque vnctus 5. Kal. Iulij, vt ex Frodoardo, & Epiſtolis Iuonis Carnotenſis deducimus, ſed inter eum, & Rodulphum fuere ſemper controuerſiæ de regno, donec Rodulphus anno 936. vt habet idem Frodoardus, deceſſit Antiſiodori die 15. Maij; ita conciliantur, qui cum Chronico S. Dionyſij, Sigeberto, & Phrygione dicunt Rodulphum poſt mortem Caroli Simplicis regnaſſe annos 2. ſolidos & menſes aliquot videlicet ſine competitore, & qui cum P. Æmylio, Gaguino, Tilio, & alijs dicunt regnaſse annos pluſquam 12. videlicet ex quo aſsumptus eſt in regnum vſq; ad ſui obitum. Pergit Frodoardus, & obitum Ludouici IV. ſignat anno 954. eiuſq; ſucceſsorem filium *Lotharium* coronatum 13. Nouembris.

11 Lotharium obijſse anno Domini 986. relicto ſucceſſore Ludouico V. teſtatur Odorannus eius tẽporis ſcriptor apud Baronium, qui ex Epiſtola Emmæ vxoris Lotharij ad matrem ſuam Adelhaidem Imperatricem relata à Papyrio Maſsone oſtendit obijſse Lotharium die 2. Martij. Pergit Odorannus dicendo *Anno nongenteſimo, octogeſimo ſeptimo obijt Ludouicus Rex iuuenis*; Idemq; habet Glaber Monachus contemporaneus. Tunc frater Lotharij Carolus repudiatus eſt vtpote nimis addictus Germanis, & electus *Hugo Capetus* Pariſiorum Comes, Nouioduni ſalutatus, & mox Rhemis vnctus, & coronatus. Etſi verò viſa ſit deficere linea Carolina in *Ludouico* V. reuera tamen *Hugo* ex ſtipite Caroli Magni per lineam tranſuerſalem deſcendit, vt eruditè oſtendit Baronius ad annum 987. obijſse autem Hugonem anno 997. media eſt opinio inter extremas de anno 996. & 998. et ſucceſſiſſe illi *Robertum* filium. De cuius mortis tempore certi ſumus, ex Glabro, Helgaldo, et Hincmaro aſserentibus mortuum eſse Meloduni anno 1032. quo præceſserat Eclipſis Solis die 29. Iunij ipſo Natali SS. Apoſtolorum Petri, et Pauli. Hanc enim exhibent eo die Tabulæ Aſtronomicæ anno 1033. Addit Helgaldus obijſse 13. Kal. Auguſti. Eclipſis autem notata à Sigeberto anno 1032. fuit die 22. Decembris. Corrigendi ergo ſunt, qui eius mortem, et *Henrici* filij ſucceſſionem anno 1030. vel 1031. aut 1032. poſuerunt, ex eo forte decepti, quod Robertus adhuc viuens Henricum Rhemis coronandum curauerat.

12 *Henricus* ante mortem, *Philippum* filium coronari, et conſecrari voluit, anno 1059. vt habent Acta Eccleſiæ Rhemenſis apud Papyrium Maſsonem in Annalibus ſic: *Anno milleſimo ſexageſimo Indictione XII. Henrico regnante trigeſimo ſecundo, & quarto Kal. Iunij in die Pentecoſtes Philippus Rex ab Archiepiſcopo Rhemenſi conſecratus eſt*; Indictio autem 12. et concurſus Pentecoſtes in 29. Maij oſtendunt annum 1059. Chriſti, eſto Henricus obieritanno 1060. vt habetur ex Appendice Aimoini, fragmentis Glabri, Sigeberto, et Hermanno Contracto; Porro Philippum deceſsiſse Mileduni Iunij 29. et *Ludouicum Craßum* eius

filium

filium consecratum Aureliani 3. Augusti anno 1106. non vt quidam 1109. patet ex Appendice ad Aimoinum lib. 5. c. 49. et Gestis Francorum. At ex Sugerio Abbate S. Dionysij in vita Ludouici Crassi constat *Ludouicum* VII. seu Iuniorem Crassi filium anno 1131. Octob. 25. ab Innocentio II. Papa in Concilio Rhemensi consecratum esse, et coronatum Regem viuente, ac volente patre, ipsum verò Ludouicum Craisum obijsse anno 1136. kal. Augusti annorum 60.

13 Ex Rogero, et Io. Tilio patet *Philippum Augustũ* Ludouici Iunioris filium viuo, et volente patre consecratum Rhemis anno 1179. Kal. Nouembris, et *Ludouicum* obijsse Parisijs anno 1180. die 29. Septembris, et *Philippum* obijsse ex quartana febre Medunte die 14. Iulij diluculo annor. 59. anno 1223. Quo anno *Ludouicum VIII.* Philippi Augusti filium coronatum fuisse Rhemis die 6. Augusti colligitur ex Epistola Honorij Papæ III. data ad hunc Regem 8. Kal. Nouembris, de qua Baronius Demum *Ludouicum VIII.* excessisse anno 1226. d. 7. Nouembris, eique successisse S. LVDOVICVM IX. filium, eumq; consecratum esse 1. Dominica Aduentus Rhemis ab Episcopo Suessionensi cum esset duodennis, ac tandem sanctissimè obijsse anno 1270. d. 25. Augusti, cum annum ageret 57. liquet ex lib. 3. Annalium Papyrij Masonis, ex Gaguino, et Auctoribus vitæ S. Ludouici. A quo deinceps tempora vix controuersa esse possunt legenti Historicos, et Chronologos sui quosq; temporis cum delectu, ex quibus reliqua ad Catalogum horum Regum complendum hausimus.

CATALOGVS REGVM FRANCIAE
In Annis Christi vulgaribus ex Libro IX. Capite VIII.

Nomina, & Cognomina Regum.	Initium Regni An. M. D.		Finis Regni An. M. D.	Regnauit A. N. D.
PHARAMVNDVS filius Marcomiri Ducis Francorum electus in Regem.	420	obijt	428	8 circiter
Clodio, seu Chlogio Comatus Phar. filius.	428	obijt	448	20 ferè
Meroueus Clodionis affinis vnde Merouinga familia Regia.	448	obijt	458	10 circiter
Childerieus Merouei filius, pro quo annis primis 8. regnauit Patritius Romanus.	458	obijt	484	26
Clodoueus Childerici filius.	484	obijt	514 Nou. 27.	30
Childebertus Clodouei filius solus.	514 Nou. 27.	obijt	562. ineunte	48
Clotarius frater Childeberti solus.	562	obijt	565	3 circiter
Cherebertus Clotarij filius.	565	obijt	572	8
Chilpericus frater Chereberti.	572	occisus	586	14 ferè
Clotarius II. Chilperici filius.	586	obijt	629	43 circiter
Dagobertus Clotarij II. filius.	629	obijt	644 Ian. 19.	16 ferè
Clodoueus II. Dagoberti filius.	644 Ian. 19.	obijt	660	16 & plus
Clotarius III. Clodouei II. filius.	660	obijt	664	4
Theodoricus frater Clotarij.	665	pulsus	667	2 & plus
Childericus II. frater Clotarij III.	667	occisus	670	3
Theodoricus frater Childerici II. restitutus.	670	obijt	690	20 ferè
Clodoueus III. Theodorici fil.	690	obijt	694	4
Childebertus II. frater Clodouei III.	694	obijt	711	17 & plus
Dagobertus II. Childeberti II. filius.	711	obijt	717	6
Clotarius IV. tyrannus nec vt Rex habitus.	714			
Chilpericus II. Daniel filius Childeb. II.	717	obijt	722	5
Carolus Martellus Princeps tantum.	722	desijt	727	5
		obijt	741 Oct. 24.	
Theodoricus II. Cala Dagoberti II. filius.	727	obijt	741 Iunio.	14
Childericus IV. Stupidus Theod. II. frater & vltimus Merouingorum.	741 Iunio	pulsus	750	9
Pipirius Breuis, antea Maiordomus nunc. Princeps, & anno sequenti vnctus Rex.	751	obijt	768 Aug. 6.	17 6 6
CAROLVS Magnus, Pipirij filius vixit annos 72.	752		alijs Oct. 8.	
Ludouicus Pius Caroli Magni filius vixit annos 64.	768 Octob. 9.	obijt	814 Ian. 28.	45 3 20
Carolus II. Caluus Ludouici filius.	814 Ian. 28.	obijt	840 Iunij 20.	26 4 24
Ludouicus II. Balbus.	840 Iun. 20.	obijt	877 Octob. 6.	37 3 16
Ludouicus III. & Carolomanus, Nothi Balbi, quorum Ludouicus cœpit	877 Octob. 6.	obijt	879 April. 13.	21 6 7
Carolomanus minor.	879 Apr. 13.	obijt	882	
Carolus III. Crassus fil. Ludouici Germaniæ Regis.	884	obijt abdicat obijt	884 887 Nou. 11. 888 Ian. 12.	3
Odo Andegauensis, tutor Caroli Simplicis filij Ludouici Balbi, & tanquam Rex habitus vsq; ad mortem.	888 Ian. 12.	electus obijt	892 900	5 3
Carolus IV. Simplex duodennis inunctus.	892	obijt	926	34
Rodulphus Burgundio Ricardi filius viuo adhuc Carolo Simplici assumptus.	923 Iulij 13.	obijt	936 Maij 15.	12 10 10
Ludouicus IV. Transmarinus Caroli Simp. filius inuitatus, & vnctus viuo Rodulph.	929 Iun. 28.	obijt	954 Nouemb.	25 4 &c.
Lotarius Ludouici IV. fil. Coronatus.	954 Nou. 13.	obijt	986 Mart. 2.	31 3 19
Ludouicus V. Lotharij filius.	986 Mart. 2.	obijt	987 Mart.	1 ferè
Hugo Capetus Parisij Comes.	987 Martio.	obijt	998	10 circiter
Robertus Hugonis filius solus.	998	obijt	1033 Iul. 20.	36 circiter
Henricus Rob. fil. antea coronatus.	1033 Iul. 20.	obijt	1060 exeunte	27 & plus
Philippus Henrici fil. viuo patre vnctus.	1059 Maij 29.	obijt	1106 Iul. 29.	42 2
Ludouicus VI. Crassus Phil. fil. vnctus vixit annos 60.	1106 Aug. 3.	obijt	1136 Aug. 1.	30
Ludouicus VII. Iunior Crassi fil. vnctus.	1131 Oct. 25.	obijt	1180 Sep. 29.	44 2

Phi-

	Initium Regni An. M. D.		Finis Regni An. M. D.	Regnauit A. M. D.
Philippus II. Augustus Lud. VII. filius viuo patre consecratus	1179 Nou. 1.	obijt	1223 Iul. 12.	43 7 13
Ludouicus VIII. Phil. Aug. fil. consecratus, et postea dictus *Leo.*	1223 Aug. 6.	obijt	1226 Nou. 7.	3 3 0
S. LVDOVICVS IX. Ludouici VIII. fil. vix. an. 57. coronat. est.	1226 Nou. 29.	obijt	1270 Aug. 25.	43 8 26
Philipp. III. dictus Audax, licet placidis moribus S. Ludou. filius.	1270 Aug. 25.	obijt	1284 Nou. 8.	14 2 14
vnctus.	1271 Aug. 30.			
Philippus IV. Pulcher Philippi III. fil.	1284 Nou. 8.	obijt	1314 Nou. 29.	29 0 21
Rhemis vnctus.	1285 Ian. 6.			
Ludouicus X. Hutinus Tumultuosus Philippi Pulchri fil. vnctus est Rhemis die Dominica Inuent. S. Steph.	1314 Nou. 29.	obijt	1316 Iun. 5.	1 6 6
Philippus V. Longus frater Ludouici X.	1316 Iun. 5.	obijt	1322 Ianu. 6.	5 6 0
Carolus IV. Pulcher, frater Philippi Longi.	1322 Ian. 6	obijt	1328 Febr. 1.	5 1 0
Vnctus Rhemis.	1322 Febr. 21.			
Philippus VI. Valesius, nepos Philippi	1328 Febr. 1.	obijt	1350 Aug. 28.	23 5 28
Pulchri, vnctus Rhemis die S. Trinit. cognomento Cathol.	1328			
Ioannes Philippi Valesij filius.	1350 Aug. 28.	obijt	1364 Mart. 27.	13 6 0
Consecratur Rhemis.	1350 Sept. 25.			
Carolus V. Sapiens Ioannis fil.	1364 Mart. 27	obijt	1380 Sept. 16.	16 5 20
Rhemis cum Ioanna Borbonia Regina consecratus.	1364 Maij 19.			
Carolus VI. Caroli Sapientis filius cognom. Beneamatus.	1380 Sept. 16.	obijt	1422 Nou. 1.	42 1 15
Consecratur.	1380 Nou. 4.		vel 21. Octob.	42 1 5
Carolus VII. Caroli VI. filius, Victor.	1422 Nou. 1.	obijt	1461 Iul. 22.	38 8 23
Ludouicus XI. Caroli VII. filius.	1461 Iul. 22.	obijt	1483 Aug. 30.	23 1 6
vixit an. 61. Vnctus Rhemis.	1461 Aug. 15.			
Carolus VIII. Ludouici XI. filius.	1483 Aug. 30.	obijt	1498 April. 7.	14 7 8
vixit an. 27. annorum fere 14. consecratus.	1485 Iunio.			
Ludouicus XII. Dux Aurelian. et Vales. Vnctus Rhemis.	1498 Apr. 7.	obijt	1515 Ianuar. 1.	16 8 24
Franciscus Valesius gener Ludou. XII.	1515 Ianuar. 1.	obijt	1547 Mart. 31.	32 3 0
vixit ann. 52. ½. Rhemis vnctus.	1515 Ianu. 25.			
Henricus II. Valesius Francisci fil.	1547 Mart. 31.	obijt	1559 Iul. 12.	12 3 12
Vixit annos 40 ¼. Rhemis vnctus.	1547 Iuli. 26.			
Franciscus II. Henrici II. filius, vixit annos 18. non totos.	1559 Iuli. 12.	obijt	1560	1 6 23
Carolus IX. Francisci II. frater, vixit annos 24.	1560.	obijt	1574 Maij 30.	13 5 0
Henricus III. Caroli IX. frater.	1574 Maij 30.	occisus	1589 Augu. 1.	15 2 2
Vixit annos 34. Rhemis vnctus.	1575 Febr. 15.			
Henricus IV. Borbonius Magnus, filius Antonij Regis Nauarræ, successor declaratus ab Henrico III.	1589 Augu. 1.	occisus	1610 Maij 14.	20 7 13
Consecratus tamen et benedictus Carnuti, vixit ann. 57.	1594 Martio.			16 3 cir.
Ludouicus XIII. Iustus Henrici IV. filius, vixit annos 42.	1610 Maij 14.			
Rhemis vnctus.	1610 Octob.	obijt	1653 Maij 17.	
Ludouicus XIV. Ludouici XIII. filius natus anno 1638. Sept. 5.	1643 Maij 17.		alijs Maij 10.	
Coronatus Rhemis anno 1654. Iunio.				

CAPVT IX.

De Regibus Hispaniæ.

1 SCripsere de his inter cæteros S. Isidorus in Chronico, Isidorus Pacensis, Rodericus Sanctius Episc. Palentinæ, Rodericus Ximenius Archiep. Toletanus, Alphonsus à Carthagena Episc. Burgensis, Lucas Tudensis Diaconus, Florianus Ocampius, Io. Vasæus, Franciscus Tarapha Barcinonensis, Ambrosius Morales, Io. Mariana, Alphonsus Villadiegus Asturicensis, Cæsar Campana in Arboribus Regiarum familiarum Hispaniæ, Io. Pintus Riberus Lusitanus in Anatomia Regum Hispaniæ, Franciscus Sansouinus lib. 2. Chronici, Io. Nicolaus Dolionus in fine compendij Historici, Alphonsus Loschius in compendijs Historicis à pag. 43. Martinus Zeillerus in Itinerario Hispaniæ; inter quos tamen non pauca est dissensio in annis horum Regum. Nos ex his, & Annalibus selectis, post præmissas aliquas dissertationes de celebrioribus in hoc controuersijs, quod verius videbitur eligentes, Catalogum Regum Hispaniæ pertexemus.

2 Quod spectat ad priscos Reges Dominatores in Hispania, tempora minus explorata sunt, si quis tamen Berosо, eiusq; Sectatoribus auscultare velit, ecce illi in adiecto laterculo annos post Diluuium Noeticum, quibus dominari cœperunt in Hispaniæ Regionibus, & quibus in eo dominatu perdurarunt: Post quos Pœni, ac deinde Romani varia fortuna in Hispania dominati sunt, vsque ad Annum ab Vrbe condita 608. quo Viriatus Venator Lusitanus, mox latro, & deinde Dux per annos 14. magnas de Romanis strages edidit, donec suorum insidijs interfectus est; Romanique per Proconsules, ac Prætores Hispaniam rexere, non sine bellis contra rebelles. Anno verò Vrbis 673. Q. Sertorius Marianarum partium Syllam fugiens in Hispaniam, lustratisq; Balearibus, inde in Africam, hinc ad Fortunatas Insulas, & illinc iterum in Hispaniam reuersus, à Lusitanis factus Imperator, totam contra Romanos Hispaniam armauit pluresque vicit, ac fudit per annos decem; post quos anno Vrbis 683. Metelli Proconsulis suasu à M. Perpenna, alijsq; coniuratis occisus est in conuiuio. Ex eo tempore Hispaniæ regimen tenuere Romani Consules, Proconsules, Prætores, & deinde Imperatores; do-

Reges, aut Dominatores Hispaniæ.	Anni post Diluu.	Anni Regni.
Thubal filius Iapheti.	143	155
Iberus filius Thubal.	299	37
Idubeda filius Iberi.	336	64
Brigus filius Idubedæ.	400	52
Tagus filius Brigi.	452	30
Baetus filius Tagi.	482	31
Geryon ex Libia occupat Regnum.	514	25
Geryones tres tanta concordia, vt Geryonis tricorporis fabulæ occasionem dederint, quos vicit Hercules Aegyptius.	539	51
Hispal fil. Herculis à patre relictus Rex in Hispania	590	17
Hispan, seu *Hispanus* filius Hispalis.	607	32
Hercules post mortem nepotis reuersus ex Italia, regnauit in Hispania, sepultusq; est Gadibus.	639	19
Hesperus vnus ex Ducibus Herculis.	658	11
Atlas Italus, pulso Hespero.	669	11
Orus, siue *Sicorus* ab Atlante patre ibi relictus.	680	45
Sicanus filius Sicori.	727	31
Siceleus filius Sicani.	758	44
Lusus filius Sicelei.	802	30
Vlus, seu *Siculus* filius Lusi.	832	61
Testa Lybicus regnum occupat.	893	74
Romus filius Testæ Lybici.	967	33
Palatuus succedit Romo.	1001	70
Erythrus succedit Palatuo.	1071	68
Gargoris Mellicola filius Erythri.	1139	77
Habis Gargoris nepos ex stupro filiæ.	1216	
Post Habidem, & filios; Celtæ &	1350	
Rhodienses veniunt in Hispaniam,	1370	
& Phœnices,	1500	
& Carthaginenses.	1650	
Arganthonius Rex Gadium, vixitq; annos 140.	1691	80

nec ſub initium Imperij Honorij, ac Theodoſij ex fratre nepotis, Vãdali, Alani, & Sueui, poſt vexatas triennio Gallias, Hiſpaniam inuaſerunt. Alani Rege *Athace* occuparũt Luſitaniam, ac Celtiberiã donec à Romanis, & *Vualia* Gothorũ Rege victi, partim Sueuis, partim Vandalis ſe iunxerunt. Vandali Silingi ſub *Gunderico* Rege Baeticam occuparunt; reliqui Vandali cum Sueuis inuaſerunt Galleciam ſub ſuo Rege *Hermerico*; At Vandali Gothorũ metu poſt annos 19. relicta Hiſpania in Africam migrarũt, & ab eo tempore duo Regna in Hiſpania fuere Sueuorum, & Gothorũ, qui Celtiberiam adhuc Romanis parentem, paulatim occuparunt.

3 Porrò Gothi iam inde à morte ſui Regis *Hermanarici* ſub quo militauerant tempore Conſtantini Magni, in duas nationes diuiſi fuerant, videlicet in *Oſtrogothos*, ideſt Orientales, & *Veſogothos*, nempe Occidentales Gothos, quorum Illuſtriſſimæ, ac regiæ familiæ fuerunt, inter Veſogothos quidem *Balthi*, hoc eſt audaces; inter Oſtrogothos autem *Amali*, ab Amalo Rege ſic dicti, qui Zenonis Imperatoris tempore cœperunt regnare in Italia. Veſegothi autem per Italiam, Galliamq; in Hiſpaniam delati, regnarunt in ea per annos circiter 386. donec à Mauris propemodum deleti ſunt. Sed quoniam diu ſeorſim regnarunt Sueui in Gallecia; & Gothi in reliqua Hiſpania, horum Regum initia, & durationes ſeorſim exhibebimus, exordio ſumpto ab *Athanarico* Gothorum Rege, qui eorum Regimen ſuſcepit anno Domini 369. & perſecutus eſt Chriſtianos, donec amicitia cum Theodoſio iunctus, Conſtantinopoli interijt anno Chriſti 382. ſuccedentibus eius loco *Alarico*, & *Redagaſio*; Defuncto autẽ poſt captam Vrbem Romã Alarico, *Athaulphus* Gothus Italiæ regno præfectus eſt anno Chriſti 411. & anno 415. Hiſpanias egreſſus eſt. Chronologi tamen Hiſpani Regum Hiſpaniæ catalogũ ineunt ab *Athanarico*; Eſto primus in Hiſpaniam venerit *Athaulphus*; quos nos quoq; duximus imitandos. Reliqua, & plura de Gothis vide in Iornande, Olao, & Io. Magno. De reliquis iam differendum incipiendo à *Reccaredo*.

4 De Reccaredi initio prima opinio de anno Domini 590. eſt vtriuſque Roderici, Burgenſis, Marianæ ferè, ac Tudenſis qui, & Aeram 628. aſſignat, & annum S. Mauritij, quem ipſum Mauritij Imper. annum aſſignat Io. Biclanenſis eius temporis ſcriptor apud Baronium ad annum 591. in eam opinionem propendentem, eo quod conformis ſit S. Gregorio Papæ primo ſui Pontificatus anuo aſſerenti Reccaredum non multo ante regnare cœpiſſe, & Catholicam fidem amplexum eſſe. Altera opinio de anno 586. quæ eſt Vaſæi, Villadiegi, Dolioni, Zeilleri, nititur auctoritate Concilij Toletani III. Quod in 2. Tomo Conciliorum notatur cœptum. *Anno quarto regnante glorioſiſimo, & Deo fideliſſimo Domino Reccaredo Rege die octaua Iduũ Maiarum Aera* 600. & 27. Eſt autem communis conſenſus Chronologorum, vt diximus Tomo 1. Chronol. lib. 4. cap. 7. Aeram Auguſti Hiſpanam, iniuiſſe à Calendis Ianuarij anni 38. ante vſitatam Chriſti Epocham: Ergo annus 627. erat Chriſti 589. & primus Reccaredi 586. Nulla autem eſt neceſſitas corrigendi notas numerales huius Cõcilij ſcribendiq; æram 631. pro 627. ob authoritatem externorum Scriptorum, potiuſquá dicendi, Reccaredum anno à morte patris 4. coronatum eſſe, & publicam profeſſionẽ fidei Catholicæ cum ſuis feciſſe occaſione Concilij. Deinde inter initium *Reccaredi*, & *Siſebuti* omnes ferè numerant annos 26. Siſebuti autem initium cadit in ann. Domini 612.

5 Ioannes enim Mariana affirmat in oppido Granatulæ prope Orctum repertum fuiſſe marmor antiquum, cum Epitaphio *Siſebuti*, vbi Siſebuti initium notatum eſt aera 650. ideſt anno 612. Domini prout habent Vaſæus, Villadiegus, Mariana, Dolionus, ac ferè Zeillerus: & corroboratur ex annis 19. quos fermè omnes computant inter initia *Siſebuti*, & *Siſenandi* anno 631. exorſi, vt mox dicetur. Eſto Iſidori Chronicon annum habeat 611.

6 Refert Alphonſus Villadiegus in Commentarijs ad Forum Iudicum, in libro quem Hiſpani *Forum Iudicum* vocant, expreſsè notatum eſſe *Siſenandum* fuiſſe, qui eius Fori leges condidit, additq; regnaſſe annos 3. menſes 2. & deceſſiſſe æra 673. ideſt Domini 635. in fine Aprilis, atq; adeo incœpiſſe regnum anno 631. & hanc tẽporis numerationem, ſummo ſtudio collectam à doctiſs. viro D. Garzia à Loayſa in notis ad Cõcilia Hiſpana, aſſerente in Concil. Toletano IV. quod dicitur inchoatum. *Anno tertio regnante Domino noſtro glorioſiſſimo Principe Siſenando die nonarum Decemb. Aera* 681. ſcribendum æra 671. & in Concilijs Toletanis V. & VI. pro æra 684. & 686. ſcribendũ 674. & 676.

7 *Receſuintum* ſolum cœpiſſe regnare anno Domini 650. Baronius ponit cum Luca Tudenſi, ſed anno 672. obijſſe, & tamen ait regnaſſe *annos duodecim, & menſes ſex*, qui eſt error manifeſtus ortus ex eo quod in aliquo Codice pro annis 22. legerit 12. Eius ſucceſsor *Eruigius* incœpit anno 680. cum in Concilio Toletano 13. dicatur cœptum Concilium *Anno regni quarto Sereniſſimi Eringij principis, ſub die ſecundo nonas Nouembris Aera* 721. ideſt an. 683. ergo primus Regis huius fuit 680. Hinc ad *Ramirum*, vſq. non eſt magna diſsenſio inter Auctores, at permagna eſt in *Ramiro*, & ſucceſſoribus eius, illum enim cœpiſſe anno Domini inter 821. & 829. plurimi Chronographi cenſent, quibus adde Cæſarem Campanam in Arboribus familiarum Regiar. Hiſpaniæ: ait enim *Raymirum* hunc regnaſſe ann. 6. & menſ. 9. obijſſeq; anno Domini 831. ideoq; iniſſe an. 825. ſed huic Chronotaxi obſtant validiora argumenta.

Nam Doctor Pintus Ribera Conſilij Curialis Vlyſſiponenſis Senator, in Anatomia Regnorum Hiſpaniæ affirmat *Ramirum* ſucceſſiſſe *Alphonſo Caſto* anno Domini 843. & idipſum aſſerit Ambroſius morales in Scholijs ad S. Eulogium, & l. 13. Chron. Hiſp. cap. 52. addens celeberrimam illam victoriam, quàm Ramirus de Sarracenis reportauit præeunte S. Iacobo in equo candido, cæſiſq; hoſtium fere 70000. fuiſſe anno 2. Ramiri, & Domini 844. quem Baronius ſequitur ferè ſemper vtpote exactiſſimum temporum ſupputatorem, & multos, ac magnos errores aliorum. ex vetuſtis monumentis emendantem; profert enim ex Ouetana Eccleſia Epitaphium, quod etiam reperi in Libro inſcripto *Bibilotheca Hiſpaniæ* pag. 142. eſtque huiuſmodi: *Obijt Diuæ memoriæ Ranymirus Rex die Kal. Februarij Aera DCCCLXXXVIII. obteſtor vos omnes, qui hæc lecturi eſtis, vt pro requie illius orare non deſinatis.* Demptis ergo annis 38. reſtat annus Domini 850. quo Ramirus obijt, atque adeo regnauit annos 6. menſes 9. vt plerique affirmant, ſequitur eum cœpiſſe regnare anno 843. quod confirmabitur ex dicendis poſt Ordonium, de Alphonſo Magno; quare oportet Alphonſum Caſtum regnaſſe an. 52.

8 *Ordonius* igitur anno Domini 850. ſucceſſit Patri natus ex Vrraca, regnauitq; ſolus annos fere 12. ſed cum filio Alphonſo III. *Magno* annos 16. nam in Epitaphijs Eccleſiæ Ouetanæ habetur de Ordonio I. carmen hoc.

Hic ille Ordonius Princeps quem fama loquetur:
Cuique reor ſimilem ſecula nulla ferent.
Ingens Concilijs, & dexter belliger actis,
Omnipotenſque ſuis non reddat debita culpis.
Obijt V. Kal. Iunij Aera 904. ideſt anno 866.

Alphonſus autem Magnus à patre aſſumptus in conſortem, cœperat anno Domini 861. Extat enim Oueti in ingreſſu Eccleſiæ S. Saluatoris inſcriptio vetus de Alphonſo Ordonij filio, quam producit Ambroſius Morales lib. 15. Chron. cap. 9. & ex eo Baronius anno 878. vbi annus huius *Regis XVIII.* dicitur *Aera DCCCCXVI.* ideſt annus Domini 878. cui demptis XVII. reſtat primus annus 861. Præterea teſtamentum huius Alphonſi, quod idem producit notatum ſic: *Facta ſcriptura teſtamenti, vel confirmationis die nono kal. Februarij Aera DCCCCXXVIII.* ideſt anno Domini 890. euincit eum adhuc in viuis fuiſſe; cum tamen ea opinione oppoſita ſequatur, cum obijſſe anno 888. At hæc vel maximè ſtabiliuntur ex diplomate eiuſdem Alphonſi dato in Encænijs Eccleſiæ Compoſtellanæ ab ipſo erectæ, quod affert Ambroſius Morales lib. 15. cap. 20. ſic: *Facta donationis ſcriptura anno trigeſimoquarto Regni Religioſiſſimi Principis Adelfonſi, præſentibus Epiſcopis, & Comitibus in medio Eccleſiæ Dei die dedicationis templi 2. nonas Maij: Aera Nouieſcentena trigeſima octaua.* Ergo anno Domini 900. cui demẽdo annos 34. reſtat annus 866. pro initio, quo ſolus iam mortuo *Ordonio* regnare cœpit. Vicit autẽ Alphonſus ingenti prælio *Alcaman* Ducem Arabum anno Domini 905. vt oſtendit Morales l. 15. c. 28. ſeq; non tam magnum, quam maximum geſſit, cùm anno 908. Garſiæ primogenito cum matre, & fratribus in ipſum conſpiranti, ne domeſtici belli occaſione Sarraceni reſurgerent, ſponte ceſſit filio regnum, non dubitans ſub eo tanquam priuatus Dux militare, vt præter alios docet idem Morales lib. 15. cap. 30. Qui ex vetuſtis monumentis oſtendit mortuum eſſe Alphonſum anno Domini 912. atq; adeo regnaſſe ſolum annos 46. ſed cum Patre 51.

9 Gar-

9 *Garsias* porrò post triennium à morte patris extinctus est, nempe anno 915. quare violenter regnauit annos 3. & totidem solus à morte patris, successitq; illi frater *Ordonius II.* qui regnauit annos 9. menses 6. obijtq; anno 924. succedente *Froila II.* qui post 14. menses Lepra percussus obijt, de quibus rebus, & temporibus accuratè Ambrosius Morales lib. 16. ex quo etiam constat *Alphonsum IV.* Ordonij filium cognom. *Monachum* abdicasse se anno 927. & regnum reliquisse *Raymiro II.* qui anno 938. die 6. Augusti, præeuntibus duobus Angelis sub specie equitum, vicit Abderagam Cordubæ regem, cæsis 80000. hostium, & in hunc annum conspirant annales Arabum cum Morali l. 14. à cap. 11. ad 19. vnde constat obijsse anno 950. in vigilia Epiphaniæ Legione, eiq; successisse *Ordonium III.* regnasseq; annos 5. menses 7. & deinde *Sanctium Craßum* pro *Veremundo* impubere filio Ordonij III. regnasse I. & post hunc *Raymirum III.* Sancij filiũ, deinde *Veremundum II.* cuius ex Archiuio Compostellano Ambros. Morales promit diploma signatum *ante Idus Februarij Aera post millenam tertia, & decima*, idest anno 975. & ibidem Veremundus mentionem facit de obitu *Raymiri III.* & de regno à se recuperato, & olim sibi debito, & hoc ipsum affert Baronius ad annum 975. & tamen anno 985. ex Ambrosio Morale colligit Raymirum hunc obijsse anno 985. eiq; successisse Veremundum II. At hæc planè repugnant; quomodo enim potuit Veremundus succedere Raymiro anno 985. si antea recuperato regno post obitum eius Raymiri diploma illud ediderat? potius ergo cœperit Veremundus anno 975. Obijsse autem anno Domini 999. patet ex inscriptione Sepulchri Legionensis, quã vidi in Bibliotheca Hispaniæ pag. 142. ac deinde in Baronio ad annũ 998. sic: *H.S.E. Rex Veremundus Ordonij III. F. iste in fine vitæ suæ, dignam Deo pœnitentiam obtulit, & in pace quieuit Aera* 1037. Ergo anno 999. & successit ei *Alphonsus* filius quinquennis.

10 *Alphonsum* hunc obijsse anno Domini 1027. manifestum est ex Epitaphio, quod extat apud Ambrosium Moralem, ac Baronium tale: *Hic iacet Rex Adelphonsus, qui populauit Legionem post destructionem Almanzar, & dedit ei bonos foros, & fecit Ecclesiam hanc de luto, & latere: habuit prœlia cum Sarracenis, & interfectus est sagitta apud Veseum in Portugal. fuit filius Veremundi Ordonij, obijt Aera MLXV. nonis Maij.* Successit ei Veremundus III. qui decennio post cecidit in acie victus à Ferdinando, vt patet ex Sepulchri inscriptione, quæ Legione cernitur in templo S. Isidori, relata in Bibliotheca Hispaniæ sic. *Hic est conditus Veremundus iunior Rex Legionis, filius Adelphonsi Regis, iste habuit guerram cum cognato suo Rege magno Ferdinando, & interfectus est ab illo in Tamara prœliando, Aera MLXXV.* Ferdinandus itaq; qui annis iam duodecim regnabat viuo, & absente patre Sanctio in Castella vniuit suæ Coronæ Legionis regnum; Affirmat autem Lucas Tudensis Diaconus, Ferdinandum Sanctè obijsse *Feria tertia hora diei sexta, in qua S. Ioannis Euangelistæ festum celebratur, æra millesima centesima tertia*, qui est annus Domini 1065. *Regnauit in Legione, & Castella simul annis viginti octo, mensibus sex, diebus viginti vno; in Castella verò, priusquam obtineret regnum Legionense, regnauit fere annis duodecim, adhuc viuente patre eius Sanctio, & completi sunt anni regni eius feliciter quadraginta, mense vno, diebus vndecim.* Sic Tudensis: Ergo in Castella regnarat annos 11 menses 6. dies 20. Baronius autem ex Tudensi, & Roderico Toletano ad annum 1065. ait diuisum fuisse regnum inter filios Alphonsum, & Sancium II. Septemq; annis certatum fuisse armis, donec scilicet *Sancius* Castellæ Rex, abstulit Alphonso regnum Legionis, vt refert Tarapha; sed ex Hugone Cluniacensi apud Surium d. 29. Aprilis in vita S. Hugonis Abb. Clun. Alphonsum à Sancio in vincula coniectũ fuisse, ac detentum, donec *precibus S. Hugonis S. Petrus Apostolus Sancio in somnis sub graui commination præcepit, vt citò Adelphonsum restitueret, nec defferre ausus esset. Sancius terrore correptus, Adephonsum statim restituit.* Anno autem Domini 1074. viuebat adhuc Sancius, & regnabat in Castella cum Gregorius VII. anno 2. sui Pontificatus, indictione 12. & 14. Kal. Aprilis litteras ad vtrumq; dedit, pariter eosdem Reges agnoscens, & exhortans eos ad recipiendum Romanum Officium, & ritum, quæ incipiunt: *Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Alphonso, & Sancio Regibus Hispaniarum à paribus &c.* nondum igitur *Sancius* occisus fuerat à Vellido proditore. Alphonsus autem, vt refert Bertoldus Constantiensis in Chronico anno Christi 1093. Cluniaci maiorem Ecclesiam infinita pecunia ædificauit, cum autem cõmuni consensu regnarit annos 43. videtur decessisse anno Domini 1117. eius enim successor Cæsaraugustam Sarracenis eripuit anno 1118. vt cuincit Hieronymus Blanca Historicus diligentissimus ex diplomate eiusdem Regis, postquam Cæsaraugustam Sarracenis eripuerat.

11 *Alphonsus* itaq; VII. filius præcedentis succedens in regno Castellæ, & Legionis anno Domini 1117. viuebat adhuc anno 1156. quo vt tradunt Hispani Historici, & præcipue Io. Mariana, obtinuit à Ludouico VII. Rege Francorum ipsius genero brachium S. Eugenij Martyris, & primi Archiep. Toletani. Iam si Io. Vasæo credimus affirmanti eum regnasse annos 51. sequitur obijsse anno 1168. non autẽ 1159. vt aliqui vellent. Sed hactenus satis disputatũ est: reliqui anni ex probationibus Historicis subnectẽtur.

Hispaniæ Reges post natum CHRISTVM.

	Init. Reg. An. Chr.	Regnauit annos
Athanaricus Rex Gothorum factus cum Fridigerno.	369	13
Alaricus de familia Balthorum, cum Regadasio Regnum Gothorũ administrarũt, & anno Domini 409. Honorius, vt Gothos ab Italia auerteret, concessit eis Galliam, & Hispaniam.	382	28
Athaulphus, defuncto post Vrbẽ captã Alarico, factus R. Gothorũ, & primus anno Domini 411. venit in Hispaniã.	411	6
Segericus electus à Gothis, paucis post mensibus à suis necatus.	416	0
Vualca electus à Gothis, obijt anno Domini 419.	417	3
Theudoredus, alijs Theodoricus, in cãpis Cathalaunicis ab Athila Rege Hunnorum memorabili prælio victus, in quo cecidere supra 300. hominũ millia, & equo desiliens conculcatus est.	419	32
Thurismundus filius Theudoredi.	451	2
Theudericus fratre Thurism. interfecto.	453	13
Euricus fratre interempto succedit in regnum primusq; Gothis leges scriptas dedit, eiectisq; Romanis, qui annos fere 700. in Hispania regiones aliquas possederant, primus Monarcha Hispanorum dictus est.	466	17
Alaricus II. fil. Eurici defun. R. creatur.	483	23
Gesalaricus, seu *Geseleicus* filius Eurici ex concubina.	506	4
Theudericus II. seu *Theodoricus*, cum annos 18. regnasset in Italia, rursus pulso Vuesigothorum Rege Gesalarico, regnauit in Hispania annos 15. quam superstes reliquit nepoti *Amalarico*, obijtq; Rauennæ Calendis Septembris anno Domini 526.	511	15
Amalaricus Arianismo infectus, qui nupsit Chrotildę Catholicæ filię Clodouei R. Francor. & ob crudelitatem à fratribus in prælio necatus.	526	5
Theudis creatus R. hæreticus quidẽ, sed pace concessa Ecclesiæ Dei, à quodã, qui se dementem finxerat interfectus.	531	17
Theudisiclus Rex creatus regnauit mens. 19. à coniuratis inter Epulas Hispali confossus.	548	1 m.
Aguila, seu *Agila* creatus Rex, regnauit annos 5. menses 6. diesq; 13. & apud Emeritam à suis necatus instinctu Athanagildi.	549	5 m.
Athanagildus Regnum inuadit, creditus Catholicus occultè, vtpotè fautor Christianorum, obijtq; Toleti anno 587. regnauitque annos 15. menses 6.	554	15 m.

	Init. Reg. An. Chriſ.	Regnauit annos
Luiba Rex creatus, ſolus regnauit annum vnum, deinde in conſortem regni aſsumpſit Leouigildum fratrem, contentus regno Hiſpaniæ citerioris, vbi obijt anno 572.	568	ſol. 1. omn. 4.
Leouigildus, viuo adhuc fratre regnare cœpit, & anno 583. Hiſpalim expugnauit, & 584. S. Hermenegildum die Paſchatis decollari iuſſit 14. Aprilis, & obijt Toleti anno 586. poſtquã regnaſset in Gallicia quoq; & Gallocciæ regnum à Sueuis ad Gothos transiſſet, quorum Reges hic inſerendos cenſemus.	569 ſolus 572	18
REGES SVEVI in Gallicia.		
Hermericus Galleciæ cum Vandalis occupator.	408	32
Rechila Hermerici ſucceſsor.	440	7
Recciarius Rechilæ ſucceſsor.	448	9
Alaldra Recciarij ſucceſsor.	457	3
Frumarius Alaldræ ſubſtitutus.	460	4
Remiſmundus Ariana peſte cum tota gente infectus, quæ per annos 99. in hæreſi perſtitit, ideoq; reliqui eius Reges obliuione ſepulti apud Scriptores iacent.	464	4
Theodimirus Catholicus Rex inijt Regnum.	563	6
Miro Theodimiri ſucceſsor.	569	13
Ebericus Mironi ſubſtitutus.	582	2
Andeca tyrannicè vſurpauit Regnum, poſtea Regnum Sueuorum cum ſtetiſſet annos 181. teſte quoq; D. Iſidoro tranſijt ad Gothos ſubactum à Leouigildo anno 585.	584	1
REGES GOTHORVM, & Sueuorum ſimul in Hiſpania.		
Flau. Reccaredus defuncto Leouigildo Patre Rex coronatus eſt, pius pacificus, catholicus, & pater patriæ dictus; qui anno 4. Regni ſui ſubditos ab Arianiſmo ad fidem Catholicam reuocauit, obijtq; Toleti anno 601.	586	15
Luiba II. Reccaredi filius ſucceſſit patri, occiſuſq; eſt annorum 20. à Victerico tyranno 603.	601	2
Vuitthericus tyrannus à conſanguineis Luibæ inter Epulas necatus anno 610.	603	7
Gundemarus capeſſiuit Regnum, & primus ſtatuit, nequis ad Eccleſiam confugiens caperetur, vel extraheretur inuitus; regnauit menſes 22. & dies 14. deceſſitq; Toleti anno 612.	610	2 fere
Siſebutus ad regnum euocatus, ob zelum fidei, pietatemque Chriſtianiſſimus ab Hiſtoricis dictus eſt, fuitq; clementiſſimus, ſapientiſs. redemptor captiuorum, & templum S. Leocadiæ fabricauit Toleti, vbi obijt anno 621. cùm regnaſset annos 8. menſes 6. die 16. ex marmore antiquo reperto prope Oretum in oppido Granatulæ, quod producit Mariana, conſtat eum cœpiſſe regnare anno 612.	611 vel 612	8 ½
Reccaredus II. Siſebuti filius, cũ paruulus adhuc regnaſset tres tãtum, aut 6. menſes à multis in Catalogo Regum neglectus.	621	0 ¼
Flauius Suinthila, Reccaredi I. filius, & Leouigildi nepos, amplificato regno vſq; ad Oceanum, poſtea ſic degenerauit, vt à Vueſigothis regno priuatus ſit, & in Concilio Toletano IV. excommunicatus cum decreto, ne filij ex vxore, quam tunc habebat, ad regnum admitterentur.	621	10
Siſnandus Suinthilæ ex priore vxore filius regnum occapauit, deceſſitq; Toleti anno 636. Aprili exeunte, vel vt alij 635.	631	5
Cinthilanus Gothis præfectus, aſsumptuſq; ad regnum, obijt anno 640. vt ponunt Vaſæus, & Loayſa: alij dicũt 638. Hic Catholici nomen meruit.	636	6
Tulca, ſeu *Tulgas* bonæ indolis adoleſcens aſsumptus ad regnum Catholicus, pacificus, iuſtus, ac liberalis, regnauit annos 2. & menſes 4. deceſſitq; Toleti 644. vt ſentiunt Rodericus, Burgenſis, Loayſa, & Vaſæus.	642	2 4
Chindaſuintus vi Regnum occupauit, fuitq; filius Suinthilæ, & Reccaredi I. Nepos, regnauitq; ſolus annos 6. menſes 5. dies 20. obijtq; die 30. Septembris Toleti ætatis an. 22. menſ. 8. anno 650. ſed anno 649. Receſuinthum filium aſſumpſit in conſortem regni, ſed hic ſolus regnare cœpit anno 650. ſequimur in hoc Iſidorum Pacenſem, Tudenſem, Rodericum, potius quam eos, qui dicunt Chindaſuintum regnaſſe annos 10. &c.	644	6
Flauius Receſuinthus, ſolus regnare cœpit, fuitq; Sacræ Scripturæ ſtudioſiſſimus, valdeque Catholicus, omnes amans bonos, à bonis omnibus dilectus: obijt Calendis Septemb. an. 672.	650	22
Vuamba, ſeu *Bamba* de regia ſtirpe Gothorum inuitus in regem aſſumptus, voluit prius inungi in templo B. Virginis Toletanæ à Quirico Archiep. & Primate, tuncque viſus eſt vapor tanquã columna fumi de capite ipſius ad cœlum aſcendere, & indidem apis ad cœlum volitare. At potione venenata ab Eruigio regni cupido turbatus, ſeceſſit in Monaſterium S. Petri de Atlanza anno 680. nominato ſucceſſore ſui ipſo Eruigio vtpote conſobrino Chindaſuinti, obijtq; anno 680. cum regnaſſet ſolùm annos 8. menſ. 1. & dies 14.	672	8
Eruigius, ſeu *Eringius* ab Ordinibus regni 14. Octobris confirmatus eſt, & Cixilonem filiam ſuã copulauit Egicæ conſobrino Vuambæ, deceſſitque Toleti anno 687.	680	7
Flauius Egica, ſeu Egicanes, defuncto ſocero ſuo Eruigio, aſsumptus eſt ad regnum, regnauitq; ſolus annos 10. & cum filio Vuitiza alios 5. obijtque Toleti anno 701.	687	15
Vuitiza ſolus iam regnare cœpit initio bonus, deinde peſſimus, nam edicto vetuit obediri Romano Pontifici, & Faulam Ducem Cantabriæ Regiſq; Chindaſuincti filium, & Pelagij patrem claua interemit, & laxatis in omne genus vitiorum, præcipuè carnalium habenis, ſuoq; exemplo corrupta Hiſpania Diuinam vltionem prouocauit: nam cum alterum Chindaſuinti filium Theodofredum oculis	702	9

pri-

priuasset *Rodericus* filius Theodofredi, Vuitizam oculis vicissim priuauit, & fauore Senatus Romani Regno priuauit; Vuitiza deinde Cordubæ infeliciter perijt ann. 711.

Rodericus viuo adhuc Vuitiza regnare cœpit, regnauitq; annos 2. expulitq; ab Hispania filios Vuitizæ, qui in Africam fugientes inierũt fœdus cum *Tingafana*, & *Vlit* contra Rodericum. Iulianus quoq; comes, cuius filia Caua, non vt vxore, sed vt pellice vtebatur Rodericus, contra eum Mauros in Hispaniam acciuit, qui eam deuastarunt, & Roderico extincto anno 713. desijt in eo regnum Gothorum quia gens illa deleta fuit à Mauris; fuitq; interregnum annorum duorum, & amplius vsq; ad annum 716.

Init. Reg. An. Chris.	Regnauit annos
711	2

REGES LEGIONIS, & Castellæ.

Pelagius filius Faulæ Ducis Cantabriæ, & nepos Chindauinti Regis Gothorum, qui ob metum Vuitizæ in Asturiam fugerat, à reliquijs Christianorum ibi degentium salutatus est Rex, & Mauris eripuit multa oppida, & vrbem Legionem; vnde Legionis, & Asturum Rex dictus est, & in suo stemmate vsurpauit Leonem rubrum in campo albo, regnauitque paulo plus quam 19. annos, & Alphonso Duci Cantabriæ dedit in vxorem Ermisendam filiam suam, obijtque in oppido Cange. Tudensis tamen initium eius, quo forte ipse se Regem dixit differt in annum 718.

Fasila, alijs *Fauila* Pelagij filius ab vrso in venatione laniatus anno regni sui 3. currente, perijt cum regnasset menses 30.

Alphonsus filius Petri Cantabriæ Ducis, & gener Pelagij iure Ermisendæ vxoris Regnum adeptus, magnam Hispaniæ partem, & Lusitaniæ regnumque Nauarræ, pulsis Mauris recuperauit, Arianamq; hæresim, quæ repullulauerat in Hispania, extirpauit, ob id dictus Catholicus genuitq; Froilam, Vimcranum, Aurelium, & filiam Eginandam, & ex pellice Mauregatum, regnauitq; annos 19. & dies 31.

Froila, seu *Froilla* 35. millia, velut alij 54. millia Sarracenos Galliciam infestantes prælio cecidit, Nauarros rebellantes inuasit, Vascones infestos subdidit; sed Vimerano fratre ob inuidiam occiso, occisus & ipse fuit ab Aurelio fratre, sepultusq; in Ouetensi Ecclesia ab ipso condita, relictis filijs ex Moyna Regina Nauarræ Veremundo, & Alphonso, regnauitque annos 11. mens. 5. & d. 20. Esto alij annos 13. adscribant cum Tudensi.

Aurelius frater Froilæ regnum occupauit, seruile bellum confecit, & carens prole, atq; ad inuidiam declinandam successorem designauit *Veremundum* filium Froilæ, regnauitque annos, & menses 6.

Silo, seu *Sillo* Alphonsi Catholici gener et maritus Eginandę pulso Veremundo ab Aurelio adoptato regnum solus administrauit, Galliciamq; rebellem domuit, regnauitq; annos 9. & dies 31. esto Tudensis initium eius differat ad annum 775.

Init. Reg. An. Chris.	Regnauit annos
716	19
vel 718	
735	2 ½
738	19
757	11 ½
768	6 6
774	9
vel 775	
783	5 ½
789	2 ½
791	34
825	6 ¾
832	9 &c.
841	51
887	3
890	9 ½

Mauregatus, Alphonsi Catholici nothus Regnum occupauit, & sceleſtorum fautor, nefarijsq; voluptatibus ac rapacitati deditus, ac præ timiditate fœdere inito cum Mauris de Virginibus quibusdam quotannis loco tributi mittendis, extinctus est post annos 5. & 6. menses. Tudensis tamen extinctum ponit anno 790.

Veremundus Vimerani, à Froila necati filius, & Diaconus Regnum adijt, & dispensatione impetrata vxorem duxit, ex qua genuit Raymirum, & Garciam; sed mortua vxore, successorem declarauit Alphonsum eius consobrinum Froilæ filium, transijtq; ad religionem.

Alphonsus II. cognom. *Castus* ob votum virginitatis, vi cuius nec vxorem duxit, nec vllam fœminam tetigit, auxiliaribus copijs à Carolo Magno adiutus, Sarracenos ex Asturia pepulit, Vlyssiponemq; subegit, & consensu populi adoptauit in Regem Raymirũ Veremundi filium.

Raymirus, seu *Ranymirus* Regno Asturiarum, Galliciæ, & Nauarræ potitus, Hispalim, cum fratre Garcia Sarracenis eripuit, ductaq; Vrraca Ordoricum procreauit, regnauitq; annos 6 & mens. 9.

Ordoricus Ranymiri filius Vascones rebelles domuit, Arabes à Lusitania expulit, Muzam Sarracenorum principem trucidatis 40. millibus equitum profligauit, & Lupum Muzæ filium Toletano Principatu exuit, Cauriam, & Salmanticam Mauris eripuit, & ex Mandimya vxore sex filios genuit, quorum primogenitus fuit Alphonsus.

Alphonsus III. cognom. *Magnus*, & à Ioanne Papa VIII. dictus in litteris *Rex Christianissimus*, Froila à Gallæcis cæso reliquos quatuor fratres suspectos de rebellione oculis priuauit, Conimbricam, & Viseum à Sarracenis recuperauit, Vascones, ac Nauarros ab obsidione Maurorum soluit; Cæsarauguſtam restaurauit; Zamoram condidit, Templum S. Iacobo Apostolo erexit, & 4. filios procreauit; Garciam, Ordoricum, Froilam, Gundisaluum regnauitq; annos ferè 51. ex quibus cum Patre annos 5. solus autem 46.

Garcias, seu *Garsias* Ayola Maurorum Rege cum magna præda in captiuitatem abducto, sine prole obijt.

Ordoricus II. fratri Garciæ succedens, semel victus à Mauris, pluries eorum victor, quatuor Castellæ Comites dolo captos necauit, ideoq; Castellæ Prouincia, quæ Regi Legionis parebat, se ab eius iurisdictione subtraxit, creatis Iudicibus, inter quos fuit Nunius Rausaranus, à quo Ferdinandus Consaluus originem traxit. Ordoricus genuit Alphonsum, & Raymirum; obijtq; anno 899.

	Init. Reg. An. Christ.	Regnauit annos
Froila II. Alphonsi Magni filius cognom. crudelis regnum fraude occupauit, sed Lepræ morbo post 2. menses interijt.	899	0 2
Alphonsus IV. Ordonij II. filius, cognomento *Monachus*, votis religionis nuncupatis, regnum fratri Raymiro reliquit, sed facti pœnitens ac regnum repetens à fratre oculis priuatus est, relicto ex Imena superstite filio *Ordonio Malo* post annos 5. & menses 7.	899	5 7
Raymirus II. defuncto in carcere Alphonso fratre, solus regnare cœpit, & sociatus Ferdinando Consaluo primo Castellæ Comiti, & feudatario suo, apud Osmam, & Simancas bis Arabas vicit, cæsis 80. millibus eorum, & Abenayrum Cæsaraugustæ regem vinum cœpit, genuitque Ordonium, & Sanctium, regnauitq; ann. 19. mens. 2. dies 25.	905	19 2
Ordonius III. Raymiri II. filius Gallecos fratri Sanctio tumultuanti fauentes perdomuit, genuitq; Veremundum, & regnauit annos 5. menses 7.	924	5 ½
Ordonius IV. Cognom. *Malus* Alphonsi IV. filius, regnum iniustè occupans, à Sanctio apud Cordubam in prælio interemptus est eodem anno, & Sanctius pro Veremundo impubere regnum administrauit.	929	0 4
Sanctius cognom. *Craßus* Ordonij III. frater ad Saginam leuandam, pace cum Abderamaro Rege inita, Cordubam se transtulit, vbi ab Arabe medico vi herbæ cuiusdam ad maciem deductus, non sine veneni suspicione obijt, relicto filio Raymiro.	929	11 ½
Raymirus III. Sanctij filius vndennis, pace cum Arabibus facta, Normannorum classem Gallicię infestam, ope Sanctij Contalui Castellæ Comitis succendit, omnibus ad vnum cum Gundriedo rege eorum necatis: ducta Vrraca decessit sine liberis annorum 36.	941	25
Veremundus II. Ordonij III. filius Regno occupato victus ab Almanzore R. Maurorum, & deinde eius victor, Alphonsum, & Terasiam ex gemina vxore procreauit, Zeillerus ait Alphonsum genitum incestuosè, ex Eluera filia Veremundi: obijt ex podagra anno 983.	966	17
Alphonsus V. Veremundi II. filius pactus auxilia contra Regem Cordubæ ab Abdala Sarraceno Toleti regnante, huic Terasiam sororem inuitam copulauit, sed infidelis viri nuptias, & congressum constanter recusans, & Abdala extincto liberata, in cœnobio virginitatem perpetuam sanctè seruauit. Alphonsus ducta Vrraca filia Garciæ Ennici Regis Aragoniæ suscepit Veremundum, & Sanctiam, quæ nupsit prius Garciæ filio Sanctij Comitis Castellæ (eoque interempto) nupsit Ferdinando filio Sanctij Maioris Nauarræ Regis: Qui Ferdinandus Castellæ Rex factus, regnum Legionis per vxorem adeptus est. Alphonsus in oppugnatione Visei, telo à Mauris vulneratus interijt.	983	27
Veremundus III. filius Alphonso V. successit, et post annos 10. in acie cecidit victus à Ferdinando. Mortuo enim Sanctio Castellæ Comite, dominium Castellæ hæreditario iure transierat ad Sanctium Maiorem Nauarræ Regem, vtpote ducta Eluira, generum Sanctij Comitis, Sanctius autem Maior se Castellæ non Comitem, sed Regem dixit, & Ferdinando filio, qui Sanctiam sororem Veremundi duxerat, reliquit Castellæ Regnum; Dissensione igitur orta inter Ferdinandum, & Veremundum, & hoc in prœlio cadente sine liberis, Ferdinandus Legionis Regnum per Sanctiam vxorem adeptus, Regno Castellæ coniunxit.	1010	10
Ferdinandus Magnus consecutus, vt dixi Regna Castellæ, & Legionis, & fratri suo Garciæ occiso Nauarræ regnum eripuit; Conimbricam, & meliorem Portugalliæ partem, Mauris pulsis, recuperauit: Viuens adhuc quatuor filijs legitimis distribuit regna; Sanctio Castellam; Alphonso Legionem, Asturiam, & Transimenam; Garciæ Galliciam, & Portugalliam; filiabus autem Vrracæ Geloyræ, seu Eliuræ Taurum, & Zamoram; Ferdinandus, quem ex pellice susceperat Cardinalis factus est; sunt qui dicant regnasse annos 47. & menses 8. plures tamen annos tantum illi soli dant 40. & dies 41. nempe 12. ½. in Castella reliquos 28. &c. in Legionensi, & Castellano regno simul.	1020	40 & d. 41
Sanctius II. capto Alphonso fratre, Legionem, & Asturiam, & Garcia fratre in vincula coniecto, Galliciam, & Portugalliam occupauit, duxitq; vxorem Blancam filiam Garciæ Regis Nauarræ, & à Vekidio proditore interemptus est anno 1066.	1060	6
Alphonsus VI. à fratre iussu S. Petri reuocatus ad regnum Legionis, & Asturum post mortem fratris, recepit & regnum Castellæ; Toletum aliaque loca Mauris erepta Christianis restituit. Ex pellice Ximena suscepit Alphonsum, ex legitima verò vxore inter alias Vrracam, quæ nupsit Alphonso Regi Aragoniæ.	1066	42
Alphonsus VII. cum esset Rex Aragoniæ, cum Vrraca filia Alphonsi VI. per annos 4. rexit Castellam, & Legionem, deinde solus annos 47. in totum 51. dictus fuit *Imperator*, & ex Vrraca vxore suscepit Sanctium, qui fuit Rex Castellæ, & Ferdinandum, qui Legionis, & Helisabetam. Cœpit regnare anno 1108. regnauitque annos 51.	1108	51
Sanctius III. cognom. *Desideratus* Alphonsi VII. filius, regnauit in Castella anno 1. obijtq; in Arabia pro fide Christiana bellans.	1159	1
Ferdinandus II. Rex Legionis, regnauit annos 31.	1160	31
Alphonsus VIII. cognom. *Bonus* Sanctij III. filius regnauit in Castella.	1160	55
Alphonsus IX. Rex Legionis, Ferdinandi II. filius.	1191	8
Henricus Alphonsi VIII. filius, tegulæ casu apud Palentiam occisus regnauit annos 2.	1214	2
Ferdinandus III. Alphonsi IX. filius, vtroq; regno Legionis, & Castellæ potitus, quæ duo regna deinceps vni-	1216	35

	Init. Reg. An. Chris.	Regnauit annos
ta manere, ille Mauros, ex Hispania eiecit, Cordubam, & Hispalim Christianis reddens; habituſque est inter Sanctos, & Granatæ Regem stipendiarium fecit.		
Alphonſus X. Ferdinandi III. filius, Tabularum Alphonſinarum auctor, cum esset electus Imperator Romanorum noluit pedem efferre ex Hispania; duxitque Violantam filiam Iacobi Regis Aragoniæ.	1252	32
Sanctius IV. Alphonſi X. filius, solus post patrem regnauit annos XI. Tarifam Mauris eripuit, Regis Fesæ classe classem Nauali bello vicit, duxitq; Mariam infantis Alphonſi filiam ex qua suscepit Ferdinandum, Petrum, Philippum, & Henricum.	1284	11
Ferdinandus IV. Sanctij IV. filius.	1295	15
Alphonſus XI. filius Ferdinandi IV. contra Almoacenum, & Hynzephinum Bellarmini, & Granatæ Reges dimicans diuersis prælijs, bis centena millia Sarracenorum cecidit recuperata Algezira. Duxitque Mariam filiam Dionysij Portugalliæ Regis ex qua genuit Petrũ, & ex Leonora de Guzman pellice Henricum, & Federicũ, objitq; feria 6. maioris Hebdomadæ in obsidione Castri de Gibraltar.	1310	40
Petrus Alph. XI. fil. cognom. *Crudelis*, quia Federicum fratrem, & Rubeum Granatæ regem sui hospitem iugulauit, ipse deinde ab Henrico fratre in prælio confossus.	1350	19
Henricus II. fratris occisi loco regnum occupauit, duxitq; Ioannam filiam Ioannis Emmanuelis de la Cerda Infantis, ex qua genuit Ioannem, & Leonoram, quæ nupsit Regi Nauarræ.	1369	10
Ioannes Henrici II. filius ducta Leonora filia Petri Aragonum Regis, genuit Henricum, & Ferdinandum eum, qui fuit postea Rex Aragonum. Leonora mortua duxit Beatricem filiam vnicam Ferdinandi Regis Portugalliæ, quo defuncto Socero, dum ius vxoris prosequens Portugalliam inuadit, repulsus est à Ioanne Ferdinandi ex pellice filio, & Regnum vsurpante: Henrico autem vxorem dedit Catharinam filiam Ducis Lancastrienſis in Anglia, eumq; Principem Asturum declarauit; obijtque oppressus equi lapsu.	1379	11
Henricus III. Ioannis filius duodennis succeſſit patri, dictus *Valetudinarius*, & ex Catharina Angla genuit Ioannem; Catharinam, & Mariam, quam locauit nepoti suo Alphonſo Ferdinandi filio, obijtq; Toleti annor. 28.	1390	16.
Ioannes II. Henrici III. filius infans adhuc in cunis succeſſit sub tutela Catharinæ Matris, & Ferdinandi Patrui vsq; ad annum 14. duxitque Mariam filiam Ferdinandi Patrui, ex qua genuit Henricum eaque defuncta duxit Isabellam filiam Infantis Ioannis filij Ioannis Regis Portugalliæ, ex qua genuit Alphonſum in adolescentia mortuum, & Isabellam Catholicam; Affumpto porrò Henrico filio in consortem regni obijt.	1406	47
Henricus IV. filius Ioannis II. patri succeſſit annorum 31. & Blanca filia Ioannis Regis Aragoniæ ducta, ac deinde dimissa, duxit Ioannam filiam Eduardi Portugalliæ Regis, cuius filio locauit Isabellam non tam filiam, quam supposititiam puellam. Ideo Isabella Henrici IV. soror nupsit Ferdinando filio Ioannis Regis Aragoniæ: Proinde mortuo Henrico sine liberis, Ferdinandus cum Isabella regno Castellæ, & Legionis potitus est.	1453	20 ½
Ferdinandus V. *Catholicus* filius Io. R. Aragon. iure Isabellæ vxoris cum Regno Aragoniæ, Valentiæ Siciliæ, Neapolis, & alijs, iunxit Castellæ regnum, nec non Granatę, expulsis ex ea Mauris, & Iudæis qui Christianam fidem amplecti recusarent. Ex Isabella suscepit vnicam filiam Ioannam, quam locarunt Philippo Pulchro Archiduci Austriæ, qui fuit filius Maximiliani Cæsaris, & Mariæ filiæ Caroli Audacis Burgundiæ Ducis. Ex Philippo autem & Ioanna nati sunt Ferdinandus Rex Romanorum, & Carolus V.	1474	41
Philippus Pulcher, mortua Isabella anno 1604. & Ferdinando ad Regna Aragoniæ ac deinde Neapolim profecto; suscepit cum Ioanna coniuge regimen Castellæ, ac reliquorum regnorum, sed intra biennium obijt annorum 28. ex febre pestilenti ad S. Iacobum Galliciæ, quo voti causa migrarat.	1504	2
Ferdinandus V. rursum in Hispaniam reuersus, administrat cum Ioanna filia regnum pro Carolo V. nepote sexennij per decennium, morituq; die 23. Ianuarij anni 1516. & in eo desijt Regnum Aragoniæ.	1506	10
Carolus V. succedit in omnia regna Hispaniæ (dempta Lusitania) annos natus ferè 16. vnico mense deficiente, et anno 1519. electus est in Imperatorem, et ducta Elisabetha Lusitana, genuit Philippum Isabellam, Mariam, et Ioannam; Mediolani ducatum obtinuit ex testamento, et liberorum defectu Francisci Sfortiæ. Anno deinde 1555. Imperium Ferdinando fratri commendans, Regna Hispaniæ Philippo filio renunciauit Bruxellis sub finem Octobris, reseruatisq; sibi ad eleemosynas centum mille aureis, secessit in Monasterium S. Hieronymi Estremaduræ, vbi pœnitentiæ, et diuinarum rerum contemplationi vacans, obijt anno 1558. die 21. Septembris quare regnauit in Hispanias annos 39. et menses 9. sed Imperium tenuit annos 42. menses 8. Erratq; Zeillerus, et alij, qui Philippi II. Regnum auspicantur ab anno 1558. Genuerat Carolus duos illegitimos ex nobili fœmina Belga de Plumbes, nempe Ioannem Austriacum, et Margheritam, quæ nupsit prius Alexandro Mediceo, deinde Octauio Farnesio, rexitq; Belgium.	1516	39 ¾ Imper. 42 ¾
Philippus II. statura paruus, statibus, et Monarchia maximus acquisito Lusitaniæ Regno obijt anno 1598. die 13. Septembris annorum 72. regnauitq; annos 42. menses 10. dies 12. natus erat anno 1527. hora 4. m. 15. post merid.	1555	42 ¾

Phi-

	Init. Reg. An. Chriſt.	Regnauit annos
Philippus III. Patri ſucceſſit obijtq; anno 1621. die 31. Martij annorum 43. cum regnaſſet annos 22. menſes 6. d. 17. non verò annos 24. vt male Zeillerus, natus erat anno 1578.	1598	22 ½
Philippus IV. annorum 16. ſucceſſit Philippo III. patri, obijtque ex calculo die 17. Septembris anno 1665. annorum 60. cum regnaſset annos 44. menſes 5. dies 17.	1621	44 ½
Carolus II. ſucceſſit Patri Philippo IV. annorum 4. ſub tutela Matris Mariæ Annæ.	1665	

CAPVT X.

Appendix de quorundam Sanctorum Temporibus.

ART. I.

De S. AVGVSTINO Eccl. Doctore.

1 SAnctum Auguſtinum Eccleſiæ Doctorem præſtantiſſimum defunctum eſſe, & ad CHRISTVM, quem totis viſceribus diligebat, migraſſe die 28. Auguſti, Anno Domini quadringenteſimo trigeſimo certum eſt. De die conſtat ex omnibus Martyrologijs, & Romano potiſſimùm, necnon ex S. Proſpero Aquitano in Chronico; ex quo etiam conſtat de Anno; ſcribit enim ſic: *Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. Auguſtinus Epiſcopus per omnia Excellentiſſimus moritur V. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & gloriosè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans.* Ex conſtitutis autem libro 4. cap. 5. Conſulatus ille competit anno Chriſti 430. Præterea ex Actis Concilij Epheſini liquet conuocatum fuiſſe à Theodoſio illud Concilium, menſe Nouembri ſub ijſdem prædictis Conſulibus, & ab eodem inuitatum fuiſſe ad Concilium S. Auguſtinum per Ebagnium Magiſtrianum, hunc autem, vbi Carthaginem appulit, audito S. Auguſtini obitu reuerſum eſſe Conſtantinopolim firmat Liberatus in Breuiario cap. 5. nempe in 2. Tomo Conciliorum; ergo licet Epheſinum Concilium inchoatum non fuerit, niſi anno ſequenti, conuocatio tamen eius, inuitatio S. Auguſtini, & obitus cadunt intra annum Chriſti 430. Vt ſcitè ponunt etiam Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Iornandus, Trithemius, Baronius, Petauius, Io. Gualterus, & omnes communiter dempto Marcellino in Chronico, qui in Annum præcedentem, nempe 429. retrahit Sancti huius obitum, dum ſcribit: *Indictione XII. Florentio, & Dionyſio Coſſ. Beatiſſimus Auguſtinus Hipponenſis Eccleſiæ elegantiſſimus Chriſti Sacerdos, Doctorque præcipuus morte placida quieuit*: Sed cauſa errandi fuit, quia norat S. Auguſtinum obijſſe anno præcedenti Concilium Epheſinũ, eius autem celebrationẽ cum conuocatione confundens, congeſſit in annum eundem, nempe *Indictionis XIII. Theodoſio XIII. & Valentiniano Coſſ.* nam ſub his inter alia ſcribit: *Neſtorius &c. apud Epheſum, ducentorum Sanctorum Patrum in Synodo condemnatus eſt.*

2 Ex Poſſidio in fine vitæ S. Auguſtini, cum quo ait ſe vixiſſe annos 40. hæc habemus: Vixit annos LXXVI. in Clericatu autem, ſiue Epiſcopatu annos *ferè XL.* Natum autem ſe Idibus Nouembris ipſemet S. Auguſtinus teſtatur lib. de Beata Vita cap. 1. dum ait, *Idibus Nouembris mihi natalis dies erat.* Quando igitur obijt d. 28. Auguſti anno Chriſti 430. deerant ad diem ipſius natalem menſes 2. & dies 16. Aut igitur nondum complerat annos 76. ſed tamen ob maximam anni 76. partem exactam verè dixit Poſſidius vixiſſe eum annos 76. & hinc ſequitur natum eſſe anno Chriſti 354. vt nos cum Petauio, Bucholtzero, Ioanne Gualtero in Chronico Chronicorum alijſq; poſuimus; Aut ſi Poſſidius numerauit annos tantum completos, neglectis menſibus 9. & diebus 14. ſupernumerarijs: Quod minus probabile eſt; ſequeretur S. Auguſtinum compleuiſſe annos 76. die 13. Nouembris anno Chriſti 429. atque adeo natum eſſe anno Chriſti 353. Non poteſt autem dici Poſſidium intelligendum de anno 76. ætatis nondum inchoato; ergo nec dici poteſt natum eſſe S. Auguſtinum anno Chriſti 355. vt ponit Ribadeneira in eius Vita, Illieſcas in Vitis Pontificum lib. 2. cap. 4. addens natum eodem die, quo Pelagius hæreſiarcha, & Baronius Tomo IV. Annalium ad annum 377. occaſione Auguſtini inter Manichæos verſantis, vbi ait de Auguſtino: *Natus eſt ipſe anno Domini trecenteſimo quinquageſimo quinto, Arbetione, & Lolliano Conſulibus, Conſtantij Imperatoris decimonono, Idibus Nouembris &c.* Sed vnde Annum hunc cruerit non video, ex annorum enim ab ipſo S. Auguſtino recenſitorum, de quibus nos infra, ſerie id non euincitur; nec congruit cum anno obitus, quem Baronius ipſe agnoſcit Chriſti 430. Nam ſi natus eſſet anno 355. annum primum compleſſet 13. Nouemb. anni 356. & annum 75. anno 430. item idibus Nouembris, ergo illo anno nondum inchoaſſet 76. & falſus eſſet Poſſidius dicens S. Auguſtinum vixiſſe annos LXXVI. De loco vbi natus eſt non ambigitur, cum lib. 2. Confeſſionum cap. 3. dicat ſe natum ex *Municipe Tagaſtenſi admodum tenui.*

3 Anno 16. ætatis ſuæ S. Auguſtinus reuocatus eſt ex vrbe Madaurenſi, vbi ſtudiorum cauſa peregrinabatur, & pater eius licet haud dives præparauit ſumptus, vt ipſum Carthaginem mitteret, vbi magis proficeret in litteris: interim autem eodem anno Auguſtinus intermiſsis ſtudijs laxauit frena libidini carnis ſuæ: fatetur id ipſe lib. 2. Confeſs. cap. 2. dicens: *Anno illo ſextodecimo ætatis carnis meæ, cùm accepit in me ſceptrum, & totas manus ei dedi veſaniæ libidinis &c.* & cap. 3. ſubiungit: *Et anno quidem illo intermiſſa erant ſtudia mea, dum mihi reducto à Medauris, in qua vicina vrbe iam cœperam litteraturæ, atque oratoriæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis ſumptus præparabantur, animoſitate magis, quàm opibus patris municipis Thagaſtenſis admodum tenuis.* Et paulo infra eodem cap. 3. *Sed vbi ſexto illo decimo anno, interpoſito ocio ex neceſſitate domeſtica, feriatus ab omni Scola, cum parentibus eſſe cœpi, exceſſerunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus*, nemo autem dixerit omnia hæc peracta anno Chriſti 369. quo Idibus Nouembris iniuit annum 16. ſed pleraque ſpectare ad annum Chriſti 370. quo currebat annus ætatis 16. complendus Idibus Nouembris. Porrò cum poſt luxurioſam vitam, & furtum Thagaſte commiſsum (de quibus lib. 2. Confeſs. vſq; ad finem) iam libro 3. cap. 1. dicat *Veni Carthaginem &c.* & cap. 4. addit ſe ex Hortenſio Ciceronis lecto, concepiſſe deſiderium immortalis ſapientiæ, moxque ſubiungat: *Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum ætatis vndeuigeſimum iam defuncto patre ante biennium; non ergo ad acuendam linguam referebam illum laborem &c.* ex his inquam colligitur patrem ipſius defunctum eſſe vel ſub finem anni Chriſti 370. aut inito 371. & hoc anno Auguſtinum veniſſe Carthaginem; annoq; 373. incidiſſe in Hortenſium Ciceronis, & præpoſuiſſe hunc librum Sacræ Scripturæ, de hac enim lib. 3. cap. 5. refert: *Sed viſa eſt mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem, tumor enim meus &c.*

4 Illo pariter anno ætatis ſuæ 19. & Chriſti 373. impegit Auguſtinus in Manichæos, quo ſcilicet lecto Hortenſio Ciceronis, & neglecta Sacra Scriptura, quærebat veram ſapientiam in ciſternis diſsipatis, vt colligitur ex lib. 3. Confeſs. cap. 6. à quo vſq; ad 11. deſcribit errores hauſtos à Manichæis, & cap. 12. ſtenti ob id matri reſponſum à quodam Epiſcopo narrat: *Vade à me, ita viuas: fieri enim non poteſt vt filius iſtarum lactymarum pereat.* Deinde lib. 4. Confeſs. cap. 1. fatetur ſe ab anno 19. ætatis, vſq; ad 28. hæſiſſe in Manicheiſmo: *Per idem tempus annorum nouem, ab vndeuiceſimo anno ætatis meæ, vſque ad duodetriceſimum, ſeducebamur, & ſeducebamus, falſi atq; fallentes &c.* & cap. 2. narrat ſe Carthagine Rhetoricam docuiſſe. Sed cap. 16. prius ſe à Rhetore Carthaginenſi magiſtro

gistro suo libros Aristotelis de Prædicamentis acceptos per se intellexisse cum annos natus ferme 20. esset. Libros autem de Apto, & de Pulchro, de quibus lib. 4. Confess. cap. 14. scripsit circa annum 26. aut 27. ætatis, ait enim ibidem cap. 15. *Et eram ætate annorum fortasse vigintisex, aut septem, cùm illa volumina scripsi.*

5 Anno ætatis 29. post exactos in Manichæismo totos 9. annos collocutus cum Fausto Manichæo, eumq; deprehendens imperitam Astronomiæ, cuius tamen peritiam iactabat, & desperans posse à Fausto dissolui dubia, quibus agitabatur Augustinus, cœpit frigescere in Manicheismo: Libro enim 5. Confess. cap. 3. ait: *Proloquar in conspectu Dei mei annum illum vndetricesimum ætatis meæ. Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Episcopus Faustus nomine &c.* de quo vsque ad caput 8. quo ait se Carthagine relicta, vbi Scholastici eunt nimis intemperantes, & tumultuosi, nauigasse Romam ad docendam ibi Rhetoricam, & cap. 10. narrat habitasse se in domo cuiusdam Manichæi, nec planè ab illius sectæ erroribus recessisse, hæc autem peracta esse anno Christi 384. colligitur ex dictis supra, & ex anno sequenti, quo missus est Roma Mediolanum. Libro quippe 5. Confess. cap. 13. sic narrat: *Itaque posteaquam missum est Mediolano Romam ad Præfectum Vrbis, vt illi ciuitati Rhetorica magister prouideretur, impertita etiam euectione publica, ego ipse ambiui &c. vt dictione proposita me probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret: Et veni Mediolanum ad Ambrosium Episcopum &c.* Constat autem ex rescriptis Imperatorijs datis ad Symmachum, de quibus *lib. 44. de Appellat. & lib. 41. de sent. exper. recit in Cod. Theodos.* Symmachum fuisse Vrbis Præfectum, Ricimere, & Clearcho Consulibus, videlicet anno Christi 384. hoc igitur anno migrauit Augustinus Roma Mediolanum; Quod idemmet confirmat aduersus litteras Pitiliani l. 3. c. 25. dicens. *Cùm ego Mediolanum ante Bautem Consulem venerim, eiq; Consuli Kalendis Ianuarij laudem in tanto conuentu conspectuq; hominum, pro mea tunc Rhetorica professione recitarem.* Si quidē ex dictis lib. 4. cap. 5. constat Bautem anno 385. Christi fuisse Consulem in Occidente, Arcadium vero in Oriente. Ingressus porrò erat Augustinus annum 30. ætatis quando panegyricam illam concionem habuit, & anno 385. quando egit cum Ambrosio primum proposuitq; deserere penitus Manichæismum, erat adhuc annorum 30. inquit enim l. 6. Confess. cap. 11. *Et ecce iam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans &c.*

6 Tandem audito Simpliciano, & conuersione Victorini, Vitaq; S. Antonij per Contitianum insinuata conuersus, seu reuersus est Augustinus ad Catholicam fidem anno fere 12. exacto, postquam in Manichæos impegerat, & in librum Ciceronis nomine Hortensium inciderat; Constant hæc ex lib. 8. Confess. à capite 1. ad 7. in quo ait: *Quoniam multi anni mei mecum effluxerant, forte duodecim anni, ex quo ab vndeuicesimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ, & differebam.* Anno igitur 31. ætatis conuersio hæc cœpit, sed Baptismus ad annum 33. delatus est. Interim autem anno 32. arrepta occasione vindemialium feriarum secessit in villam Verecundi Grammatici cum Alipio, & Matre sua Monica, quæ Mediolanum iam venerat; quem Verecundum obijsse Catholicum narrat lib. 9. Confess. cap. 3. & cap. 4. de scriptis ibi à se adhuc Catechumeno; vt patet ex illis verbis: *Catechumenus in villa, cum Catechumeno Alipio feriatus, matre adhærente nobis*; & cap. 5. Rhetoricæ magisterio abdicasse se refert: *Renunciaui*, inquit, *peractis vindemialibus, vt Scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium prouiderent, quòd & Tibi ego seruire delegissem, & illi professioni, præ difficultate spirandi, ac dolore pectoris non sufficerem.* Sed quoad libros in villa illa compositos à S. Augustino adhuc Cathecumeno, cœpit scribere contra Academicos annum agens 32. ætatis, antequam scriberet de Vita beata, idest ante Idus Nouembris; Idibus enim Nouembris occasione diei natalis sui scripsit librum de Vita Beata, & postea ingressus iam annum 334. scripsit lib. de Ordine, & Soliloquia, & librum 3. contra Academ. Audiamus enim ipsum lib. 1. Retract. cap. 1. dicentem. *Cum &c. me ad Christianæ vitæ otium contulissem, nondum baptizatus, contra Academicos, vel Academicis primum scripsi.* Et cap. 2. *Librum de Beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos vt scriberem contigit: ex occasione quippe ortus est diei natalis mei, & tridui disputatione completus.* Et cap. 3. *Per idem tempus, inter illos, qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de Ordine scripsi.* Libro autem 3. contra Academicos cap. 20. scribit: *Sed cùm tricesimum & tertium ætatis annum agam &c.* At in libro de Beata vita paulo post initium, occasionem huius scribendi à die suo natalium sumptam insinuat illis verbis: *Aptissimè sanè: nam de beata vita quæsiuimus inter nos &c. Idibus Nouembris mihi natalis dies erat &c.* Porrò lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. ait: *Nam cùm XXXIII. annos agam, XIV. ferè anni sunt, ex quo ista cupere desiti.* Moxq; meminit de Ciceronis libro, quem legisse anno 19. ætatis supra ostendimus; ab illo enim ad 33. ætatis iam decurrentem sunt anni ferè 14. Per idem tempus scripsit librum de Magistro, vt ex eius exordio liquet. Et libro 1. Retract. cap. 5. scribit. *Post libros Soliloquiorum iam de agro Mediolanum reuersus scripsi librum de Immortalitate animæ*, & cap. 6. narrat se Mediolani ante Baptismum inchoasse, sex libros de Musica, eosq; post Baptismum perfecisse in Africa.

7 Baptizatum se fuisse à S. Ambrosio Mediolani, vnà cum Alipio, & filio suo fere quindenni Adeodato notho, S. Augustinus narrat lib. 9. Confession. cap. 6. & 7. vbi addit: *Nimirum annus erat, aut non multo amplius cùm Iustina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequaretur, hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arriannis.* Hanc autem persecutionem cœpisse inito iam Christi anno 386. docet Baronius ad eundem annum; igitur Baptismus S. Augustini incidit in annum Christi 387. & quidem, vt addit Possidius in vita ipsius, in tempus Paschale, atque adeo ex supra constitutis, in annum 33. ætatis Augustini nondum completum videlicet biennio fere postquam Catechumenus euaserat. Anno verò 388. sexto Kal. Septembris contigit nex Maximini tyranni, post quam idem S. Augustinus aduersus Petiliani litteras lib. 3. cap. 11. affirmat se ex Italia in Africam soluisse; sed priùs Romam venit sub finem anni 387. ibiq; hyemauit cum matre sua, & dum Romæ esset scripsit libros eos, quos enumerat lib. 1. Retract à cap. 7. ad 10. de moribus Ecclesiæ Catholicæ, & Manichæorum, de Animæ quantitate, & de Libero arbitrio. Inde verno tempore adulto Roma discessit, & cum peruenisset ad Ostia Tyberis S. Monica eius mater defuncta est præsente, & flente Adeodato, qui erat annorum 16. nec ita multo post Adeodatus obijt; ita ex lib 9 Confess. à cap. 1. ad 12. Notanda illa verba capitis 8. *Cùm apud Ostia Tyberina essemus, mater defuncta est*, & cap. 11. *Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto anno ætatis suæ, trigesimo & tertio ætatis meæ, anima illa religiosa, & pia, corpore soluta est.* Sed aut est error Librarij, & reponi debet *trigesimo & quarto*, aut S. Augustinus loquitur hic de anno iam cōpleto, nam quando S. Augustinus scripsit lib. 3 contra Academicos, & librū 1. Soliloquiorum erat adhuc Catechumenus, & annorum 33. eratq; ille annus 14. ab anno 19. quo Ciceronis Hortensium legerat, vt ex verbis ipsius num. 6. ostendimus deinde anno sequenti in Paschate baptizatus est, & anno sequenti Roma ad Ostia nauigauit, ergo quando S. Monica in cœlum migrauit 4. Maij S. Augustinus agebat iam annū 34. nondum tamen completum, atq; adeo ex dictis supra erat hic annus Christi 388. quo pariter nauigauit in Africam cum Euodio, & Adeodato, & hic annorum 16. mox defunctus est. De hallucinatione Baronij ponentis mortem S. Monicæ anno 35. Augustini; vide P. Aloysium Torellum tomo 1. Seculor. Augustinensium ad annum 387.

8 Reuersus in Africam S. Augustinus. Anno deinde 389. secessit com sodalibus, & vitam Eremiticam, quam Mediolani in agro instituerat anno 387. fundauit Thagaste, in qua mansit Laicus, vsque ad annum 391. quo licet inuitus, ordinatus fuit Presbyter à Valerio Episcopo Hipponensi, vt colligitur ex eius Epistola 225. ad Albinum, & ex Possidio in ipsius Vita, quæ autem ibi scripserit ante Presbyteratum recensetur ipse lib. 1. Retract. à cap. 10. ad 13. videlicet de Genesi aduersus Manichæos, de Vera Religione, & absoluit libros de Musica, & de Magistro. Iam verò Presbyter disputauit cum Fortunato Presbytero Manichæo 5. Kal. Septembris Consulibus Arcadio II. & Rufino, vt extat in Actis illius disputationis exceptæ à Notarijs,

rijs, nempe anno Christi 392. Sed antea scripserat librum de Vtilitate credendi, & contra Manichæos de duabus animabus; posteà verò anno 393. interfuit Concilio Hipponensi iussusq; est disputare de Fide, & Symbolo, vt ipse fatetur lib. 1. Retract. cap. 17. cœtera, quæ anno 393. 394. ante Episcopatum scripsit, recensentur lib. 1. Retractationum à cap. 18. ad 26.

9 Anno Christi 395. videlicet ætatis 41. ordinatus fuit S. Augustinus Episcopus à Valerio Episcopo Hipponensi; scribit enim S. Prosper in Chronico: *Consulibus Olybrio, & Probino Augustinus B. Ambrosij discipulus multa facundia, doctrinaque excellens, Hippone Regio Africæ Episcopus ordinatur*; videlicet Coepiscopus, & adiutor Valerij, vt liquet ex Augustini epist. 34. ad Paulinum. Porrò Episcopus scripsit reliqua omnia, quæ libro 2. Retractationum enumerantur inter quæ sunt præcipue libri Confessionum, & de Doctrina Christiana, & contra Manichæos duos Faustum, ac Felicem; sed disputatio cum Felice biduo peracta fuit Honorio VI. & Aristeneto Consulibus, vt extat in Actis illius à Notarijs exceptæ, nempe anno Christi 404. qua & ipsum feliciter vicit conuertitq; scripsit deinde inter alia libros de Trinitate, & de Consensu Euangelistarum, de Bono Coniugali, contra Cresconium Donatistam: Capta deinde, & euersa Roma ab Alarico, quod fuit anno Christi 410. 9. Kal. Septemb. & eam calamitatem paganis Christianismo adscribentibus scripsit libros de Ciuitate Dei. *Quod opus per aliquot annos me tenuit*, inquit ipse lib. 2. Retr. cap. 14. Postremo, vt ostendimus num. 1. Vandalis Africam vastantibus, anno Christi 430. ætatis 76. prope completo Episcopatus verò anno 36. migrauit ad Dominum die 28. Augusti.

SYNOPSIS Annorum præcipuorum S. AVGVSTINI.	Anni Christi.	Aet. S. Augustini currentes ante 13. Nouemb.	Aet. S. Augustini currentes post 13. Nouemb.
Nascitur Thagastæ Idib. Nouembris ex Patricio, & S. Monica.	354	0	1
Reuocatus à Medaura Thagasten intermittit studia litterarum, & dum pater parat impensas, vt eum mittat Carthaginem, abusus otio laxat frena libidini.	370	16	17
Carthaginem ad studia litterarum missus orbatur patre.	371	17	18
Impingit in Manichæos, lecto tamen Ciceronis Hortensio exardescit desiderio veræ, & immortalis sapientiæ.	373	19	20
Aristotelis Prædicamenta aliosque libros Philosophorum per se ipsum intelligit.	374	20	21
Scribit librum de Pulchro, & Apto ad Icherium Oratorem Romam.	380	26	27
Cum Fausto Episcopo Manichæo differens, nec illam in eo peritiam omnium scientiarum, quam iactabat deprehendens, & Astronomiæ in primis imperitum videns, desperansq; ab vllo alio solui posse dubia doctrinæ Manichæorum, frigescere incipit in Manichæismo, ac pertæsus tumultuosæ intemperantiæ Scholasticorum Carthaginis, quos Rhetoricam docebat, Romam migrat docturus ibi Rhetoricam, habitatq; in Domo cuiusdam Manichæi.	383 & 384	29	30
Roma Mediolanum ad Rhetoricam docendã mittitur à Symmacho Vrbis Præfecto.	384	30	31
Calendis Ianuarij Panegyrim Mediolani recitat in laudem Bautis Consulis, deinde Consultis SS. Ambrosio, & Simpliciano, exemplisq; aliorum incitatus Manichæismum deserit, & fit Catechumenus.	385	31	32
Vindemialibus feriis secedit in villam Verecundi Grammatici, inchoat libros de Academicis, & occasione diei natalis sui librum de Beata Vita, & deinde Soliloquia, & renunciat Magisterio Rhetoricæ.	386	32	33
Scribit librum de Ordine, absoluitque librum 3. de Academicis, & reuersus Mediolanum incipit scribere de Musica, & se ad Baptismum præparat.	387	33	34
Baptizatur in Paschate à S. Ambrosio vnà cum Alipio sodali suo, & Adeodato filio notho, præsente matre S. Monica, & sub finem anni migrat Romam, sed prius extra Mediolanum Eremiticæ vitæ semina iacit.	387	33	34
Romæ hyemans scribit de Moribus Eccl. Catholicæ, & Manichæorum, de Animæ quantitate, & de Libero arbitrio, vere autem adulto nauigat ad Ostia Tyberis, vbi ad Christum migrauit S. Monica 4. Maij annorum 56. post dierum 9. ægritudinem. Inde soluens redit in Africam, mortuoq; mox Adeodato vitam Eremiticam cum sodalibus instituit Thagaste anno 389.	388	34	35
Laicus adhuc scribit de Genesi aduersùs Manichæos, de Vera Religione, & absoluit librum de Magistro, & libros de Musica.	389 390	35 36	36 37
Ordinatur Presbyter à Valerio Episcopo Hipponensi, scribitq; de Vtilitate credendi, & contra Manichæos de duabus animabus, & Hippone in horto donato à Valerio Episc. Eremiticum Cœnobium fundat.	391	37	38
Disputat cum altero Fortunato Presbytero Manichæo 5. Kal. Septemb.	392	38	39
In Concilio nationali totius Africæ Hippone celebrato iussus differit, & scribit de Fide, & Symbolo; hoc verò, & sequenti anno scribit recensita libro 1. Retract. à cap. 18. ad 26.	393 394	39 40	40 41
Ordinatur Episcopus, seu Coepiscopus à Valerio Episcopo Hipponensi, deinde scribit libros Confessionum, & alios de quibus lib. 2. Retract. vsq; ad cap. 6. vsq; ad annum 404.	395	41	42
Disputat cum Felice Manichæo die 5. Augusti, & 6. eumq; victum conuertit ad Catholicismum, annisq; sequentibus inter alia scripsit de Trinitate, de Consensu Euangel. de Bono Coniugali &c.	404	50	51
Roma ab Alarico subuersa 9. Kal. Septemb. anni 410. scribere incipit anno sequenti libros de Ciuitate Dei, & interea multa alia scripsit enumerata lib. 2. Retract.	411	57	58
Anno Christi cœpit refutare Pelagium, quem biennio post damnauit in Concilio VI. Carthaginensi cum alijs Episcopis.	417 419	63 65	64 66
Anno demum 430. die 28. Augusti migrauit ad Christum Dominum, agens 76. propemodum completum, & Episcopatus 36.	430	76	
Tanti erat Annos patroni mei Sanctissimi digerere in ordinem, & ab aliorum falsa supputatione vindicare.			

ART. II.

De S. HIERONYMO Eccl. Doct.

1 SAnctus Prosper in Chronico scribit: *Theodosio IX. & Constantio III. Coss. Hieronymus Presbyter moritur, anno ætatis suæ XCI. pridie Kal. Octobris.* Annus hic ex dictis libro 4. cap. 5. est Christi 420. de quo, & de die obitus non est controuersia magna, sed de anno ætatis 91. & multò magis de annis 98. aut 99. quos ei attribuũt Beda, Ado, & Vsuuardus in Martyrolog. & Sigebertus in Chron. Licet enim ipsemet S. Hieronymus præfat. libri 3. in Amos fateatur, se iam inde ab annis 14. laborem scribendi manu sua ferre non posse; & anno Christi 410. quo Vrbs capta est à Gothis, & quo explanabat Ezechielem, dicat in præf. libri 7. præter difficultatem dictandi, caligasse se oculis, & S. Augustinus lib. 1. contra Iulianum c. 7. dicat de S. Hieronymo: *In locis Sacris, atque in litteris Sacris, vsque decrepitam vixit ætatem.* Nihilominus ætas eius annorum 91. nedum 98. minimè cohærere potest cum his, quæ idem de se ipso non semel scripsit; ait enim in cap. 1. Habacuc anno illo, quo Iulianus Apostata perijt, videlicet Christi 363. fuisse se puerum, & sub Gentili præceptore in ludo Grammaticæ exercentem se, à quo anno ad 420. obitus sunt anni 57. quos si anno 91. ætatis fictæ demas, remanent anni 34. Quomodo igitur adolescens, aut puer dici posset vir annorum 34? Eminentissimus Baronius Tomo 4. Annalium ad annum 372. Christi censet, & pluribus probat S. Hieronymum eodem anno 372. in Eremum secessisse, & ibi cœpisse se exercere in Sacris Scripturis, interpretando Abdiam, quando erat iam annorum 30. in præfatione enim in Abdiam ad Pammachium scribens ait: *Hoc illud tempus, mi Pammachi hac luce dulcior, quo egressi Scholam Rhetorum, diuerso studio ferebamur, quando ego, & Heliodorus carissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur*, & ibidem se excusans addit: *Quantò magis ego, qui nec dum ad ætatem perfecti viri, & in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam?* & inferius narrat sibi ab Italia allatum scripti huius super Abdiam exemplar post tot annos, quot habebat quando illud primum scripsit, quos 30. fuisse indicat dum dicit: *Nec diffiteor per hosce triginta annos in eius opere me hoc labore sudasse.* Vnde colligit Baronius S. Hieronymum anno Christi 372. quo in Eremum secessit, scripsitq; primò in Abdiam fuisse annorum 30. atq; adeo anno 363. quo Iulianus perijt fuisse annorum 20. & attenta phrasi Hieronymi, non est mirum, se puerum, & adolescentem appellasse, comparatiue ad annos 33. quibus virilem, seu perfecti viri ætatem iniri putabat. His positis, si anno 372. erat annorum 30. aut 29. vtique anno 420. quando obijt, erat annorum 78. aut 77.

2 Hic porrò non plura addimus contra Bedam, Vsuardumq; in Martyrol. & Sigebertum in Chronico, aliosque scribentes S. Hieronymum obijsse anno 12. Honorij, nempe Christi 407. & attigisse annos minimum 98. Nam si annos 44. qui sunt ab interitu Iuliani ad annum 407. subtrahas annis 98. sequeretur anno 363. fuisse annorum 54. quo se tamen puerum fassus est; id vero est absurdissimum. Retineamus ergo cum S. Prospero, & Baronio S. Hieronymum obijsse anno 420. Christi, & cum Baronio habuisse tunc annos 78. nondum plenos, atque adeo natum esse anno 342. Addimus obijsse occidente Sole 30. Septembris facie splendenti, cum recitasset illa verba: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.*

ART. III.

De S. EPIPHANIO Salaminæ Cypri Episcopo.

1 SAnctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccl. quem initio eius ait à se scriptum anno XIV. Theodosij Imper. nempe anno Christi 392. ait de S. Epiphanio: *Viuit vsque adhuc, & in extrema senectute varia cudit opera.* Ergo illo anno non erat sexagenario minor. Quando autem scripserit Ancoratum designat ipsemet his verbis. *Hic annus est nonagesimus Diocletiani, Valentiniani, & Valentis decimus (quo & exorditur vndecimus) Gratiani sextus, Consulatus Gratiani Augusti tertium, & Equitij illustrissimi; Indictio secunda:* Videlicet annus Christi 374. Palladius in Dialogo affirmat S. Epiphanium sedisse Episcopum annos 36. sub Damaso, & Syricio etc. quos si ab exordio Damasi numeres, videlicet ab anno 367. cadet Epiphanij mors in annum Christi 403. et tanto vlterius, quanto Episcopatus huius exordium, post Damasi initium numeraueris. Cum ergo S. Ioannes Chrysostomus pulsus sit in exilium prima vice anno Christi 403. vt ostendimus supra, videretur hoc ipso anno consignanda mors S. Epiphanij, si verum esset quod narrat Sozomenus lib. 8. cap. 16. Socrates lib. 6. cap 13. et Metaphrastes in Vita S. Chrysostomi, videlicet S. Chrysostomum audito consensu Epiphanij in sui depositionem prædixisse Epiphanio mortem in mari antequam rediret ad suum Episcopatum; et vicissim S. Epiphanium prædixisse S. Chrysostomo mortem, antequam perueniret ad sui locum exilij. Esto Leo Augustus in Oratione de Ioanne Chrysostomo dicat hæc vaticinia iactata esse externorum sermonibus, et Baronius quibusdam coniecturis non contemnendis ad annum 402. fabellam esse censeat, et obijsse anno 404. die 12. Maij, ex verbis S. Hieronymi eliciat. Quare si tunc habuit annos 118. vt putant aliqui, sequeretur natum esse anno 286. vel 287. et anno 392. quando scriptus est à S. Hieronymo Catalogus Script. Eccl. S. Epiphanium fuisse annorum 106.

ART. IV.

DE IDIOTA.

IN Bibliotheca Patrum reperiuntur opera cuiusdam authoris sub nomine Idiotæ cuius verum nomen, & ætas diu latuit, esto illum Genebrardus in Chronographia cum Trithemio, & alijs collocarit sub anno Domini 850. Salazar autem l. de Conceptione cap. 42. & Ægidius de Præsentatione q. 4. art. 1. floruisse dicant anno 800. cùm tamen ab Idiota in Prologo contemplationis de Deipara num. 3. verba illa: *Mariam semper cogita* cum reliquis, ad verbum sumpta sint ex S. Bernardi homilia 2. super missus est; Bernardus autem obierit anno 1153. Sed iam cessat vtrumque dubium, quia vt fusiùs docet noster Theophilus Raynaudus Tomo 11. suorum operum Opusc. 2. In manuscripto enim suppeditato à V. C. L. D. Ludouico de Casanoua Turonensi, præfixa habetur Idiotæ operibus hæc Epigraphe. *Librorum huius voluminis author est R. P. D. R. Iordani Præpositus Vticensis anno Domini 1381. qui deinde factus Abbas de Cellis Bituriensis Diœcesis, ibi dies suos clausit vniuersos, cuius anima requiescat in pace.* Secunda autem litera R. significat, seu indicat nomen Raymundi, vt constat ex scriptura Vticæ in Gallia, vulgo *Vsez*, in transactione enim inita anno 1377. inter Martialem Episcopum Vticensem, & Præpositum hunc, nominatur *Raymundus Iordanus*, Eam verò Præposituram fuisse Canonicorum Regularium S. Augustini pluribus suadet Raynaudus.

ART. V.

De S. IOANNE Damasceno.

CONstat ex Ioanne Patriarcha Hierosolymitano, alijsq; qui vitam S. Io. Damasceni cognom. Mansuris scripserunt eum ex parentibus Christianis ortum fidem Catholicam cum lacte suxisse, & anno Christi 728. passum pro cultu sacrarum Imaginum, ex calumnia Leonis Isaurici vt nominauimus in Chronico, atq; ad obitum vsq; sanctè vixisse. Foede igitur peccauit tum in sanctissimum hunc virum, tum in Chronographiam Petrus Galissardus in Chronographia sua referens S. Io. Damascenum Iudaismo aliquando adhæsisse, & postea ad Catholicos conuersum esse anno 470. Anachronismo quoq; non ferendo laborant S. Antoninus, & Volateranus S. Damascenum ad tempus Theodosij Magni retrahentes, Necnon Abraham Bzouius libello de Sanctis Medicis confundes S. Io. Damascenum, cum Ioanne Mesue Saraceno Damasco oriundum, quem floruisse ab anno 1140. refert Genebrardus; & hic est ille quem inter Nobiles Medicos recenset Tiraquellus libro de Nobilitate nominans illum Io. Damascenum Mansurem.

LAVS DEO.

INDEX RERVM MEMORABILIVM TOMI I.

Numerus prior paginam, posterior columnam indicat.

A

Aaronis tempora 264.
Abdiæ prophetæ tempus 277.
Abrahæ ortus, & egressus de Haran 253. & 254. gesta præcipua, & tempora 257. 258.
Achab Rex 272.
Achaz 273.
Actiacæ victoriæ tempus 97. & 187.
Acta Apostolorum, & tempora 371. &c.
Adolphus Nassauius Imper. 217.
Aegialeus primus Rex Sycionis 124.
Aegyptiacus Annus qualis, & quotuplex 31.
Aegyptiorum Menses 33. & eorum Dies collecti 121.
Aegypti Reges antiqui 225. 226. 227. & post Alexandrum M. 137. 2.
Aelagabalus Imperator 197. 198.
Aelius Verus Imperator 196.
Aemilianus Imperator 197. & 199. 2.
Aeneæ tempus 150.
Aequinoctiorum, & Solstitiorum Tabula, & vsus 90. & 94.
Aequinoctium Ciuile non Astronomicum in Kalendario attenditur 62.
Aequinoctium Ciuile tempore Iulij Cæsaris 49. 2. & circa Christi tempus 95. & 320.
Aera Hispanica quid, quando &c. 102. 186. 2. 187.
Aetas longæuorum hominum 3. & 4.
Aetatum Mundi varia distributio 290.
Aethiopum Anni, & Menses 51.
Agabi prophetiæ tempus 372.
Aggæi prophetæ tempus 278.
Alberti duo Imperatores 217.
Aletes primus Rex Corinthi 125. 2. & 126.
Alexander Imperator Orientis 210. 2.
Alexandri Magni Epocha, & Annorum conuersio in annos ante, vel post Christum 100. 2. 114. 134. 136.
Alexandri Magni ortus, victoriæ, res gestæ, mors, ætas 40. 2. & 134. ad 137.
Alexander Seuerus Imperator 197. 198.
Alexandriæ conditus 135.
Alexandrinæ Eccl. Epocha 63. 2. & 69.
Alexandri Farnesij liberalitas in litteratos 165. 2.
Alexius Comnenus Imper. 211.
Alexius Murzifius Imper. 211.
Alphæus, & Cleophas idem 361.
Alphonsus Rex, & Imper. 247.
Alphonsi Reges Hispaniæ 398. 399.
Amos prophetæ tempus 276.
Amurathes Imper. Turc. 244.
Anastasius Imperator 209.
Anaxagoræ tempora 129. 2. 132.
Andronici Imperatores tres 210. & 211.
Anni Magni quot, & quales, & Cycli diuersi 8.
Anni Solaris, Lunaris, & Siderei verior quantitas 8. 2.
Anni antiqui Patriarcharum quales 3. & quot 245. 246.
Anni antiqui Hebræorum 10.
Aegyptiorum 31.
Aethiopum 51.
Arabum 53.
Armenorum 51.
Coptitarum 51.
Danorum, & Germanor. 51.
Gallorum 51.
Græcorum 34. 37. 40.
Iaponum, Indorum 52.
Macedonum 40.
Moscouitarum 51.
Persarum 33.
Romanorum 42. 43.
Saxonum, Syror. Sinensium 51. 52.
Annus Confusionis 44. 45.
Annus Iulianus qualis, & quando ordinatus 44.
Anni Mundi conditi 96. ad 98. & 290. ad 296.
Anni ab ortu Abrahę ad Exodum 259. 260. ab Exodo ad fundamenta Templi 265. 270.
Anni Captiuitatum, & Iudicum 278. 279.
Anolympiades quæ? 127. 2.
Antemius Imper. 197.
Antiochorum Regum Catalogus 145.
Antiochena Epocha 97. 101. 146.
Antoninus Pius Imper. 195. 2.
Apostolorum tempora, & Acta 372. diuisio, & prædicatio 374. 2. 53.
Arabum Annus, & Aera 13. 244.
Arabicorum Annorum conuersio in Annos Christi 102. 2.
Arbaces Rex Medorum 228.
Arcadius Imperator 208.
Archontes Athenienfium 96. 2. & 123.
Argiuorum Reges 123. 124.
Argonautarum expeditio 123. & 125. 2.
Aristotelis ortus, & mors 129. 133.
Arsamis Rex Asiæ 237. 238.
Artazerses Longimanus 237. 282. Ochus, & Mnemon 237. 238.
Asa Rex 272.
Ascalonitarum Epocha 146.
Astyages Rex 228. 229.
Assyriæ Reges 223. 231.
Athalia 272.
Athenienfium Reges 123. 125. 126.
Atticorum Mensium ordo 39.
S. Augustini insignia tempora ætas. &c. 400. & 401.
Augustani Anni qui 97. & 187.
Augusti natalis, & obitus 180. 188. Anni vnde initi 97. 101. 185. 2. 186. triumphi 188.
Augustulus Imper. 207. 208.
Aurus Imperator 207.
Aurelianus Imperator 197. & 200.
Aurelius Imper. 197. & 200.
Aurei numeri Tabulæ, & vsus 81. 82. & 91. 2.
Azarias Rex 272.

B

Babelis Turris 256.
Babylonis constructio 223.
Babylonis Reges 223. 224. & 231. ad 235.
Babylonicæ Captiuitatis anni, & solutio 96. 2. 237.
Baiazeth Rex Turc. 244.
Balduinus Imperator 211.
Balthassar Rex Babylon. 233.
S. Barnabæ acta, & martyrium 372. &c.
S. Bartholomæi martyrium 374.
Baruch prophetæ tempus 277.
Basilius Imperator Orientis 208.
Basilius Macedo Imper. 210.
Bella Romanorũ insigna, & tempora 184.
Bellum Peloponensium 97.
Belus quis 223. 256.
S. Benedicti obitus quando? 389.
Berengarius Rex 216.
Bethsabee tacetur in genealog. Christi 350
Bissexti origo, & correctio iussu Augusti 46. superstitio 47. & 161. 2. Tabulæ, & vsus 48. 80. 91.
Bithyniæ Reges 240. 241.
Booz tempus 348. 2. 349.
Busiridis tempora anno 1590. ante Christũ.

C

Cainan secundus inter Patriarchas recipiendus 251.
Calebi ortus, & mors 264.
Calecutiensium Epocha 103.
Caligula Imperator 199.
Calippicæ Periodi initium, & quantitas 36. & 97.
Cambysis tempus 96. 2. 237.
Captiuitatis Babylonicæ initium, & finis 96. 274. & 280.
Captiuitates Iudæorum diuersæ 278. 2.
Capitolinarum Tabularũ dissidium à Varrone 155. 2. earum inuentio 162. 2.
Cappadociæ Reges 240.
Caracalla Imperator 197.
Caranus Rex Macedonum 126. & 144.
Carinus Imperator 197. 201.
Carolus Magnus Imperator 215.
Carolus Caluus, & Crassus 216.
Carolus IV. & V. Imper. 217.
Caroli V. anni insignes 399.
Carthaginis conditus, & Reges 239.
Carus Imperator 197. 201.
Cecrops Rex Athen. 125. 126.
Celtarum anni, & menses 51.
Census à Cyrino quando factus?
Chaldaica Epocha 97.
Chaldæorum Reges 123. 124.
CHRISTI Epocha vnde cœperit 97. 104. 298. quando vsurpata in diuersis locis 599. 2
Christi Genealogia à pag. 337. ad 344.
Christus, quo mense, & die natus 300. & quo anno à pag. 301. ad 305. & quo baptizatus 302. 308. 309. quot annos prædicarit 310. quo in Paschate passus sit, & an illud cum Iudæis celebrarit 312. 313 & qua feria 315. 316. quomodo fuerit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus 316. 317. qua die mortuus sit in forma anni Iuliani 318. 319. & quo anno à p. 322. ad 326. & qua ætate 326.
Christi Natiuitas, & Mors insignioribus Epochis annorum notata 337.
Chronicon Patriarcharum 255. & aliud ab Abrahamo 257.
Chronotaxis gestorũ Christi 332. ad 337. & Deiparæ 351.
Claudius Imp. 190. edict. cõtra Iudæos 373

Cleo-

Cleopatræ mors 187.
Clodius Albinus Imper. 196. 2.
Codrus Rex Athenienſium 126.
Colotianæ Tabulæ 162. 2.
Commodus Imperator 196.
Conceptionis Immaculatæ Deiparæ feſtum in Hiſpania antiqaiſſimum 298.
Conciſium primum Apoſtolorum quando? 376. 2.
Concilij Nicæni tempus 385.
Confuſionis annus 44. 45. 46.
Conſtantinopolis Encænia, & Epocha 97. & 102.
Conſtantinopolis à Turcis captæ tempus 59. 60. 97.
Conſtans Imperator 203. 205.
Conſtantinus Magnus Imp. 203. 204.
Conſtantinus Iunior 203. 205.
Conſtantinus Copronymus 210.
Conſtantinus Ducas 211.
Conſtantinus vltimus Imp. 211.
Conſtantius Chlorus 203.
Conſtantius Imperator 203. 205.
Conſulatus ineundi tempus 164. 2.
Conſules primi Romæ 96. 158.
Conſules Ordinarij, Suffecti, Honorarij 164.
Conſulariũ Faſtorũ Authores 164. ad 166.
Conſularium Faſtorũ errores 163. ad 169.
Conſulares Faſti correcti, & ordinati 169. ad 184.
Coptitarum anni &c. 51.
Corinthi Reges 123. 125.
Cyaxares Rex 228.
Cycli Luniſolares 8.
Cycli Paſchales 9. 63. 69.
Cyclus Solis, & Tabulæ pro litera Dominicali 85. 86. 91.
Cypſeli tyranni tempus 129. 2.
Cyri Regis geſtorum tempora 80. 96. 233. ad 237.
Cyrini cenſus primus 306.

D

Danielis Prophetæ tempus 277. & Hebdomades quales 281.
Danorum Anni 51.
Darius Arſamis, ſeu Codomanus 237. 238.
Darius Hiſtaſpides 96. & 237.
Darius Medus 233.
Dauidis filius Meſſias 349. 2.
Dauidis Reg. Iud tempora 272. 274.
Debboræ anni 269.
Decius Imperator 197. 199.
Demetrij Phalerei Statuæ, tempus mors 35. & 141.
Demetrius Polyorcetes 145.
Democriti Abderitæ tẽpus 129. & 132. 2.
Demoſthenis tempus 129. 133. 2.
Deucalionis Diluuium 96. & 123.
Diadumenus Imperator 197. 2.
Didius Imperator 196. 2.
Didonis tempus 239.
Diei Ciuilis initium quotuplex 2.
Diluuium Deucalioneum 96. & 123.
Diluuium Noeticum 96. & 249.
Diluuium Ogygium 96. 2. 123. 125.
Diocletiani Epocha, perſecutio, finis 97. 2. 102. 2. 197. 201. 202.
Dionyſius Areopagita obſeruat Solis Eclipſim in morte Chriſti 325. conuertitur ad fidem 330. intereſt morti Deiparæ 331. Martyrij tempus, & ætas 378. 2. conuerſio 373.
Dionyſij Aſtrologi Epocha 97. & 101.
Dionyſij Exigui Cyclus Epocha &c. 69. 2. 97. 298. 299.
Dionyſij Halicarnaſſei opinio de Annis Vrbis 153.
Diuiſio linguarum 256.
Domitiani Imper. tempus 193.

E

Eclipſis Solis in morte Chriſti 325.
Eclipſis ante victoriam Alex. M. 38. 2.
Eclipſes à Thucydide relatæ 126. 127.
Eclipſes multæ pro annis Conſulum ſtabiliendis 159. 160.
Edeſſenorum Epocha 101.
Empedoclis tempus 129.
Epactæ Aſtronomicæ pro Nouilunijs, Plenilunijs, earumq; vſus 92.
Epactarum aliæ Tabulæ 83. 89. 92.
Epicuri ortus, mors, teſtamentum 35. 129. 133. 2.
S. Epiphanij mors, & ætas 403.
Epocharum inſignium Tab. duæ 80. & 96.
Epocharum inſignium mutua conuerſio 103. & 104.
Eſau ortus, mors; vxores 258.
Eſtheris tempus 280.
Euangelij promulgatio 97.
Euangelicæ hiſtoriæ ordo, & Chronotaxis 332. ad 337.
Eugenij tyranni tempus 203. & 206.
Euilmerodach 231.
Euſebij Epocha Mundana 96.
Exarchæ Rauennæ 214.
Exodi Annus, & Dies 263. & 264.
Ezechiæ Regis tempora 232. & 273.
Ezechielis Prophetæ tempus 277.

F

FAramundi tempus 392.
Faſti Capitolini 165.
Faſti Siculi 165.
Faſtorum Conſularium vitia 164. ad 167.
Faſti Conſulares correcti, & ordinati 169. ad 184.
Faunus Rex Latij 150.
Ferdinandi Imperatores 217. 218.
Ferdinandi Reges Hiſpaniæ 398. 399.
Feriarum inueniendarũ Tab. & vſus 82. 92.
Flauius Dexter quis, & quando 298.
Franciſci Vietæ Cyclus 9. 2.
Friderici Imperatores 216. & 217.
Franciæ Regum ſeries 389. & 392.

G

GAd Patriarcha 258.
Galba Imperator 191.
Galerius Maximianus 203.
Gallieni Imperatores 197. 200.
Gallorum antiquus annus 51.
Gedeonis tempus 269.
Gelaleæ Perſarum Epocha 97. 2.
Genealogia CHRISTI, & Deiparæ 257. & fuſiùs à pag. 337. ad 362. Tabulæ 363. & 364. &c.
Genealogicæ Tabulæ Iudæorum 332. cur tres Reges omiſſi à S Matthæo 350. 351.
Generatio vna quot annorum ſit 121.
Glycerius Imperator 207. 208.
Gordiani Imperatores 197. 198. 199.
Gothi Reges in Italia 214. & in Hiſpania 394.
Græcorum Aera Iudaica 97.
Græcorũ Anni in libris Machabæorũ 101.
Græcorum Anni, Menſes, Cycli 34. vſq; ad 40.
Gratianus Imperator 203. 205. 206.
Guido Lamberti Imp. 216.
Guillelmus Imperator 217.

H

HAbacuch Prophetæ tempus 277.
Hadrianus Imperator 195.
Hebdomades Danielis 281.
Hebræorum Annus qualis 10. 11.
Hebræorum Menſes, & initia 13. 15.
Hebraicum Kalendarium vetus 15. 2. & nouum, cum Tabulis, & vſu 17. ad 28.
Hegiræ Mahometicæ tẽpus 53. 97. & 102.
Heli Sacerdos 269.
Heli pater S. Ioſephi 352. 2.
Henricus Balduini frater 211.
Henrici Imperatores ſeptem 216. 217.
Heraclidarum expeditio 123. 125.
Heraclius Imperator 209.
Herodis Infanticidæ tempora 285. 286.
Heſiodi tempus 129. 130.
S. Heronymi mors 162.
Hieronis Regis tempus, vide in Tomo 3.
Hieroſolymæ à Nabuchodonoſor captæ tempus 232. & à Tito 192. & 374.
Hipparchi Cyclus 9. 2.
Hippocratis Coi ortus, mors 129. & 132. 2.
Hiſpaniæ Regum Catalogus 393.
Homeri ortus, & mors 129. 130. 2.
Hominum propagatio fæcundiſs. 263.
Honorius Imperator 207.
Horæ diei Quatuor, & Vigiliæ 1. & 2.
Horæ æquales, & inæquales 1.
Horæ Planetariæ, & feriæ 2.
Horæ Aſtronom. Babylon. Europeæ, Italicæ 2.
Hoſtilius Imperator 197. 199.

I

SS. IAcobi Apoſtoli Maioris, ac Minoris martyrium, & diſcrimen 361. 376. & 378.
Iacobi Patriarchæ geſta, & mors 258. prophetia de ſceptro Iuda 365. ad 370.
Iani templum clauſum 189. 2.
Iaponum annus 51. & Imperatores 242.
Iaſonis tempus 123. 125.
Idiota quis, & quando 403.
Iephtæ Galaaditis tempus 269.
Iechonias Rex 273. quando genitus ſit 350. 2. eius proles 351.
Iehu 272.
Ieremiæ tempus 277.
Ieroboam 272.
Ieroſolyma, vide Hieruſalem.
Ieſſe, vide Iſai.
Ieſus Syracides 141.
Iezdagirdæ Epocha 97. 103. 122. 243.
Imperatorum Romanorum Catalogus, & tempora à pag. 185. ad 207. & aliorum à pag. 215.
Imperat. in Oriente Catalogus 212. 215.
Imperij Romani initium 185. prima diuiſio 205. ſecunda, & finis 208. Inſtauratio ſub Carolo Magno 215.
Inachus primus Rex Argiuorum 121. 2.
Indictionũ origo, vſus &c. 97. 218. ad 220.
Indorum annus 51. 52.
Ioachaz Rex 273. & 350.
S. Ioachim ætas.
Ioakim, & Ioachim diſcrimen 350. 2.
S. Io. Baptiſtæ ortus, & nex 365.
S. Io. Euangeliſtæ acta, & martyrium 374. & 378.
S. Io. Chryſoſtomi acta, & mors 387.
S. Io. Damaſceni tempus 404.
Io. Catacuzenus 21.
Io. Comnenus 211.
Ioannes Ducas 211.
Ioannes Zemiſces 210. 2.
Ioas Rex 272.
Ioathan Rex 273.
Iobi tempus 289.
Iodochus Imperator 217.
Ioel Prophetæ tempus 277.
Ionæ Prophetæ tempus 277.
Ioſephi Patriarchæ ortus acta, mors 258.
S. Ioſephi Sponſi Deiparæ genealogia 337. &c. auus, & pater 352. perpetua virginitas, ætas, & mors. 353. 2.
Ioſias Rex 273.
Ioſue ortus, & mors 264. 265.
Iouianus Imperator 203. 205.
Iphitus inſtaurator Olympiadum 126. 2.
Irene Imperatrix 210.
Iſaacus Angelus Imper. 211.
Iſaacus Comnenus 211.
Iſaac Patriarchæ acta, mors &c. 257. 258. 261. 2.
Iſai tempus 349. 2.
Iſaiæ Proph. tempus 277.
Iſmaelis ortus, mors 257. 258.
Iſraelitarum nomen 260. ingreſſus in Aegyptum 258. 262. multiplicatio 263.
Iubilæus annus Hebræorum qualis, & quotus 29. 30.
Iudas Machabæus 285.
Iudas Patriarcha 258.
Iudas Thaddæus, quis fuerit 361. 2.
Iudicum anni 265. ad 270.
Iudith tempus 280. 2
Iulianus Annus 44. 97. 101.
Iulianus Apoſtata 203. 205.
Iulij Cæſaris acta, & nex 185.

Iulius Nepos Imperator 207.
Iustinianus Imper. 209.
Iustinus Imper. 209.

K

Kalendarium Alexandrinum 63. 64.
Kalendarium Iulij Cæsaris 49.
Kalendarium Romanum Eccles. vetus 69.
Kalendarij Reformatio sub Gregorio XIII. 71. 72. 73.
Kalendarium Gregorianum 73. 74.
Kalendarium Hebraicum antiquum 15. & nouum 17 ad 18.

L

Lacedæmonum Reges 123.
Laodicenorum Epocha 101.
Latij Reges antiqui 150.
Leo Armenus Imper. 210. 2.
Leo Iunior 208. Thrax 208.
Leo porphyrogenitus 210.
Leo Isauricus 210.
Leo Sapiens 210 2.
Leontius Imperator 210.
Leopoldus Imperator 218.
Leuctricæ pugnæ tempus 97. 129. 133.
Lex connubialis Iudæorum 139. 140.
Legis Mosaicæ tempus 264.
Licinius Imper. 197. 200. & alter, ibidem.
Licinius à Constantino M. victus 203.
Literæ Dominicalis Tabulæ, & vsus 84. 87. 91. 2.
Longæuorum hominũ Catalogus 3. & 4.
Longobardorum Reges in Italia 214.
Lotharius Saxo Imperator 216.
S. Lucas 373.
Ludi Seculares tres insignes Romæ pro annis Vrbis 153.
S. Ludouicus Rex Franciæ 393.
Ludouicus Pius Imper. & eius filius 215.
Ludouicus Balbus 216. & Bauarus 217.
Lustrum Romanorum 128.
Lycurgi tempus 129. 130. 2.
Lydorum Reges 240.
Lysiæ Oratoris tempus 132.

M

Macedonum menses 40.
Macedonum Reges 123. 126. 144.
Machabæorum tempora 288. 289. & stemma gentilitum.
Machabæorum in libris duplex Epocha annorum 142. 143.
Macrinus Imperator 197.
Mahometis fuga, & mors 53. 54.
Maioranus Imperator 207.
Malachiæ prophetæ tempus 277.
Manasses Rex Iud. 273.
Manuel Imperator 211.
Marathonia pugna 97. 129.
S. Marci Martyriũ 373. 2. Episcopatus 378
Marci Antonij, & Cleopatræ mors 187.
Marcianus Imperator 208.
Mardocempadus Rex Babylonis 232.
Marię sororis Moysis ort. & mors 263. 264
Maria Salome, quænam fuerit 361. 2.
MARIÆ Virginis Deiparæ Genealogia à pag. 337. Conceptionis annus, & dies 327. 328. 331. & Natiuitatis 328. 331. & Præsentationis, Annunc. Visitationis ibidem, Virginitas perpetua, & votum eius, Purificationis dies 329. 331. Obitus, & Assumptio, & ætas 329. ad 331. Cognatio cum Elizabetha 344.
Maria Cleophæ, & Iacobi eadem 361. 2.
S. Martini obitus quando? 386. 2.
Martius mensis pro Nisan 62.
S. Matthiæ martyrium 373. 2.
S. Matthæi Euangelium 375.
Mathusalæ mors, ætas 246.
Mathatias 289.
Mauricius Imperator 209.
Maximilianus Imperator 217.
Maximiniani Imperatores 197. 198. 101.
Maximus Tyrannus 203, 206. 207.
Mensis Lunaris quantitas 8. 2.
Mensium Solarium cum diebus collectis Tabula triplex 121. 122.
Menses diuersarum nationum 51.
Aegyptiorum 33.
Arabum 54.
Græcorum 34. 35. 38. 39.
Hebræorum 13. 15.
Iuliani 46.
Macedonum 40.
Menedinus 43.
Persarum 34.
Romanorum antiq. 40, 43.
Merodac Rex Babylonis 231. 232.
Metonis Cyclus 9. 37.
Metonis Solstitium obseru. 129.
Micheæ Prophetæ tempus 277.
Miltiadis tempus 131.
Moscouiæ Duces 242.
Mundi conditi Epocha Alexandrina, Constantinopolitana, Eusebiana 98.
Mundi Anni iuxta diuersas opiniones 290. ad 293. Verior opinio, & nexus cum annis Christi 98. 2. 293. ad 296. Characteres cælestes, anni tempestas, & Lunæ dies qua conditus 294. 295. 296.

N

Nabonassari Epocha 96. 2. 231. 232.
Annorum Tabula insignis 114. Conuersio in alios annos 99. 100.
Nabonidus Rex 233.
Nabuchodonosoris tempus 235. 236. Ierosolymam capit 279.
Nachor quando genuit Thare 253.
Nahum Prophetæ tempus 277.
Nathan Prophetæ stirps 344. 2. & 345.
Nembrod quis, & quando 223. 256.
Neomenia Paschalis, quæ olim 13. 2.
Neronis tempora 190. 2. 191.
Neruæ Imper. tempora 193. 2.
Nicephorus Imperator Orientis 210. & alter Botoniates 211.
Nouilunia, & Plenilunia Media, & Ciuilia, atq; Ecclesiastica inuenire 93. 1. & 2.
Nouilunia per Epactas inuenire, & Tabula 84.
Numa Pompilius annum corrigit 43.
Numerianus Imperator 197. 201.

O

Obed tempus 349. 1.
Ochozias Rex Iud. 272.
Octauianus, vide Augustus.
Odoacer Rex Italiæ 207. 208. 213.
Ogygium Diluuium 123. 125.
Olybrius Imperator 207. 208.
Olympiadũ institutio, & instauratio 126.
Olympiadum falsum initium apud Copernicum, & alios 127. 2.
Olympiadum Tabula insignis 105.
Olympias quaternis annis Lunisolaribus constabat 128. 129.
Olympiadum conuersio in alios annos 99.
Olympiadum finis 129.
Olympici certaminis origo 123. 126.
Onias Sacerdos 284. 2.
Oseæ Prophetæ tempus 277.
Otho Syluius Imper. 191.
Othones tres Imperatores 216.
Othoniel Iudex 269.
Ozias Rex 272.

P

Parthorum Reges 240.
Paschatis leges 13. 61. 71.
Paschalem Dominicam reperire 93. 2.
Paschalis Tabula Annorum 1700. à pag. 75. ad 78.
Pascha Iudæorum ex eorũ kalendario 94.
Paschatum numerus in Euangelio 310. 332 333.
Patriarcharum tempora 255.
Pauli Apostoli acta à pag. 372. 373. & 377.
Peloponnesiaci belli tempus 97. 129. 133.
Pergami Reges 241.
Periander Corinthius 129. 130. 2.
Periclis tempus 133.
Periodus Calippica 97.
Constantinopolitana 79.
Iudaica 79.
Iuliana 79. 96.
Solisaurea 79. 91. 96.
Persarum Annus, menses, dies, anni collecti 33. 34. 122.
Persarum Epocha Gelalæa 97. Iezdagirdica 97. conuersio in alios annos 103.
Persarum Reges antiqui 237. 238. recentiores 243.
Perseus Rex Mycenarum 125.
Petrus Antisiodorensis 211.
S. Petri Apostoli acta 372. primus aduentus Romam 372. 2. & 376. Antiochenæ Sedis initium 372. 1. & 375. martyriũ 373. 2. & 377. vincula Ierosolymis 376.
Pertinax Imperator 196. 2.
Philadelphi initium 101.
Philippus Arideus 136. 2.
Phillippus Rex Macedonum 123. 144.
Philippus Sueuus Imperator 216.
Philippi Reges Hispaniæ 398. 399.
Phocas Imperator 209.
Pilatus accusatus à Iudæis, Romam mittitur 324. 2.
Pisistratus Athen. 131.
Platonis ortus, & mors 129. 133.
Ponti Reges 240.
Pontificum Hebræor. Catalogus 283.
Pontificum Romanorum Catalogus, & anni veriores à pag. 379.
Probus Imperator 197. 200.
Prophetarum tempora 277.
Ptolomæorum Regum tempora 130.
Punicorum bellorum tempora 97.
Pythagoræ vtriusq; tempus 129. 131.

Q

Quartadecimani qui, & quot 61.

R

Rahab cur in genealogia Christi 348. tempus 349. 1.
Rebecce mors & ætas 258.
Reccaredus Rex Hispaniæ 394.
Regum Iuda, & Israel Catalogus, et tempora 272. ad 274.
Reges alios vide sub proprijs appellationibus.
Regitugium 157.
Rhodi à Solimanno æxpugnatæ annus, & dies 59. 60.
Richardus Anglus Imper. 217.
Robertus Imperator 217.
Roboam Rex Isr. 272.
Rodulphus Imperat. 217.
Romæ conditæ annus 96. 150. 152. & dies, ac natalis 156.
Romæ Reges 169. pulsi inde 96. 2. & 157.
Romanorum annus antiquus 42.
Romanus Lecapenus Imp. 210. 2.
Romanus Argyrus Imper. 210. 2.
Romuli ortus, & mors 151. 169.
Ruth quæ, & tempus 349.
Ruthenorum menses 51.

S

Sabbati diuersa significatio 28.
Sabbatici Anni quales 28. 29.
Sacræ Scripturæ translatio in Græcũ 139. 140. Septuaginta Editio non Vulgatæ posthabenda 246. 247.
Salaminiæ pugnæ tempus 97. 129. 131.
Salathiel quis, & quando? 351. 2.
Salmanasar 235. 236. Samariam capit 278.
Salome quænam fuerit 361. & 362. 2.
Salomonis ortus, & mors 273.
Sampsonis tempus 269.
Samuelis tempus 269.
Sanctij Reges Hispaniæ 398. 399.
Sangar Iudex 268.
Sapores Reges Persarum 143.
Saræ mors, & ætas 259.
Sardanapalus 225.
Sauli conuersio 374. 2.
Saulis tempus 269.
Saxonum annus 51.
Sedecias 274.
Seleucidarum Epocha 100. 142. 143.
Seleucidarum Regum Catalogus 145.

Semi ortus, proles &c. 250. 251.
Semiramus 223.
Sennacherib 235. 236.
Septimius Seuerus Imper. 196. 2.
Septuaginta Interpretũ versio Græca 139. 140. dissidium à Vulgata 247. ad 252.
Seruitutũ Iudaicararũ tẽpora 265. ad 270.
Seuerus Imperator 207.
Sigismundus Imperator 217.
Signorum Octonæ partes quæ 38.
Simon Zelotes quis fuerit 361. 2.
Sinensium Annus 51. 52. & Reges 221. 222.
Sisyphus Rex Corinthi 126.
Socratis ortus, mors 129. 132. 2.
Solimanni tempus 60. & 244.
Solonis ortus, mors 129. 130. 2.
Sophocles 133.
Sophoniæ Prophetæ tempus 277.
Solstitium Metonis 129.
Solstitiorum Tabula 90. 94.
Stauratius Imperator 210.
S. Stephani acta, & Martyrium 374.
Sycionis Reges 121.
S. Symeon Episc. Ierosol. & Martyr 362.
Syrorum Menses 51.
Syrogræcorum Anni 142. 143.

T

TAbula Annorum Alexandri M. 114.
Annorum Arabicorum 54. 57.
Aureorum numerorum 82.
Bissextilium Annorum 80.
Cycli Solis 85. 86.
Dierum Anni Collectorũ 56. 121. 122
Epactarum Ciuilium 83. & Astronomicarum 88.
Epocharum insignium 80. & 96.
Feriarum 84.
Fastorum Consularium 169. ad 184.
Tabulæ Kalendarij Hebraici 17. ad 28. & Alexandrini 64. & Gregoriani 69. 73.
Literarum Dominicalium 84. 87.
Longæuorum 3. 4.
Nabonassari Annor. 114.
Nouiluniorum 83. 84.
Olympiadum 105.
Paschalis ab anno 1. ad 1700. pag. 75. ad 78.
Vrbis conditæ 108.
Genealogiæ Christi 363. & 364.
Tacitus Imperator 197. 200.
Tamerlanus 242. 243.
Tartarorum Reges 242.
Themistoclis tempus 131.
Templi Hierosolymitani fundamenta 270 Excidium sub Nabuc 280. Instauratio 282. 289. Incendium sub Tito 327.
Tempus historicum triplex 123. 2.
Thaletis tempus 129. 130. 2.
Thamar cur in Genealogia Christi 348.
Thare annus quo genuit Abrahamum 253.
Themistoclis tempus 131.
Theodorus Lascaris 211.
Theodosius Magnus 203. 206.
Theodosius Iunior 208.
Theodosius Adramytenus 210.
Theophilus Imperator 210. 2.
Theophili Cyclus 63. 2.
S. Thomæ Apostoli martyrium 374.
Tiberius Imperator 189.
Tiberius Iunior 209.
Titus Imperator 192. 2. Hierosolymam capit 327.
Totilas Rex Italiæ 214.
Traianus Imper. 193. 194.
Troiæ conditus, bellum, excidium 96. & 123. 148.
Troiæ Reges 150.
Turcarum Imperatores 244.
Turris Babel 255.
Tyriorum Epocha 101.

V

VAlens Imperator 203. 205.
Valentiniani tres 203. 205. 206. 207.
Valerianus Imperator 197. 200.
Verrius Flaccus insignis Grammaticus, & author Fastorum Capitolinorum 165.
Vespasianus Imperator 192.
Vibius Imperator 197. 199.
Vitæ humanæ longitudo post Diluuium 3. 4. 34.
Vitellius Imperator 192.
Volusianus Imperator 197. 199.
Vr Chaldæorum 253.
Vrbis Romæ conditæ dies, annus &c. 99. 105. 156.
Vrias cur nominatus in Genealogia Christi 350.

X

Xerxis transitus in Græciam 129. 131. 2.

Z

ZAchariæ Prophetæ tempus 277.
Zachariæ Regis tempus 273.
Zacharias pater Præcursoris, qualis Sacerdos fuerit 307.
Zara cur nominatur in Christi genealogia 348. 2.
Zorobabel quis fuerit 352.

FINIS.

Pa.	Co.	Li.	ERRATA	CORRIGE
1	2	47	*Ergo similiter*	Ergo similiter
2	1	3	suscipione	sulpicione
2	1	43	aliquot	aliquod
2	2	66	vi	vix
3	1	23	mamaiores	maiores
3	2	10	Conimbritẽses	Conimbricẽses
3	2	15	superetes	superstes
3	2	66	Conimbritẽses	Conimbricẽses
3	2	67	Aristolis	Aristotelis
3	2	68	eruntq;	eruntque
3	2	76	verbi	verbo
4	1	5	qua	qui
4	1	7	qua	qui
5	1	36	conditor	coadiutor
7	1	3	Naepolitani	Neapolitani
8	1	26	Magnum	Magnus
8	1	33	prodomi	prodromi
8	2	64	solisque	Solisque
9	1	54	anteuertere	anteuertere:
9	1	51	magisquam	magis, quàm
9	1	56	Archimdi	Archimedi
10	2	9	distiugui	distingui
10	2	19	Caldæorum	Chaldæorum
10	2	25	obium	obuium
10	2	25	colligatur,	colligitur
11	2	39	cunditam	conditam
11	2	43	significat	significent
11	2	50	primarum	primatum
12	1	52	exunte	exeunte
12	2	15	Tulmudistæ	Talmudistæ
13	1	43	anteeedenter	antecedenter
13	2	5	secuudum	secundum
13	2	26	Talmudita	Talmudica
14	1	30	debebunt	debebant
15	1	52	vsus	vsos
16	2	57	Embolem	Embolim
19	1	11	diuidendos	diuidendo
25	2	8	binarium	binarum
28	1	51	Hebdoma	Hebdomas
29	1	67	Manuele	Manuali
29	2	15	hoctibus	hostibus
29	2	32	Quia	qui
29	2	35	iste	teste
31	1	24	reliqnæ	reliquæ
34	2	28	exignnt	exigunt
35	1	66	consensitq;	consentitq;
40	2	8	celebrantur	celebrabuntur
40	1	60	Paneption	Panepsion
40	1	64	Ζανθικὸς	Ξανθικὸς
42	2	2	penuntimus	penultimus
42	2	42	solemos	solemus
43	1	52	mensum	mensium
44	1	7	De Anuo	De Anno
50	1	45	Regis fugium	Regisfugium
50	1	52	montae	Monte
50	2	31	Caeteris	Cereris
50	2	52	Caeteris	Cereris
51	1	19	Coptito	Coptitae
58	1	65	à Kal.	à Kal. Ianuarij
61	2	67	ipsi	ipsis
62	1	55	intellexit. Elig.	intellexit Elig.
62	1	57	immalandum	immolandum
62	2	55	quidem	quidam
64	1	9	Luuæ	Lunæ
71	1	48	Martij	Maij
71	1	52	Ecclesiastica	Eccles. inuenire
72	2	49	alia	aliàs
73	1	11	intentione	inuentione
73	1	17	discursis	discussis
73	2	5	mirro	miro
73	2	11	Gregoriano	Gregoriani
79	1	16	qua	quia
80	1	30	Aegiptiaci	Aegyptiaci
94	1	28	narat	narrat
99	2	21	Arbis	Vrbis
101	1	47	Laodicenorum Anni ante Epoc	Laodicenorum Anni Epochæ
112				
123	2	71	opportunins	opportunius
126	2	35	ostrndere	ostendere
127	2	38	ἀγολυμπίαδες	ἀνολυμπιάδις
128	1	27	rediculum	ridiculum
137	2	7	Regnum	Regum
153	1	17	ostendemue	ostendemus
153	1	18	2. & 3.	2. & inijt 3.
153	2	76	septeni	septimæ
154	2	53	recensеant	recenseat
156	1	16	Palisdeæ	Palis Deæ
156	2	74	Neamenia	Neomenia
158	2	35	Cominios	Cominius
161	2	54	eraut	erant
165	1	58	Censorinæ	Censoriæ,
165	1	77	marmureo	marmoreo
162	2	16	Bunsingum	Buntingum
192	2	72	niatus	natus
215	1	75	Ianuarij 28.	Decembris 28
217	1	36	debere	deberi
249	2	51	Iuliane	Iulianæ
249	2	52	Modestius	modestiùs
252	1	17	Apoccalipſ.	Apocalipſ.
252	1	67	Syntellus	Syncellus
256	1	9	posteriorum	Posterorum
275	1	1	Mattheus	Matthæus
299	2	5	exiguus	Exiguus
300	1	73	traditus	traditur
300	1	76	habet	habent
301	1	47	Elictouæus	Clictouæus
301	2	76	Neue	neue
309	1	18	& vt	vt &
310	1	67	Baemon	Baccon
311	2	32	doctrinæ	doctrina
311	2	57	accendant	accedunt
315	2	7	sequentis	sequenti
318	2	56	propendunt	propendent
319	1	35	abijsse	obijsse
319	2	62	ea	ex
320	2	1	coosistere	consistere
321	1	62	cadet	cadat
323	1	63	Cassiodorus	Cassiodorus
330	1	68	Pachymores	Pachymeres
347	1	53	Solomonem	Salomonem
350	1	76	Methanias	Mathanias
361	1	2	Distinctus ab Apostol.	*deleatur*
361	2	14	nomiuat	nominat
366	2	3	futurum	futuram
368	2	33	quàsido	quando
370	2	23	quia	quin
383	1	62	monacus	monachus
393	1	49	Palentinæ	Palentiæ
393	1	57	Diolionus	Dolionus
393	1	74	Præcores	Prætores
394	1	31	Atanulphus	Ataulphus
394	1	17	Biclanensis	Biclarienſis
399	2	26	1604	1504
400	1	63	celebrationis	celebrationem
400	2	49	addit	addat